This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

NOVA
ACTA
ERUDITORUM

AD ANNOS 88018

MDCCLXVI et MDCCLXVII

publicata.

Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS; Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. et IOH. LUCHTMANSIOS: et Amſtelaedami in SCHREUDERI officina.

MDCCLXVIII.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

Non eſt animus multa praefari; neque eſt neceſſum. Inſtituti noſtri ratio, integro paene ſaeculo doctis hominibus omnibus cognita, non eget commendatione; quae ipſa, ſi proficiſceretur a nobis, nulla foret. Igitur hoc ſolum Te monemus, non debere Te ſuccenſere nobis, quod uno Volumine biennii labores iterum proponimus; neque tarditatem accuſare, quae rerum noſtrarum omnium perturbationi, nuperi belli temporibus, ſed et ceſſationi Collegarum quorundam, tribuenda eſt. Eadem eſt in nobis, quae ante fuit, iuvandis reipublicae litterariae commodis, alacritas; utinam foret eadem, quae olim, doctorum Virorum, bibliopolarum item, exterorum imprimis, mittendis ad nos libris ſuis, facilitas. Adhuc enim idem queri nos oportet, quod queſti inde a morte Menkenii ſumus, nihil fere ad nos

libro-

librorum venire e regionibus exteris, neque niſi magnis ſumtibus, longo poſt editionem tempore, comparari a nobis poſſe. Inde fit, ut et tardius quam vellemus, et rarius quam olim, librorum Britanniae, Galliae, Italiae, Hiſpaniae, Luſitaniae, Sueciae, Daniae, recenſiones in his Eruditorum Actis proponantur. Quae res, dici non poteſt, quantopere ſufflaminet noſtrum de Te bene merendi ſtudium, Lector. Nihilo tamen ſecius, certum nobis eſt et conſtitutum, ad eum ordinem, quem inde a tot luſtris ſecuti ſumus, alacriter pergere, iterumque ſuum cuique anno duodecim menſium Volumen tribuere; ſi forte hac aſſiduitatis pertinacia reducere animum doctorum virorum ad facilitatem priſtinam poſſimus. De iudicii autem noſtri integritate, deque Collectorum doctrina, qui nuper inſipide et cum livore iudicavit Scurra de trivio, ſciat, eius vel nomen haec Eruditorum Acta recuſare, neque nos umquam a via, qua incedimus, diſceſſuros. Tu Vale, Lector, noſtrisque ſtudiis fave. Lipſiae Idib. Octobr. MDCCLXVIII.

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Ian. et Febr. Anno MDCCLXVI.

D. CHRISTIANI AUGUSTI CRUSII, S. THEOL. in Acad. Lipſ. Prof. Primar. Philoſ. Prof. Extraord. Eccleſiae Cathedr. Miſenenſis Capitularis, Alumnor. Electoral. Ephori, Hypomnemata ad Theologiam propheticam. PARS PRIMA, Introductionem generalem ad theologiam propheticam complexa.

Lipſiae, CIϽ IϽCCLXIV. Alphab. 2. in 8.

Recenſio continuata.

De variis prophetias publicandi modis A. traditurus, ait: 1) in tabula palam propoſitas fuiſſe, Hab. II, 2. 2) interdum ab ipſis Prophetis ſingulari libro praedictiones iuſſu Dei comprehenſas, 3) in integris libris prophetae nomen eſſe praemiſſum. Aliter ſe res habet cum vaticiniis, in libris hiſtoricis, vel mixti generis, contentis. Quomodo vero olim agniti et collecti ſint libri canonici, cauſam in gratia Spiritus S. latuiſſe dicit. Adſtruit quoque, collectionem Canonis V. T. recte factam, ex teſtimonio Chriſti et Apoſtolorum. De collectione N. T. ſcribit, eam ipſo tempore Apoſtol. ſucceſſive factam, et ſub initia Sec. II. iam conſummatam fuiſſe; turbationem epiſtolarum Paullinarum,

et confictionem novi Canonis, Marcioni (a. 127.) vitio verti. Viri autem, qui collegerunt, cum Scriptoribus vixerunt, et ex teſtimonio auctorum de libris certi fuerunt. De vario θεοπνευςίας modo haec legimus: 1) actus θεοπνευςίας, aut notiones, quae iam erant in animo Scriptorum, tantummodo Sp. S. excitavit, aut tunc primum produxit; 2) gubernatio mentis θεοπνευςία, modo magis, modo minus reſtricta fuit. Uberius dein explicat divinitatem N.T. unam eandemque eſſe cum V. T. Sed apocryphi excipiuntur. Ut recte inſpiratio concipiatur, obſervationes de V. T. de N. T. et tandem de utroque, adduntur. De Prophetis V. T. haec aſſerit: a) Θεόπνευςα memoriae firmiter fuerunt infixa; b) prophetiae ſtricte datae; c) maior ubertas in didacticis et hiſtoricis; d) in didacticis fuit praeexiſtentia notionum, copia verborum, et peculiaris providentiae div. directio; e) eadem ratio in hiſtoricis; f) hinc recte inſpiratio ſic concipitur, *quod Deus in animo prophetae conceptus, qui in hominis memoria aſſervabantur, qua ſententias et verba ciebat et illuminabat, voluntatem movebat, omnesque cavebat errores, ne quid eorum, quae Deus conſignari vellet, omitteretur;* g) Prophetae interſerunt ſuas meditationes, tanquam relationes de ſuo mentis ſtatu, v. c. Ieremias, de natali ſuo cui maledixit. Θεοπνευςία in N. T. ordinarie laxior et uberior; h) quae de inſpiratione Prophetarum V. T. dicta ſunt, valent quoque de Scriptoribus N. T. ita tamen, ut θεοπν. in N. T. ſit laxior et uberior; i) nonnumquam arctior determinatio, quid et quomodo ſit dicendum, additur; k) preſſa quoque et praeciſa fuit prophetia, quam de rebus extremis et futuri Saeculi, de fatis eccleſiae, de eventis ſingularibus, acceperunt; l) Apoſtolis loca, in quibus homines ad quos dicerent, interdum peculiari revelatione indicata ſunt; m) occurrunt quaedam non niſi ſemel ſcripta, v. c. de rebus noviſſimis, 1 Cor. XV, 28. 51. 52. 1 Theſſ. IV, 15 ſq. etc. n) Apoſtoli in docendo ubivis fuerunt ἀνυπεύθυνοι; o) etiam praeceptis Dei, ſui animi expoſitionem intexuere; p) ſcriptores N. T. a Deo, liberrime, et pro auctoritate electi. Excipit

cipit has obſervationes argumentum *de iis, quae V. et N. T. communia ſunt*; *q*) a Deo inſpirata a naturalibus cogitationibus certo diſtincta ſunt; *r*) omnia θεοπν. eandem habent auctoritatem, etſi modus varius eſt; *s*) affectibus ſanctis commoti in litteras omnia redegerunt Scriptores; *t*) Scriptores θεοπν. excellunt prae Scribis, inſtrumentis paſſivis, miniſtris, ſunt aliquid in ſuo genere unicum. Apoſtoli *ſunt excellentiores* Prophetis, et Chriſto ſimiliores; *u*) exinde *intelligitur* diverſitas ſtili in Scriptoribus, qui tamen inſtinctu adflatuque Dei ſcribebant; *v*) Eadem ex cauſa dictio ebraizans N. T. intelligitur, quamquam haec ex aliis rationibus vel neceſſaria eſt, vel ſane aptiſſima. Textum quoque punctatum eſſe ſequendum A. ſtatuit, non tamen ideo peculiarem θεοπνευςίαν fingere opus eſt, qua Sp. S. vocales et accentus inſpiraverit, multo minus artificii punctandi Deum auctorem comminiſci neceſſe eſt. LXX. Int. non uſi *ſunt* codice punctato, quia Hieroſolymitani aliquam diſciplinam arcani introduxerant.

Sequitur altera diviſio vaticiniorum, reſpectu obiecti; *ſpectant* enim *regnum* Dei vel *directe*, vel *indirecte*. *Regnum* non ſumitur ſenſu philoſophico, ſed theologico, *pro oeconomia divinae per Chriſtum*, quo ſenſu Moſes primum adhibuit, Exod. XV, 18. Vaticinia *directe* ſpectantia regnum Dei, agunt vel de perſona, vel de munere Chriſti duplici, ſalutari et terribili. Ea porro de perſona Chriſti in V. T. praedicta delineat, quomodo Deus idemque legatus Dei ſit; nomen Dei Chriſto proprie tribui ait, et diſquirit quatenus angeli *et* magiſtratus dii dicantur. Singula nomina Dei Chriſto tributa A. collegit, Chriſtoque opera, attributa, et cultum Dei tribui, eumque a Sp. S. diſtingui docet. Chriſtus deſcribitur *ut verus* homo, et ſervus Dei dicitur. Genus et nativitas, gradatim, praedictae et determinatae ſunt. Agit A. itidem de tempore adventus Chriſti. Conſiderat munus Chriſti ſalutare in genere: ſpeciatim ad id referuntur 1) peccati expiatio, de cuius termino a quo diſputat; 2) vera dei cognitio;

3) hominum emendatio; 4) abſolutio per Chriſtum; 5) oeconomiae typicae abrogatio; reſpondetur hic ſimul ad quaeſtionem, quomodo leges rituales dici potuerint ſanctiones aeternae; 6) eccleſiae exornatio per clarisſima Sp. S. dona; 7) eccleſiae gubernatio et caſtigatio; 8) gloria eccleſiae, in amplitudine, et bonitate ſtatus interna, et proſperrimo ſtatu externo conſpicua. Munus Chriſti vindicis etiam deſcribitur ultionem ſumturi de membris eccleſiae ſpuriis, poenas inflicturi hoſtibus eccleſiae, flagitioſis, et tandem daemonibus. Quare Chriſto tribuuntur iudicium in die pantocritico, et iudicia particularia, inter quae eminent: *a*) iudicium in Iudaeos poſt reprobatum Chriſtum, ubi tamen negatur plena gentis reprobatio; *b*) iudicium in antichriſtum et metropolin regni eius; quae res deſcribitur verbis vulgaribus, nominibus myſticis, et a typo ad antitypum fit tranſitus. Munus autem Chriſti vindicis adverſus daemones ſic A. explicat, ut de locis, quibus de daemonibus ſermo eſt, agat, et an in Pſalmis de angelis malis dicatur. Doctrinam de Satana ſic proponit: Satanas, et abolitio poteſtatis eius in V. T. gradatim manifeſtantur, ſed plenius in N. T. Ab initio conſtabat hominibus, eſſe inimicum incognitum praepotentem. Daemones a gentilibus teſte S. S. pro diis culti. Cautio iudicandi opiniones gentilium de diis, ne confundamus figmenta poetarum, nec ſequamur eorum interpretationes, qui de idololatria Salomonis explicant, vel Neoplatonicorum. Teſtimonium S. S. idque expresſius in N. T. ſequendum. Diſſeritur de voce daemon, quae media eſt apud gentiles; ſignificatio eius principalis, *Spiritus inter Deum et homines medii*, hi vocantur daemones, quod ad manes translatum eſt. Δεισιδαιμονία quoque vox media. S. S. daemones ſemper vocat malo ſenſu. Daemoniaci unde dicti? Mortuorum cultus quilibet dicitur cultus daemonum. Nomina daemonum quomodo apud Ebraeos obſervanda. Adduntur quatuor ſubſidia: *a*) quaenam voces in verſione graeca reddantur per daemonia; *b*) an iſta vertendi ratio alicubi in N. T. probetur;

tur; c) contextus, et analogia textuum biblicorum conſulendi ſunt; d) ſi etiam commodum vocis ebraeae etymon ſuffragetur, ita nempe, ut, quoniam nomen malorum angelorum neceſſe eſt translatum eſſe, probabilis appareat ratio, quomodo id apte fieri potuerit. Daemones dicuntur שְׂעִירִים *horridi*, propter cultum eorum horrendum, et cum rebus horrendis coniunctum. שֵׁדִים vaſtatores, ſic dicuntur *dii gentilium*, Lev. XVII, 7. Deutr. XXXII, 17. Paulus 1 Cor. X, 20. 21. interpretatur de daemonibus. Princeps malorum geniorum dicitur שָׂטָן quod graece vel retinetur, vel per διάβολος, ἀντίδικος vertitur, et βελιαλ, quod graecae pronuntiationi magis attemperare ſtuduit Bengelius legens βελιαρ. Cultus deaſtrorum duplici ratione reprehendi ſolet. Nam prophetae vel de numinibus falſo creditis directe loquuntur, vel animum praecipue ad ſtatuarum cultum advertunt. Quomodo idololatrae dicantur ligna et lapides pro deo habere. Quatenus gentiles fateantur ſe daemones colere, et S. S. iis hoc tribuat. Origo externa, et obſervabilis idololatriae. Duo fontes principales ipſius, a) temeritas deſerendi religionem revelatam, b) perverſa philoſophandi ratio, de Spirituum corporumque natura. Acceſſerunt eventus mirabiles, poetarum et philoſophorum commenta; hinc figmentum numinum ſymbolicorum. Vetuſtiſſime aſtra et mortui quidam homines culti, non tamen ante, ſed poſt diluvium: exemplo ſunt Nahor et Tharah, Ioſ. XXIV, 2. Accedit, quod natura ſpiritualis ex philoſophia lumini tributa ſit, hinc aſtra, dii, anima coeleſtis. Doctrina vero de morte et ſpe ſalutis depravata et deſerta fuit. Deſerta ſpe Chriſti, ſalus eius ad inventores rerum traducta, et hi mortui culti ſunt. Sed ſacrificia retenta, attamen alio prorſus conſilio. Seceſſione gentium priſca religio oblitterata, hinc novi et diverſi cultus. Quomodo cultus ſimulacrorum ortus. Haec omnia verboſius illuſtrantur. Doctrina V T. de daemonibus ita proponitur: 1) ſeductori hominum, per venturum Dominum ultimum in-

dicitur ſupplicium; 2) in coelo non ſolum angeli boni, ſed etiam mali, coram throno gloriae comparent, in ſpecie Satanas; 3) dii gentium deſcribuntur ut naturae potentes, ſed negatur quod numina ſint; 4) quando Chriſtus coelum conſcendet, illic multitudo captivorum captivanda eſt, Pſ. LXVIII, 19. 5) aliquando ſingulare iudicium in copias in excelſo degentes praedicitur, quo in carcerem intra terram concludendae, et poſt longum tempus dimittendae ſunt; 6) addendum, quod locus exitii Satanae ubivis vocetur infernus. De diabolo in N. T. haec traduntur: poteſtas eius ante Chriſtum exaltatum ex Io. XII, 31. XIV, 30. XVI, 11. Ebr. II, 14. intelligitur, et eius deiectio ſummatim indicatur Io. XII, 31. Angelorum malorum eiectio facta ſtatim cum Chriſtus in gloriam intraret, ita tamen, ut aliquis ad coelum acceſſus et locus ipſis remanſerit; ſimul indicatur, quousque res Satanae ſit deducta Apoſtolorum tempore. Deiectionem quoque factam eſſe inter vae Apocal. ſecundum et tertium. Sequetur captivitas mille annorum in abyſſo; poſtremo praecipitatio in ſtagnum ignis aeterni. Utilitatem huius rerum diſpoſitionis declarat A. et docet, nullam regni diviſionem eſſe inter Chriſtum et Satanam. Monitum addit contra ieiunam et coactam dictorum de daemonibus interpretationem: inhaerendum eſſe ait verbis, vindicatione ſubiuncta, quod in doctrina de Chriſto promiſcue dictis ex omnibus S. S. libris uti liceat. Duas quaeſtiones diſcerni vult: 1) quantum compertum habuerint fideles de myſteriis regni Dei hac vel illa mundi aetate. 2.) Non licet indeterminata pro lubitu determinare, aut contra auctorem. Principalia de Chriſto cognita fuerant antequam ſcripta extarent; quod ex V. et N. T. probatur. Ex Moſe intelligitur, Chriſtum veluti doctrinae Moſaicae centrum eſſe. Proponitur dein nexus rerum, in quo res Iſraeliticae a Moſe deſcribuntur. Summa ſermonum Moſis. Religionem ſalvificam in genere non confundendam eſſe cum oeconomia Iſraelitica. Summa promiſſorum Iſraelitis datorum. Relatio Prophetarum ad Moſen.

Moſen. Monumentum religionis patriarchalis in libro Iobi. Conſenſus Scriptorum Iudaicorum. Chriſtus omnibus gentibus deſtinatus, etſi rex Iſraelis dicitur. Modus gentes Iſraeli incorporandi quatenus V. T. incognitus fuit. Cur Chriſtus dicatur Rex Iſraelis vel Sionis: rationes A. addit cur coniunctio ſpecialis Meſſiae cum gente Iſraelitica inculcari ſoleat; quia 1) theophania eſt res ſumma, et praedictio eius per multa Saecula ad fidem facit, 2) Chriſtus rexit Iſraelitas, et eccleſiam ex his et per hos conſtituit, 3) dicentes ad Iſraelitas, relationem Chriſti ad hos urgebant, 4) praerogativa gentis Chriſto proxime coniunctae, 5) oeconomia regiminis terrae, cuius quaſi centrum eſt Theocratia gentis, e qua Chriſtus oriundus eſt. Momentum tractatae quaeſtionis indicatur, et an Iſraelitae ſint typus eccleſiae tanquam Iſraelis ſpiritualis, quod affirmatur. Cauſae lapſuum interpretum notandae, et cavendae propter profanos. Religio *V. T.* non continebatur meris promiſſionibus temporalibus, et a multis perperam extenuatur. Varietas errantium, et praetextus erroris. Sequuntur obſervationes de vera indole *Theocratiae* inter Iſraelitas: 1) religio ſalvifica V. T. in genere non confundenda eſt cum foedere Dei cum Iſraelitis; ratio redditur, quomodo aliqui ſimpliciter a ſpe ſalutis excluſi; 2) diſcerni debet, quid oeconomiae Iſraeliticae cum religione patriarchali commune, quidve proprium ſit; 3) foedus ſpeciale cum Iſraelitis non ſancitum eſt promiſſione vitae aet. 4) vera ratio legislationis Sinaiticae, ad augendam peccatorum agnitionem, ſpem in Deo alendam, Chriſtique deſiderium acuendum. De decalogo pauca A. diſſerit, et dicit res Sinaiticas reſpicere foedus Dei cum Abrahamo. Vis verbi primi in decalogo explicatur, et duplex reſpectus praecepti typici de Sabbato ad legem et evangelium. Ad Iſraelitas vocem Dei non ferentes per Moſen dictum eſt, ſed poſt politiam conſtitutam ſermo redit ad Chriſtum; dein nexus ſequentium in libris Moſis traditur; 5) indoles religionis patriarchalis, ex ſacris litteris ſolum, et recte diſci poteſt.

Fal-

Falluntur, qui religionem V. T. in genere a politia Iſraelit. non diſcernunt, aut religionem V. T. nimis extenuant, ed carnalem fingunt.

S. R. *Auct.* ad alterum vaticiniorum genus, ad regnum Dei *indirecte* ſpectans, ſeſe convertit. Haec verſantur circa fata Patriarcharum et gentis Iſraeliticae. Notandae ſunt cautelae: 1) relatio harum praedictionum ad regnum Dei, quamvis mediata, bene tenenda eſt, ut intelligatur dignum Deo eſſe, quod in libris div. ſcriptae ſint; 2) uſus illarum nondum deſiit, faciunt enim ad hiſtoriam veterum ſuſtentandam, et originem divinam librorum SS. demonſtrandam; 3) rerum geſtarum indoles materiam ſuppeditat ad concluſiones practicas eliciendas; 4) danda eſt opera, ut recte intelligantur. In Qu. an Iſraelitae inſigniter ſtupidi et mali fuerint, ideoque mirum ſit eos Deo ſacros fuiſſe, ſequentia perpendenda ſunt: 1) Iſraelitae electi ſunt non populi dignitate, ſed libera Dei gratia; 2) probari nequit, alias gentes meliores Iudaeis fuiſſe; 3) hodierni Iudaei cum veteri eccleſia non ſunt confundendi. Explicatur, quo ſenſu Iudaei dicantur Chriſtum repudiaſſe; et an Iſraelitis defectus elegantiorum litterarum ſit exprobrandus; 4) corruptelae Chriſtianorum analogae ſunt veteribus Iudaicis, inde Deus peccata anteceſſorum in ſucceſſoribus ulciſcitur. Cur vaticinia de exteris gentibus extent in S. S. rationes ſunt: 1) emendationi gentium, et conſervationi religionis patriarchalis inſerviebant; 2) ſaepe caveri debuit adhaeſio ad gentes et earum deos, et occurri praedictionibus vatum gentilium; 3) doceri debuit dominium Iehovae in omnes gentes. Duplex gentilium error notatur, quando Iehovam Deum ſummum, vel quando gentilitium habebant. Profanitas, et uterque error de Deo Iſraelis, vaticiniis de fatis gentium refutatur; 4) quaedam de exteris gentibus vaticinia propterea neceſſaria fuerunt, quia res praedictae pro ſignis temporum conſtitutae ſunt, quibus res ad regnum Dei pertinentes dignoſcantur. Eius generis ſunt quatuor regna characteriſtica Danielis, Nebucadnezari

oſten-

oſtenſa, ſpecialiora ſucceſsive Daniel de iis accepit. Uſus eorum in genere fuit, ut character temporum conſtitueretur, donec tota terra Chriſto ſubiecta ſit. Sunt autem: *Babylonium*, *Medoperſicum*, *Macedonicum*, *Romanum*. Decem regna de quarto extitura varie explicantur, hodiernae autem explicationis ſubſidia a *Bengelio* A. peti vult. Uſum regnorum characteriſticorum ante reſeratos annos addit, et quomodo ad Danielem ſe habeat Apocalypſis I. C. cuius rei cauſa obſignatio vaticinii Dan. XII, 4. 9. 10. comparatur cum Apoc. XXII, 10. atque utilitas expoſiti exempli ad vitandum praeiudicium hermeneuticum commendatur. Extant denique vaticinia de rebus privatis certorum hominum, eaque *indirecte* regnum Dei ſpectant; valent ad auctoritatem legatis Dei conciliandam, quia facile evidentiſſima ſunt, quia vaticinia ſunt miracula commodiſſima. Exempla ſunt praedictiones Samuelis in cauſa Sauli regis, 1 Sam. X, 1 - 12, de Nahaſo victo, 1 Sam XII, 12 - 18. Paulli praedictio de *naufragio*, *Act.* XXVII, 14 ſq. Valebant ad cavendum conſortium gentium, et ad uſus ſpeciales.

Caput. III. *De Epochis ad diviſionem temporum, prouti accommodate ad prophetias S. S. animo concipienda eſt, obſervandis.*

Neceſſitas epochas obſervandi in eo poſita eſt, ut illi, qui hiſtoriam vel animo complecti cupiunt, magnum narrandi et intelligendi ſubſidium inveniant. Ex S. S. obſervari debent. Damnum neglectionis, eiusque cauſae, enarrantur, difficultates non neceſſariae, et anomalia in interpretando inde oriuntur. Laus *Bengelii*, propter ſingulare eius hac in re ſtudium. Ratio inſtituti additur: tempora accuratius ſunt dignoſcenda editorum vaticiniorum, ut eo facilius vaticinia intelligantur, et ad uſus vitae transferantur. Potiores igitur epochas notat. Ante omnia diſcernenda eſt aetas huius mundi, et ſequens aeternitas. Aetas mundi eſt vel *prior*, vel *poſterior*, *medium* eſt adventus Chriſti. Aetas *poſterior* ſaepe cum aeternitate comprehenditur, tamquam unum totum glo-

 rio-

rioſum. Diverſa additur ſignificatio Seculi futuri, nam עולם et αἰών, et tempus mundi, et mundum ipſum notat, quod e contextu colligendum. Quomodo igitur tempus miniſterii Chriſti et Apoſtolorum posſit dici medium, A. disquirit: nempe adventus Chriſti, quia non in puncto temporis mathematico fieri potuit, conſtituit tempus quoddam *medium*, donec conſummato Chriſto, et in throno gloriae collocato, complete dici poſſet, regnum Dei veniſſe. Ioh. in 1 epiſt. II, 18. horam ultimam nominat, quia tempus N. T. ubivis ſiſtitur ut tempus *poſterius*. An aetas mundi in tres partes disiungatur, A. inquirit: ſed in libris canonicis non eſt uſu receptum, verum duae modo, initium et finis, diſcernuntur. Adventus Chriſti contigit in medio annorum mundi, Hab. III, 2. Cur tempus eius olim non ſit determinatum, propter infirmitatem hominum factum fuiſſe ait: Evam deceptam fuiſſe aſſerit, quae tempus proxime inſtare ſibi perſuaſerat, Gen. IV, 1. Abrahami fides fuit exercita, Gen. XV, 31. Moſes ſpem Chriſti certam docuit, ſed non propinquam, Lev. XXVI, 40 ſq. Deutr. IV, 30. XXX, 3 ſq. Bileam diſerte negat propinquitatem Chriſti, Num. XXIV, 17. Idem ſignis in Pſalmis repetitur, Pſ. XIV, 7. LIII, 7. ſed Habacuc habuit hanc praerogativam; quare dictum claſſ. Hab. III, ab obſcuritate vindicatur. Chriſtus venit medio χρόνῳ et medio καιρῷ. Ex *Bengelio* has partes temporis uberius A. determinat. Nempe, tota mundi aetas eſt 7 chron. hi 7 chroni 35 καιροὺς conſtituunt, quoniam chr. conſtat 5 καιρῶν. Chriſtus ex ſententia *Bengelii* natus A. M. 3939. d. 25 Dec. *ex aera Dion.* 3948. 7 chroni efficiunt $7777\frac{7}{9}$ annos, et chroni longitudo $1111\frac{1}{9}$; καιρὸς autem eſt annorum $222\frac{2}{9}$. E. duratio mundi 35 καιρῶν. Inter hos 18 καιρὸς medius eſt: ſed 18 talia tempuſcula efficiunt 4000 annos; igitur antequam hi complerentur, Chriſtus conſummatus, et Evangelium inter gentes longe lateque praedicatum eſt. Nullus Apoſtolus erravit de aetate mundi, etſi Ioannes accepit determinatiſſime. Reſpectu Chriſti ipſius tres periodi notandae; 1) Tempus

pus miniſterii in terra, Galilaea, et Sione; 2) Seſſionis ad dextram Dei, ibique expectationis. 3) Tempus ſubiectionis omnium.

Epocha I. Mundum antediluvianum complectitur a c. M. usque ad A. 1656. Subdiſtinguitur haec periodus, *a*) miniſterio Enos nati Sec. III. a. m. 235; *b*) aſſumtione Henochi *Sec.* X. a. m. 987. *c*) nativitate Noachi Sec. XI. a. m. *1056*. Notabilia horum temporum ſunt: longaevitas hominum; fuiſſe eos annos ſolares ex eo patet, quia tunc non animadverterunt ſubtilitates aſtronomicas. Cauſam autem diminutae aetatis hum. quaerendam eſſe in mutatione terrae et atmoſphaerae per diluvium. Duae cauſae diluvii: 1) apertio fontium abyſſi, 2) aquae deſuper de coelo effuſae.

Epocha II. Patriarchae poſt diluvium ante Abrah. Complectitur annos 360. usque ad A. M. c. 2016. Notatur 1) *diſperſio* gentium poſt linguarum confuſionem, Gen. XI. 2) diviſio terrae, quae contigit circa tempus nativitatis Peleg, Gen. X, 25. 1 Paral. I, 19. 3) idololatria orta circa tempus Serug, Ioſ. XXIV, 2. Differit A. de eo, quomodo ſit confuſio linguarum concipienda; quae fuerit lingua primaeva, (ebraea). Mutationem dein terrae conſiderat, et ex ea hodiernam terrae faciem intelligi poſſe dicit, et unde America ſuos habeat incolas.

Epocha III. De peregrinatione Abrahami et ſobolis eius. Complectitur a vocatione Abrahami usque ad exitum Iſraelitarum ex Aegypto annos 430. ſed a ſolenni foedere cum Abrahamo 400; pertinet ergo usque ad a. M. 2446. Summa haec eſt: dicti ſunt Patriarchae in ſenſu ſtrictiſſimo, Abraham, Iſaac, Iacob. Abraham natus a. 70. patris Tharah, et fuit trigeminus. Defuncto patre migravit ex Haran. Diſcrepantia Gen. XI. XII. ſic tollitur, quod primo in com-

pendio, deinde verboſius rem proponit; addit Sciagraphiam libri Geneſeos, et loca illa cum verbis Stephani Act. VII, 2. 4. conciliantur. Fides Abrahami ex turbulentis temporibus migrationis eius illuſtratur. Iſaac quando natus (ao. 100 Abrah.) et quomodo ſecundum tempus vitae, Act. XIII, 20. cum Gen. XV, 13. conciliandi ſint. Denique ubi, et quamdiu Iſraelitae in Aegyto fuerint, (annos 400.) exponitur.

Epocha IV. Tempus tabernaculi, ſive peregrinationis arcae foederis. Annos 480. vel 487. complectitur tempus a condito Sanctuario 2447. usque ad dedicationem templi Salom. 2934. annos 487. vel ſi numerare mavis usque ad fundatum templum, complectitur 480. annos. Diviſio huius periodi continet commorationem Iſraelitarum in deſerto, introductionem in terram Canaan, eiusque diſpertitionem, et tempus Iudicum. Deſcribitur forma regiminis Iudicum, ſex ſervitutes, duo priora ſecula feliciſſima, quia conquievit terra a bello Ioſ. XI, 23. XIV, 15. quamquam quater incidente ſervitute. Poſtea, cum Iudices continui, tum ſervitutes duriores. De Simſone et Eli loquitur dein, cuius poſterioris munus finitur dum arca in Kiriathiearim abducitur; manſit haec ibi annos 20, in quos incidunt 1) munus Iudicis Samuelis, 2) regnum Sauli, 3) VII. anni regni Davidici: hic aliquas difficultates de regno Sauli et Davidis ſolvit A. et dicit regnum Davidis in duas partes dividi ſolere, in Hebroniticum regnum VII. annorum, et Sioniticum XXXIII. annorum 2 Sam. II, 11. IV, 5.

Epocha V. Tempus templi prioris. Periodus incipit a dedicatione templi Salom. A. 2934. usque ad templum a Chaldaeis exuſtum 3356. complectitur annos 422. Tempus ſubdiſtingui poteſt, 1) diviſione regni, in regnum Iudae et Iſraelis, 2) attenuatione regni Iſraelitici primum per Haſaelem, dein per Aſſyrios, 3) totali everſione regni Ephraitici, 4) fruſtraneo Aſſyriorum conatu adverſus Hieroſo-

roſolymam regnante Sannherib, 5) abductione Iechoniae Babylonem, 6) vaſtatione templi et urbis iuſſu Nebucadnezaris. Sigillatim A. agit: I. De regno Iſraelis, ubi quatuor familiae regiae obſervantur: Ieroboam, Baeſa, Omri, Iehu. Sequuntur turbulenta tempora. Sallum occidit Zachariam, et regnum occupavit, qui occiſus a Menachem. Illi poſt decennium ſucceſſit filius Pecachias, quem altero anno occidit et regnum rapuit Pecachus. Tiglathpileſer magnam partem regni ei abripuit, et cives captivos in Aſſyriam abduxit. Pecachus ipſe ab Hoſea occiſus eſt. Secutum eſt interregnum novem annorum. Tandem Hoſeas rex factus, ab Aſſyriis victus et captivus abductus eſt. II. In regno Iudae obſervatur: 1) numerus regum bonorum et malorum; boni pauci, ſed longaevi; 2) ad intelligendam viciſſitudinem characteris quorumque temporum, et ad obſervandos modos gradusque, quibus Deus ad caſtigandam populi perfidiam progreſſus eſt, quaedam A. obſervat. Notantur ergo ſequentia: ratio vitae Salomonis, eiusque imperium 40 annorum. Roboam rex per 17 annos, poenas deſertae legis ſic luit, ut ſe Siſako Aegyptio dedere anno regni 9. cogeretur. Poſt mortem Ioſaphat parum abfuit quin interiret domus Davidis. Attenuatio regni ſub Amazia. Status felix ſub Uſia et Iotham, perditiſſimus ſub Ahaſo. Refloreſcens regnum ſub Hiskia, eiusque celebritas. Perditus ſtatus ſub Manaſſe, et quomodo mutatus. Summa impietas ſub Ammon, repreſſa ſub Ioſia, ſub quo liber legis repertus. Ordo, quo contigit captivitas, narratur. Ioahas, Ioiakim, Ioiachin; de quibus pauca commemorantur: additur cautela, de vera notione captivitatis Babylonicae, a termino videlicet abducti Iechoniae incipit numerari captivitas Babyl. De Zedekia memorabilia. Duratio regni Davidis 474. annorum. An Chriſtus a familia regnante genus ducat? derivatur a Nathane. E. nullus rex, praeter Davidem, pater Chriſti appellari poteſt. Novo malo incidente terra deſerta eſt; interfecto Gedalia Iudaei in Aegyptum fugerunt,

gererent, et Chaldaeis demum ſubiecti ſunt. III. De ceteris gentibus huius epochae obſervandum: 1) vetuſtiſſima regna modica fuiſſe, ſed imperantes regio uſos titulo. Serah, Cuſchitarum rex, inprimis pertinet ad hanc epocham, cuius fata vid. 2 Chr. XIV, 9 ſq. XVI, 8. 2) Aſſyrii; varia memorabilia hic commemorantur. 3) Magnitudo Chaldaeorum praedicitur tanquam paradoxon. 4) Aegyptus, ab Aſſyriis expeditionibus impetita, a Chaldaeis ſubacta eſt. IV. De prophetis huius epochae. Praeparatio ad illuſtriorem periodum V. T. quae cum Davide incipit, eſt epocha Prophetarum, quae orditur a Samuele. Scholae prophetarum ſub Samuele, Elia, et Eliſa, deſcribuntur. Prophetae Davidis tempore celebres ordine recenſentur. Miracula Eliſae, et inde eius auctoritas aſſeritur, et quomodo factis Eliae et Eliſae miracula Chriſti illuſtrentur, Elias quoque et Eliſa corruptioni publicae ſingulariter oppoſiti. Negatur, orthodoxos Iſraelitas perſecutionem, excepto tempore, quo regnante Ahabo Ieſabel violenter agebat, paſſos fuiſſe. Poſt Eliſaeum prophetae ſcriptos reliquerunt libros, propter inſtantem diſperſionem gentis. Unde locutionum ſimilitudo apud Prophetas: prophetarum ſcribentium alii Ieſaiae coaevi, alii Ieremiae. Pſeudoprophetae ſunt triplicis generis, ſimulatores, fanatici, a daemonibus afflati. Varietas idololatriae, et reliqui cultus illegitimi, bene diſcernenda ſunt: 1) cultus veri Dei in locis excelſis, ſine ſimulacro, ubi nonnunquam etiam lucus erat; 2) cultus Deo ſacer, ſed adhibito ſimulacro, ritu thurificandi et immolandi electitius, domi aut in locis excelſis adornatus, et vero quidem Deo conſecratus, ſed adhibito ſimulacro, e. g. idolum Michae, vituli Ierobeami cauſa politica cum pertinacia; ſerpens aeneus etiam huc referendus eſt; 3) cultus deorum gentilium, vel coniunctus cum cultu Iehovae, vel cum huius neglectione. Magnitudo criminis idololatriae, vel abſolute, vel comparative aeſtimatur.

Epocha

Epocha VI. Tempus captivitatis Babylonicae annorum 63. intra tempus dominationis Babylonicae annorum 70. Tempus illud ſtricte ſumtum, et computandum a rege Iechonia abducto, usque ad redditam Edicto Cyri Iſraelitis libertatem, complectitur annos 63. ab a. M. 3345-3408. Tempus autem, quo Hieroſolyma vaſtata fuit, (3356) eſt modo annorum 52, numerando usque ad libertatem per Cyrum redditam. Sed longius eſt usque ad templum reſtauratum, et quidem a templo per Chaldaeos exuſto usque ad reſumtam aedificationem eius per Ioſuam et Serubabelem, vaticinantibus Haggaeo et Zacharia, ſunt anni 70. Hic *S. V. Auct.* diſcernit: 1) Decretum per Ieremiam publicatum, de puniendis Iudaeis et gentibus per dominationem Babyloniorum, annorum 70. Ier. XXV. XXVII, 7. 8. ex quibus explicandi ſunt Ier. XXIX, 10. 2 Par. XXXVI, 21. Dan. IX, 2. 2) Tempus captivitatis Babylonicae eſt annorum 63. et incipit a captivitate regis Iechoniae. Duratio eius non accurate praeſciri potuit. Cyrus tantummodo nominatus eſt, Ieſ. XLIV, 28. XLV. Nomina regum Babyloniorum recenſentur, et canon Ptolomaei caſtigatur. Singularia providentiae divinae documenta intra hoc tempus celebrat *S. V.* A. Diſperſio enim Iſraelitarum profuit gentibus, easque ad veram religionem praeparavit; hodierni autem Iudaei ex diſſimili ſtatu gentis ſuae refutari poſſunt. *Potiora* huius epochae dein A. enarrat, et agit 1) de Daniele propheta, et miniſtro regis celeberrimo: 2) quinto captivitatis anno, h. e. anno 5. poſt deportatum Iechoniam, Iudaei in Babylonia acceperunt Ezechielem, clariſſimum prophetam. Danielis et Ezechielis excellentia demonſtratur ex amplitudine praedictionum. 3) Miraculum trium virorum in igne, ex ſententia verſionis gr. Theodot. anno 18. Nebuc. 4) publicata Nebucadnezaris agnitio veri Dei, poſt maniam 7 annorum. Addit A. duas admonitiones: Viſio et interpretatio coloſſi, et trium virorum conſervatio, parum reſpectu Nebucadnezaris profuerant; at prioribus captivis

utiles

utiles fuerunt. Gravior accidit caſtigatio illi, furore enim correptus eſt. Ferociam autem regis exinde colligere li cet, quod Danieli, benignitatem et liberalitatem ſuadenti, mi nime obſecutus, cuius alias auctoritas ſumma fuit. Sequi tur explicatio et vindicatio facti Ier. X, 21. 29. 30. Ne bucad. videlicet extruſus ab hominibus dicitur, quod de iu dicio divino intelligendum, quo evenit ut fureret, vitam be luinam ageret, eaque re ſocietate humana exemtus eſſe 5) Iechonias, poſt captivitatem 37. annorum, exaltatus, e honorifice tractatus ab Evilmerodacho. 6) Terribili reprehenſio Belſazaris, Dan. V. 7) Danielis conſervatio i fovea leonis, Dan. VI. 8) Libertas edicto Cyri omnibu tribubus reddita. 9) Beneficium inſigne, longaevitas bo norum virorum, quae valuit ad conſervandam hiſtoriaru certitudinem. Narrantur fata diſſimilia Iudaeorum poſt ex cidium Romanum, tribus enim ne quidem certae et diſti ctae ſunt, ſimul exempla longaevorum hominum laudantu v. c. Seniorum, qui fundamenta templi ſecundi viderun Mardochaei item.

Epocha: VII. Tempus templi ſecundi. Complect tur haec periodus a libertate Iudaeis per Cyrum reddita 3408. usque ad nativitatem I. C. 3939. V. c. 750. (ſe *aera Dionyſii* incipit a. M. 3943. V. c. 754.) annos 53 ideoque ad initium aerae vulgaris Chriſtianae annos 53 additis annis 70. usque ad Hieroſolymam per Roman vaſtatam, imperante Veſpaſiano, duce Tito, quod accid anno *aerae Dion.* 70. Summa totius periodi temporis tem pli ſecundi erit annorum 605. Primo loco quasdam o ſervationes *S. V. Auct.* de templo ſecundo ſuppeditat: complementum 70. annorum irae divinae in Hieroſol mam, variaque impedimenta ſtructurae templi enarrat, qu tamen ſucceſſive ſublata ſint, et templi ſtructura confect 2) Iudaeis praefectus de domo Davidis datus, Ser babel, quo in facto multiplex decorum divinum in fatis d

am

mus Davidicae A. videt. - Genealogiam Ioſephi Chriſti cauſa recenſeri dicit, ſimul genealogia quae extat apud Matthaeum et Lucam contra obiectiones vindicatur, et diſſenſiones conciliantur. 3) Stupendum providentiae divinae monumentum, quo regnante Xerxe Iudaei ab interitu ſervati per Eſtheram contra Hamanem, cuius rei hiſtoria fuſius tractatur. 4) Esdras cum edicto Artaxerxis Longimani anno huius 7. omnia reſpectu Iudaeorum diſpoſuit. Laudantur inſtituta Esdrae, et fabulae de eo ſparſae diſperguntur atque reiiciuntur. Neceſſitatem hactenus obſervatorum indicat Auct. quae in eo collocata eſt, ut profani homines, qui his fabulis ſpecietenus utuntur ad ſinceritatem librorum ſacrorum ſugillandam, refutentur. Cautela additur de iudicanda vi argumentorum. Exempla ineptiarum Pſeudo-Esdrae allegantur, v. c. de Leviathane et Behemoth, de epulis ex iis inſtruendis, de decem tribubus, et quae ſunt reliqua. 5) Nehemias Iudaeae praefectus anno 20. Artaxerxis I. e Perſia mittitur; liberalis admodum fuit, de propriis vixit, et quotidie 150. convivas e proceribus et praecipuis Iudaeis aluit. Moenia Hieroſolymae reſtauravit, curam legis et ſacrorum ſuſcepit, urbemque populoſam fecit. Laudat A. admirabilem providentiam Dei in conſociando Esdra et Nehemia. Probat, Esdram et Nehemiam veniſſe regnante Artaxerxe I. non II. quia Artaxerxes ſimpliciter, abſque addito patris nomine, nominatur: idem ait poſcere copulationem rerum cum geſtis a Ioſua et Serubabele. Aliud ſequitur argumentum, quod templum exſtructum ſit ſub Dario I. non II. pro Dario I. et Artaxerxe I. ponitur II. propter hypotheſes de calculo 70. hebdomadum Danielis. Deſcribitur quale tempus conſtituant 70. hebdomades, et Iudaeorum computandi ratio allegatur, ſimulque oſtenditur, quomodo inde contra hodiernos Iudaeos argumentari debeamus: varias dein de 70. hebdomadibus ſententias allegat, ſuumque calculum adiicit. Verba mox facit de uſu hebdomadum ante adventum Chriſti: valent nimirum ad connectendas revelatio-

nes, quae Danieli et Ioanni obtigerunt, iisque exſpectatio fidei attenta et ſapienter ſuſpenſa tenebatur. Computatio hebdomadum ab Eſra vel Nehemia eſt pars ſenſus prophetiae. Demonſtrat A. conſenſum hiſtoriae evangelicae cum ſua ſupputatione, atque conſenſum cum analogia vaticiniorum. Cautelam ſubiicit de verſione verborum: *cavendum eſt, ne, quae indeterminate efferuntur, determinatius exprimamus.* Porro ſumma et ſcopus praedictionis indicatur, et ratio ſequentium poſt mortem Chriſti et fata urbis redditur. Bona et mala, quae praedicuntur, conciliantur. Tempus deſolationis indeterminatum eſt hebdomas deſolationis, in dimidio hebdomadis, victimae actu ceſſant; dein explicatur quid Ioſ. VIII, 8. intelligi debeat per βδέλυγμα ἐρημώσεως. 6) Averſio periculi, ab Alexandro M. Hieroſolymae et genti Iudaicae impendentis, et hiſtoria vindicatur ex Ioſ. A. I. XI, 8. 7) poſt Alexandrum M. Iudaei Aegyptiis ſubiecti circiter per Seculum. Status Iudaeorum in eccleſiaſticis et civilibus ſub imperio Graecorum deſcribitur. 8) Verſio Alexandrina vulgo LXX, cuius hiſtoria et fata narrantur, ſimulque de evangelio Matthaei in linguam Ebraeam translato ſermo inſtituitur, et de eius uſu diſſeritur. 9) Providentia Dei in tuenda ſanctitate templi, et gente Iudaea, contra Ptolemaeum Philopatorem, ex Libro III. Maccab. 10) Status Iudaeorum ſub Syris, Antiocho M. et Seleuco Philopatore, quaeque inſecuta ſunt. 11) Antiochi Epiphanis conatibus ſeſe oppoſuit Matthathias cum filiis. Deſcribitur ſucceſſus conatuum per Iudam et fratres. Sententiam S. V. A. hic ſuam explicat de apparitionibus angelorum et miraculis: ea utique his temporibus non neganda eſſe cenſet, niſi argumentis gravibus et contrariis infirmari queant, aut etiam aliquid ab analogia librorum S. abhorrens contineant. Decorum oeconomiae Dei in eo collocat, rariora quidem fuiſſe miracula poſt Malachiam et reductionem e Babylonia; attamen non penitus ceſſaviſſe veſtigia ſupernaturalia docet, quibus ſpes fidelium ſuſtentata ſit, ut Chriſtum

exſpe-

exſpectarent, et univerſam promiſſionum ſummam. Suſpectas tamen hiſtorias multum differre a fabulis ſequentium aetatum affirmat. Subiungit catalogum regum Syriae, ab Antiocho Epiph. usque ad libertatem Iudaeorum. Principes e familia Maccabaeorum recenſentur, resque eorum praeclare geſtae usque ad Herodem. 12) Regnum Herodianum 40 annis ante aeram Dionyſii. Dotes Herodis, *fortuna*, et auctoritas apud Romanos, deſcribuntur, et conſilium providentiae divinae ea in re conſpicuum indicatur, atque uberius de moribus Herodis diſſeritur. Ad praeclare facta Herodis refertur templum ſplendide exſtructum, de quo tamen fabulae cavendae ſunt. Aedificatio illius templi etiam poſt Herodem continuata eſt, usque ad bellum ultimum. Diſquirit quoque S. V. *Auct.* an Chriſtus venerit ad templum Herodis ſecundum contra Hag. II, 7. ſq. 13) Samaritae per totum tempus templi ſecundi graves Iudaeorum adverſarii, et inter Iudaeos atque gentiles genus hominum medium *fuerunt*. Regnante Aſſaradine colonos Aſſyrios in Samariam adductos ex Aſſyria, Media, aliisque Orientis partibus, ex 2 Reg. XVII, 24. probatur. Initia religionis Semiiſraeliticae tenuia, atque mores Samaritanorum deſcribit: crevit eorum numerus valde, multique ad Chriſtum converſi. 14) Origo ſectarum Phariſaeorum, Sadducaeorum, et Eſſenorum inter Iudaeos, poſt reditum e captivitate Babylonica, quarum nullum veſtigium ante Maccabaeorum tempora reperitur. Diſquirit hic A. cur Eſſenorum nulla in N. T. fiat mentio, et hanc affert rationem, quia in ſolitudine vixerunt, et Chriſtus cum iis non diſputavit; eos autem Eſſenos ſive Therapeutas dictos fuiſſe ait, quia herbis et lapidibus cognoſcendis, et ad uſus medicos transferendis, operam dederint, ſed et artes magicas exercuerint, ſuisque carminibus, amuletis, et reliquis ſuperſtitionibus, artem medicam facere exiſtimati ſint, ceterum philoſophiam orientalem cum Iudaiſmo permiſcuiſſe. De Galdaeis ſive Gaulanitis ſic ſentit: Iudae Galilaeo addictos fuiſſe, et conſtitu-

iſſe factionem ſeditioſam, quae orta ſit, cum Archelaus, Herodis M. filius, principatu exueretur, et Coponius a Romanis procurator Iudaeae praeficeretur. De Herodianis nihil certi conſtat, niſi quod Herodi Antipae prae reliquis Iudaeis adhaeſerint; quale iudicium de γραμματεῦσι, νομικοῖς, νομοδιδασκάλοις ferendum ſit, A. deinceps docet. Agit et de nativitate I. C. de providentia Dei hac in re conſpicua, ſimulque ſtatum imperii poſt mortem Herodis deſcribit.

Iam de aetate mundi *poſteriori*, cuius initium a miniſterio Chriſti repetitur, ſermonem A. inſtituit. Tres huius aetatis ſunt epochae.

Epocha I. N. T. Tempus Evangelii, ab urbe Hieroſolyma in omnem terram exeuntis, complectitur 40 annos, ab anno 30. *Aerae Dion.* quo Dominus paſſus et glorificatus eſt, usque ad annum 70. *aerae Dion.* quo Hieroſolyma vaſtata eſt. Hieroſolymam, typum ſedis coeleſtis, matrem omnium eccleſiarum eſſe affirmat. Tempus 40 annorum quam maxime notabile eſſe probat, progreſſumque evangelii deſcribit. Τὸ θεῖον in everſione reipublicae Iudaeorum indicat, et Chriſti praedictionem de excidio, propter amplitudinem et munitionem urbis, vix probabilem fuiſſe cenſet, quae tamen ſuo tempore evenit. Cauſa et fortuna belli ultimi allegatur. Recenſentur procuratores inſigniter mali, et mala quibus Iudaei afflicti ſunt. Adduntur exempla, quibus Deus Iudaeos coercuit, et curſum evangelii expeditiorem reddidit; diſſerit dein de animo Romanorum erga Chriſtianos, quomodo Pilatus affectus fuerit, et calamitates Alexandrinas, Meſopotamicas, et Babylonicas, deſcribit.

Epocha II. N. T. complectitur tempus regni Dei a Iudaeis Chriſtum repudiantibus ablati, gentique obſequentiori dati, Matth. XXI, 43. et conculcatae a gentibus Hieroſolymae, Luc. XXI, 24. Enarrat A. calamitatem eccleſiae ab Antichriſto, quod myſterium iniquitatis ab initio, et ab ipſo

Apo-

Apoſtolorum tempore, fuit operoſum, 1 Io. II, 18. 22. IV, 3. 2 Theſſ. II, 7. 1 Tim. IV, 1. ſq. diſtinctior eius explicatio in Apoc. XIII. XVII. Prima periodus eſt tempus potentiae 666 annorum, ſecunda meretricis beſtiae ex abyſſo redeuntis. Obſervationes hic quasdam A. de Roma papali addit, et in imperio Papae praecipue ſpectandam venire continuationem regni quarti putat, Danielis; ad epocham ſecundam quoque pertinere ſedem eccleſiae in deſerto, cuius duplex ſit periodus, ante et poſt reformationem. Reliquas periodos temporis, ex Apocalypſi I. C. donec compleantur tempora gentium intelligi vult A. Quid ſi, quae in Apocalypſi ſunt, impleta ſunt omnia?

Epocha III. N. T: tempus proſperitatis eſt bis mille annorum. Breviter de his agitur, quia prophetae rem copioſe tractaverunt. Nonnulli tardi ſunt ad concedendum tempus mille annorum, propter Chiliaſtas et Fanaticos. Pars temporis prima complectitur millennium captivitatis Satanae, pars ſecunda millennium regni martyrum in coelo. In terra autem continget ultimum Satanae facinus per Gog et Magog; ſequetur finis mundi, et ſtatus proxime praecedens.

Caput IV. eſt de inſtrumentis et auxiliis intelligentiae prophetarum. S. R. *Auct.* profitetur, ſe breviter hac in re verſari velle, ſubſidia igitur primo loco communiſſima tradit, quae ſunt:

I. *Scientiae*, i. e. certa cognitionis genera et habitus intellectus: quorſum refert. α) ſcientiam linguarum, ubi de indole et natura ebraeae linguae, atque de dictione N. T. ebraizante, multa copioſius diſputat; β) Hiſtoriam et geographiam, quae in theologia prophetica egregiam habeat utilitatem; γ) Apparatum ex ipſa S. S. lectione acquirendum. Triplici enim modo textum poſteriorem priorem dilucidare dicit: a) attendendum ait, rubi obvia ſit authentica interpretatio, ut pro auctoritate notioni indeterminatae determinatio addatur; b) ubi recentiori tempore lit-

teris conſignata reperiuntur, quae antea nondum ſcripta extabant, etſi non ignorabantur; e) ubi generales regulae obſervari poſſint, ſecundum quas prophetae recentiores, et inprimis Apoſtoli, antiquitus dicta accipi debere, ſuo exemplo docent: reddit etiam rationem A. cur Ebr. I, 10. citetur Pſ. CII, 27.

II. *Neceſſarias animi qualitates.* Bonus videlicet V. D. interpres, vel in ſtatu gratiae eſſe, vel ſub diſciplina gratiae praevenientis, vocantis, operantis, verſari, et ſtudium V. D. cum pia precatione coniungere debet. Varia notatu digna hic A. commemorat, v. c. quasdam prophetias demum certo tempore intelligi poſſe: intelligentiam hanc ſpeciali providentia divina obtingere; donum interpretandi ſpeciale a fanatica differre perſuaſione; qualis pars doni prophetiae hodie detur, 1 Cor. XII, 10. quatenus verſamur in cognoſcendis prophetiis; Apoſtolorum aetate donum illud excellentiori gradu et frequentius datum fuiſſe; tamen diſcrimen graduum admittendum, minores gradus omnium temporum eſſe. Quomodo pietas et precatio ſint inter ſubſidia et requiſita interpretis referenda; et quomodo legitimum viſionis punctum ſit conſtituendum, attendi enim debet ad perſonam loquentis prophetae, ad ſchema orationis eius, ubi, quando, qua occaſione, quo ſcopo, ad quosnam, et quo ordine dixerit. Commemorat praeiudicia intellectui prophetarum noxia, quae ſunt: 1) conſuetudo auctoritatibus nitendi, ultra quam valet praeſtantia auctoritatis, v. c. clarorum virorum, eccleſiae, veterum verſionum antiquitatis; 2) Temeritas proprie et litteraliter interpretandi, quae tropice dicta, et ſpiritualiter accipienda ſunt; 3) Temeritas, quae cuncta ad ſenſum ſpiritualem transfert; 4) Temeritas, prophetias de rebus noſtri temporis interpretandi, item res Antichriſti ad quadriennium reſtringendi; 5) Praepoſterum ſtudium dicta aliena de Chriſto interpretandi; 6) Praeiudicium numeri ſeptenarii, intempeſtive quaeſiti, et fictio 7 periodorum. Apud Ebraeos numerus Septenarius

pro

pro rotundo ponitur, Prov. XXIV, 16. XXVI, 16. 25. Pſ. XII, 7. inde 7 ſigilla, et 7 eccleſiae in Apocalypſi, Septenarius in diſciplina de anima, Prov. IX, 1. Septenarius in virtutibus Sp. S. Septenarius in politia angelorum, et pſeudoheptas aſtrologica, recenſentur; 7) Praeiudicium, quod omnia impleta ſint, et quod prope inſtet finis; momentum huius erroris ex 2 Theſſ. II, 2. 5. petitur. Quaeſtio dein examini ſubiicitur; an promiſſio bonorum praeſtita ſit a tempore Conſtantini M. ait A. bona illa tempore Conſtantini M. ſumma praedictionum prophetarum ſatisfacere non poſſe; 8) Opinio de infinita gentis Iudaeae reprobatione; 9) Vana oſtentatio felicitatis temporum noſtrorum, inde a reformatione ſacrorum. Reformatio quidem, ait, ingens eſt bonum, ſed reſpondet tantum emblemati commorationis purpureae in deſerto, ubi in loco ſibi attributo tuta praeſtatur et ſuo ſtudio alitur, Apoc. XII, 14. Illa tamen fortuna nondum eſt amplitudo illa et proſperitas, quam prophetae ut diſertiſſime deſignant, quaeque demum exſpectari poteſt ſublatis tribus illis beſtiis, duabus beſtiis, et meretrice magna. *Ad haec omnia ſupponit.* Qualis ſit papatus poſt reformationem A. docet, reformatio, ait, multas Papae eripuit terras, e quibus alimenta petunt, qui in eccleſia preſſi vivunt; ſed nec Papam ſuſtulit, nec naturam papatus emendavit, nec hierarchiam Rom. in arctiores limites redegit. Ergo Papatus non minus metuendus eſt, quamquam forma regiminis alterata, tamen impetus eius in doctrinam Proteſtantium eo magis directus eſt.

Regulas vero S. V. *Auct.* ad interpretandas prophetias has ſuppeditat: 1) Non ſinguli textus per ſe ſunt intelligibiles; 2) Res, quas prophetae praedicunt, plerumque ſiſtuntur complexe, ita ut in univerſali ambitu ſummatim ſpectentur, vel κατὰ τὸ ἀποτέλεσμα, h. e. ſecundum id, quod res erit, ubi ad faſtigium ſuum pertigerit; 3) Prophetae praedictiones ad periſmata transferunt, et ad illuſtranda iſta utuntur rebus ſuae aetatis; 4) Prophetae typice loquen-

tes, tropos repetunt a rebus ſui temporis, ſigillatim a typis; 5) In ſermonibus prophetarum varii generis ordo pragmaticus ineſt, ſed non ſemper chronologicus, interdum tractationi inſeritur locus communis de regno Dei complexe ſpectato; 6) Vaticiniis de proſpero ſtatu eccleſiae ne pervertantur praetextu, quod regnum Chriſti ſpirituale ſit; in alterutro extremo peccant Iudaei; 7) Prophetae opus Dei repraeſentant ut unum; 8) Implementum per partes dupliciter contingit, vel ſucceſſive, vel diverſimode in pluribus, qui ſub nomine collective continentur; 9) In vaticiniis ſchematicis, ante explicationem rerum, Schema ipſum examinandum eſt; 10) Verba ne improprie ſumantur abſque cauſis idoneis, propter tarditatem ad credendum, vel metu hominum. *In his pleraque ſunt pro arbitrio ſumta.* Obſervationes addit A. de eo, quid proprie ſumendum ſit, nec ne: *a*) quod proprie ſumtum abſurdum foret, tropice dictum eſt; *b*) dictio propria et impropria junguntur, et ex uno loco plures explicantur; *c*) parallela adhibenda; *d*) locutiones proverbiales obſervandae; *e*) tropi pariter repetuntur ex oeconomia typica, hiſtoria, regno naturae; *f*) oppoſitiones ne negligantur; *g*) determinationes individuales poſcunt interpretationem verborum propriam; *h*) ſenſus proprius ne temere deſeratur, ubi res complexe, vel rei faſtigium ſiſtitur; *i*) indeterminatis ne precario ſurrogetur determinatio; *k*) ne coacte interpretemur ob diſpoſitiones arbitrarias; *l*) an Iſrael Dei improprie pro eccleſia N. T. dicatur; *m*) frequentes ſunt proſopopoeiae et ſymbolicae repraeſentationes perſonarum moralium; *n*) quomodo ſymbola rerum coeleſtium interpretanda ſint, ita diverſae imagines rerum inviſibilium diverſas partes deſignant; *o*) Angelorum nomen et emblemata veros notant Angelos; *p*) ubi verbis aſſeritur commotio coeli, vel interitus mundi, proprie ſumendi ſunt; ſed in viſione prophetica poſſunt etiam imago allegorica eſſe; *q*) alluſio ad res vere geſtas ne confundatur cum dictione propria, vel tumida; *r*) ubi textus expreſſe determinat aliquid improprie ſumendum eſſe,

eſſe, reliqua tanto magis proprie accipienda ſunt; *s*) numeri arcani duplicis generis, ubi deeſt numerus concretus, vel ubi termino improprie ſumendo exprimitur, tum improprie ponitur nomen indeterminatae vel determinatae quantitatis. Ratio, vel occaſio appellandi in numeris myſticis in coeleſti Spirituum republica latet; ubi autem duplex denominandi ratio ſubeſt, eventus dupliciter poteſt reſpondere.

En, Lector, totius Libri, in quo recenſendo ita verſati ſumus, ut adeo ipſa Auctoris verba retineremus, deſcriptionem. Penes te iudicium eſto, cum ex iis, quae narravimus, perſpicere oeconomiam Operis poſsis.

IURISPRUDENTIA ANTIQUA, CONTINENS Opuſcula et Diſſertationes, quibus leges antiquae, praeſertim Moſaicae, Graecae, et Romanae, illuſtrantur. Curante DAN. FELLENBERG. TOMUS II.

Bernae, ſumptibus Societatis Litterariae, 1761. Alph. 3. plagg. 17. in 4.

Iurisprudentiae antiquae, hoc eſt illius, quae veram atque amabilem ſapientiſſimarum Legum Romanarum faciem proponit, quaeque bonarum litterarum non qualemcunque, ſed multo adquiſitam ſtudio, et paene conſummatam ſcientiam depoſcit, non eius quae Pragmaticorum eſt, ſi quis illuſtrandae atque commendandae, ſubſidiis undique, ſed cum iudicio, conquiſitis, ſubvenerit, talem credimus magni haberi virum, eiusque diligentiam et ſtudium ad omnem poſteritatem transmitti oportere. Fuerunt olim, qui has laudes omnino meruerunt; inque his, noſtra aetate, Viri illuſtres, *Gerardus Meermannus* potiſſimum, et *Everardus Otto*, ſuo iure cenſentur. Horum iurisprudentiae elegantioris, diſperſarumque eius opum acerrimorum vindicum, exem-

plo excitatus *Fellenbergius*, V. Cl. quod opus adgreſſus eſt magno ſtudio, contentioneque laudabili, proſequitur. Eſt ea diſſertationum academicarum infelix ſors, ut quo anno editae ſunt, eodem fere evaneſcant; adeoque paullo poſt quam doctis hominibus exteris innotuerunt, iam fruſtra quaerantur. Id ne omnibus accideret celeberrimorum Virorum academicis ſcriptionibus, caverunt docti quidam Viri eo, ut collectas uno Volumine recudi curarent. Quare, quantum profuerint litterariae rei, quisque videt; et qui non videt, nihil ſapit, pepo eſt. Intelligunt Lectores, etiam nobis non monentibus, quo, quae hic ſcribimus, pertineant. Nimirum, ut laudemus diligentiam Fellenbergii, et providentiam, ſimul vero et acre in ſeligendis iis iudicium; quo inprimis effecit, ut magno plauſu haec eius Sylloge a litteraria republica acciperetur. Diximus ſuo tempore in his Actis de Primo Volumine; iam, quae ſint Secundi bona, quod Fellenbergii beneficio ad nos perlatum eſt, atque ab Editore illuſtri Meermanno dicatum, videamus. Sunt igitur duodecim diſſertationes, ſuper praecipuis quibusdam Iuris Civilis capitibus, dignae omnino quae ſervarentur. Nos, praeter cuiusque titulum, nihil addimus, propterea quod legi totas in hac Sylloge cupimus. BAVII VOORDA Diſſ. iurid. inauguralis, *de Vadimonio*: Trai. ad Rhen. 1751. HERMANNI CANNEGIETER Diſſertatio Philologico iurid. *de veteri Lege Romana, cuius meminit Nonius*: Franequ. 1753. ABRAHAMI WIELINGII, Diatribe *de Furto per Lancem et Licium concepto*: Marpurgi in Cattis, 1719. CORN. DIETERICI KOCH, Diſquiſitio coniecturalis, *qua Lex LVIII. Duodecim Tabb. de furto per Lancem Liciumve concepto, explicatur, a depravatione Triboniani, et ceterorum Interpretum vindicatur, Legibus divinis confertur*: Helmſtadii, 1721. PETRI DE TOULLIEU, Diſputatt. Iuridicae duae, *de Iure Nuptarum*, Praef. Corn. van Eck, Franequ. et Trai. ad Rhenum, 1692. et 1693. IOH. GUIL. HOFFMANNI ſingularia capita *ex hiſtoria Triumvira-*

viratu, ad illuſtrandum Ius Romanorum Publicum et Privatum petita, Defend. Martino Wilh. Mundt, Francof. ad Viadrum, 1733. GEORGII IORDENS, Diſputt. Iurid. Inaugur. duae, *de Legitimatione*, Trai. ad Rhen. 1742. 1743. GERLACI SCHELTINGA, Diſſert. Philologico-Iuridica Inauguralis, *de Emancipationibus*, Franequ. 1730. et 1731. AUG. CHRISTIANI MARCHE, Diſſ. Inaug. *de Tutoribus ex Lege Iulia et Titia*, Lipſ. 1736. GEORGII CONRADI CRUSII, Diſſert. *ad Conſtitutionem divi Marci, de Curatoribus Minorum quinque et viginti annis:* rec. Lugd. Batav. 1712. IO. HIERONYMI HEZER, Diſſ. Inaugur. *ad Legem Laetoriam*, Lipſ. 1749. IACOBI GRONOVII Diſſert. Iuridica Inaugur. *ad quatuor Fragmenta, quae ex Aelii Marciani Primo Regularum Libro in Pandectis ſuperſunt:* Lugd. Batav. 1759. — Vehementer rogamus *Fellenbergium* V. Cl. ut ornare pergat hac ſua opera elegantiorem Iuriſprudentiam, certo perſuaſus, magnam ei gratiam habituros, quotquot amant elegantiores litteras, hoc eſt doctos homines omnes; nam in iſtorum cenſum, niſi qui has amet, neminem credimus referri oportere. Dicemus autem de Tomo III. quamprimum ad nos venerit beneficio eius, cui hunc debemus.

NOVA ARCUUM PARABOLAE APOLLONIANAE, atque Hyperbolae Aequilaterae, Menſura. *Auctore Archidiacono* IOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS *de Fagnano, ex Sancti Honorii Marchionibus.*

Theorema I.

Poſita aequatione (1)

$$(1)\quad \frac{(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}}}{4} - \frac{(\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{1}{n}}}{4} = s$$

 dabitur

dabitur aequatio (2)

$$(2)\ \frac{1}{4} L.(\sqrt{4z^2+1}+2z) = \frac{n}{4} L.(\sqrt{4t^2+1}+2t)$$

n ſignificat quemcunque numerum poſitivum integru ſed poteſt etiam ſignificare fractum, et irrationale L denotat Logarithmum.

Demonſtratio.

Quadrando aequationem (1), inde eam multiplican per 4 profluit

$$\frac{(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{2}{n}} - 2 + (\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{2}{n}}}{4} = 4t^2$$

atque addendo utrinque unitatem

$$\frac{(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{2}{n}} + 2 + (\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{2}{n}}}{4} = 4t^2+1$$

atque extrahendo

$$\frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}} + \frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{1}{n}} = \sqrt{4t^2+1}$$

Eadem aequatio (1) exhibet

$$\frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}} - \frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{1}{n}} = 2t$$

quae ſi addatur praecedenti, haec altera emerget

$$(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}} = \sqrt{4t^2+1}+2t.$$

Atque

dabitur aequatio (2)

$$(2)\ \frac{1}{4} L.(\sqrt{4z^2+1}+2z) = \frac{n}{4} L.(\sqrt{4t^2+1}+2t)$$

n ſignificat quemcunque numerum poſitivum integru[m] ſed poteſt etiam ſignificare fractum, et irrationale[m]. L denotat Logarithmum.

Demonſtratio.

Quadrando aequationem (1), inde eam multiplican[do] per 4 profluit

$$\frac{(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{2}{n}} - 2 + (\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{2}{n}}}{4} = 4t^2$$

atque addendo utrinque unitatem

$$\frac{(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{2}{n}} + 2 + (\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{2}{n}}}{4} = 4t^2+1$$

atque extrahendo

$$\frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}} + \frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{1}{n}} = \sqrt{4t^2+1}$$

Eadem aequatio (1) exhibet

$$\frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}} - \frac{1}{2}(\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{1}{n}} = 2t$$

quae ſi addatur praecedenti, haec altera emerget

$$(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}} = \sqrt{4t^2+1}+2t.$$

Atque

Atque haec ad poteſtatem $\frac{n}{4}$ elevata dabit

$$(\sqrt{4z^2+1} + 2z)^{\frac{1}{4}} = (\sqrt{4t^2+1}+2t)^{\frac{n}{4}}$$

Per naturam ergo Logarithmorum

$$\frac{1}{4} L.(\sqrt{4z^2+1}+2z) = \frac{n}{4} L.(\sqrt{4t^2+1}+2t)$$

Quod erat demonſtrandum.

Corollarium I. Fig. 1. *Tab. I.*

Applicatio Theorematis ad Geometriam

Deſcripta ſit Parametro $CA = 1$, *Axe* CM Parabola Apolloniana ZCZ, ductaque Tangente verticali CB, ſi in ea ſumptis Abſciſcis $CT(z)$, $Ct(t)$, ducantur Ordinatae TZ, tz. Notum eſt Arcum $CZ = S.dz\sqrt{4z^2+1}$; Arcum $Cz = S.dt\sqrt{4t^2+1}$, proindeque n Arc. $Cz = nS.dt\sqrt{4t^2+1}$, locumque habere, ut patet etiam differentiando, quae ſequuntur aequationes

$$S.dz\sqrt{4z^2+1} = \frac{z}{2}\sqrt{4z^2+1} + \frac{1}{4} L.(\sqrt{4z^2+1}+2z)$$

$$nS.dt\sqrt{4t^2+1} = \frac{nt}{2}\sqrt{4t^2+1} + \frac{n}{4} L.(\sqrt{4t^2+1}+2t)$$

Quarum poſtrema ſi a priori ſubducatur, proveniet

$$S.dz\sqrt{4z^2+1} - nS.dt\sqrt{4t^2+1} = \begin{cases} \frac{z}{2}\sqrt{4z^2+1} - \frac{nt}{2}\sqrt{4t^2+1} \\ + \frac{1}{4} L.(\sqrt{4z^2+1}+2z) \\ - \frac{n}{4} L.(\sqrt{4t^2+1}+2t \end{cases}$$

Si ergo fiat Abſciſſa $Ct (t) = \frac{(\sqrt{4z^2+1}+2z)^{\frac{1}{n}}}{4} - \frac{(\sqrt{4z^2+1}-2z)^{\frac{1}{n}}}{4}$

erit per Theorema $\frac{1}{4} L.(\sqrt{4z^2+1}+2z) = \frac{n}{4} L.(\sqrt{4t^2+1}+2t)$

Conſequenter

(3) $S. dz\sqrt{4z^2+1} - nS. dt\sqrt{4t^2+1} = \frac{z}{2}\sqrt{4z^2+1} - \frac{nt}{2}\sqrt{4t^2+1}$

Scholion.

Conſtat ex aequatione (1), ſi abſciſſa $CT (z)$ aequalis ſit nihilo, etiam evaneſcere abſciſſam Ct (t), erit igitur aequatio praecedens completa.

Corollarium II.

Ducantur Tangentes ZV, zu; per naturam Parabolae erit Tang. $ZV = z\sqrt{4z^2+1}$; Tang. $zu = t\sqrt{4t^2+1}$. Proinde in aequatione (3) expreſſiones lineares ſubſtituendo reſpectivis valoribus analyticis, erit.

(4) Arc. $CZ - n$ Arc. $Cz = \frac{1}{2}$ Tang. $ZV - \frac{n}{2}$ Tang. zu.

Corollarium III.

Occurrant Tangentes ZV, zu Tangenti verticali CB in punctis O, et o, eritque $ZO = \frac{1}{2}$ Tang. ZV; $zo = \frac{1}{2}$ Tang. zu; ideoque per praecedens Conſectarium.

Arc. $CZ - n$ Arc. $Cz = ZO - nzo$

Corollarium IV.

Sit modo $n = 2$, et per duo poſtrema Corollaria habebitur

Arc. $CZ - 2$ Arc. $Cz = \frac{1}{2}$ Tang. $ZV -$ Tang. zu

Arc.

$$\text{Arc.}\,CZ - 2\,\text{Arc.}\,Cz = ZO - 2zo$$

Hoc eſt

$$\text{Arc.}\,Zz - \text{Arc.}\,Cz = \frac{1}{2}\,\text{Tang.}\,ZV - \text{Tang.}\,zu = ZO - 2zo$$

Corollarium V.

In progreſſu demonſtrationis Theorematis vidimus

$$\sqrt{4t^2+1} = \frac{1}{2}\left(\left(\sqrt{4z^2+1}+2z\right)^{\frac{1}{n}} + \left(\sqrt{4z^2+1}-2z\right)^{\frac{1}{n}}\right)$$

Per aequationem (1)

$$\frac{nt}{2} = \frac{n}{8}\left(\left(\sqrt{4z^2+1}+2z\right)^{\frac{1}{n}} - \left(\sqrt{4z^2+1}-2z\right)^{\frac{1}{n}}\right)$$

Ergo ducendo invicem has aequationes

$$\frac{nt}{2}\sqrt{4t^2+1} = \frac{n}{16}\left(\left(\sqrt{4z^2+1}+2z\right)^{\frac{2}{n}} - \left(\sqrt{4z^2+1}-2z\right)^{\frac{2}{n}}\right),$$

Ideoque in hypotheſi praecedentis Corollarii

$t\sqrt{4t^2+1} = \frac{z}{2}$; hoc eſt, Tang. $zu = CO$, et per Corollarium IV

$$\text{Arc.}\,Zz - \text{Arc.}\,Cz = ZO - CO.$$

Corollarium VI.

Ad quadratum elevetur aequatio $t\sqrt{4t^2+1} = \frac{z}{2}$, inde ducatur in 16, eritque $64t^4 + 16t^2 = 4z^2$; et addendo utrinque unitatem $64t^4 + 16t^2 + 1 = 4z^2 + 1$, et extrahendo $8t^2 + 1 = \sqrt{4z^2+1}$, ac tandem $t = \sqrt{-\frac{1}{8} + \frac{1}{8}\sqrt{4z^2+1}}$ Qui valor t pari

facili

facilitate poterat elici ex ipſa aequatione (1), nam illam quadrando, poſito $n = 2$, obtinetur $\frac{\sqrt{4z^2+1} - 1}{8} = t^2$.

Corollarium VII.

Vidimus in Corollario VI $t\sqrt{4t^2+1} = \frac{z}{2}$, in Conſectario praecedenti $8t^2 + 1 = \sqrt{4z^2+1}$; ergo $8t^3 \sqrt{4t^2+1} + t\sqrt{4t^2+1} = \frac{z}{2}\sqrt{4z^2+1}$; ideoque $8t^3 \sqrt{4t^2+1} = \frac{z}{2}\sqrt{4z^2+1} - t\sqrt{4t^2+1}$, id eſt $8t^3 \sqrt{4t^2+1} = \frac{1}{2}$ Tang. ZV — Tang. zu, et per Corollarium IV

$$\text{Arc. } Zz - \text{Arc. } Cz = 8t^3\sqrt{4t^2+1}$$

Scholion.

Quae habentur in huius Theorematis Conſectariis, ubi $n = 2$, cum his conveniunt ad amuſſim, quae olim ad annum 1716 publici iuris fecit Pater meus, in Diarii Eruditorum Italorum Tomo XXIV, et rurſus edidit in ſecundo ſuarum Productionum Mathematicarum Tomo.

Theorema II.

Sint aequationes (5), et (6)

(5) $r = \sqrt{2z^2 + 2\sqrt{z^4+4}}$

(6) $2S.\frac{r^2 dr}{\sqrt{r^4 - 16}} - S.\frac{dz}{z^2}\sqrt{z^4+4} = \frac{\sqrt{z^4+4}}{z} + 2z$

poſita aequatione (5), ponitur aequatio (6)

Demon-

Demonſtratio.

Aequatio (5) elevata ad quadratum exhibet

$$r^2 = 2z^2 + 2\sqrt{z^4+4}$$

quae differentiata, et diviſa per 2, gignit

$$(8)\quad rdr = 2zdz + \frac{2z^3dz}{\sqrt{z^4+4}}$$

Ex eadem aequatione (7) quadrando, et recte calculando, profluit $r^4 - 16 = 4r^2z^2$, proinde extrahendo

$$\frac{\sqrt{r^4-16}}{r} = 2z$$

Per hanc modo aequationem dividatur aequatio (8) provenietque $\frac{r^2dr}{\sqrt{r^4-16}} = dz + \frac{z^2dz}{\sqrt{z^4+4}}$

quae integrata, inde multiplicata per 2, dabit

$$2\,\frac{S.r^2dr}{\sqrt{r^4-16}} = 2z + 2\,\frac{S.z^2dz}{\sqrt{z^4+4}}$$

ſed $2\,\frac{S.z^2dz}{\sqrt{z^4+4}} = \frac{S.dz\sqrt{z^4+4}}{z^2} + \frac{1}{z}\sqrt{z^4+4}$, ut patet differentiando. Facta ergo in praecedentis aequationis ſecunda parte ſubſtitutione, erit

$$2\,\frac{S.r^2dr}{\sqrt{r^4-16}} = \frac{S.dz\sqrt{z^4+4}}{z^2} + \frac{1}{z}\sqrt{z^4+4} + 2z$$

ac tandem

$$2\,\frac{S.r^2dr}{\sqrt{r^4-16}} - \frac{S.dz\sqrt{z^4+4}}{z^2} = \frac{1}{z}\sqrt{z^4+4} + 2z,\ \text{Q.E.D.}$$

Corollarium I. Fig. 2.

Applicatio Theorematis ad Geometriam.

Sit Semiaxe $CA = 2$ deſcripta Hyperbola aequilatera XAX. Si in eius Aſymptoto CL ſumptis abſciſſis $CV\,(z)$, atque ordinata VT, ducatur Tangens TO, erit Arc. $AT = S.\frac{dz\sqrt{z^4+4}}{z^2}$; Tang. $TO = \frac{\sqrt{z^4+4}}{z}$; $CO = \frac{1}{2}z$.

Nunc ex centro C ducatur abſciſſa centralis $CX = r$, eritque 2 Arc. $AX = 2\,S.\frac{r^2\,dr}{\sqrt{r^4-16}}$. Si ergo ſumatur $r = \sqrt{2z^2 + 2\sqrt{z^4+4}}$, ſubſiſtet per Theorema aequatio (6), ac proinde, ſi in eadem aequatione (6) loco expreſſionum analyticarum ſurrogentur reſpectivi valores lineares, habebitur

(9) 2 Arc. AX — Arc. AT = Tang. $TO + CO + k$

k eſt conſtans addenda.

Similiter ſumta in Aſymptoto CL abſciſſa $Cu = t$, ductaque ordinata ut, atque tangente to, ſi fiat abſciſſa centralis $Cx = \sqrt{2t + 2\sqrt{t^4+4}}$, erit.

(10) 2 Arc. Ax — Arc. At = Tang. $to + Co + k$.

Ideoque ſubtrahendo hanc aequationem ab aequatione (9) obtinebitur

2 Arc. Xx — Arc. Tt = Tang. TO — Tang. $to + Oo$

hoc eſt

2 Arc. Xx — Arc. Tt = Tang. TO — Tang. $to + 2Vu$.

Corollarium II.

Ubi Arcus $AT = o$, tunc abſciſſa CV mutatur in abſciſſam $CM = \sqrt{2}$, quam determinat normalis

lis AM; Tangens TO in tangentem verticalem AI; CO in CI; abſciſſa centralis $CX\,(r)$ mutatur in abſciſſam centralem $CP = 2\sqrt{1+\sqrt{2}}$, et Arcus AX in Arcum AP, et aequatio (9) degenerat in

$$2\ \text{Arc.}\ AP = CI + AI + k;\ \text{ideoque}$$

$$2\ \text{Arc.}\ AP - CI - AI = k$$

Qui valor k ſi ſubſtituatur in eadem aequatione (9), prodit
$2\ \text{Arc.}\ AX - \text{Arc.}\ AT = \text{Tang.}\ TO + CO + 2\ \text{Arc.}\ AP - CI - AI$, et auferendo utrinque 2 Arc. AP.

(11) $$2\ \text{Arc.}\ AX - 2\ \text{Arc.}\ AP - \text{Arc.}\ AT = \text{Tang.}\ TO + CO - CI - AI$$

hoc eſt

$$2\ \text{Arc.}\ PX - \text{Arc.}\ AT = \text{Tang.}\ TO + IO - AI.$$

Corollarium III.

Si abſciſſa $CV\,(z) = 0$; tunc Arcus AT evadit Arcus AL in infinitum productus; Tangens TO integra Aſympt. CL; $CO\,(2z) = 0$.

Abſciſſa vero centralis $CX\,(r)$ cum in hac Hypotheſi evadat 2, hoc eſt ſemiaxis CA, evaneſcit quoque Arcus AX, et aequatio (11) debitis perfectis ſubſtitutionibus immutabitur in

$$-2\ \text{Arc.}\ AP - \text{Arc.}\ AL = CL - AI - CI$$

Conſequenter tota Aſymptotus CL minus integra ſemi hyperbola AL aequabitur ſummae rectarum AI; CI minus duplo Arc. AP.

Scholion.

Haec noſtra Arcuum Hyperbolae aequilaterae menſura differt in methodo, et concluſione, ab illa eiusdem Hyperbolae aequilaterae menſura, quam quinquaginta fere abhinc annis invenit Pater meus, ac tandem edidit in ſuarum Productionum Mathematicarum Secundo Tomo pag. 504.

IACOBI PHILIPPI D'ORVILLE, SICULA, QUIBUS Siciliae veteris rudera, additis antiquitatum tabulis, illuſtrantur. Edidit, et Commentarium ad Numiſmata Sicula, XX. tabulis aeneis inciſa, et ad tres inſcriptiones maiores, Geloam, Tauromenitanam, et Rheginam; nec non minorum inſcriptionum Syllogen, orationem in Auctoris obitum, et praefationem adiecit PETRUS BURMANNUS ſecundus. PARS PRIMA.

Amſtelaedami ap. Gerardum Tielenburg, MDCCLXIV. 276. pagg. in fol. exceptis dedicatione, praefatione, indice, aliisque.

Sequitur caput Secundum praeclari Operis a p. 11-18. e quo, ut et reliquis, plurima notatu digna didicimus, laetique cum lectoribus communicamus. Neque potuit Cl. D'Orvillius, quin oblata occaſione, ut p. 15. 42. 47. al. gratam eorum faceret mentionem, quorum amorem, humanitatem, optimeque de ſe merendi ardorem, (in ineundo itinere, eodem ſque gravi et moleſto, multisque periculorum generibus abundante,) perſenſerat; quod et initio eius, in quo nunc verſamur, capitis fecit, benevolentiae trium Mercatorum Meſſanae ſpectatiſſimorum, atque inprimis nationis Britannicae Iudicis, Chamberlainii, recordatus. Illa quidem via Valeria, quam *Strabo* (L. VI. p. 408.) memorat, cum ait: ἐκ Μεσσηνης ἐις Λιλυβαιον τῃ Ουάληρια ὁδῳ, quin antiquis temporibus, immo ante aetatem Auguſti, (contra Nic. Bergierium,) ſatis munita fuerit, non dubitat Auctor Cl. quem vero habuerit auctorem, tuto dici nequit, quod varii Valerii in Sicilia res geſſerint. Media fere via Meſſanam inter et Pelorum offendit A. aediculam, olim Veneri dicatam. In ipſius vero Pelori extremitate Neptuni ara vel templum fuit. Hoc promontorium celebre quoque reddiderunt conchae et cochleae Peloritanae, quarum carnes quidem in deliciis, teſtae vero ludicrorum locum obtinebant. Auctor Cl. Theodoridae, poetae Syracuſani epigramma, (ἐπι κοχλῳ θαλασσιῳ) a Kuſtero iam publicatum, (ad Suidam in Λαβυρινθος)

βωμόθεν) hic emendatius ſiſtit. Urbs Mylae in rupe ingenti et praecipiti ſita eſt, a mediterraneis partibus ſe ſenſim in planitiem demittente, quam maxima pars incolarum occupant, et *Polybius* (I, 9.) forte ſub nomine *πόλιον Μυλαίων* intelligit. In urbem adſcendenti, ad manum dextram ſtatua, Victori Amadeo dicata, apparet; eſt ea enormis admodum fabricae. Verſus Orientem in clivo reliquiae aedificii, ingentibus fornicibus innixi, viſuntur. Saracenorum opus eſſe perhibent. In hac civitate, Auctor ait, diverſorio ſatis commodo uſum ſe eſſe, quod rare alias in Sicilia contingat. Agri fertiliſſimi ſunt, nec ſterile Milenſibus eſt vicinum mare: nam ex thunnorum piſcatione non parvos reditus habent; quos iam olim Archeſtratus apud Deipnoſophiſtam l. VII. p. 302, ex emendatione Caſauboni, celebravit. Non dubium autem eſt, quin ad hanc urbem reſpiciat Magnus *Auſonius*, (Moſella v. 215.) quando canit: *aut Pompeiani Mylaſena periculo belli*; potuitque fieri, ut Mylas Siciliae et Mylaſa Cariae confuderit; diſſentiunt enim *interpretes*. Dum Mylis auctor eſſet, piſcatus illorum piſcium *maxime* vigebat, cuius hic modum deſcribit, quem et Quintus Calaber IX. 172. eleganter depinxit. Ex hac vere piſcandi ratione fortaſſe *Theocriti* Idyll. III, 25. nova lux accendi poteſt, quam illius deſcriptionem lectoribus legendam, cumque poetae ſuaviſſimi verſibus comparandam, commendamus. Nec enim cum his piſcatoribus confundendi ſunt, qui *in littoribus* retiiaculo utebantur, quos deſcribit *Heſiodus* (Scuto v. 215.) *Caput tertium* p. 18 24. Mylis ad inſulam Liparam, ex Aeoliis unam, pervenit Auctor, inque meridionalem eius partem contendit, ut adiacentium inſularum, Didymae, Phoenicuſae, atque Ericuſae, ſitum e propinquo obſervaret; iſtae omnes incolis carere dicuntur, frumentum et ſal tamen ab Liparenſibus ibi colligitur. In hac Liparae ora balnea hodie quoque celebratiſſima ſunt. Eſt ea ipſa inſula ſatis fertilis, teſte Diodoro Siculo V. p. 338. (Auctor hic τὸ τρέφειν in τρυφῶν mutandum cenſet, quod minus placet,) negantibus *Cicerone* III. Verr. 37. et *Bocharto* (Geograph. ſacr. P. II. l. I. c. 28. p. 520) Auctore in partes Diodori abeunte, caeteris Aeoliis inſulis Li-

param fertiliorem, minusque eam ob cauſam probabile arbitrante, quod viri Cl. ſuſpicati ſunt, inſulas haſce omnes aliquando Λιπάρας audire. Λιπάρα dicta eſt, quaſi λιπαρωτέρα φλογί; liquidiore flamma ardebat olim, quam ceterae Aeoliae, nam olim eas arſiſſe veteres auctores tradunt. Inſula Vulcania a Lipara non multum ultra mille paſſus abeſt, ignemque eiactat magno cum ſtrepitu et fragore, quod murmur terribile, magna ex parte ex aquis ferventibus, atque impetu magno ſub monte tranſeuntibus, excitari putat auctor Cl. neque vero haec inſula habitatur. In vicinia promontorii Siciliae, quod vocatur Capo Orlandi, fuit olim oppidum Agathyrnum. Hic aſſentitur Cel. D'Orville Io. Harduino, (in numis antiquis p. 8.) numum nomine ἀγαθύρνων inſcriptum ad hanc urbem referenti; immo ſuſpicatur, a *Goltzio* (Num. Graec. T. XXVIII. p. 161.) male lectum fuiſſe ἀγαθύρσων pro ἀγαθύρνων, numumque hunc impoſterum in Siculis haberi poſſe ac debere credit. Urbs Calacta nomen duxit a pulcro littore, (καλὴ ἀκτή) ad quod ſita erat. Optimo autem iure Cluverius apud Ciceronem in Verrin. III. c. 43. repoſuit Calactinis et Calactae, meritoque eum ſecutus eſt Io. Georg. Graevius. Urbs Tuſa eadem quibusdam videtur eſſe cum Tiſſa, Ciceroni et aliis memorata; ſed incertiſſimus eſt huius oppidi ſitus. Dominus eius, qui ſe eiusdem ſtirpis eſſe perhibet cum Principibus a Turre et Taxis, caſtellum ad mare habitat. Eius agri multum olei et frumenti ferunt. Non procul hinc verſus ſeptentrionem in collibus urbs ſita fuit Haleſa ſive Halaeſa, inter fluvios Haleſum, nunc Pettineum, et fluvium Tuſae. Accolae iactant, multas ibi ſupereſſe inſcriptiones. Plurimi numi hic quotidie inveniuntur, ſed valde corroſi; nam Halaeſi omne fere frumentum Romam mittebatur, quod in ſeptentrionali hoc Siciliae latere coemtum eſſet. *Cic.* Verr. III. §. 82

Cap. quartum p. 25-36. Iam ad Thermas Himerenſes pervenit auctor. Vrbs in iugo, verſus mare procurrente, poſita, amoeniſſimo gaudet proſpectu; a balneis fervidiſſimis nomen accepit, nec eſt inter minimas hodie Siciliae urbes, nec antiquitatis reliquiae deſunt. Plurimae inſcriptiones, ab Georgio Gualtherio editae, in parietibus Curiae inſertae leguntur. Nonnulla a

Hime

Himerae antiquae ſitum pertinentia hic proferuntur, erroresque veterum circa fontes Himerae notantur. Agitur de Daphnide, boum paſtore, de eius amore, fato, et ubi habitaverit. Licet vero nec Mylenſis, nec Himeraeus, nec Cephaloeditanus, ſed Syracuſanus vocetur *Aeliano* V. H. X, 18. et Hiſt. anim. XI, 13. (qui poſterior locus eorum inprimis cauſa adducitur, quibus in mentem venit negare, indices argumentorum, in ſingulis prioris libri capitibus obvios, Aeliano adſcribi poſſe:) tamen omne dubium e medio tollitur, ſi diſtinguas inter locum Daphnidis natalem, et locum ubi fato et infelici amori finem impoſuit. Ubi Himeram praetervectus fueris, ſterilior agrorum et littorum facies; nec quidquam occurrit quo oculi deſcantur. Promontorium, hodie Capo di Mongerbino dictum, hinc fere XII. paſſuum millibus diſtat. Id nominis ſortitus eſt hic montis vertex a ſterilitate, nam plane inculti loci ſpeciem habet. Arabibus autem جَرَبٌ (non ب ut ex errore vel typothetae vel ſcriptoris delineatum eſt) Geribun locus infoecundus dicitur. Montgerbino, ut Montgibello, hybrida eſt vox. Hinc non multum remota fuit urbs ſatis celebris Solus, ſive Soluntum, forma latina, nomen adepta à figura collis in quó ſita fuit, qui referebat diſcum laterium, Σόλον. Bochartus, more ſuo deducens a סלעים Selaim, rupes, auctorem minime habet ſibi adſentientem. *Caput quintum* p. 36-110. *Promontorio* Gerbino relicto, laetior rurſus camporum adſpectus, eaque agri arboribus frequentiores, quo propius ad urbem Panormum acceditur. Unde iam olim non immerito urbis huius vicinia celebrata fuerat inſtar continui hŏrti. Nunquam vero Panormium, ſed ſemper Panormus, dicta urbs fuit; vitioſa enim eſt Inſcriptio lapidis, quem adducit *Fazellus*, (Dec. I. l. VIII. c. 1.) *Respublica Panormii*, cum legendum ſit *Panormit*. i. e. Panormitanorum, extrita ſuperiore parte litterae *t*. Tunc temporis plurimi vici triſtia terribilis terrae motus, quo anno 1727. haec urbs (caeteroquin pulcherrima,) adflicta fuit, veſtigia adhuc oſtendebant. Monumentum Aegyptiacum ſepulcrale in domo Principis di Niſcenii, Philiſtidis falſo creditum, inque eo idola et ſupellex funebris aegyptiaca inveniuntur; figurae ab auctore p. 43. adiectae ſunt. Bartholomaei de Neocaſtro Hiſtoria ſui temporis inedita apud *Io. Mar. Armatum*, Ieſuitam Panormitanum fuit; cuius Codicis plenior notitia hauriri poteſt ex Mongitoris bibliotheca Sic. p. 96. Extra portam, quam vocant novam, coenobium fratrum Capucinorum cimeterio ſubterraneo cadaverum conſpicuum eſt, de quo multa narrantur fabuloſa; ſed conſtat, hanc eſſe ſubterraneorum plurium

rium locorum naturam, ut corpora ab aeris corroſione immunia praeſtent. Oppidulum Montis Regalis amoenum eſt, ornatumque Templo ingentis molis, ac columnis multis marmoreis fulgente. Verſus orientalem promontorii Galli partem collis eſt, cui aedes impoſita, Roſaliae dedicata. Circa hunc locum multi collocant urbem Motyam, quam collocandam eſſe ultra Drepanum, medio fere ſpatio inter hanc urbem et promontorium Lilybaeum, putat Cluverius. Ubi ſuperaveris promontorium, quod vocatur a Sancto Vito, Erycis vertex ſummus conſpici incipit; quo nomine hoc promontorium olim uſum fuerit, non conſtat inter Geographos, quamvis Cluverio hoc in loco aquae Perticianenſes fuiſſe videantur. Drepanum urbs ſatis frequens, et inprimis nitida eſt, Iſthmo amoeniſſimo inſidet, et portu gaudet ſpatioſo, meridionalibus ventis expoſito, at rupium ſerie adverſus occidentales tempeſtates protecto. In uno horum ſcopulorum, nomine olim Πελειάδι, hodie la *columbara*, dicitur olim Anchiſae ſepulcrale monumentum fuiſſe, eique iam turris ſuperinaedificata: ſed ex Virgilii narratione (Aen. V. 76.) ſatis patet, tumulum in continenti fuiſſe exſtructum. Mons Eryx non videtur admodum fertilis. Hinc deſpicienti verſus Drepanum, omnino eius portum falcis habere figuram conſtat: at cum Meſſanenſis portus hanc falcis formam, curvatura interius ducta verſus litus ripamque, in qua urbs aedificata, efficiat, Drepanitanus hic portus eandem figuram imitatur flexu et circuitu exteriore verſus mare, unde omnes auctores veteres recentioresque appellationem Δρέπανον et Ζάγκλη his urbibus inditam adſeverant ab curvo littore. Inde fabulam natam, hic deiectam depoſitamve Cereris Saturnique falcem. Quare miramur, magnum Bochartum has denominationes longis ambagibus arceſſere ab origine Phoenicia, cum Δρέπανον et Ζάγκλη ſint voces bene graecae, et uſurpatae. (Quae pag. 51. affertur vocis Soluntis etymologia, aderat iam p. 33.) Urbem Segeſtam in colle non admodum edito ſitam fuiſſe, colligitur exruderum magna copia, quae disiecta hic illic conſpiciuntur, ut adſcenſum non difficilem ei recte tribuerit Fazellus; nec ſitus loci repugnat, quo minus cum Oudendorpio apud *I. Frontinum* (l. 3. c. 10. §. 4.) legas: Idem (Hannibal) ut Segeſtanos eliceret, rara acie ad muros adſcendens etc. vulgo enim ibi *Saguntinos* et *accedens* exhibetur. Convallis quaedam, formam theatri referens, rudera multa exhibet. Supra hanc reſtat egregium monumentum, quod templum Cereris, et extra ipſam urbem olim fuiſſe, putat Fazellus. Auctor vero arbitratur, fuiſſe illud potius templum Dianae, tanto opere celebratae a *Cicerone* in Verrin. (IV. 33. 34.) murisque urbis comprehenſum, nulloque niti fundamento Fazelli opinionem. Drepano diſtat promontorium Lilybaeum fere 18,000. paſſuum, de quo in ſequenti parte dicemus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Mart. et Apr. Anno MDCCLXVI.

ΘΕΟΓΝΙΔΟΣ ΤΟΥ ΜΕΓΑΡΕΩΣ ΓΝΩΜΑΙ ΕΛΕΓΕΙΑΚΑΙ, *)

i. e.

THEOGNIDIS MEGARENSIS SENTENtiae Elegiacae. *Specimen novae editionis, curante M. ABRAHAMO KALL, Reg. Academ. Hafnienſ. Bibliothecario.*

Ω ἄνα, Λητοῦς υἱὲ, Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο
λήσομαι ἀρχόμενος, οὐδ' ἀποπαυόμενος.

Ἀλλ'

VARIAE LECTIONES.

2. ἀναπαυόμενος Steph. in marg. Neand. 1. 2. Iuſt 1. 2. 3. Kretſchm.

SCHOLIA IOACH. CAMERARII

1. Ω ἄνα] Ἀπόλλωνα ἐπικαλεῖται ἐπὶ τὴν ποίησιν·
Ἐκ γὰρ Μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
Ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθόνα,
ὡς φησιν Ἡσίοδος (Theog. 64. et ſic quoque Hom. hymn. XXIII. v. 3.)

O Rex, Latonae fili, Iovis proles, nunquam tui
Obliviſcar exordiens, neque deſinens,

Ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε, καὶ ὕςατον, ἔν τε μέσοισιν
Ἀείσω· σὺ δέ μευ κλῦθι, καὶ ἐσθλὰ δίδου.
Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε πότνια Λητὼ
Φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη

4. ῥαδινῆς Ald. Flor. Frob. Vinet. I, Brub. Steph. Hertel. I, Arcer. Lect. Helmſt. Patuſ. τρυφερῆς Cod. Palat. 2.

SCHOLIA IOACH. CAMERARII.

6. Φοίνικος ῥαδ.] Ἐς ὕψος ἀνατεθαλυίας, ἢ μᾶλλον ῥαδινῆς, ἤγουν καλαῖς καὶ μεγάλαις χερσίν. ὁ δὲ νοῦς, σοῦ τεχθέντος ἐν τῇ Δήλῳ, δεδραχυίας τῆς μητρὸς Λητοῦς ἐν τῷ ὠδίνειν φοίνικος εὐθαλοῦς

Ἀθανάτων κάλλιςον ἐπὶ τροχοειδέϊ λίμνῃ,
Πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίη
Ὀδμῆς ἀμβροσίης· ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη,
Γήθησεν δὲ βαθὺς πόντος ἁλὸς πολιῆς
Ἄρτεμι θηροφόνη, θύγατερ Διὸς, ἣν Ἀγαμέμνων
Εἵσαθ', ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε νηυσὶ θοαῖς·

VARIAE LECTIONES.

9. ἐγέλασσε] ἐγέλασε Ald. Flor. Frob. Brub. Patuſ. 12. Εἵσαθ'] εἵσαθ' Steph. Seber. 1. Wintert.

SCHOLIA IOACH. CAMERARII.

11. Ἄρτεμι] Τὸν μὲν Ἀπόλλω ὡς ποιητικὸν θεὸν καὶ τιμιώτερον, ἐπεκαλέσατο πρότερον ὁ Θεόγνις· νυνὶ δὲ καὶ τὴν λεγομένην ἀδελφὴν αὐτοῦ Ἄρτεμιν τῇ δευτέρᾳ τάξει προσεκάλεσεν, ὡς προσαρτήσασαν καὶ αὐτὴν αὐτοῦ. Τὸ δὲ εἵσατο, ἢ ὡς ἐν ἄλλοις, ἥσατο, ἀντὶ

Εὐχομένῳ μοι κλῦθι, κακὰς δ' ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε·
Σοὶ μὲν τοῦτο, Θεὰ, σμικρὸν, ἐμοὶ δ' μέγα.
Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διὸς, αἵ ποτε Κάδμου
Ἐς γάμον ἐλθοῦσαι, καλὸν ἀείσατ' ἔπος

SCHOL.

Sed ſemper primamque, et ultimum, inque mediis
Canam: Tu autem me exaudi, et bona da.
Phoebe rex, quandoquidem te dea peperit veneranda La-
Palmam teneris manibus amplexata. (tona,

ἐυθαλοῦς ἔρνους, τότε μὲν ἡ νῆσος θείας ἐυοσμίας ἐνεπλήσθη, ἔχαιρε δ' ἥτε γῆ καὶ θάλασσα σοῦ γεινομένου. Τῆς δὲ ἐν Δήλῳ φοίνικος καὶ Ὅμηρος μέμνηται Ὀδυσσ. ζ. (v. 163.) καὶ Καλλίμαχος φησιν, (hymn. in Del. 209) ὅτι κεκμηκυῖα παρεκλίθη τῇ φοίνικι ἡ Λητώ. ὡς καὶ τὴν καλουμένην τροχοειδῆ λίμνην, ἧς μέμνηται Ηρόδοτος κλειοῖ, (leg. Εὐτέρπῃ ſcil. c. 170.) τροχοέσσαν ὠνόμασε.

Immortalium pulcherrimum apud rotundum lacum
Tota quidem impleta eſt ingens Delus
Odore ambroſio, riſit vero terra magna,
Gaviſusque eſt profundus pontus maris albicantis.
Diana fericida, filia Iovis, cuius ſtatúam Agamemnon
Poſuit, cum in Troiam navigaret navibus velocibus.

ἀντὶ τοῦ ἱδρύσατο. Ὅτι δὲ Αγαμέμνων ἀπαιξόμενος τὸν στόλον ἐς Τροίαν, ἐν τῇ Αὐλίδι τῇ Ἀρτέμιδι ἔθυσε, καὶ ἐξιλασάμενος τὴν θεὰν, τὸν ναὸν αὐτῆς ἐκόσμησε (Strabo lib. XIV. fol. 440.) καὶ ὅτι ἡ Ἄρτεμις μετέβαλε τὸ ἱερεῖον, μελλούσης ἤδη σφαγήσεσθαι τῆς τοῦ βασιλέως θυγατρὸς, τῶν πολυθρυλλήτων ἐστί. Καλλιμάχου δὲ τάδε (hymn. in Dian. v. 228. ſq.)

- - - - - - σοὶ δ' Ἀγαμέμνων
Πηδάλιον νηὸς σφετέρης ἐγκάτθετο νηῷ
Μείλιον ἀπλοΐης, ὅτι οἱ κατέδησας ἀήτας.

Precantem me exaudi, mala autem fata depelle:
Tibi quidem hoc, Dea, parvum, mihi vero magnum eſt.
Muſae et Gratiae, filiae Iovis, quae aliquando Cadmi
Ad nuptias profectae, pulchrum ceciniſtis carmen;

SCHOL. IOACH. CAMERARII.

15. Μῦσαι καὶ Χάριτες] Κάδμος ὁ Ἀγήνορος, τῦ Ποσειδῶνος καὶ Λιβύης, ἐξ Λεγιάνης τῦ Νείλυ ἠγάγετο γυναῖκα Ἁρμονίαν, τὴν Ἄρεως καὶ Ἀφροδίτης· ἐπὶ δὲ τὸν γάμον συνελθόντων τῶν θεῶν, μέλος ἐπᾶσαι λόγος ἐςὶ τὰς Μῦσας. (Pindar. pyth. od. III. 155. ſq.) Καὶ ἐδείκνυον, ὥς φησι Παυσανίας, (libr. IX. c. 12) οἱ Θηβαῖοι χωρίον ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, ἔνθα ἔφασαν ᾆσαι τὰς θεάς. Πάντοτε δὲ Μῦσαι καὶ Χάριτες συζεύγνυνται, ὐ γάρ τι ἄνευ μυσῶν εὔχαρι γένοιτ' ἄν, ὐδ' ἔμμυσον ἄνευ χαρίτων. Ἀπὸ δὲ κοινῦ ἐπαναληπτέον τὴν ἐπίκλησιν, τῦ ποιήτυ δεομένυ, τάς τε Μύσας

Ὅττι καλὸν φίλον ἐςί· τὸ δ' ὐ καλὸν ὐ φίλον ἐςί.
 Τῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ ςομάτων·
Κύρνε σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω
 Τοῖς δ' ἔπεσιν, λήσει δ' ὔποτε κλεπτομένη.

SCHOLIA IOACH. CAMERARII

19. Κύρνε σοφιζομ.] Προσφωνεῖ τάδε τῷ ἑταίρῳ (ὕτω γὰρ εἰπεῖν εὔλογον) αὐτῦ Κύρνῳ. Τὸ δὲ σοφίζεσθαι κυρίως ἐςὶ, σοφῶς καὶ γλαφυρῶς καὶ νυνεχόντως ἐκπονῆσαί τι, καὶ οἷον τῆς σοφίας τεχνίτην εἶναι, ὅθεν καὶ οἱ πάλαι σοφιςαὶ εἴρηνται, ἐπαγγελλόμενοι ἔργα σοφίας διὰ λόγων. Ἐπειδὴ δὲ περὶ τὴν λέξιν οἱ πολλοὶ μόνον ἐπραγματεύοντο, καὶ ἐτερατεύοντο πλεῖςα παραλογισάμενοι

Οὐδέ τις ἀλλάξει κάκιον τῦ ἐσθλῦ παρεόντος.
 Ὧδε δὲ πᾶς ἐρέει, Θεόγνιδός ἐςιν ἔπη
Τῦ Μεγαρέως, πάντας δὲ κατ' ἀνθρώπυς ὀνομαςῦ.
 Ἀςοῖσιν δ' ὔπω πᾶσιν ἀδεῖν δύναμαι.
Οὐδὲν θαυμαςὸν, Πολυπαΐδη· ὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
 Οὔθ' ὕων πάντως ἁνδάνει, ὐδ' ἀνέχων.

VARIAE LECTIONES.

21. τῦ ἐσθλῦ] τῦ 'σθλῦ Steph. Criſp. Wint. Lect. Sylb. 2. et ſq. Fiſch. 22. Θεόγνιδος] Θεύγνιδος Steph. in marg.

26.

σας καὶ Χάριτας ἵλεως εἶναι, καὶ ἐνοδῶσαι τὴν ἐπιχείρησιν αὐτοῦ· ὁ δὲ νοῦς· καὶ ὑμεῖς δὲ, ὦ Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κλῦτέ μου, καὶ προσάπτετε κάλλος τοῖς ἐμοῖς ποιήμασιν, ὥστε καὶ φίλα εἶναι τοῖς ἀνθρώποις αὐτά· τὰ γὰρ καλὰ προσφιλῆ εἶναι, ὑμέτερον ἔπος ἐστὶν, ἐμπεποιημένον τῷ γαμικῷ ὕμνῳ, ὅν ποτ' ᾔσατε παρὰ τῷ Κάδμῳ. Τοῦτο δὲ λέγει ἢ πλάσας αὐτὸς, ἢ ἀποδεξάμενος ἐντεῦθέν που ἐν μέλεσί τισι τοιούτοις, οἵοις ἐμελῴδησαν ἂν τότε αἱ Μοῦσαι. Ὁ δὲ Πλάτων ἐν Λύσιδι (fol. 505.) ἐκτίθησιν, τὸ φίλον εἶναι τὸ καλὸν, ὥσπερ ἀρχαίαν παροιμίαν, ἥδε καὶ ἐν Βάκχαις κεῖται. (Eurip. Bacch. 879.)

Quod pulchrum, gratum eſt; quod non pulchrum, non
Hoc carmen immortalia venit per ora. (gratum eſt;
Cyrne, docenti quidem mihi ſigillum imponatur
His carminibus, latebit autem nunquam, ſi ſurripiatur.

νοι τοὺς ἀκούοντας, διὰ τοῦτο κακῶς ἤκουσε τὸ ἐπάγγελμα, καὶ σοφισταὶ ἐκλήθησαν, οὐκέτι οἱ σοφοὶ, ἀλλ' ὑποκριταί τινες τῆς σοφίας, καὶ σοφίσματα, αἱ τῶν διαλέξεων ψευδεῖς διαπλοκαὶ, καὶ κακοῦργοι συλλογίσεις. Ὁ νοῦς, τὰ μὲν ἔπη ταῦτα τῇ ἐμῇ σοφίᾳ ὥσπερ σφραγῖδι κατασημανθέντα, γνωστά τε καὶ διάδηλα ἔσται πᾶσι, καλῶν δὲ καὶ ἀγαθῶν ἐν τοῖς πρώτοις ὑπαρχόντων, οὐδεὶς, ὡς οἶμαι, προτιμήσει τούτων ἄλλα κακίω τινά.

Neque quisquam mutabit peius bono praeſente,
Sic enim quisque dicet: Theognidis *haec* ſunt carmina
Megarenſis, omnes quidem inter homines celebris.
Civibus vero nondum omnibus placere poſſum,
Neque hoc mirum, o Polypaeda; nec enim Iupiter
Vel pluens omnibus placet, vel *pluviam* inhibens.

26. πάντες] πάντας Ald. Frob. Vinet. Brub. Hert. Steph. Criſp. Franeck. Sylb. Lect. Wint. Bentl.

Scholia Ioach. Camerarii.

22. Θεύγνιδος] Ἰωνικῇ κράσει, ἀντὶ τοῦ Θεόγνιδος, οὕτω καὶ Θεύκριτος, ὁ Θεόκριτος, καὶ Θευδόσιος, Θεοδόσιος. Ἀφορμῆς δὲ λαβόμενος, τό τε ὄνομα αὐτοῦ ὁ ποιητὴς ἐξέφρασεν ἐνταῦθα, καὶ ἐδυσχέραινε πρὸς τοὺς πολίτας, ἧττον φιλοφρόνως πρὸς αὐτὸν ἔχοντας. Ἐνέπλεκε δὲ καὶ γνώμην παροιμιώδη, ὅτι οὐδεὶς ἅπασιν ἀρέσκει. εἰ γὰρ μὴ δύναται ὁ Ζεὺς, σχολῇ γ' ἂν οἷός τ' εἴη τῶν ἀνθρώ-

Σοὶ δ' ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι, οἷά περ αὐτὸς,
Κύρν', ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν, παῖς ἔτ' ἐών, ἔμαθον.
Πέπνυσο, μηδ' αἰσχροῖσιν ἐπ' ἔργμασι, μηδ' ἀδίκοισι
Τιμὰς, μηδ' ἀρετὰς ἕλκεο, μηδ' ἄφενος,
Ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι. κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει
Ἀνδράσιν, ἀλλ' αἰεὶ τῶν ἀγαθῶν ἔχεο·
Καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
Ἷζε, καὶ ἅνδανε τοῖς, ὧν μεγάλη δύναμις
Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Variae Lectiones.

29. ἐπ' ἔργμασι] ἐφ' ἔργμασι, Criſp. Sylb. 2. 3. et ſequ. Wint.

Scholia Ioach. Camerarii.

35. Ἐσθλῶν μὲν γὰρ] Γνώμη, ἣ καὶ Σωκράτης ἐκέχρητο, διδάσκων, ὅτι ἡ ὁμιλία τῶν ἀγαθῶν ἄσκησις ἐστὶ τῆς ἀρετῆς· ἡ δὲ τῶν κακῶν, κατάλυσις· παρὰ Ξενοφῶντι, ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ (cap. 2.). Ἔκκεινται δ' οἱ στίχοι καὶ ἐν τῷ ι τῶν Νικομαχείων Ἠθικῶν (cap. 9.).

NOTAE VARIORUM.

*) Palat. cod. prior hanc habet ἐπιγραφήν. Θεόγνιδος γνῶμαι. Palat. 2. addit τοῦ Μεγαρέως πρὸς Κύρνον τὸν ἑαυτοῦ φίλον. Factum nomen diminutionis quadam ſpecie ex Θεογένης. Plu-

ἀνθρώπων τις. Ἀνέχων δὲ, τετέγη αἰθρίαν ποιησάμενος, ἀνασκεδασθέντων τῶν ὑπεράνω νεφελῶν.

27. Σοὶ δ' ἐγὼ εὖ] Αὗται ὑποθῆκαι εἰσὶ, καὶ παραινέσεις ἀγαθαὶ πρὸς τὸν Κύρνον. Δόξαν δὲ περιτίθησιν αὐτοῖς, φάσκων μεμαθηκέναι ταῦτα παρὰ τῶν ἀγαθῶν παιδευόμενος, καὶ ἐστὶ πρώτη μὲν τῶν παραινέσεων, μὴ κτᾶσθαι πλοῦτον ἀδίκως. δευτέρα δὲ, φεύγειν τὴν τῶν κακῶν συνήθειαν, καὶ διάγειν μετὰ τῶν χρηστῶν· Ἔργμασι δὴ, τοῖς ἔργοις.

Tibi vero bene animatus praecepta dabo, qualia ipſe,
 Cyrne, a bonis viris, cum puer adhuc eſſem, didici:
Sapito, neque turpibus factis, neque iniuſtis
 Honores, aut potentiam attrahe, aut divitias;
Haec quidem ſic ſcito, cum malis vero ne converſare
 Viris, ſed ſemper bonis adhaere.
Et cum illis bibe, et comede, et cum illis
 Sede; et place (inprimis) illis, quorum magna eſt potentia.
A bonis enim viris bona diſces: ſi autem cum malis
 Conſortium inieris, perdes etiam, quam habebas, *bonam* mentem.

Plures autem praeter hunc noſtrum illo dicti ſunt: ut, qui de ſacrificiis in Rhodo libros ſcripſiſſe aliquot fertur; dux quidam Athenienſium, cuius meminit Polyaenus Stratag. V. c. 28. τραγῳδοποιητής ille, qui ob frigiditatem et ineptias poematum χιών, nix, appellatus, teſte Suida in Θέογνις, (vide et Gyraldi hiſt. poet. fol. 274. et Eraſm. in prov. *Hoc noverim, antequam Theognis natus eſt:*) unus item e ſectatoribus Arii apud Socratem, hiſt. Eccleſ. I. 8. et alii forſan.

SEBERVS.

Decem priores verſus carminibus Theognideis praefiximus, morem ut ſequeremur editionum, quae hucusque pre-

prodierunt. Incertos fatemur nos eſſe, an recte ſatis huic poemati praemittantur verſus, qui carminis in laudem Apollinis compoſiti, magis quam paraenetici initium effeciſſe videntur. Apollinem πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἔν τε μέσσοισι ſe cantaturum promittit Poeta; utramque igitur paginam in hoc carmine complebunt huius dei laudes. A nativitate numinis incipit: Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε κ. τ. λ. ſed ex improviſo Apollinem deſerit, neque in omnibus, quae superſunt, Theognideis, ſolos ſi exceperis verſ. 757. 771. et 1115. quidquam invenias, quod in laudem ſolius Apollinis dictum crederem. Qui ſequuntur quatuor verſus Dianam ſpectant, quam, ut mala avertat fata, precatur Poeta. Iam v. 15. *Muſae*, inquit, *et Charites, quae, Cadmi ad nuptias quondam profectae, pulchrum cecinistis carmen.* Πρότασιν hic habes, ſed deeſt ἀπόδοσις, qua illarum in pangendo carmine auxilium Poeta imploret, quamque ſi per ἀνανταπόδοτον deeſſe dixeris, neſcio an cum dicendi genere ſimplici, quo utitur Theognis, convenire queat. Haec ſunt, quae integritatem horum στίχων ſuſpectam nobis reddiderunt: quod ſi Theognidi, aut alii Megarenſium ſcriptori, hos verſus abiudicandos eſſe, aut fide MSS. codicum, aut aliis idoneis probatum fuerit argumentis, quam de Megarenſi templo ad v. 12. fecimus coniecturam, eam merito reiiciendam putamus.

Kal.

Ὦ ἄνα] Ἀνάκτων et Ἀνασσῶν titulo inſignita fuiſſe deorum dearumque numina, obſervarunt Spanhem. ad Callim., p. 4. 34. 96. Brouckhuſius et Vulpius ad Propert. l. IV. eleg. V. 63. Barthius in adverſar. l. XX. c. 21. aliique plures. Divinitatis notionem cum voce ἄνακτος coniunctam eſſe, Euſtathius docet ad Il. A. 7. Notari etiam merentur quae de hac voce ad Euripid. Hippol. v. 88. commentatus eſt antiquus Scholiaſtes, qui diis hanc appellationem in primis competere, καταχρηστικῶς vero τοὺς δεσπότας, εἰς δευτέρους σωτῆρας, ἀνάκτων titulo ornari, e loco demonſtrat Homerico

Il. Z.

Il. ζ. 402., cui ſimilis eſt alius eiusdem poetae Il. χ. 506. 507. (Vide, quae de ultimo Homeri loco diſſeruit Plato in Cratylo p. 270. edit. Francof. 1602.) Apollinem, ſolo illo ἄνακτος nomine ſaepe deſignari, allatis ex Homero, Sophocle, et Callimacho exemplis, probat Spanhem. ad Iulian. Caeſar. p. 356. et ad Callim. hymn. in Apoll. v. 79. Poetae autem, qui ab invocatione deorum ſua carmina exordiuntur, *imitatus* Theognis, Apollinis implorat auxilium, a quo etiam deo fauſtum carminibus ſucceſſum precantur Orpheus argon. v. 1. ſq. Apoll. Rhod. argon. l. 1, Oppian. de venat. l. 9. etc. Cur Apollinem prae caeteris diis carminis *ſui* patronum elegerit Theognis, peculiaris, praeter indicatam a Camerario, afferri poteſt cauſa, quod nempe hunc praeſertim deum ſibi propitium experti fuerint Megarenſes. Narrat enim Pauſanias in Attic. c. 42. famam apud Megarenſes Atticos fuiſſe, Apollinem Alcathoo, cum moenibus urbem cingeret, ſuam commodaſſe operam. (*Datur, inquit Livius, haec venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis primordia urbium auguſtiora faciat.*) Plura de hac Pauſaniae relatione dicam, ubi ad verſ. poetae noſtri 771. perventum fuerit. Id.

ἔκποτε τεῖο] Plato: ἀπὸ θεῶν χρὴ πάντα ἀρχόμενον ἀεὶ λέγειν τε καὶ νοεῖν, Epiſt. 8. non longe ab initio, vid. et Timaeum p. 1046. Cicero de legibus II. c. 3. A diis immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. Sed cur a diis, non a deo? Confer e ſacris Ioh. IV, 22. 1 Cor. VIII, 6. et Pſalm. XCVI, 5. Quin Plato etiam τῆς σπουδαίας ἐπιστολῆς, inquit, θεὸς ἄρχει, θεοὶ δὲ τῆς ἧττον, Epiſt. 13. fin. vid. et de Legib. l. IV. p. 831. Item Theocr. Idyll. XVII. 1. Homer. hymn. in Apoll. 1. Sebervs.

2. ἀρχομ. καὶ ἀποπαυόμ.] ἄρχεσθαι et λήγειν ſimili modo coniungunt alii. Hom. Il. I. 97. Ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι: (de ὑστερολογίᾳ, quam commiſit Homerus, vid. Euſtath.

ſtath. in h. l.) Heſiod. Θεογ. 48. Αρχόμεναι δ' ὑμνεῦσι θεαὶ, λη-γοῦσαι τ' ἀοιδῆς. Theocr. Idyll. XVII. 1. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε, Μοῖσαι. Pro ἀποπαυόμ. alii libri, teſte H. Stephano, ἀναπαυόμενος reponunt, eodem tamen manente ſenſu. KALI.

3. πρῶτ. τε καὶ ὕστατ. ἐν τε μεσ.] Theocr. Idyll. XVII. 3. Ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω, Καὶ πύματος, καὶ μέσσος. Homer. h. XIX. 3. σὲ δ' ἀοιδὸς - - - πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδει. Heſiod. Θεογ. 34. Σφᾶς δ' αὐτὰς πρῶτόν τε καὶ ὕστερον αἰὲν ἀείδειν. IDEM.

6. Φοινικος] Vide Homer. Odyſſ. ζ. 163. Cicer. de legib. I. 1. Callim. in Del. 210. Ovid. Metam. VI. 336. adiungit *oleam*. Vid. et Strabo l. XIV. p. 440. (edit. Caſaub.) Plutarchus inter duos fontes Latonam ait peperiſſe, quorum uni palmae, alteri olivae nomen fuerit. Vit. Pelopid. p. 208. (Edit. Baſil. 1560.) SEBER'VS.

Φοινικος ῥαδινης.] Si hic ῥαδινῆς legas, ad genit. Φοινικος pertinebit; quam vocem foeminino genere efferri nusquam video: quare cenſeo mutandam poſtremam huius epitheti ſyllabam, ut dativo χερσὶ conveniat, quod frequens videas apud Poetas, quomodo etiam infra v. 996. Peperit ergo palmae arbori innixa prope flumen Inopum Apollinem Latona in Delo inſula. Homer. in h. in Apoll. VINETVS.

Quidam legunt Φοίνικος ῥαδινῆς, inſolentius. Noſtram lectionem ῥαδινῇς χερσὶ confirmat v. 996. SYLBVRG.

Φοίνικος] Apollines quatuor recenſet Cicero de nat. Deor. l. III. c. 23. (ſex Clem. Alex. cohort. ad gent. p. 24. edit. Potter.) quorum qui Iovis et Latonae filius habebatur, poetarum carminibus maxime fuit decantatus. De incunabulis huius dei varii varia tradiderunt. Plures ſcriptorum ſenten-

ſententias recenſet, (ut mythologicos ſcriptores taceam,) D' Orvillius, in praeclara de rebus Deliacis exercitatione, Obſervat. Miſcell. in var. auct. Vol. VII. tom. I. ſuppreſſo auctoris nomine inſerta. Sed ſi vel maxime unus aut alter contraria ſenſerit, a longe plurimis tamen agnita fuit Delus vera Apollinis patria. Minori huic inter Cyclades inſulae gloriam nati in ea Apollinis vindicant Homerus, Poeta noſter, *Callimachus*, Ovidius, plurimique alii. Quod ſi veterum de partu Latonae Deliaco narrationes inter ſe contuleris, in variis πιρισασιν eas differre deprehendes, de quo illorum diſſenſu alia occaſione diſſerere nobis eſt propoſitum. Iam de arbore, ad quam in Delo Apollinem enixa eſt Latona, diverſas veterum enarrandi rationes indicabimus. Palmam a Latona, partus doloribus oppreſſa, fuiſſe apprehenſam, praeter Theognidem tradit Homerus hymn. in Apoll. v. 117. Ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισε λειμῶνι μαλακῷ. Arborem autem amplexa eſt iuxta parturientium morem, quae proxima quaeque arripere, atque ita partus dolores levare ſolent. Hoc enim modo rem explicat antiquus Apollon. Rhod. Scholiaſtes, ad Argon. I. 1131. ubi Anchiala Idaeos Dactylos paritura terram utraque manu apprehendiſſe dicitur: ἔθος, inquit, ἐςὶ ταῖς κυούσαις τῶν παρακειμένων λαμβάνεσθαι, καὶ ἀποκουφίζειν ἑαυτὰς τῶν ἀλγηδόνων, ὡς καὶ Λητὼ ἐλάβετο τοῦ φοίνικος. Male Neander not. ad h. l. *Caeterum Apollonii Rhodii interpres ſcribit, ideo tangi palmam a parturientibus, quod partus dolores levare credatur.* Virum doctum ſequuntur Iuſt. et Fiſcher. Sed nullam, credo, Apollonii enarratorem palmae arbori tribuere medicam virtutem: Neandri tamen opinioni aliquo fortaſſe modo favere videbitur Aeliani de partu Latonae narratio, var. hiſt. I. V. c. 4. In palmae truncum Latonam ſe reclinaſſe vult Callimachus, hymn. in Del. v. 209. vid. quae ad h. l. attulit criticorum maximus, Ezech. Spanhemius. Duas, inquit Ovidius metam. VI. 635. a pariente deas retentas fuiſſe ſtirpes; quaenam hae fuerint, alio declarat loco, Metam. VI. 335.

Illic incumbens cum Palladis arbore palmae
Edidit invita geminos Latona noverca.

Ovidianae narrationi favet Deliorum apud Aelianum var. hiſt. l. V. c. 4. teſtimonium: Ὅτι ἀναθῆλαι λόγος ἐςὶ Δηλιακὸς φυτὰ ἐν Δήλῳ, ἐλαίαν καὶ φοίνικα, ὧν ἁψαμένην τὴν Λητὼ εὐθὺς ἀποκυῆσαι, τέως ὐ δυναμένην τῦτο δρᾶσαι. Prodigio quodam tunc primum in Delo enatae a multis credebantur hae arbores, eandemque ob cauſam φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον dixit Homerus Od. ζ. 163. φοίνικα πρωτόγονον Euripid. Hecub. 465. vid. Euſtath. ad Homeri l. c. Palmam, laurum, et oleam, Latonae vicinas dedit Eurip. Iphig. in Taur. 1099. ſed adfuiſſe oleam alii negarunt, (ἐλαία γὰρ, inquit Euſtath. l. c. φασὶν, οὐκ ἦν,) et ad horum quoque opinionem ſe accommodaſſe videtur idem Tragicus in Hecub. 465. 466. et Ione v. 905. 906. ubi palma et laurus ſolae memorantur. De citatis ex Iphig. in Taur. et Ione poetae locis, tanquam in tranſitu, monere mihi liceat, pro φοίνικα ἁβροκόμαν forte meliori iure, facilique emendatione, φοίνικα ἀκροκόμαν ſubſtitui poſſe. Prius illud ἁβροκόμης de Baccho ſaepius praedicatur, de arboribus autem, et nominatim de palma, uſurpari nunquam memini. E contrario ἀκροκόμης et ἀκρόκομος de arboribus ſaepius dici ſolent: Δρυὸς ἢ ἐλάτας ἀκροκόμοις ἀμφὶ κλάδοις canit idem Eurip. Phoen. 1517. Palmae autem, cui, ut inquit Plinius l. XIII. 7. omnis coma eſt in cacumine, quamque ἀκρόκαρπον, ἀκρόφυλλον, καὶ ἀκρόβλαςον dixit Theophraſtus, hiſt. plant. l. I. c. 24. ullumnĕ aptius tribui poſſet epitheton? Dionyſ. Perieg. v. 1010. - - ἔνθά τε πολλαὶ Ἀκρόκομοι φοίνικες ἐπηρεφέες πεφύασι, vid. Euſtath. ad h. l. Fragm. Orphicum apud Plutarch. Sympoſ. VIII. 4. p. 723. e.

- - - - ζῶον δ' ἴσον ἀκροκόμοισι
φοινίκων ἔρνεσιν, - - - -

Menda laborare haec Orphei verba, credidit Vir de literatura Graeca pariter ac orientali immortaliter meritus, I. I. Reiske,

ke, qui Animadv. in graec. auct. Vol. II. p. 455. ἴσον ἁβρο-κόμοισι, aut, quod mavult, ἴσον μακροκόμοισι, legere iubet. At quod pace Exc. Viri dictum volo, nullam hic video rationem, cur a communi recedentes legendi ratione, vocem extrudamus, quae de palma arbore optime praedicatur. Sed mittimus Euripidem, et ad Latoniam redimus arborem. Quos hucusque excitavimus, antiquiſſimi ſcriptores, in eo conſentiunt omnes, palmam aut ſolam, aut aliis cum arboribus coniunctam, partui Latonae vicinam fuiſſe; negligendam igitur cenſeo auctoritatem vel Hygini, ſolam in fab. LIII. et CXL. commemorantis oleam; vel Servii, quem labens forte memoria decepit, cum not. ad Aeneid. III. 92. *Latonam duas laurus amplexam, Dianam et Apollinem enixam fuiſſe*, traderet. Per multa deinde ſecula ſempiterna manſit haec nativitate Apollinis inclyta palma. Ulyſſes hanc Deli vidit, Odyſſ. ζ. 163. ſq. eandemque ſuo aevo monſtrari teſtatur Cicero l. de legib. I. 1. Meminerunt etiam huius tanquam adhuc ſuperſtitis Theophraſt. hiſt. plant. l. IV. c. XIV. Plinius l. XVI. §. 89. Pauſanias l. VIII. c. 23. et 48. KALL.

Φοίνικος ῥαδινῆς χερσ. ἔψαυσ.] Diverſis modis hunc locum tentarunt interpretes. Alii ῥαδινῆς legunt, et ad Φοίνικος referri putant. Sed obſtat, quod dudum monuerunt Vinetus et Sylburgius, vocem Φοίνικος foeminino genere vix unquam efferri. Quare praeferendam credidi alteram illorum ſententiam, qui, iota vocali η ſubſcribentes, dativum plur. Ion. ῥαδινῇς cum χερσὶ coniungunt. Poetis ῥαδινὰ ſaepius dicuntur membra hominum, inprimis tenera. De oculis Aeſchyl. Prometh. 400. ἀπ' ὄσσων ῥαδινῶν, Scholiaſt. ἁπαλῶν, παρθενικῶν; μηροὺς ῥαδινοὺς dixit Anacreon ap. Schol. Pindari Olymp. VII. στροφ. I. 5. Ῥαδινὸς τράχηλος, epigr. ap. Suidam v. ῥαδινός. Στόμα ῥαδινὸν Niciae epigr. ap. eundem l. c. (in editae Antholog. l. III. c. 24. ubi integrum adeſt, legitur ἀπὸ ῥαδινῶν φθόγγον ἵει στομάτων, ſed male.) Ῥαδινοὺς πό-

 δας

δον Veneri tribuit Heſiod. Θεογ. 195. De manibus denique uſurpant Theocr. Idyll. XVII. 37. Τᾶς μὲν Κύπρον ἔχοισα Διώνας πότνια κούρα κόλπον ἐς εὐώδη ῥαδινὰς ἐσεμάξατο χεῖρας. Apoll. Rhod. Argon. III. 106. - - τὴν δ' Ἥρη ῥαδινῆς ἐπεμάσσατο χειρὸς, cf. etiam Schol. ad h. l. Sed quid aliunde huius vocis repetam exempla, cum proprium ipſe ſuppeditet Theognis, qui v. 996. obſervante etiam Sylburgio, ῥαδινὰς χεῖρας, ſenſu tamen paulum diverſo, vocavit manus Lacaenae puellae.. Hoc unicum praetermittere nolo, Suidam voc. ῥαδινὴ per ἀσθενὴς, λεπτὴ, explicare; quam optime loco Poetae noſtri haec conveniant, dictu haud eſt opus. Allatae interpretationi varia oppoſuit C. Barthius; verum adductis ſcriptorum locis facile ea refelluntur, neque vel minimum aſſenſum meretur temeraria illius emendatio, qua pro ῥαδινῆς ῥαδανῆς ſubſtituendum cenſet. Codex Palat. 2. τρυφερῆς reponit, ſed e ſcholiis in textum hanc vocem irrepſiſſe ſuſpicor; ſimile gloſſema invenias apud enarratorem Apoll. Rhodii l. cit.

KA'L L.

Ἐπὶ τροχοειδεῖ λίμνῃ] Interpretes: *in rotunda palude*; attamen lacum melius quam paludem verti, loca ſuadent Callimachi hymn. in Del. 261. et Herodoti l. II. §. 170; uterque enim, cum de λίμνῃ Deliaca ſermonem faciant, lacum, non paludem intellexiſſe, videntur. Huius Deliaci lacus meminerunt ſcriptores diverſi. Euripidem taceo, cuius ex Ione et Iphigen. in Taur. duo teſtimonia protulit Spanhemius in not. ad Callim. p. 480. Iam illuſtrioribus tantummodo inhaerebimus auctorum locis, de geographico lacus ſitu breviter diſputaturi. Apud τροχοειδεῖ λίμνῃ Latona peperiſſe creditur; quam autem λίμνην τροχοειδέα cognominant Theognis et Herodotus l. cit. eandem τροχόεσσαν Callimachus appellavit. Verum cum tantis, quantis vix ulla alia Archipelagi inſula, calamitatibus ſubiecta fuerit Delus, veſtigia illius λίμνης hodie fruſtra quaeri unusquisque facile patet. Sed, quod mireris, lacum deteriſſe ſibi viſi

ſunt

ſunt peregrinatores egregii, qui magna cum litterarum utilitate Archipelagum perluſtrarunt, Georg. Whelerus, et Iac. Sponius. Aſſenſum detectioni illorum praebuit, ut alios taceam, eximius ille Herodoti commentator, quo diutius frui noſtro aevo inviderunt fata, Petr. Weſſelingius, in not. ad Herod. l. c. Sed a Sponio tamen et Whelero diſceſſit Celeb. Pitton de Tournefort, qui in libro cui tit. Relation *d'un Voyage* du Levant fait par ordre du Roy Tom. I. p. 112. ſq. acriter illorum ſententiam impugnat, alioque in loco, quem in tabula geograph. numero 2. diſtinxit, hunc locum ſe reperiſſe credidit. De Apollinis, praeſidis Muſarum, cunabulis, hic diſputant viri docti; digna igitur eſt controverſia, cui pauculas aliquot impendam paginas. Allatis, quae illi praeterierunt, meliorum ſcriptorum teſtimoniis, controverſiae nondum ſatis explicatae lucem affundere tentabimus. Ut autem meliori cum ſucceſſu haec fieri queant, ab ipſius dei nativitate narrationem incipere oportet. Quae noſtra aetate Principum et nobiliorum progeniei eſt praeſtantia, quod ſibi coggenitas habeant artes, nec apud eos ſeris veniat uſus ab annis, ea quoque olim credita fuit deorum ſoboli interdum adeſſe felicitas. Diana, quamprimum partu edita fuerat, ſua ſtatim ſtudia haud eſt ementita. Narrat Callimachus, obſtetricis munus eam ſuſcepiſſe, matrique, gemellum pariturae, fratrem Apollinem, auxiliatrices adhibuiſſe manus. Inde venatrix aſſidua feris perſequendis occupabatur. Quas cepiſſet dea capreas, illarum capita fratello Apollini attulit; cornua ille abſcidit, et ex iis aram ſine glutine, aut alio vinculo, quadrimus adhuc artifex compegit. (Videantur, quae protulit doctiſſ. Spanhem. not. ad Callim. p. 83. 84.) Apollini hoc opus adeo egregie ſucceſſit, ut inter ſeptem orbis miracula locum ara obtinuerit, maximaque cum laude a plurimis ſcriptoribus fuerit celebrata. Notari inprimis meretur locus, in quo ab Apolline erigebatur βωμὸς ille κεράτινος. Callimachus hymn. in Apoll. v. 56. ſqq.

. . . . Φοῖβος γὰρ ἀεὶ πολίεσσι φιληδεῖ
Κτιζομέναις, αὐτὸς δὲ θεμείλια Φοῖβος ὑφαίνει
Τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε
Καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ περιήγεος ἔγγυθι λίμνης
Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.
Ὧδ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἐγείρειν.

Prima ergo Deliacae urbis fundamenta *apud rotundum lacum* poſuit Apollo, cum corneam ibi aram erigeret. Qui hanc Callimachi de ara περιήγεος ἔγγυθι λίμνης, (τροχόεσσαν eandem dixit hymn. in Del. v. 261.) ab Apolline conſtructa, narrationem legerit, ei facile perſuadebitur, λίμνην Poetae περιήγεα eandem eſſe, quae τροχοειδὴς Theognidis, Apollinemque fortaſſe egregio hoc opere ſplendorem et venerationem loco ſuo natali addere voluiſſe. Neque omni deinde cura deſtituta fuit cornea ara: nam aediculam ei ſuperſtruxiſſe videtur Apollo, parietesque vel corneos addidiſſe, vel, quod praefert Spanhemius, affixis cornibus ornaſſe. Maxima procul dubio ſequenti tempore fuit arae ab ipſo deo fabricatae ſanctitas et religio, eamque ob cauſam omnibus forte modis hoc artis Apollineae monumentum auxit et ornavit poſterorum pietas. Quid, ſi huic exornandi ſtudio magnificum Apollinis templum originem ſuam debere ſtatuerimus? Ne mera nos ludere coniectura aliquis forte dicat, Plutarchi dabimus locum, quo corneam aram in templo Apollinis ſe Deli vidiſſe tradit. Sic autem in libro de ſolertia animalium p. 983. (edit. Francof. 1620.) ſcribit Hiſtoricus ille Chaeronenſis: Ἐμοὶ δὲ πολλάκις ἰδόντι καὶ θίγοντι, παρίσταται λέγειν καὶ ᾄδειν, Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ ναῷ, τὸν κεράτινον βωμὸν εἶδον ἐν τοῖς ἑπτὰ καλουμένοις θεάμασιν ὑμνού-

μενον,

μένον, ὅτι μήτε κόλλης δεόμενος, μήτε τινὸς ἄλλου δεσμοῦ, διὰ μόνων τῶν δεξιῶν συμπέπηγε καὶ συνήρμοσαι κεράτων. Homeri locum, Odyſſ. ζ. 163. reſpexit Plutarchus; atque hinc ſuſpicio mihi exoritur, corneam forte fuiſſe aram, apud quam palmam vidit Ulyſſes. Palmam autem Homeri eandem fuiſſe, quam pariens *Latona* apprehendit, teſtimonio Ciceronis de legib. l. 1. (coll. cum locis cit. Plinii et Theophraſti,) nec non *Euſtathii et Schol.* brevium ad hunc Hom. locum auctoritate *abunde* confirmatur. Quod ſi hanc noſtram de primordiis templi Apollinei coniecturam admiſeris, tunc demum cum aliorum de Apolline, prope rotundum lacum genito, narrationibus conciliari optime poterunt, quae ex Deliorum fide tradidit Cicero Action. II. in Verrem. l. II. c. 17. *Eſt,* inquit *tanta apud eos eius fani* (magnum intelligit et celeberrimum a Verre ſpoliatum Apollinis templum,) *religio et antiquitas, ut in eo loco ipſum Apollinem natum eſſe arbitrentur.* Maximam ſemper credidi huic incolarum opinioni ineſſe auctoritatem, eamque praecipue ſequi debere, qui cunabula *Apollinis in* Delo inveſtigare cupiant. Quare, ſi quaedam ſupereſſent lacus Deliaci veſtigia, vel inter rudera, vel ſaltem in vicinia templi, quaeri, me iudice, ea deberent. Diſplicuit igitur Tournefortii ſententia, qui parvum aliquem lacum, et in quadam inſulae lingua poſitum, λίμνην veterum τροχοειδέα fuiſſe venditat. Adverſantur Tournefortio inprimis haec duo: alterum, quod longiſſime a templo Apollinis et urbe Deliorum remotus ſit ille lacus, nam ſi Celeb. Viri fidem ſequi velimus, nulla Deliorum apud Ciceronem narrationis ratio haberi poſſit; alterum, quod neglectum, et omnibus monumentis deſtitutum fuerit parvum et ignobile illud ſtagnum, neque tamen poſteritati tanta incuria eſt tribuenda, ut incultum prorſus et inornatum reliquiſſe natalem Apollinis locum credibile ſit. Sponii potius et Wheleri ſententiae ſubſcribentes, per λίμνην Callimachi τροχόεσσαν, lacum quendam intelligi credimus, quem prope ruinas templi Apollinei ſitum, in itinerariis ſuis deſcribunt Sponius Tom. I.

 p. 179.

p. 179. (edit. Lugd. 1678.) Ge. Whelerus Tom. I. p. 89. (edit. Amſtel. 1689.) et Tournefortius l. c. p. 113. Pluribus argumentis confirmari poteſt Sponii Whelerique ſententia, maxime tamen eam commendant templi Deliaci vicinia, lacusque cum alio, apud templum Minervae Saiticum exſtante, notabilis ſimilitudo. Nempe inter lacum Saiticum et λιμνην Deli τροχοειδεα comparationem inſtituit Herodotus L. II. c. 170. Λίμνη τέ ἐςὶν, inquit, ἐχομένη, λιθίνῃ κρηπῖδι κεκοσμημένη, καὶ εὖ ἐργασμένη ἐν κύκλῳ, καὶ μέγεθος (ὡς ἐμοὶ ἐδόκεε) ὅσηπερ ἡ ἐν Δήλῳ, ἡ Τροχοειδὴς καλεομένη. Magnam hanc lacuum etiam in ornamentis ſimilitudinem, ne cauſae ſuae noceret, timuit Tournefortius; quare, ut omne quod adverſariorum ſententiae e loco Herodoti accedere poſſet robur enervare[illegible]gnitudinem et figuram potius, quam ornamenta hiſt[illegible] reſpexiſſe, affirmat. Sed, licet Tournefortio hoc conceſſerim, lacus Deliaci mentionem ideo feciſſe Herodotum, ut de magnitudine vel figura alterius Saitici iudicare lector poſſet; maxime nihilominus Sponio favere videntur Hiſtorici ver[illegible] Qui Herodoti ſcripta perlegerunt, iis multa ab ipſo ſuſc[illegible]a itinera ignota eſſe nequeunt. Delum quoque perluſtravit: nam, ut alia taceam, verba, quae per parentheſin addit, ὡς ἐμοι ἐδόκεε, teſtem αὐτόπτην omnino arguunt. Hiſtoricum autem latuiſſe vix credo illum Sponii lacum, partim quod templo Apollinis, maxime ſcilicet et viſu digniſſimo Deli monumento, adeo vicinus fuerit; partim quod haud incelebrem eum fuiſſe, ornamentorum, quae ſuperſunt, veſtigia demonſtrant. Tournefortium igitur ſi ſequare, quam, quaeſo, adduces rationem, cur inter ſexcentos, quos vidit, lacus, ignobile quoddam elegerit ſtagnum, quod cum Saitico lacu comparare poſſet. Eandem fortaſſe dices fuiſſe amborum lacuum magnitudinem, et figuram. Sed unde haec noſti? E contrario Sponii ſententiam ſi amplectaris, lapideam crepidinem, qua cinctus fuit uterque lacus, Herodoto, de Saitico ſcribenti, Deliacum alterum per idearum aliquam conſociationem in memoriam revocaſſe, magna cum veri

veri ſpecie dixeris. Uniuscuiusque lectoris iudicio cauſam relinquimus. Perlegat aliquis Herodoti verba, lacum deinde audiat in Delo exſtitiſſe, λιθίνη κρηπῖδι circumdatum; aut graviter erro, aut veram hanc eſſe Herodoti τροχοειδέα λίμνην, perſuaſiſſimum ipſi erit. Sed reticeri haud debent, quae Sponio obiecit Tournefortius; *Il n' eſt pas croyable*, inquit egregius peregrinator, *que ce marais* (τροχοειδὴς λίμνη) *ſoit le baſſin ovale, ou l' on repréſentoit les combats de mer, parceque il n' y a aucune apparence, qu' on eut donné le nom de marais ou de lac à un baſſin fait de main d' homme, très bien cimenté, et que l' on rempliſſoit, comme nous le ferons voir, de l' eau de la mer, lorsqu' on vouloit repréſenter des batailles navales.* Artificii hominum veſtigia in hoc lacu deprehenduntur, ergo λίμνη vocari nequit. Si vera haec eſſent, Herodoto potius, quam Sponio, obiici illa debent. Lacum Saiticum, ab hominibus quam maxime elaboratum, λίμνην ille appellavit, cur igitur Deliaco hoc nomen denegemus? Neque obſtat, quod naumachiis deſtinatum videatur opus. Theſeum legimus, cum e Creta redux Delum adpuliſſet, ſacra ibi Apollini feciſſe, et una cum comitibus circa corneam aram ſaltaſſe. Ludos quoque ille inſtituit, victoribusque primus palmas dediſſe fertur; vid. Io. Meurſii Theſeum c. 15. et Petr. Caſtellanum de feſtis Graecorum in v. Δήλια. Inſtituta Theſei recolebant quotannis Athenienſes, aliique Graeciae populi: mittebantur nimirum Θεωρίαι, ſeu ſacrae et ſolemnes legationes, quae rem divinam in Delo facerent; ludi etiam, vel ſingulis annis, vel, quod mavult Spanhem. ad Call. p. 317. quinto quovis anno repetebantur. Hac occaſione naumachiis forte adaptatus fuit Sponianus ille lacus, neque qui ludos noverit, quanta cum religione a veteribus fuerint celebrati, lacum hoc inſtituto profanari credat. Sed metam huic excurſui ponimus, pauca adhuc de aliorum circa h. l. conatibus addituri. Citato ſaepius Herodoti loco adductus, vocem τροχοειδὴς proprium lacus nomen eſſe credidit Abr. Ortelius, eandemque

opinionem ſovit innominatus Caſp. Barthii adverſarius, quem indignis modis in Adverſar. l. XV. c. 4. lacerat, ineptique hominis titulo ideo exornat, quod graecum Τροχοειδὴς a latino interprete melius retineri fuerit arbitratus. Irae ſuae nimium in hac controverſia indulſit optimus Barthius, neque, quam ipſe dedit, huius loci verſio, *Curvam pone paludem*, accurata ullo modo haberi poteſt; videantur quae ad Callim. monuit Spanhemius p. 480. Sed, etiamſi Barthius haud male, ut mea fert opinio, egerit, quod τὸ τροχοειδὴς latine verterit; loco tamen Herodoteo perſuadeor, non ex arbitrio poetae impoſitum, ſed communiter a vulgo receptum fuiſſe hoc ἐπίθετον, hinc nec alterum peccare, qui graecam vocem in latina verſione retinuerit. Poetam noſtrum emendare, ſed hoc in loco infeliciter, tentavit Io. Meurſius in not. ad Lycophr. Caſſandr. 702. Pro τροχοειδέϊ βροχοειδέϊ legere mavult Vir doctiſſimus. Novum hoc, et, quantum ſcio, nulli alii ſcriptori commemoratum ἐπίθετον, quomodo, τῇ λίμνῃ tribuatur, haud ſatis perſpicio. Si vocis etymologiam et compoſitionis formam ſpectaveris, (quae unica eſt τῶν ἀδεςπότων ſignificatum eruendi via,) aliquid laqueiforme indicare, nec tamen rotunditatis notionem involuere, videbitur. Verum idem, iudice Meurſio, eſſet τὰ βροχοειδὲς, quod Lycophronis ἀμφιτόρνωτον βρόχον. Kall.

8. Δῆλος] Plutarch. in vita Pelop. Delum montem facit. Alii volunt Latonam Epheſi peperiſſe. Tacit. Annal. III. c. 61. Seberus.

Δῆλος ἀπειρεσίη] Quanquam bene novi, Poetas in eligendis epithetis multa uti licentia: Theognidem tamen Delum, νησίδιον illud, ob magnitudinem laudaſſe, difficulter mihi perſuadetur. Vocem ἀπειρέσιος, pariter ac Graecorum μέγας, Latinorum *magnus*, *inclytum*, *celebrem*, interdum denotaſſe ſuſpicor; nulla tamen veteris ſcriptoris auctoritate, hunc Lexicographis ignotum vocis ſignificatum confirmare

mare poſſum. Aliis forte placebit τὸ Δῆλος ἀπειρεσίη *Delus rotunda* vertere. Rotundum τὸ ἄπειρον interdum denotare Euſtathius animadvertit ad Il. η. 447. Ἀπείριτος etiam eodem venire ſenſu, ex analogia collegit H. Stephanus in Theſauro, et aptum, ni fallor, ex Dionyſ. Perieg. v. 458. addere potuiſſet exemplum. Sed forte vis huius verbi non urgenda. Odoris latiſſime ſparſi vim exprimere volebat, eum itaque per totam inſulam, quamvis magnam, ſi ad odoris naturam reſpicias, fuſum eſſe ait. Ultimum adhuc ſupereſt remedium, critica huius loci emendatio; pro ἀπειρεσίη genit. ἀπειρεσίης ſubſtitue, atque ita omnis fere loci difficultas evaneſcet. Kall.

9. Ὀδμῆς ἀμβροσίης] Euſtath. ad Il. δ. 3. ὥσπερ καὶ τὰ θείας εἶναί τινας λέξεις, τὸ νέκταρ καὶ τὴν ἀμβροσίην· διὸ καὶ πολλὰ τῶν καλῶν σωμάτων τε, καὶ πραγμάτων, ἐκεῖθεν παρωνομοῦνται. Ὀδμὴ ἀμβροσίη de ſuavi odore, quem Bacchi praeſentia excitavit, Homerus utitur hymn. VI. 36. Scilicet odorata ſua numina fingunt Poetae. Venerem bene olentem deſcribit Virgil. Aeneid. I. 407. Apollinem Callimach. hymn. in eund. 38. ſq. alii alios. Inſignis eſt Euripidis locus in fabula Hippol. v. 1391. moribundus enim Hippolytus e ſolo deam comitante divino odore Dianam adeſſe colligit:

Ἔα· ὦ θεῖον ὀδμῆς πνεῦμα· καὶ γὰρ ἐν κακοῖς
Ὢν, ᾐσθόμην σου, κἀνεκουφίσθην δέμας
Ἔσ' ἐν δόμοισι τοῖσδε γ' Ἄρτεμις θεά.

Idem.

ἐγέλασε] Scripſimus hic ἐγέλασσε, per duplex σσ, ut penultima brevis producatur. Vinet. Res inanimatae, terra praeſertim ac mare, γελᾷν apud Poetas ſaepiſſime dicuntur. Metaphoricum vocis uſum optime illuſtrat Euſtath. ad Il. α. 596. et τ. 267. Αἰθέρα γελάσασαν dixit Syneſius hymn. IX. 25. γέλασσε δὲ γαῖα καὶ αἰθήρ, Coint. Smyrn. VI. 3. πόλεις

 ἱλα-

ἱλαράς τε καὶ γελῶσας, Anacr. od. 49. 6. τὸ πέταλον τῷ ζεφύρῳ γελᾷ, Sappho ap. Achill. Tat. II. p. 64. λειμῶνες γελῶσιν, Anthol. epigr. lib. I. c. 91. Verum res ſatis nota. K.

γαῖαν πελώρην] Πέλωρος et πελώριος id. quod μέγας, δεινὸς, ὑπερφυὴς; per apoc. πέλωρ, ut πέλωρ τέκος Apoll. Rh. Arg. II. 39. κύκλωψ πέλωρ, Odyſſ. I. v. 428. ubi vid. Euſtath. Alias πέλωρ, et πέλωρον monſtrum, Apoll. Rh. IV. 1440. Iliad. ε. 741. vide Rittershuſ. ad Oppian. Cyneg. IV. 209.

Seber.

10. γήθησεν] Apud Homer. hymn. in Apoll. 137. γηθοσύνη Delus dicitur, ὅτι μὶν θεὸς (Apollo, non Latona, ut alii volunt,) εἵλετο οἰκία θέσθαι. Subſtant. γηθοσύνην mari etiam tribuit Il. N. 29. Πόντον ἁλὸς πολυῆς apud eundem invenias Il. Φ. 59. Quid per πόντον ἁλὸς indicetur, Euſtath. explicat loc. cit. Cur mare πολιὸν vocetur, diverſas Grammaticorum opiniones recenſet idem Scholiaſt. Il. ξ. 185. et τ. 267.

Kall.

11. Ἄρτεμι] Quomodo Iphigeniam filiam Agamemnon ſacrificarit Dianae in Aulide, ad Troiam profecturus, vide apud Servium ad Virg. Aen. II. 116. *Sanguine placaſtis ventos* etc. et Ovid. Metam. libr. XII. Lege etiam de ea re Euripidis Tragoediam, cui titulus Iphigenia in Aulide.

Vinetus.

12. Εἵσαθ'] Quidam legunt ἥσαθ', augmento Attico, ut in ἥκαζον, ἤδειν, et ſimilibus. Heſychius certe et ipſe ἥσατο pro ἱδρύσατο agnoſcit. Ionicus accentus eſt, εἵσαθ', ut in fragm. Antimachi βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος: ſicut etiam εἶδος pro ἔδος. Sylburg. Pro εἵσαθ' vel εἵσατο, dial. Ionica quidam leg. ἥσατο Attice. Exponitur ἀνέθηκε a Suida, apud quem diverſa eſt ab hac conſtructio, qualis et in Antim. fragm. et alibi paſſim: huic autem ſimilis Antholog. epigr. I. 20. 12. Ovidius Metam. VII. 240. *ſtatuitque aras e ceſpite binas.*

Seber.

Triplex

Triplex eſt huius loci lectio; ſed nulla earum ſenſum mutabit. Quamcunque ſecutus fueris legendi rationem, vertendum tamen erit: *cuius ſtatuam collocavit Agamemnon.* Ἕζομαι, aeque ac ἱδρύομαι, ſolemne eſt Graecorum verbum, quod de ſtatuarum aliarumque rerum dedicatarum collocatione adhibere ſolent. Mirum fortaſſe quibusdam videbitur, Theognidem, Dianam, ipſam ſcilicet deam alloqui; pronomen autem, quod ſequitur, relativum ad τὴν Ἀρτέμιδα grammatice referri, neque tamen de dea, ſed de ſtatua ipſius intelligendum eſſe. Verum tanto magis eam conſtruendi rationem noſtro poetae licere puto, cum ipſa deorum nomina non ſolis diis, ſed etiam ſtatuis tribuerint Graeci pariter ac Romani. Innumera occurrunt apud veteres ſcriptores eius rei exempla, ſed Plutarchum nominaſſe ſufficiat, qui in aureo de Iſide et Oſiride libello c. 71. de hoc nominum divinorum abuſu egregie commentatur.

Kall.

Ἀγαμέμνων] Paulo aliter Callim. hymn. in Dianam 228. itemque Strabo libr. XIV. p. 440. et Pauſan. Attic. p. 41. 9. Seber. Quae h. l. de Iphigeniae in Aulide immolatione attulerunt Camerarius, Vinetus, Neander, Iuſt, et Fiſcherus, ἀπροσδιόνυσα omnia videntur. Notiſſimam hanc fabulam copioſe multi enarrarunt, neminem tamen novi, qui vel ſtatuam dedicaſſe, vel templum Dianae ob filiae liberationem condidiſſe, Agamemnonem meminerit. Narrat Pauſan. lib. I. c. 43. Megaris Atticae exſtare Dianae templum, ὃ Ἀγαμέμνων ἐποίησεν, ἡνίκα ἦλθε, Κάλχαντα οἰκοῦντα ἐν Μεγάροις ἐς Ἴλιον ἕπεσθαι πείσων. Cum autem Megaras patriam habuerit Theognis, huius Templi fabricam eum hic reſpexiſſe arbitror. Pauſaniam, forte aliquis obiiciat, Templi ab Agamemnone exſtructi meminiſſe, noſtrum autem ſtatuae tantummodo dedicationem commemorare. At, qui templa diis conſecrabant, ſtatuas iidem in Templis collocare ſolebant; idem igitur factum, ſed diverſis uſi dicendi formulis, ambo

bo retulerunt. Noſtram opinionem optime confirmat Eurip. locus Hippol. 30. ſq. Phaedra.

Πέτραν παρ' αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον,
Γῆς τῆσδε ναὸν Κύπριδος ἐγκαθίσατο
Ερῶσ' ἔρωτ' ἔκδημον· Ιππολύτῳ δ' ἐπὶ
Τολοιπὸν ὠνόμασεν ἱδρύσθαι θεάν·

Ιδρύσθαι θεὰν de templi aedificatione utitur Tragicus: recte enim interpres, *Et propter Hippolytum In poſterum dici voluit deae templum fundatum fuiſſe.* Schol. Ιδρύσθαι θεάν] ἐν γὰρ τῇ ἀκροπόλει ἱδρύσατο ἀφροδίτης ἱερὸν ἐπὶ κάλλει Ιππολύτε.

Kall.

14. Σοὶ μὲν γὰρ] Ariſtot. Eudem. VII. 10. confert cum illo neſcio an vulgi dicto: σοὶ μὲν παιδία τἔτο, ἐμοὶ δὲ θάνατος. Seber. Poſterius dictum fabulatori cuidam antiquo Philoſophum debuiſſe credo. Ranae eſt reſponſum puero datum, qui cum ad marginem lacus cuiusdam luderet, ranas, quoties capita exſererent, lapidibus ferire tentabat.

Kall.

15. Μῦσαι καὶ Χάριτες κ. τ. α.] Σύνναοι plerumque fuerunt hae deae, et a Poetis ſaepiſſime coniunguntur. Quod Cadmi nuptias attinet, iis, et Pelei nuptiis, celebriores nullas in omni antiquitate invenias. Deos ad illas conveniſſe, ſplendidoque epulo fuiſſe exceptos; Muſas quoque in honorem Cadmi et Harmoniae ceciniſſe, refert Pindar. Pyth. III. 155. Prolixius hanc pompam deſcripſit Nonnus Dionyſ. V. 88. ſq. nullam tamen, aeque ac Pindarus, Charitum mentionem fecit. Ceterum, de hiſce nuptiis longe diverſa ex mente Sidoniorum tradidit Evemerus Coeus apud Athen. Lib. XIV. c. 22. Cadmus, ſi huic ſcriptori fides aliqua haberi poſſit, coquus fuit regis Sidoniorum, qui comite itineris aſſumpta Harmonia, regis eiusdem tibicina, in Boeotiam aufugiſſe fertur. Sed nolo Evemeri, mythologiae

giae profanae infenſo hoſti, tantam praebere fidem, ut Cadmum ad inferioris ſubſellii homines detrudendum eſſe credam; Harmonia egregia forte claruit Muſices peritia, tibicina igitur Evemeri audit, Poetae autem, fabulam de Muſis canentibus fingendi, occaſionem inde ſumſiſſe videntur.

KALL.

10. Σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ] Dativus eſt commodi, de cuius apud Graecos aeque ac Latinos uſu videndus Vechnerus in hellenolex. l. I. part. 2. c. 23.

Σφρηγὶς] Ionice pro σφραγίς. Lucianus Epigr. XI. alio ſenſu, nempe de non revelandis arcanis: Ἀῤῥήτων ἐπέων γλώσση σφρηγὶς ἐπικείσθω. SEBER. Integrum epigramma, ex Antholog. L. I. c. 51. deſumtum, in ſua Luciani editione repetiit Reitzius, Tom. III. p. 677.

Ἀῤῥήτων ἐπέων γλώσση σφρηγὶς ἐπικείσθω
Κρείσσων γὰρ μύθων (al. λόγων) ἢ κτεάνων φυλακή.

Epigrammatis ſenſum haud recte expreſſit interpres, magnus ille Grotius, cuius haec eſt verſio:

His, quae dicta nocent, linguam tibi pone ſigillum,
Plus voces, minus eſt res retinere ſuas.

Tale quid ſi innuere voluiſſet Lucianus: Ἀῤῥήτοις ἐπέων γλώσση (vel: γλώσσης) σφρηγὶς ἐπικείσθω ſcribendum eſſet; ſed vix tamen credo, eleganti Luciani ingenio talem ſententiam fuiſſe dignam, cum inepte prorſus dictum videatur, linguam in obſignandis verbis ſigilli vices eſſe ſubituram. Aut graviter fallor, aut duplicem illum generandi caſum ἀῤῥήτων ἐπέων abſolute poſitum eſſe recte mihi perſuadeo: vertendum igitur, *In iis rebus, quas revelare nefas, obſignanda erit lingua, melior enim et utilior erit verborum, quam opum, cauta et ſollicita obſervatio.* Summam, quae ἀῤῥήτοις ἔπεσι debetur, ſilentii fidem, per linguae obſignationem indicat Poe-

ta,

ta, eodem ſcilicet modo, quo ipſis etiam numinibus, ſilentii praeſidibus, os obſignatum tribuunt ſcriptores antiqui. De Angerona, ſilentii dea, Plinius hiſt. nat. L. III. c. V. §. 9. *Namque diva Angerona, cui ſacrificatur, ante diem XII. Cal. Ianuarii, ore obligato obſignatoque ſimulacrum habet.* Solinus cap. 1. *Inter antiquiſſimas ſane religiones ſacellum colitur Angeronae, cui ſacrificatur ante diem duodecimum Calendar. Ianuar. quae diva praeſul ſilentii iſtius praenixo obſignatoque ore ſimulacrum habet.* Macrobius Saturn. I. 10. *Maſſurius adiicit ſimulacrum huius deae ore obligato atque ſignato in ara Volupiae propterea collocatum, quod, qui ſuos dolores anxietatesque diſſimulant, perveniant patientiae beneficio ad maximam voluptatem.* Quo modo ſignatum, aut quibus vinculis obligatum os Angeronae in ſimulacris fuerit, Salmaſius explicat, Exercitt. Plinian. T. 1. pag. 9. digito nempe labris admoto os comprimebat dea, et quodam quaſi ſigillo ſignabat. Eundem quoque geſtum in plerisque Harpocratis ſtatuis obſervari, Cuperus docet in libello, quem de falſo huius dei numine conſcripſit. Silentium hoc geſtu cultoribus ſuis imponere Harpocratem, vulgaris eſt, et a Graecis pariter ac Romanis antiquitus credita opinio; praeter Macrobium alioſque, Ovid. metam. IX. 691. *Premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.* Conferri tamen merentur, quae contra hanc opinionem ingenioſe, (neſcio tamen, an ſatis vere,) commentatus eſt Iablonskius, in Pantheo Aegyptior. P. I. pag. 263. 264. Ipſam quoque ἐχεμυθίαν ſignationem oris vocavit Auſonius Epiſt. XXV. 27. *Aut tua Sigalion Aegyptius* (i. e. Harpocrates) *oſcula ſignet.* De ſignaculo oris, quo utebantur Eleuſiniorum Epoptae, vide Tertullian. libr. adv. Valentinian. *ſtatim ab initio.* KALL.

Σφρηγὶς ἐπικείσθω τοῖς ἔπεσιν.] Interpres Theognideus Io. Tholinger, Petr. Nannius in miſcellan. L. VI. c. 11. et Mich. de S. Ioſepho in bibliograph. critic. T. IV. p. 376. b. Theognidem credunt verſ. 19 et 20. a Cyrno petiiſſe, ut

ſuis

ſuis carminibus ſigillum apprimi curaret. Equidem ſtultitiam Poetae mirarer, ſi ridiculo hoc modo a falſariorum manibus cautum crederet ſuum poema. Alii, Theognidem, dicunt, his verbis carmina ſua Cyrno dedicare, utque ſuo nomine, ſigilli ad inſtar, ea muniat et protegat, rogare. Sed difficulter credo, talem, niſi verbis vis inferatur, elici poſſe interpretationem; neque cum Cyrno agit poeta ut cum principe quodam viro, cui opus ſuum inſcribere, eiusque tutelae committere poſſet, ſed tanquam iuvenem ubique alloquitur, cui ipſe multo ſapientior amica ſubminiſtrat conſilia. Nos, cum de diſtichi ſententia paulo accuratius diſpiciendum ſit, videamus primum de ſingulis verbis. Non monebimus, οὔποτε λήσει κλεπτομένη eſſe quidem proprie, *nunquam clam aut furtim ſurripietur*, ſimpliciter tamen, *nunquam auferetur*, *nunquam auferri aut tolli poterit*, accipi poſſe; at σφρηγὶς ἐπικεῖσθαι et ἐπικεῖσθαι dupliciter dici poteſt, cum non tantum rei cuſtodiendae ac ſervandae cauſſa apponi ſoleat ſigillum, ſed etiam rei ſignandae ac notandae cauſſa, quo ab aliis diſcerni, et domino vindicari poſſit. Dicit itaque Poeta: *Impreſſum ſit, Cyrne, carminibus meis, quae nunc ſcribo, ſigillum, ſeu* χαρακτὴρ *et nota aliqua, quae nec tolli et auferri, nec ad peioris notae verſus transferri poſſit:* h. e. habento mei verſus proprium ſibi aliquem characterem, quem nos dicimus indelebilem. Haec cum ſententia eſſet Poetae, oratione laxiori, ut ſaepe ſolent, inprimis antiquisſimi Poetae, uſus eſt pro σφρηγὶς, ἣ οὔποτε λήσει, μήτε κλεπτομένη, μήτε ἀλλασσομένη; vel, ἣν οὐδεὶς λήσει, μήτε κλέπτων, μήτε ἀλλάσσων. Poſterius περιφραστικῶς extulit, et in novam propoſitionem commutavit: *Nec quisquam permutato meliora cum peioribus.* Iam ſi quaeras, quae illa nota et ille χαρακτὴρ carminum Theognideorum eſſe debeat? nobis ſane perdifficile erit, iſtum characterem ita conſtituere, ut verſus Theognidi falſo tributos, aut interpolatos, nunc tuto diſcernere queamus. Res tamen aliter ſe habere potuit cum iis, quibuscum viveret, inprimis cum Megarenſibus. Cum autem

 Poeta

Poeta de charactere eo verſuum maxime agit, quo a poetaſtrorum et plagiariorum, quibus adeo iam ea aetas abundabat, ſuos verſus diſcernere poſſet, praeſtantiorem aliquam indicari credimus indolem ac bonitatem, ſive rerum ac ſententiarum gravitatem, prudentiam, et honeſtatem, ſive verborum naturalem aliquam pulchritudinem, ac mundam et ſimplicem venuſtatem intelligas; quam illis adeo propriam eſſe vult ac perpetuam, ut nec detrahi poſſit, (i. e. ut ſi plagiarius quis poeta ſurreptis verſibus Theognideis utatur pro ſuis, ſtatim dignoſci poſſit, non plagiarii, ſed Theognidis eſſe,) nec interpolari, (h. e. ut, ſi quis peior poeta interſerat Theognideis ſuos peioris notae verſus, ſtatim fraus deprehendi, et ἐμβολιμαῖοι illi verſus eiici poſſint, utque facile ſit unicuique pronuntiare: haec Theognidea ſunt, illa non ſunt.) Alioqui ipſo quoque, ut hoc addamus, ſcribendi genere a pleriſque πρεσχρόνοις, atque etiam a συγχρόνοις poetis, ſe maxime diſtinxit Theognis. Ante eius enim tempora ſictas ut plurimum fabulas narrabant poetae; Theognis autem primus, aut ſaltem inter primos fuit, qui, fabulis relictis, verſibus ſuis ſententias, vitaeque degendae praecepta propoſuit. Confirmantur haec teſtimonio Rhetoris Aphthonii, qui in progymnaſm. p. 16. (edit. Heidelb. 1597.) gnomicae poeſeos auctorem facit Theognidem: Κατηγορεῖσθαι, inquit, τὴν ποίησιν οὐκ ἀφῆκεν ὁ Θέογνις, ἀντὶ μύθων ἀσκήσας παραίνεσιν, ὁρῶν γὰρ ποιητὰς τὸ μυθολογεῖν περὶ πολλοῦ ποιουμένους, τοὺς μύθους ἀφεὶς, ὑποθήκας, ὡς χρὴ ζῆν, ἐν τῷ μέτρῳ συνήγαγεν, ἅμα τοῦ μέτρου τὴν χάριν τηρῶν, καὶ τῆς ὑποθήκης ἐπεισφέρων τὰ κέρδες. Ex his quae dicta ſunt facile apparet, emendationem, in quam aliquis coniectura incidere poſſit, λήσει δ' οὔποτε κλεπτόμενα ſcil. τὰ ἔπη, non prorſus neceſſariam eſſe, quanquam ſic minus forte impedita foret ſententia: *Nota impreſſa eſto meis carminibus, ut ea nec furtim ſurripi poſſint, nec permutare aliquis poſſit meliora cum peioribus.* (Solent Graeci ἀλλάσσειν τὸ κακὸν τοῦ ἐσθλοῦ dicere, ubi Latini, *permutare bonum cum malis.*) A Barthio in Adverſ. L. XII.

c. 14.

c. 14. iidem hi verſus 19. et 20. ad antiquiſſimum annuli ſignatorii uſum probandum adducuntur; ſed ſi vera fuerit, quam, huius loci, dedimus, interpretatio, minus recte a Barthio hoc factum eſſe credimus. KALL.

λήσει] Quidam legunt λήσει: ea ſcilicet forma, qua σύνεσις derivatur a συνθάνεσθαι. SYLB. Monſtroſum hoc λήσει in margine editt. Hertelianar. irrepſiſſe video. KALL.

Κλεπτομένη] MS. Auguſt. κλεπτομένῳ. Κλεπτόμενος, cui aliquid furtim ſubripitur, vel qui decipitur. Vid. Guil. Budaei comment. graec. Ling. p. 1018. SEBER.

21. Οὐδέ τις ἀλλάξει] Chius tamen quidam apud Plutarchum vinum optimum vendebat, ipſe bibens vappam. Proinde ſervus cuidam ſciſcitanti, τί ποιοῦντα τὸν δεσπότην καταλέλοιπε; ἀγαθὸν ἔφη παρόντων, κακὸν ζητοῦντα, *de tranquillit.* p. 314. SEBER.

τοῦ ἐσθλοῦ] Codex Palat. 2. τοῦ 'σθλοῦ, ſicut et verſu 147. ἀρετῇ 'ςι. SEBER. Quidam malunt τοῦ 'σθλοῦ, et ſequenti verſ. Θεύγνιδος; ſed vulgatam ſcripturam tuentur ſimiles in ſequentibus συνιζήσεις v. 147. 171. et alibi: imo et hoc ipſo in loco, verſ. 23. SYLB.

παρεόντος] MS. Auguſt. παριόντος. SEBER.

22. Θεόγνιδος] Pro Θεόγνιδος hic quaedam exemplaria habent Θεύγνιδος, Dorico more: ſed non refert, utro modo legas, cum paſſim apud graecos poetas ſyllabae duae ex duabus vocalibus, inter quas non ſit ulla conſonans, coaleſcant, et unius duntaxat ſyllabae numero ſerviant. VINET. Palat. 1. Θεύγνιδος. Alias Θεόγνιδος τρισυλλάβως legendum κατὰ συνίζησιν, qualis et 171. θεοῖς monoſyll. SEBER.

24. Αστοῖσιν δ' οὔπω] Simili utitur querela de ſuis civibus Eupolis apud Stobaeum, Serm. IV. (XXXII.) Confer. et Eurip.

ſip. Herc. fur. v. 186. Item Adagium ſacrum Lucae IV. 24. *Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.* Sasas.

25. Πολυπαίδη] Quis fuerit hic Polypaedes, fruſtra inquiritur. E Theognide huius meminit Gloſſarium, quod ſub Heſychii Alexandrini nomine vulgo circumfertur: Πολυπαίδης παρῳδῆται ἐκ τῶν Θεόγνιδος βόμβων ἐπαινῆσαι. Quot verba tot menda. Loco corruptiſſimo medelam afferre conati ſunt Sopingus, Valeſius, Heinſius, et Meibomius, ſed nulli eorum ſanatio proſpere ceſſiſſe videtur. Aliam tantorum virorum conatibus addemus coniecturam, audaciorem quidem illam, ſed cum de Heſychio emendando agatur, in quem ingeniis ſuis graſſari permiſerunt viri docti, noſtrae quoque audaciae iudicioque minus ſubacto facilius ignoſcetur. Codicem Heſychianum, binis columnis diſtinctum, ad privatos uſus quendam olim adhibuiſſe credimus; hic igitur, cum in priori cuiusdam paginae columna varios vocis πόλεμος uſus et conſtructiones ab Heſychiani lexici auctore obſervatos inveniret, e Pindari loco Nemeor. E. 35. 36. Ἠ σιδηρέαν ἐπαινῆσαι Πόλεμον, talem margini adſcripſit gloſſam:

πδαρ' (vel πδρ) αἰδη τ'
πόλεμον ἐπαινήσω.

Columnam alteram eiusdem paginae cum deinde perluſtraret, in eadem, caſu, linearum ſerie, inter Πολυορκῆσαι, et Πολυπαίπαλος nomen propr. τοῦ Πολυπαίδου deeſſe obſervavit. Hunc igitur ſibi viſum defectum ut ex Theognide suppleret, eidem margini talem adſcripſit gloſſam:

πολυπαίδης
ἐκ τῶν Θεόγνιδος.

Ut melius intelligatur, qualem praeſenti in loco fuiſſe credimus Heſychiani huius exempli faciem, eam ſequenti ſchemate utcunque, prouti typorum ratio illud permiſerit, exhibere conamur: Margo

Margo.	Col. 1.	Col. 2.
πολυπαίδης πὰρ ποδὶ τ" ἐκ τῶν Θεόγνιδος τόλεμον ἐπαινῆσαι	Πολέμοιο γεφύρας· τὰς συμβολὰς καὶ συζεύξεις. Πολέμοιο τέρας· σημεῖον πολέμου, πόλεμος. ὁ πᾶν διοικῶν λογος. Πολέες, πολεῖς.	Πολυορχῆσαι, ἢ πολεορχῆσαι, κυκλεῦσαι πόλιν ϛρατῷ. Πολύπαιλος, αἰθὴρ πεποικιλμένος ἐχ ὁμαλός.

In manus imperiti cuiusdam librarii, (huius enim generis plures expertum videtur Heſychianum lexicon, cum ad illud turpiter adeo depravandum unus vix ſuffecerit,) codicem iſtum perveniſſe opinamur. Talis igitur homo, duplicem margini adſcriptam gloſſam pro unica habens, monſtroſam exinde protruſit vocis Πολυπαίδης interpretationem, eamque, quae ſolita eſt librariorum audacia, textui temere interpoſuit. KALL.

οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς] Vid. verſus poetae noſtri 801. et 1236. proverb. *Ne Iupiter quidem omnibus placet.* Sequ. verſu nonnullis, (imo ipſi etiam Sebero, idque recte,) placet πάντας. SEBER.

27. ὑποθήσομαι] Ὑποτίθεσθαι, ἀττικῶς ſignificat τὸ παραινεῖν καὶ συμβυλεύεσθαι. Unde ὑποθῆκαι dicuntur παραινέσεις. Iſocr. ad Nicocl. p. 52. vid. Budaei comm. graec. ling. pag. 262. Euſtath. ad Iliad. Λ. 787. et Odyſſ. Γ. 27. SEBER.

28. παῖς ἔτ' ἐών] Phocil. 230. Παῖδ' ἔτ' ἐόντα χρεὼν δὴ καλὰ διδασκέμεν ἔργα. Leotychidae, regis Spartanorum, et Aeſchinis, dicta conſimilia, reperies alibi. SEBER.. Phocylidae dictum apud Plutarchum exſtat de pueror. educ. c. IV.

29. Μηδ' αἰσχροῖσιν] Ut Eteocles ille Thebanus ap. Eurip. Phoeniſſ. v. 527. Iul. Caeſar, Cicer. offic. III. c. 21. Veſpaſianus, ap. Suet. in vita ipſius, c. 16. et 23. Recte Alci-

Alciphron. epiſt. ἐν πλουτεῖς σὺν δικαίῳ πλούτει. Et Phocyl. v. 5. Μὴ πλουτεῖν ἀδίκως. SEBER.

30. ἀρετὰς] Τὴν Ἀρετὴν *potentiam, gloriam*, aut *honorem* indicare, pleraque lexica ignorant, et audacter quoque negat Io. Clericus in not. ad 2 Petr. I. 3. Praeter auctores, qui occaſione loci Petrini hunc vocis ſignificatum probarunt, Hombergkium in parerg. ſacr. pag. 363. 364. Io. Alberti obſervatt. philol. in N. T. p. 460. 461. Lamb. Boſium obſervatt. miſcell. c. 26. Dan. Heinſium proleg. in Ariſtarch. ſacr. p. 667. Camp. Vitringam Obſervatt. ſacr. Libr. I. c. 7. p. 225. Io. Caſp. Suicerum in theſauro eccleſ. T. I. p. 506. conferri quoque merentur Spanhemius not. ad Callim. p. 43. 44. et qui eleganter de hac voce diſſerit H. Hoogeveen in not. ad Vigeri idiot. p. 64. Apud Theognidem hunc τῆς ἀρετῆς ſignificatum iterum occurrere videbis verſ. 129. et 1072. Ex aliis Poetis exempla proferre ſuperſedeo, unicum tantum indicabo Plutarchi locum, plane claſſicum, a nemine tamen obſervatum. Plutarchus nimirum in libro, quem de audiendis poetis conſcripſit, c. XI. de vario vocis ἀρετῆς ſignificatu prolixe diſputat, et ἀντὶ δόξης ἢ δυνάμεως, ἢ εὐτυχίας, ἢ τινος ὁμοίου hanc vocem a poetis uſurpari oſtendit, fieri id dicens eodem fere modo, quo ἐλάιχον τὸν ἀπὸ τῆς ἐλαίας, καὶ Φηγὸν τὸν ἀπὸ τῆς Φηγοῦ καρπὸν, ὁμωνύμως appellant; ſcilicet quia ſaepe virtus potentiam parit, nominisque exiſtimationem. KALL.

CHRISTOPHORI MOLINARI, DE MILIARIUM exanthematum indole ac tractatione Liber.

Vindobonae A. MDCCLXIV. octonis.

Auctor Opuſculi, *Chriſtophorus Molinari*, V. Cl. atque doctiſsimus, Aug. Aul. Medicus, Acad. Nat. Curioſor. et Roboretanae Socius, nec non Bononienſi Inſtituto adſcriptus, patria Tridentinus, (civis igitur illuſtris atque celeberrimi

rimi Viri, *Io. Bapt. de Gaſpari*, quem honoris atque amicitiae cauſa nominamus,) patrem habuit *Io. Baptiſtam*, d. Eliſabethae Auguſtae Chirurgum, qui Oeniponte primum, dein et Graecii, Medicinam fecerat. Sub huius primum diſciplina profecit, dein, peragrata Italia, Vindobonam redux, illuſtriſſ. Swietenio, noſtrae aetatis Hippocrati, erudiendum ſe tradidit; cuius Viri incomparabilis, noſtraque laude maioris, inſtitutione, tantos progreſſus fecit, ut iam, inde ab annis aliquot, maxima et aſſiduitate, et felicitate, quae profecto magni in Medico momenti eſt, Medicinam in urbe Auguſta, ſummis et imis acceptiſſimus, exerceat. Ediderat iam anno MDCCLXI. ad Cl. *Stoerkium* Epiſtolam, qua mulieris a Scirrho curatae hiſtoriam, luculenter, atque ita expoſuit, ut ſimul cicutae, ſaltem in ſcirrhis ſanandis, non multum tribuere videatur. Habet et maioris molis opus, prelo paratum, ubi praeſertim de uſu Opii, experientia multiplici, etiam Patris, edoctus, adverſus clariſſimum Uratislavienſium Medicum, *Tralleſium*, multa diſputat; quod intereſt Medicorum luce publica donari, nosque avide expectamus, Disquiſitio, cuius paullo ante titulum deſcripſimus, de miliarium exanthematum indole ac tractatione, quamplurima diſcutit memoratu omnino atque attentione Medicorum digna. Recte Auctor arbitratur, ſupereſſe adhuc nonnulla, immo plurima in his morbis, quae nondum ſint vel ſatis explorata, vel apte ſatis explanata. Unde factum cenſet, ut Medicorum plerique in morbi huius notione caeſpitent, et e diſcordibus Medicorum ſententiis cum tyrones perturbentur, tum vulgus ita perterreatur, ut ipſum haud minus peſtifera ipſa lue eſſe horribile ſibi fingat.

Conſulturus itaque et aegris et tyronibus, et ipſorum Medicorum exiſtimationi, quae in puerperis tractandis in diſcrimen ſaepe vocatur, problemata quaedam ſibi diſſolvenda propoſuit. Et primo inquirit, *utrum puerperis praeprimis accidat, ut febre miliari torqueantur: tum liceatne iis, peſte hac infectis, ſanguinem, et quo tempore, detrahere.* Agit deinceps perquam docte et ſubtiliter, ex artis regulis, de eo: *an dentur*

K

tur notae, quibus exanthematum iſtorum indoles, critica ne ſit, an ſymptomatica, diſcerni poſſit. Deinceps: *an Vindobonae, ubi medicinam Auctor facit, febres, quae exanthematicae purpuratae, miliaresve, appellantur, afficiant praeter puerperas alias cuiuscunque aetatis ſexusque homines? Prodeantne miliaria certis in morbis, ſintque rarius, vel frequentius, critica, an ſymptomatica?* Tandem per totam Diſquiſitionem inveſtigat, an adhibitis opportune venae ſectionibus, purgationibus, veſicatoriis, aliisque pravos humores expellentibus medicaminibus, inhiberi efflorescentiae iſtae poſſint?

Harum quaeſtionum omnium explanationem ait ſe derivaturum non e ratiocinationibus, plerumque ſubdolis, ſed ex eo, quod ſeptemdecennaria artis exercitatione obſervarit. Et haec nobis quidem tutiſſima videtur veritatem in talibus perſpiciendi via.

Ad primum, apparere quidem, ait, in puerperis exanthemata iſthaec, pronuntiatque, licere ſanguinem et illis, quae aſpredine hac ſunt inquinatae, educere quovis tempore, quandocunque ſymptomata id poſtulare videantur. Immo contendit fieri id poſſe, etiamſi miliaria prodeant critice; propterea quod animadverſum ſit, hac ratione non ſolum criſin accelerari, ſed et reddi perfectiorem; quod variis deinceps obſervationibus confirmat atque illuſtrat.

Nec quantum ad alteram quaeſtionem attinet, dubitari poſſe credit Auctor, quin plura compareant ſigna, quae indicent, utrum miliaria critica ſint, an ſymptomatica, eaque eſſe talia, quae percommode illorum indolem diſcriminent. Quapropter exanthematum iſtorum, tam criticorum, quam ſymptomaticorum, notas perdiligenter enumerat, ne, Medico ad haec non ſatis attento, miſceantur invicem.

Ad tertiam Quaeſtionem ait, non ſolum puerperas, ſed et alios, ſexus aetatisque diverſae homines, miliaribus febribus in urbe Vindobona affici. Exanthemata autem iſthaec miliaria erumpere quandoque critice, utplurimum tamen ſymptomatice; innixusque crebris experimentis memo-

morat, tunc ea a ſe fuiſſe reputata critica, quotiescunque in aegris, quibus adſtiterit, videret efflorescentiam hanc per vim vitae ad cutim, cum ipſorum levamine, ipſis gravioribus ſymptomatibus recedentibus, fuiſſe propulſam; contra vero, quandocumque, ob ingentem corruptorum humorum copiam, vehementi febris attritu, et perniciosis ipſis ſymptomatibus non perſiſtentibus tantum, ſed et invaleſcentibus, obſervaverit aliquod miliare apparuiſſe in cute, habuiſſe illud pro ſymptomatico.

Atque cuncta haec variis ſingularibusque morborum hiſtoriis Auctor doctiſſimus confirmat. Narrat quoque, animadvertiſſe ſe, exanthemata haec, cum in puerperarum acutis, tum in aliis continuis valentiſſimisque febribus, praepediri ex integro poſſe, ne usquam compareant, ſi corrupta praecipue morbum excitans fovensque materia, detracto prius abunde ſanguine, ſubtrahatur lenioribus pharmacis ex alvo. Obſervat tamen, exanthemata miliaria aliquoties, ubi in acutiſſimis febribus aliam ſimul criſin comitantur, non eſſe omnino contemnenda, in epidemico praeſertim morbi ſtatu, inque corporibus craſſiori praeprimis lympha ſcatentibus: ea itaque exanthemata purpurata, quae aliis criticis excretionibus ſeſe adiungunt, colenda eſſe, ne, regreſſa ad vitalia viſcera colluvie morboſa, aeger peſſundetur.

Quantum vero attinet ad quaeſtionem quartam, A. in variis commentationis huius locis demonſtrat, poſſe a Medico non ſolum ſanguinis miſſione, ſed et purgantibus, veſicatoriis, aliisve, pravos humores extrudentibus, praeſidiis praepediri, ne unquam miliaria exanthemata in conſpectum veniant.

In altera Disquiſitionis parte totus eſt A. in explicando, quinam ſint ii morbi, in quibus critice, vel ſymptomatice, miliaria ſoleant erumpere, colligitque, et variis morborum hiſtoriis adductus ſtatuit, miliaria non ſemper critica, ſed ſaepiſſime pro ſymptomaticis, mortemque praenuntiantibus, habenda eſſe; advertitque, quod ab aliis non fuiſſe hactenus adnotatum credimus, aliquod exanthematum

miliarium genus, quod, cum liceat prorſus negligere ex eo, quod morbum nec lenit, nec aggravat, appellari forte poſſet *ambiguum*, quod ipſum pluribus morborum hiſtoriis illuſtrat.

Atque hac opportunitate ſumta explanat luculenter, in tyronum gratiam, quibus ſe ſcribere per modeſtiam, teſtatur, quid criſis nomine intelligatur, quemadmum uſum modumque veſicatoriorum adhibendorum, ne in iis, in hoc praeſertim morbo, adminiſtrandis, qui artem aggrediuntur, peccent; quod haud raro, non ſine ingenti aegrorum detrimento, ſolet evenire.

NOVA LITTERARIA.

In *Itinerarium*, ſub nomine PEUTINGERI ſemper celebratum, exponentur luci publicae *commentariis parallela* ex veteri et nova Geographia, ab immemoriali tempore deſiderata.

Haec tabula, Geographorum principum coetu ſemper ut monumentum antiquum inaeſtimabile depraedicatum, circa finem Seculi IV. congeſta, a CONRADO CELTE Saeculo XV. labente reperta, CONRADO PEUTINGERO tradita, et ab illo nunquam alio fere nomine, quam PEUTINGERIANÆ innotuit, etſi rectius THEODOSIANÆ, quia ſub auſpiciis THEODOSII Imperatoris picta et ſcripta, ut VEGETIUS id genus itinerariorum appellat.

ORTELIUS, HORNIUS, BERTIUS, ARNOLDUS, ſucceſſive unius alterius apographum ſecutus, varias illius editiones, forma vel maxime diverſas ab autographo, et erroribus refertas innumeris, promulgarunt, authentico rurſus latente usque ad Annum 1720. quo EUGENIUS SABAUDIÆ PRINCEPS illud, ut PASSIONEUS Cardinalis teſtatur, ab haeredibus PEUTINGERI acquiſivit.

MENSO ALTINGIUS in illud Commentationem elaboraſſe fertur, et ad RELANDUM, ut eam in lucem emitteret,

teret, Ultraiectum miſiſſe. Aſt, utroque circa Annum 1717. mortuo, opus illius in latebras adeo detruſum ſemper remanſit, ut de illo unquam, deinceps reperiendo ſpes omnis penitus evanuerit.

Quantum igitur orbis eruditus interpretationem huius monumenti unici per duo prope Saecula deſideravit, tanto fervore multi, praeſertim Academici Galli, Cl. DE L'ISLE, *FRERET, LEBEUF*, tabulae huius veram, genuinam, atque autographo conformem exoptarunt imaginem, et ſane quam multi alii?

Sub auſpiciis tandem AVGVSTISSIMÆ IMPERATRICIS REGINÆ APOSTOLICÆ THERESIÆ, adhuc nobis divinitus ſervatae, in lucem exiit, cura, labore, et ſumptibus FRANCISCI DE SCHEYB Anno 1753. huius, nunc Imperialis theſauri, editio ipſimet authentico, atque ut ovum ovo, tam aequalis, ut viri dignitate iuxta et eruditionis fama inſignes, ſimilitudinis huius perfectae teſtimonium publicum reddere non dubitarint, CARDINALIS PASSIONEVS, *Archiepiſcopus* Lucenſis MANSIVS, R. P. HIERONYMVS PEZ, R. P. ERASMVS FROELICH, Bibliothecae Auguſtae Cuſtodes hic Vindobonae, viri illuſtres ac eruditiſſimi, NICOL. FORLOSIA, atque ADAMVS KOLLAR.

Editionem hanc tantorum virorum ſuffragio ornatam, omniumque litteratorum elogio celebratam, ſequebantur continuo recenſiones, quibus et alii rei geographicae ſtudioſi ardenter cupiebant, ut illius aliquando compareret etiam interpres et commentator.

Inopinata rerum viciſſitudo tandem FRANCISCO DE SCHEYB, editori tabulae huius, tempus et otium tam largiter obtruſit, ut huic ſtudio ſibi vel maxime cognito, ſe totum dedere, animumque preſſum levare potuerit hoc labore. Congeſſit itaque, quotquot ſunt, media, quibus propoſiti magis tenax, iter difficillimum, impeditum, tenebris ſpiſſis ac dilatatis ubique involutum, per univerſum Romanorum veterum orbem, adgrederetur. Scriptores Graeci, Latini, Galli, Itali, Angli, alii, per maximum viarum tractum facem

 prae-

praeferebant. Lineae in tabula per omnes calles perſpicuae ceu filum Ariadnes eum ducebant adeo feliciter, ut regionum, urbium, caſtrorum, pontium, fluminum, inſularum, montium, populorumque veterum notitiam adeptus, per Aſiam, Africam, Europam, nec literulam vel ſiglam in tabula expreſſam tranſilierit, vel alia, quae abſque damno rei geographicae vel hiſtoricae ignorari poſſent, neglexerit, quin affuſo quantillo luminis illuſtrarit, omnia vocabulorum veſtigia detexerit, truncata inſtaurarit, eraſa reſtituerit, obſcura luci reddiderit, abſorpta denique, ſaltem a longe, digito commonſtrarit. Propterea tam facili nunc labore ſitus locorum ſinguli in orbe veteri ac novo inveniuntur, ut plurima, quae hactenus vel difficillima, quinimmo vel impoſſibilia videbantur, hodie aperta, plana, dilucida, utilia, ubique ſeſe oſtentent, numiſmata quoque ſuis populis et urbibus tribuantur.

Perſuaſum hoc erit omnibus, qui qualecunque ſibi cognitum iter modernum percurrere voluerint, et ſequi facem, qua manſiones veterum Romanorum in eodem indicantur. Talia itinera antiqua monſtrant in tabula pars *Angliae*, et *Hiſpaniae*, *Gallia* tota, *Italia* univerſa, *Hollandia*, *Belgium*, *Helvetia*, *Rhaetia*, *Suevia*, *Bavaria*, *Auſtria*, *Hungaria*, *Sclavonia*, *Croatia*, *Dalmatia*, *Iſtria*, *Boſnia*, *Servia*, *Macedonia*, *Albania*, *Romania*, *Morea*, *Tranſylvania*, *Walachia*, *Moldavia*; Inſulae *Corſica*, *Sardinia*, *Sicilia*, *Candia*, *Cyprus*, praeter centum alias. *Aſia* usque ad inſulam *Ceilan*. *Africa* usque ad fl. *Nigir*. Plures quam 130. fluvii; portus maris plurimi, navalia emporia circa mediterranei maris littora; omnia ſcilicet, quae in monumento PEUTINGERI continentur, per tres orbis partes, Romanorum veterum ditioni quondam ſubiectas.

Eruditi nunc abſque negotio percipient, quod, cum in orbe non extet niſi unicum PEUTINGERI itinerarium; ita et *Opus Geographicum* ſimile huic in re litteraria non reperiatur, in quo illa occurrat rerum copia, haud ſparſim plurimis in Scriptoribus invenienda. Opus hoc Auctori ſequenti titulo inſignire placuit,

PEU-

PEVTINGERI ITINERARIVM ROMANORVM ANTIQVISSIMVM PARALLELIS GEOGRAPHIÆ VETERIS ET NOVÆ ILLVSTRATVM. *Auctor* FRANCISCVS DE SCHEYB a GAVBOECKELHEIM. *Patric. Conſtantien. Stat. Inf. Auſtr. a Secr. Acad. litt. Neapoli. Romae* ORESTRIO. *Cortonae. Auſtriae. Regiomonti. Roboreti* CHÆREMONE. *Aug. Vind. Soc.*

Rerum varietas, quam hoc opus complectitur, eſt haec:

I. Interpretatio parallela ex veteri et nova Geographia cuiuscunque vocis, quae in tabula PEVTINGERI legitur, ſive integra, ſive truncata, luxata, et ab antiquitate voluminis eraſa, ſive ſana et genuina.

II. Epiſtola ad Amicum, de labore improbo commentatoris; de utilitate, ac neceſſitate operis; de tabula ipſa PEVTINGERI nunc illuſtrata.

III. Obſervationes in mirabilem huius itinerarii ſtructuram Clariſſ. BVACH, primi Geographi regii Pariſiis, cum *reſponſo* SCHEYBII.

IV. Commentariolus de *numeris Milliarium*, et *Leucarum* per totam tabulam diſperſis.

V. Commentariolus alter in varias denominationes non raro perperam intellectas; ut *civitas, villa, colonia, municipium, pagus, caſtrum* etc.

VI. Commentariolus de *linguae latinae* genere, quod in tabula ſaepe inextricabile, nunc illuſtratur.

VII. *Index parallelus* vocum depravatarum, et verae lectionis, ut noto termino vero, inveniatur corruptus, et eius interpretatio, ut ſi quaeratur urbs *Nemauſus* in Gallia, index remittat ad vocem *Nemiſo* in commentariis, atque ad tabulae ſegmentum, et quadratum Alphabeti littera deſignatum.

Auctor ita rem conſtituiſſe ſibi videtur, ut eam omnium eruditorum expectationi reſpondere exiſtimet; quidquid enim poſſibile dictu eſt, refert accurate tam aſſiduo, ut numeros commentatoris omnes impleverit, nihil abſque auctoritate Hiſtoricorum, Geographorum veterum, novorumque, claſſicorum, ac teſtium nonnuſpiam oculatorum reliquerit,

non

non nudum itaque vocum catalogum conſcripſerit, ſed commentationem demonſtratam.

Porro, ut viri *Geographiae parallelae* ſtudioſi exemplaribus immenſi ac utilis huius laboris frui poſſint, qui manuſcriptus 1600. *paginas* complet *in folio*, impreſſus vero volumine eiusdem formae conſtabit; auctor nemini moleſtam fore putat *viam ſubſcriptionis*, qua totum opus cuique ad manus veniat: ut videlicet quicunque exemplar deſiderat, vel apud auctorem ipſum, vel apud qualemcunque Trapezitam Vindobonenſem (*Wechsler*), *quatuor florenos* deponat, ſimulque inſtruat D. DE SCHEYB de ſuo nomine ac titulo, prout voluerit inſertum legere *Catalogo*, quem auctor *ſubſcribentium* honori dicandum una cum Commentariis vulgabit; quippe hoc pacto ab auctore ſubſcribentibus exhiberi poterit apocha (*Quittung*) vel *Cedula aſſignationis*, erga quam ſuo tempore ſit accipiendum ab eodem exemplar promiſſum, et a ſubſcribente ſuperaddantur depoſito tum *duo floreni*, atque ita pretium *ſex florenorum*, quibus totum opus conſtabit, compleatur.

Bibliopolis, plura exemplaria coëmere volentibus, auctor indulget lucrum *decem florenorum per centum*, quanto minus deponent. Quiscunque autem hoc modo non ſubſcripſerit, nullo unquam tempore acquiret exemplar; tot enim praelo committentur, quot erunt ſubſcribentes.

Vt exteri quoque rei participes fiant, Commentaria praelum non ſubibunt, niſi poſt tres menſes. Si depoſitum editionis ſumptibus tum non reſpondeat, ſequetur immediate notitia, ut quilibet recipiat, quod depoſuit; et opus manuſcriptum ſolum remanebit vendendum *trecentis aureis*, cuicunque ſemper lubenti animo communicandum, apud auctorem examinaturo. Exemplaria Tabulae ipſius aliquot extant adhuc apud eundem, atque Lipſiae apud Bibliopolam *Heinſium*.

Habitatio Auctoris D. DE SCHEYB eſt Vindobonae in domo, quam *ad magnam coronam provincialem*, vulgo: in der groſſen Landkron, appellant, in 2. contignatione verſus *forum ferinae*, vel communiter auf dem alten Kienmarkt. Data Vindobonae 8. Iulii 1767. ab auctore Tabul. Peutingerianae illuſtratae, ac editore D. DE SCHEYB.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Maii et Iun. Anno MDCCLXVI.

SYSTEMA IURIS PUBLICI UNIVERSALIS, QUOD publicae diſputationi ſubmittit MICHAEL CAROLUS S. R. I. COMES DE KAUNITZ.

Pragae, CIↃ IↃCCLXV. 2 Alph. quaternis.

Nullos maiori cum voluptate libros novos indicamus, quam quibus eiusmodi literarum genus bene diligenterque tractatum, invenimus, quod, licet valde commendabile ſit, paucorm tamen diligentiam exercuit, et fere adhuc magnorum ingeniorum ſtudium expectat; inprimis ſi ex iis terris adferantur, ubi in omnibus literis neſcio quas tenebras partium forte ſtudioſi deprehendiſſe ſibi videntur. In hunc bonorum, et citra expectationem editorum librorum numerum, hoc, cuius titulum adſcripſimus, opus, optimo iure referendum eſſe cenſemus. Nam quo pauciores fuerunt, qui difficillimam doctrinam, quae ſtatum regnorum internum publicum, eiusque iura, ex ſanae rationis legibus dimetiri docet, cum laude expoſuerunt; eo magis laudandum eſt Illuſtriſſimi Comitis *Kaunitzii* conſilium, publico cum viris doctis colloquio ſuam in his literis peritiam demonſtrandi, inprimis cum illud excellentiſſimo atque clariſſimo viro,

Schrodtio, Iuris Publ. univ. et partic. in Academia Pragenſi Profeſſori, (hunc enim verum libri ab ill. Comite defenſi auctorem eſſe novimus,) pulchrum, quod hic deſcribimus, huius diſciplinae corpus, congruo ordine componendi occaſionem praebuerit. In univerſum quidem fatemur, nos operam Cl. Schrodtii magni facere, cum pleraque egregie dicta ſint et explicata: at non poſſumus tamen negare, occurrere paſſim nonnulla, quae abeſſe, vel aliter dicta vellemus. Haec, ubi in enarratione operis in ea inciderimus, venia praeſtantisſimi auctoris libere notabimus; haud veriti eius iram, quamvis nos non fugiat, (extant enim exempla,) virum clarisſimum omnis amicae reprehenſionis eſſe valde impatientem. Prolegomena duobus conſtant capitibus, quorum altero *de iure publico univerſali in genere*, altero *de iurisprudentia publica univerſali, eiusque neceſſitate et utilitate*, agitur. Illo quidem, poſtquam de iuris naturalis circa ſocietates indole, atque de notione civitatis, nonnulla diſſeruit (§. 1-6.) auctor, quod exiſtat ius publicum univerſale, et qualis ſit harum legum natura, egregie demonſtrat (§. 7-9.) Definit autem, quod ſit *ius naturale ſociale rectorium, quod ex notione civilis ſocietatis fluit, ac determinat iura et officia imperantis et parentium*, (vellemus non oblitus eſſet *populi totius*: huius enim iura cum ſtatu *ſingulorum ſubditorum* male miſcentur,) *pro ſcopo civitatis eſſentiali, qui eſt ſalus et ſecuritas publica*. (§. 10) Tum de primo principio iuris publici univerſalis praecipit, leges cognoſcendi dicit, idque ponit in *conſervatione ſalutis et ſecuritatis publicae in civitate*, ita, ut quae huic fini conveniant, *praecepta*, quae repugnent, *prohibita*, reliqua omnia *permiſſa* cenſeat. (§. 11-20.) Conſentimus lubenter, modo haec conſervatio ſalutis civitatis, circa quam ius publicum univerſale verſari dicitur, ad ea officia imperantis, populi, ac ſubditorum, quae iure perfecto et cogente exigi poſſunt, reſtringatur. Secus enim non intelligitur, quomodo ab hac doctrina prudentia civilis ſeparata ſit, quippe quae etiam ad ſalutem civitatis ſpectat. Denique de ef-

fectu

fectu iuris publici univerſalis, nempe obligatione, exponit, quam in imperante internam tantum ac imperfectam, in ſubditis vero externam atque perfectam eſſe, contendit. (§. 21-25.) Nos quidem huic ſententiae ſubſcribere ideo non poſſumus, quoniam, ſublata obligatione imperantis perfecta, impune ei in hac terra omnia, etiam reipublicae perniciosa, agere liceret, cum nemo iure reſiſtendi gauderet. Ratio potius conſtituendi imperii civilis, quae in conſenſu totius populi cum principe de imperio in ſingulos exercendo poſita eſt, ſatis demonſtrat, ius populi longe diverſum eſſe a iure ſingulorum. Totus namque populus, qui ex coniunctione omnium ſingulorum ad imperium deferendum oritur, unamque hanc ob cauſam efficit perſonam, non poteſt non cum principe ita aequalis manere, ut ſi videat, principem, neglecto fine reipublicae, omnia in proprium commodum peragere, atque tyrannidem exercere, ius reſiſtendi habeat; etiamſi ſingulis ſubditis, qui facultati reſiſtendi, omnibusque bonis ac iuribus in ſalutem totius populi, dum ſe coniungerent, renunciarant, hoc ius minime, et non niſi craſſo ac infauſto monarchomachorum errore, tribuatur. Eſt igitur imperantis duplex obligatio: perfecta erga populum, qui ideo etiam iure perfecto et cogente in principem iniuſtum utitur; imperfecta vero erga ſingulos, quorum erga imperantem nonniſi imperfectum ius, omnisque coactionis expers, accipi debet. At trahit communis fere hic error, quem Cl. auctor ſecutus eſt, inde originem, quod conditio univerſi populi, cum notione ſingulorum, vulgo, etſi perperam, a viris doctis confunditur. Alterum Caput *de iurisprudentia publica univerſali, eiusque neceſſitate et utilitate* inſcribitur. Ait autem recte, hanc iurisprudentiam eſſe *ſcientiam de legibus publicis univerſalibus, earumque applicatione ad actiones publicas*, (§. 1-5.) ſimul, qua ratione a prudentiae civilis doctrina, ac ſtatus ratione, quam vocant, differat, docet. (§. 6-14.) Eandem neceſſariam eſſe ac utilem, ideo inprimis tradit, quia nullius civitatis iura publica particularia penitus

nitus intelligantur niſi ab iis, qui iuris publici univerſalis peritiam habeant. (§. 15.) Auctoritatem Scripturae ſacrae in huius doctrinae praeceptis iuſtis circumſcribit cancellis, affirmans, ex ea, cum non ſit norma *civis qua talis*, non niſi argumentum negativum duci poſſe, quod omnia quae ibi praecipiantur, iuri naturae haud repugnent, et quod magiſtratus humanus optimas leges ſit laturus, ſi ſimiles praeceptis codicis ſacri parentibus proponat. (§. 16.) Iam ad ipſam rem propoſitam pergit Auctor. Tractatio tribus abſolvitur partibus: quarum prima de conſtitutione, natura, et adquiſitione imperii civilis; altera de iuribus maieſtati propriis; tertia de obligatione ſubditorum, nec non modis, quibus deſinit imperium civile, ac interit civitas, exponitur. Illius Caput primum *originem civitatum et imperiorum civilium* deſcribit, ubi Vir clariſſimus totus in eo eſt, ut, reiectis reliquis virorum doctorum opinionibus, Boeclerum ſecutus demonſtret, cauſſam impulſivam primariam civitatum eſſe ipſam legem naturalem, quae ordinem imperandi et parendi in qualibet ſocietate perfecta praecipiat. Miramur profecto, talem virum, ſua eruditione tam indignam ſententiam fovere, quae rem, de qua diſputatur, plane intactam relinquit. Hoc enim praeceptum iuris naturalis, ex quo noſter originem rerum publicarum deducit, non prius locum habere poteſt, quam civitate iam conſtituta, ubi ipſae leges ſanae rationis ſubditis parendi neceſſitatem imponunt. At hic non quaeritur, unde obligatio parendi in imperio civili ſit, ſed quid homines ad civitates conſtituendas impulerit? Neque forte dici poteſt, lege naturae obligari homines, ut in civitates coeant pacis commodius fruendae cauſſa. An laedit alios, qui extra rempublicam vivit? Ita ne omnes, qui in aequalitate naturali verſantur, adeoque ipſi Patriarchae, iniuſtitiae macula notandi? Nam id quoque falſum eſt, quod vult vir doctiſſimus, Patriarcharum in familiis auctoritatem imperii civilis naturam habuiſſe. Si dicendum quod res eſt, ratio, quae movit homines, ut imperii civilis cauſſa ſe coniungerent,

rent, non una, ſed multiplex, prout varia eorum conditio poſtulabat, eſſe videtur: aliis violentia, aliis metus, aliis commodioris vitae ſtudium, aliis aliud humanae indigentiae genus cauſſam praebuit. Progredimur ad ſecundum caput, quo *modus conſtituendi civitatem*, *et cauſa conſtitutiva imperii civilis*, explicantur. Modum, quo oriatur civitas, recte in conſenſu omnium ponit, quem duobus pactis declarari oportet: *primo* de conſociatione, altero de ſubmiſſione; quo poſtremo etiam decretum de forma imperii atque imperante deſignandis, quod alii accuratius inter ambo haec pacta medium intercedere docent, comprehendit. (§. 1. 2.) Hinc Hobbeſium, Huberum, atque alios, aliter philoſophantes, iure reprehendit. (§. 3-5.) Vtrumque tamen pactum plerumque non expreſſum, ſed tacitum eſſe, (§. 7.) et vel a populo ſponte, vel antegreſſa quadam vi et coactione, iniri, (§. 8.) aſſerit. Neque vero hunc conſenſum cauſſam maieſtatis efficientem eſſe cenſet, ſed potius decantatam, et a Chriſtiano Thomaſio, cum Maſio, Dano quondam *Theologo*, acriter depugnante, dudum exploſam ſententiam, de immediata maieſtatis a Deo origine, (quam a conſultiſſimo Schrodtio, ſubtili alias et acuto Philoſopho, proferri poſſe, omnium minime expectabamus,) multis verbis defendit. (§. 9-14). Iam tertio capite *diverſae civitatum formae* proponuntur. Rem ita A. proponit: *Formam reipublicae aliam eſſe eſſentialem, quae in ordine imperandi et parendi omnibus civitatibus communi conſiſtat; aliam accidentalem, quae a modo ſpeciali adminiſtrandi imperii, et diverſo ſubiecto ſummi imperii, deſumatur.* (§. 1.) *Hoc autem ſubiectum maieſtatis eſſe vel unam perſonam phyſicam, vel collegium Optimatum, vel totum populum: unde triplex forma oriatur, monarchia, ariſtocratia, et democratia.* (§. 2.) Monarchiam definit, quod ſit *reſpublica, cuius ſummum imperium in uno individuo reſideat.* (§. 3.) Monet hic pauca contra eos, qui in Principum poteſtatem admodum iniurii, (unde monarchomachi dicti,) duplicem in hoc reipublicae ſtatu admittant maieſtatem, perſonalem, quam Principi tribuant, et realem, quam Populo

 pro-

propriam eſſe volunt. (§. 4.) Actiones quoque imperantis privatas a publicis, quas civitatis nomine ſuſcipit, ſeparari iubet. (§. 5.) Ipſum autem imperium civile in monarchia, vel abſolutum, vel limitatum proponit. (§. 6-13.) Illud eſſe ait, *cuius liberum exercitium nulla conventione aut conditione circumſcribitur; hoc, cuius liberum exercitium aliqua conventione, aut conditione, circumſcriptum ſit*. Sed vereor, ut, quantum imperium abſolutum a tyrannide, quam deſpoticum regnum vocant, diſtet, ex hac deſcriptione intelligi poſſit, cum utriusque exercitium haud circumſcriptum ſit, ita tamen, ut in abſoluto imperio princeps quidem in modo ac mediis exercendi poteſtatem nullos limites habeat, at omnino in fine, ad quem actiones et iura ſingulorum dirigit, ne aliter quam ad totius reipublicae ſalutem hac poteſtate utatur; in deſpotico vero etiam ad proprium commodum, neglecto publico, omnia peragere queat. Ariſtocratia eſt ea *reipublicae forma, in qua ſummum imperium penes certas quasdam perſonas eſt, quae Optimates, ſeu Proceres, ſeu Primores appellantur*. (§. 14.) Democratia eſt *ille reipublicae ſtatus, in quo ſummum imperium eſt penes totum populum*. (§. 15.) In illa ſubiectum maieſtatis eſt collegium Optimatum, licet ſinguli Optimates ſint ſubiecti; in hac totus populus, quamvis ſinguli cives pareant. (§. 16.) Cum autem plures, penes quos eſt exercitium maieſtatis, vix omnes conſentiant, quando de negotiis reipublicae conſilia capiuntur, Auctor ſuper hoc difficili argumento ſic philoſophatur. Quod maior pars decreverit, id pro voluntate omnium habendum eſſe; (§. 17.) ſi vero pares ſint ſententiae, nihil agi, ſed calculo Minervae locum eſſe, (§. 18.) niſi in iis negotiis, quae, ſi nihil decernatur, exitum habere nequeunt, ubi alia rem definiendi media, v. c. nova conſultatio, praeſidis ſuffragium deciſivum, compromiſſum, ſors, numerus denique ſuffragia ferentium inaequalis, eligi debeant: (§. 19.) abſentium autem rationem nullam habendam eſſe, (§. 22.) niſi ex ſingularibus quibusdam cauſſis. (§. 23.) Abſoluta igitur de formis rerumpublicarum ſimplicibus diſputatione,

(quam-

(quamvis, ſi verum fateri velimus, ea manca ſit, cum nihil dictum fuerit de polyarchia, quo nomine democratiam et ariſtocratiam Auctor minus adcurate comprehendit, ubi plures ſinguli poteſtatem civilem tamquam totidem Principes exercent, ita, ut ipſi hi ſinguli non ſint ſubditi; qua in re differunt ab Optimatibus: quae ſpecies imperii proxime accedit ad monarchiam, et ſaepius antiquiori aevo occurrit, cuiusmodi plura exempla ex hiſtoria antiqua repetere licet:) de mixtis diſpicit vir clariſſimus, quae ex binis, vel pluribus rerumpublicarum formis compoſitae ſunt; ubi inprimis adverſus Bodinum probat, eas extare poſſe, (§. 24. 25.) et bene monet, formam mixtam cum temperata non debere miſceri. (§. 26.) Tandem de Syſtemate, ut aiunt, plurium civitatum quaedam, eaque egregia, addit. (§. 27 - 31.) Sequitur quartum caput, *ius ſummi imperii in civitate, ſeu characterem maieſtatis* definiens. Ad hunc autem tria refert, ut maieſtas ſit ſumma, independens, et iure proprio competat. (§. 1.) *Hinc* in diiudicanda quaeſtione, *cui ius ſummae poteſtatis competat?* ſex cautiones obſervari recte iubet. Primam, hanc poteſtatem non pendere a nomine et ſpecie externa, ſed a cauſſa imperii, ut iure proprio illud habeat; titulum enim quemlibet principem ſibi pro lubitu tribuere poſſe, licet exterae gentes eum agnoſcere haud perfecte obligentur. (§. 3 - 7.) Deinde, ne quis putet, ex varia forma imperandi ipſam ſummam poteſtatem diverſam oriri. (§. 8. 9.) Porro, ut diſcernatur ius ſummae poteſtatis a modo habendi imperium: perinde enim eſſe, maieſtas ſitne perpetua, an temporaria; (§. 10.) (quam tamen tutori regio denegandam eſſe contra Grotium cenſet, quia is non iure proprio regnum adminiſtret,) (§. 11.) electio ne locum habeat, an ſucceſſio hereditaria, (§. 12.) patrimoniale ſit regnum, vel non patrimoniale. (§. 13 - 16.) Quarto obſervat vir clariſſimus, *non deſinere ſummum imperium, ſi imperans quaedam vel Deo, vel populo, vel vicinis promittat, etiam quae ad imperii rationes pertinent: vel enim illam promiſſionem eſſe*

gene-

generalem, et manere imperium abſolutum, vel ſpecialem, et conſtitui quidem imperium limitatum, attamen hanc limitationem non ipſam maieſtatem, ſed modum adminiſtrandi imperii afficere, (§. 17.) etiamſi clauſula nullitatis, (§. 18. 19.) aut commiſſoria, (§. 20. 21.) adiecta fuerit. Quinta cautio eſt, ne maieſtati dependentia, quae ex ſimplici conventione inter aequales oritur, aliquid detrahi credamus: (§. 22.) qualem nexus feudalis ſimplex, absque vinculo ſubiectionis; (§. 23-26.) pactum, quo gens minus potens ſe potentioris clientelae tradit; (§. 27.) foedus inaequale, de alterius gentis maieſtate comiter veneranda; (§. 28-32.) promisſio certi ſtipendii aut cenſus, (§. 33.) producunt. Poſtremo loco cavetur, ne ex territorii amplitudine vel tenuitate maieſtas diiudicetur. (§ 4.) Haec omnia maximam partem bene tractata ſunt, ex quibus pleraque auctor Boehmero debet. Ultimum huius partis caput *de modis adquirendi imperium* agit. Hos, ait, eſſe vel originarios, vel derivativos. (§. 1.) Ad illos refert occupationem bellicam, et electionem quae ultro fit; ad hos ſucceſsiones. Inde oritur diviſio regnorum in ſucceſſiva, electitia, et mixta ex utrisque, ubi ſucceſſio ſemper praecedente electione eſt confirmanda. (§. 2. 3.) Electio fit a populo, vel eius delegatis, (§. 4.) et quidem, ut viro clarisſimo videtur, plurimis ſuffragiis; (§. 5.) eaque poteſt vel libera eſſe, vel ad certa perſonae eligendae attributa reſtricta. (§. 6.) Succesſio vel a voluntate imperantis pendet, ſi regnum eſt patrimoniale; vel a voluntate populi, in regno non patrimoniali. (§. 7.) Ac voluntatem quidem populi aut expreſſam eſſe ſtatuit, in pactis fundamentalibus declaratam; (§. 10.) aut his non ſufficientibus praeſumtam locum habere, quae ex ratione ſalutis publicae, et moribus gentium univerſalibus, ſit arceſſenda. (§. 11.) Hinc varias, cum Grotio, de ſucceſſione ſecundum hanc praeſumtam populi voluntatem, obſervandas regulas tradit, (§. 12-16.) et de iure primogeniturae, (§. 17. 18.) de ſucceſſione lineali, eaque vel cognatica, vel agnatica, nec non de

ea,

ea, quae ſecundum proximiorem gradum defertur, (§. 19-23.) multa profert, quae omnia an iure perfecto, citra pacta expreſſa, ita ſe habeant, vehementer dubitamus; omnem potius voluntatis praeſumtionem, quae non certitudine, quae ſola ius perfectum producere poteſt, ſed tantum veriſimilitudine nititur, aeque ac mores gentium, (qui profecto obligationem imponere nequeunt,) ex toto iure naturae, quod ſolis ſanae rationis et iuris perfecti principiis continetur, exulare iubemus. Nobis ſane, pacto expreſſo de ſucceſſione aut non extante, aut tacente, iudicium de eadem penes populum eſſe videtur, quidquid Auctor in contrariam partem diſputet, cuius ſententia, de cauſſa dubia ſucceſſionis inter litigantes ſolis armis decidenda, (§. 32.) pacem externam magis evertit, quam conſervat.

Tranſimus ad alteram libri partem, quae iura maieſtatis tradit, ſed ea tantum, quae immanentia vocari ſolent, non etiam tranſeuntia: horum enim doctiſſimum Iuris publici univerſalis ſcriptorem quidem initio mentionem inieciſſe, nullum vero eorum poſtea verbo attigiſſe, miramur; niſi forte conſilium ceperit, ea, ſiquidem paullo uberiorem tractationem poſtulant, ſeparato volumine explicandi, quod ſperamus, et literarum gratia cupimus. Primo igitur ſtatim capite *de legulatoria poteſtate* A. expoſuit. Poſtquam hic de definitione legis civilis, de cauſſa, cur leges ferendi poteſtas in maieſtatis iuribus ſit, atque de varia eas dividendi ratione, ab argumentorum et actionum, circa quas verſantur, diverſitate petita, egit: (§. 7-10.) cauſſam efficientem legum civilium contemplatur, quae eſt ſolius ſummi imperantis voluntas, (§. 11-13.) cum qua facultas magiſtratuum ſtatuta condendi haud confundi debeat; (§. 14.) Tum, qui lege civili obſtringantur, quaerit? ubi hanc regulam conſtituit: *Lege civili obligari, qui ſubſint imperio civili legiſlatoris, et contineantur finibus territorii, cui lex civilis lata ſit*, (§. 15.) unde argumentatur, etiam Clericos legibus civilibus Principis omnino obnoxios eſſe; (de quo ingenuo auctoris iudicio

eo magis laetamur, quo minus id ab eo, ob religionis ſuae ſtudium, expectari poterat;) (§. 16-18.) ſubditos vero extra territorium verſantes non obligari legibus ſuae civitatis, niſi iis, quae officia civis negativa, aut officia affirmativa naturalia contineant, (§. 19. 20.) at temporarios ſubditos omnino teneri; (§. 21.) Principem nonniſi prudentiae praeceptis ad eas ſervandas obligari. (§. 22.) Sed quid de legatis, et coniuge Principis dicendum? Has ille quaeſtiones ſilentio praeterire ſatius duxit. Porro de obiecto legum civilium diſputat, id quod etiam ex ſalute et ſecuritate reipublicae determinandum cenſet; cuius rei cauſſa nonnullas utiles regulas ponit, ac praeterea monſtrat, res, quae fieri nequeant, aut nimis ardua ac difficilia negotia, ſubditis haud iniungi, neque de actionibus mere internis, aut de praeteritis, leges ferri poſſe. (§. 23-30.) Denique de effectu legum civilium, nempe earum obligatione, cum interna, tum externa, loquitur. (§. 31-34.) Tandem de modis, quibus obligatio civilis tollitur, quod vel abrogatione, vel exemtione per diſpenſationem aut privilegium, contingit, nonnulla adiiciuntur. (§. 35-44.) Omnia hic bona, quaedam etiam praecone digna. Iam accedit Auctor ad aliud ius maieſtati proprium, quod cum hoc, quod modo expoſuimus, valde coniunctum eſt, nempe ad *ſummam poteſtatem imperantis iudiciariam*, cui alterum caput addixit. Hanc vero poteſtatem aut ipſe Princeps exercet, aut eius mandato Magiſtratus exequuntur, (§. 2. 3.) quorum tamen facultas valde reſtricta eſt, ut pulchre oſtenditur. (§. 4-7.) Obligat ea cives, cum ut a vindicta privata abſtineant, niſi in cauſſa neceſſitatis, iudiciis ceſſantibus, quod fit partim in vi repentina, quo pertinet moderamen inculpatae tutelae, partim in locis ubi nulla ſunt Iudicia, partim in anarchia; (§. 8-14.) tum ut ſententiae iudicis pareant. (§. 15-16.) Vtraque imperantis poteſtas maxime iuvatur eiusdem *iure puniendi*, de quo tertio capite multa, bonae frugis plena, diſſeruntur, quae commodius in ipſo opere legi, quam brevi

narra-

narratione comprehendi poſſunt, ſi ea exceperis, quae de cauſſa, cur hoc ius ad maieſtatem pertineat, affert Auctor; quam non, ut fas erat, in renunciatione libertatis a ſingulis, cum regnum conſtitueretur facta, ponit, ſed ab immediata ſummi numinis permiſſione arceſſit. Sequitur *de iure imperantis circa collegia et univerſitates*, in capite quarto, diſputatio. Abſolvitur illud ſuprema inſpectione, quae efficit, ut *Principi* competat facultas Collegia in civitate obvia confirmandi, eorum rationes ac ſtatuta inſpiciendi et reformandi, eadem prohibendi ac tollendi, nec non in eorum delicta animadvertendi; ita tamen, ut caveat, ne aut propter delictum Univerſitatis ſingulos ſocios, qui in delictum haud conſenſerunt, ſed aliorum potius ſententiis victi ſunt, ſingulari poena afficiat, aut delictum ſingulorum toti Univerſitati imputari poſſe credat. Cumque Eccleſia, primaria ſocietas in republica ſit, ſubiunxit caput quintum *de iure poteſtatis civilis circa ſacra*. Hic non potuit non vir clarisſimus, ob religionis quam profitetur ſtudium, a vera via aberrare; quare ea, quae de hoc argumento ſcripſit, ei haud imputamus. Diſputat autem ita. Circa eccleſiam duplicem verſari poteſtatem eccleſiaſticam, praeſulum eccleſiae, cui ſoli ſubſint dogmata religionis, (nos quidem non intelligimus, quomodo dogmata, quae libertate intellectus nituntur, coactionem recipere posſint,) et civilem Principis, quae ad diſciplinam et politiam eccleſiae externam ſpectet, ita tamen, ut haec in hiſce negotiis cum illa concurrat. (§. 1-9.) Inde argumentum ducit, ius maieſtatis circa ſacra conſtare partim ſuprema tutela ac defenſione eccleſiae, cuſtodia et executione legum divinarum ac canonum, et conſervatione libertatis eccleſiaſticae; partim iure inſpectionis circa cauſſas diſciplinae et politiae eccleſiaſticae externae, ne quid detrimenti capiat respublica, et poteſtate cum eccleſiaſtico imperio circa has cauſſas, quatenus ad ſtatum politicum pertinent, concurrente. (§. 10. 11.) Iam ad ſingulas cauſſas tranſit, in quibus vel utramque poteſtatem, vel alterutram deprehendi

ſiendi vult. Primum ait, quoniam ſupremum iudicium de dogmatibus et controverſiis religionis ad ſolam poteſtatem eccleſiaſticam pertineat, huic quoque ius convocandi Concilia, quae vocant oecumenica, competere, ad quod imperium civile non concurrere poſſit, niſi quatenus eius ſit providere, ne ſecuritas civitatis per religionis diſſidia turbetur, ſcilicet, ut controverſiae religionis obortae mature ſopiantur, ut libertati ſuffragiorum conſulatur, ut ordo legitimus ſervetur, et ſeditioſi tumultus compeſcantur, denique ut condemnati in Conciliis auctoritate civili coerceantur, ſalva ceterum manente dogmata ipſa ac controverſias definiendi eccleſiae facultate. (§. 13 - 16.) Deinde definit poteſtatem civilem circa leges eccleſiaſticas ita, ut eam, quod ad dogmaticas, iure tutelae et exequendi facultate circumſcriptam; ad valorem vero et promulgationem earum, quae diſciplinam ac politiam eccleſiae externam concernunt, confirmatione et approbatione Principis magis opus eſſe affirmet: quo argumento iuſtitiam placitorum, ut aiunt, regiorum circa bullas Pontificis, multis verbis defendit, quod nos omnino laudamus. (§. 17 - 28.) De iurisdictione in cauſſis eccleſiaſticis ſic ſtatuit, eam, ſi cauſſae ſint mere ſacrae, ſoli eccleſiae propriam eſſe, ſalvo tamen iure tutelae Principis; ſin cauſſae ſint mixtae, ita ut earum deciſio ſimul inſignes effectus civiles coniunctos habeat, vel concurrenti iudiciorum civilium iurisdictioni locum eſſe, vel recurſum ad Principem obtinere. Cauſſarum mixtarum exempla affert: *a*) matrimonium, quod putat ut ſacramentum ſoli poteſtati eccleſiaſticae ſubeſſe, ſed ut pactum, ad imperii civilis iudicium pertinere: *b*) decimas: *c*) beneficia eccleſiaſtica, quae intuitu ſacri officii a ſolius eccleſiae poteſtate, ratione iurium vero ſecularium, et redituum iis adnexorum, ab imperio civili pendere contendit. (§. 29 - 48.) *d*) conſtitutionem et confirmationem praeſulum ac miniſtrorum eccleſiae, ubi huic conſecrationem et ordinationem, Principi vero tutelam ac inſpectionem, ne eccleſia aut civitas, ex conſtitutione perſonae turbulentae, vel civitati inviſae, detrimentum

capiat,

capiat, quieſve publica turbetur, tribuit: (§. 49. 50.) *e*) tolerantiam religionis publicam, de qua peſſime ſentit auctor, affirmans, Principis officium eſſe, ut ſubditis nonniſi unius et orthodoxae religionis exercitium permittat, excepta tamen neceſſitate, ſi ſalus aut pax eccleſiae atque imperii aliud poſtulet: (§. 51.- 55.) *f*) poenam haereſeos, circa quam partes eccleſiae cognitione eius, et definitione poenae *ſpiritualis*, v. c. excommunicationis, quatenus pertinax diſſenſus a dogmate eccleſiae ſit delictum eccleſiaſticum, abſolvi; magiſtratus civilis vero officium eo pertinere ait, ut haeretici propter turbationem quietis publicae poenis civilibus, immo capitalibus, (perſuaſit enim ſibi A. ex ſuae religionis principiis, iuſte animadverti in diverſae religionis ſectatores,) afficiantur: (§. 56-62.) *g*) ius aſyli, quod tamen inter cauſſas mixtas referri non poſſe ipſe tandem fatetur. (§. 63.-67.) Nos malumus ad meliora accedere, quam recenſendis his opinionibus, a ſana ratione longe alienis, immorari. Multo accuratius namque et doctius vir clariſſimus *dominii eminentis*, quod maieſtati proprium eſt, naturam capite ſexto deſcripſit. Definitur *ius perfectum imperantis in bona ſubditorum*, *boni communis cauſſa*, idque a iuſtitiae rationibus haud abhorrere pulchre oſtenditur. (§. 1-5.) Deinde, quousque illud ſe extendat, monſtrat auctor, eidemque, urgente neceſſitate, omnia bona etiura ſubditorum, cum ſingulorum, tum collegiorum, obnoxia eſſe docet, etiam eccleſiaſtica, (§. 6-12.) nec non bona forenſium, (§. 13.) imo exterorum, qui nulla ratione ſubditi ſunt. (§. 14.) Praeterea recte monet, hoc ius poſſe vel cum compenſatione, vel absque ea exerceri, (§. 15.) ſummam vero poteſtatem dominio eminenti renunciare non poſſe. (§. 16.) Ultimo capite de *iure ſummi imperantis circa tributa* exponit, quae partim realia, perſonalia, et mixta, (§. 3.) partim in ordinaria et extraordinaria, (§. 4.) diſpeſcit, ſimulque explicat, cur hoc ius maieſtati, eique ſoli, non etiam magiſtratibus proprium ſit. (§. 5.-7.) Inprimis autem de obligatione ſubdito-

 dito-

ditorum ad ſolvenda tributa, egregia profert, quae nulla de cauſſa ab iis denegari poſſe ait, quia nullum eorum ſit de actionum maieſtatis iuſtitia iudicium. (§. 8 - 13.) Ceterum, haec obligatio ad omnes ſubditos pertinet, niſi qui immunitatem volente maieſtate adepti ſint, quae tamen ipſa in cauſſa neceſsitatis ſuo deſtituitur effectu. (§. 14. 15.) Haec de iuribus maieſtaticis diſputavit auctor, licet etiam ex immanentibus, quippe quae ſola tractavit, quaedam, v. c. ius maieſtatis circa officia publica, et poteſtatem ſummi imperantis circa res nullius, ſeu bona ἀδέσποτα, omiſerit.

Tandem ſequitur tertia pars, quae partim obligationes ſubditorum, partim modos, quibus deſinit imperium civile, continet. Quod ad primum membrum attinet, debebat hoc loco etiam de obligatione imperantis, (quae omnino perfecta eſt, ut ſupra diximus,) nec non de obligatione totius populi erga imperantem, (quae ab officio ſingulorum diverſa eſt,) differi: ſed quoniam Principem ab omni perfecta obligatione liberum eſſe auctor ſibi perſuaſit, populum vero a ſingulorum conditione non ſeparavit, ſufficere exiſtimavit ſi de ſubditorum tantum obligatione exponeret. Hanc autem triplicem eſſe aſſerit: aliam erga imperantem, aliam erga rempublicam, aliam erga alios cives ſingulos. Agit igitur primo capite *de obligatione ſubditorum intuitu ſummi imperantis*. Hanc tribus rebus abſolvi docet, *obedientia*, *patientia*, et *fidelitate*. (§. 4.) *Obedientiam* poſitam eſſe, ait, in adcommodatione voluntatis ſubditorum ad voluntatem ſupremam imperantis, quo efficitur, ſubditos facultate de legibus et actionibus maieſtatis iudicandi omnino carere, et potius neceſsitate agendi ex praeſcripto eius urgeri. (§. 5. 6.) Ceſſare tamen hanc obligationem, quando ea praecipiat Princeps, quae legi naturali aut divinae poſitivae repugnent, ita quidem, ut non obedire, non autem ut reſiſtere poſſint ſubditi, quippe qui potius patienter ferre debeant, ſi propter obſequium hanc ob cauſſam denegatum ab imperante puniantur aut male tractentur. (§. 7 - 9.)

In

In reliquis rebus omnibus, ſalvam manere et validam hanc obligationem etiam erga impium ac durum Principem, a qua ne ſummus quidem Pontifex ſubditos liberare, poſſit. (§. 10. 11.) Quam praeclare dictum. Sed liberavit tamen aevo medio ſaepius, et cum impetu. *Patientiae* obligatio privat ſubditos facultate reſiſtendi, quod nos de ſingulis concedimus, minime vero de toto populo, cui eam quoque eripere ſtudet Auctor. (§. 12-29.) Non enim ideo maieſtas tribuenda eſt populo, et imperium in Principem, quae eſt periculoſa ac nefanda monarchomachorum ſententia; ſed gaudet populus iure reſiſtendi, quando videt, Principem, neglecta reipublicae ſalute, in ſuum commodum imperio abuti, ut aequalis erga aequalem pacto ſibi obligatum. Tertia obligationis ſpecies, quae *fidem* iniungit ſubditis, eo redit, ut hi nec novis rebus ſtudeant, nec ſtatum reipublicae convellant, ſed potius et pacis et belli temporibus ſummo imperanti inviolata fide adhaereant; cui obligationi vel maxime contrarium eſt crimen laeſae maieſtatis, eiusque ſpecies, perduellio. (§. 30-33.) Hinc populo et ſingulis ſubditis competit ius et obligatio invaſorem regni deiiciendi, occidendi, eique quovis modo reſiſtendi; niſi ea ſit rerum facies, ut neque ipſe legitimus Princeps defendere ſuam civitatem poſſit, neque tantae ſint civitatis vires, ut invaſori citra praeſens exitium ea reſiſtere valeat: tum quidem licet iis, abſque iniuſtitiae et fidei fractae crimine, cum victore paciſci de ſubiectione, quae tamen deſinit legitimo Principe imperium recuperante. (§. 34-45.) Haec quidem tam ſanam doctrinam produnt, ut maximam laudem mereantur. Cum autem *ſubditis* alia praeterea *officia*, *et reipublicae*, *et aliis civibus ſingulis praeſtanda*, naturae lege impoſita ſint, de his doctiſſimus auctor ſequenti capite verba facit. Erga rempublicam ſinguli obligantur, ut ſuas vires cum poteſtate imperantis, in defenſione et conſervanda ſalute civitatis coniungant; quod fit, dum bona, operas, ipſamque vitam ſaluti publicae impendunt et munera publica ſubeunt. Inde quaeſtio diiudicanda: an civitas ius habeat tradendi hoſti

civem

civem innocentem, ut vitetur imminens alioquin civitatis excidium? quod auctor recte affirmat, et adverſus negantes bonis argumentis tuetur. (§. 1-11.) Civium vero erga cives primaria obligatio in eo poſita eſt, ut concordiae ſtudeant. (§. 12. 13.)

Iam ad alterum argumentum ultimae huius partis devenimus, quod verſatur circa modos, quibus imperium civile deſinere poſſit. Quod cum contingere queat civitate vel *manente*, vel *intereunte*, primum proponuntur tertio capite *modi, quibus imperium deſinit ſubſiſtente civitate.* Manente quidem civitate deſinere poteſt imperium aut in univerſum, aut tantum quoad ſingulos ſubditos. In univerſum perit imperium: *a*) Morte Principis in regno electitio, quae efficit interregnum, quo durante maieſtas eſt penes populum, qui poteſt, ſi placeat, vicarios conſtituere, et vel novum regem eligere, vel formam reipublicae immutare. (§. 2-7.) *b*) Extincta familia regnante in regno ſucceſſivo, non patrimoniali, ubi eadem obtinent. (§. 8.) *c*) Abdicatione Principis: quae ſi ſimplex eſt, ſine conſenſu populi fieri poteſt, niſi ſit intempeſtiva, vel pacto prohibita; ſin coniuncta cum ceſſione et tranſlatione imperii in alterum, (qualificatam appellavit auctor,) conſenſus populi requiritur: neutra tamen nocet liberis invitis abdicantis in regno ſucceſſivo; ipſe vero Princeps, qui imperio renunciavit, in ſortem perſonae privatae incidit. (§. 8-13.) *d*) Alienatione, ſi quidem ſit regnum patrimoniale, non ſi non patrimoniale, ad cuius alienationem populi voluntate opus eſt, excepta ſumma neceſſitate. (§. 14-16.) *e*) Derelictione, quae neque cum negligenti imperii adminiſtratione, neque cum fuga neceſſaria, confundi debet, atque vel ex factis imperantis intelligitur, v. c. ſi ſponte aufugiat, ſi cum adverſario de iure imperandi ipſi relinquendo paciſcatur, aut eidem titulum legitimi Principis tribuat, vel ſilentio diuturni temporis; quod poſtremum quidem negamus, quia in eorum numero ſumus, qui praeſcriptionem iuris naturalis principiis incognitam eſſe contendunt. (§. 17-22.) Interdum

fit

ſit, ut imperium tantum reſpectu ſingulorum quorundam ſubditorum diſſolvatur, aut immunitate a maieſtate conceſſa, aut emigratione ſive neceſſaria, ſive voluntaria; quae poſtrema tamen ſine conſenſu Principis illicita eſt, qui ius detractus recte exercet. (§. 23-29.) Dixerat auctor, quomodo fieri poſſit, ut imperium deſinat manente civitate: iam capite ultimo inquirit in *modos, quibus tota civitas interit*; ubi optime monet, civitatem perire, duplici pacto, unionis et ſubiectionis, iterum ſoluto. (§. 10) *Hoc* autem contingere docet vel extincta multitudine, vel unione civili ſublata. Multitudo extinguitur inundatione, terrae motu, omnibus bello victis et occiſis, aut ſponte ſe interimentibus, licet paucis ſuperſtitibus civitas adhuc duret. (§. 2. 3.) Unio civilis vero diſſolvitur partim diſſipatione ſingulorum civium, aut emigratione, aut muris urbis deiectis; (§. 4 6.) partim ſervitute publica; (§ 7-9.) partim diviſione in plures reſpublicas; (§. 10.) neutiquam vero imperii forma mutata. (§. 11.) Haec quidem de totius Operis argumento dixiſſe ſufficiat. Diximus ab initio, et iam repetimus, egregium eſſe librum, licet maculis non omnino liberum, quas ſingulas ſuo loco libere notavimus. Precamur excellentiſſimo Schrodtio vires et vitam, ut iurisprudentia naturalis, et publica univerſalis, quam cum laude ornare coepit, et imposterum habeat de quo ſibi gratuletur in Bohemia.

IOH. IAC. WETSTENII PROLEGOMENA IN Novum Teſtamentum. Notas adiecit, atque appendicem de vetuſtioribus Latinis Recenſionibus, quae in variis codicibus ſuperſunt, IOH. SAL. SEMLER. Cum quibusdam characterum Graecorum et Latinorum in libris manu ſcriptis exemplis.

Halae Magdeburg. in Officina libraria Rengeriana. MDCCLXIV. Alphab. 2. minus plagg. 2. in 8.

Inter eruditos vix putamus aliquem reperiri, qui Wetſtenii laudes, arte critica collectas, eiusque de Libris N. T. merita, non cognoverit. Nobis quidem hoc nomine ſemper tanti fuit aeſtimatus, ut, etiamſi errores eius non ignoraremus, et repudiaremus; tamen inter principes interpretes N. T. arte critica inſtructos recte eum referri cenſeremus. Millii enim, et Küſteri labores in Critica N. T. non contemnendos, Wetſtenii diligentia ita perfecit, ut poſtero tempore vix exſtiturum eſſe aliquem exiſtimemus, qui tantum hac in re ſolus praeſtet, quantum praeſtitiſſe illum aequus quilibet rerum aeſtimator fatebitur. Quo maiores deberi atque etiam haberi ab harum litterarum ſtudioſis gratias putamus ſumme reverendo *Semlero*, Theologo noſtrae aetatis conſummatisſimo, quod pro doctrinae eruditionisque magnitudine, et pro ſuo quodam ſingulari communis utilitatis ſtudio, novam Prolegomenorum Wetſtenii in N. T. editionem paravit, ut, cum rariores atque pretioſiores, praeſertim noſtris in terris, eſſent Operis Wetſteniani editiones, illius certe utiliſſimae partis copia iis fieret, qui huic ſtudiorum generi munus quoddam in Theologia, et fortaſſe praecipuum, eſſe intelligerent. Quamquam enim non ſperamus fore, ut ii, qui interdiu noctuque nugas ſomniant, huiusmodi laboribus, quibus Vener. Halenſium doctor prodeſſe Theologis cupit, ſuum ſtatuere pretium diſcant; credimus tamen confidimusque, hanc ipſius eſſe mentem, ut nullum maius virtuti recteque factis ipſa conſcientia theatrum eſſe putet, utque recte ſentientium, etiamſi pauci ſint, approbatione ſuſtentatus, patienter abſona illorum convitia ferat. Nos quidem non ii ſumus, qui laudum Semleri facere praeconium conemur, cum eas à laudatisſimis, uti par eſt, viris celebrari ſciamus: verum optime eum hac opera, quam Prolegomenis in N. T. Wetſtenianis ſeparatim edendis impendit, eſſe de litteris Theologicis meritum, grati agnoſcimus, ac lubentes profitemur. Prima vero horum Prolegomenorum editio, ab ipſo Wetſtenio curata,

rati, An. poſt C. N. ↀ ↄↄCCXXX, ſine auctoris nomine in lucem prodiit, et in his ipſis rei litterariae faſtis illius anni Menſ. Octobr. indicata atque laudata eſt. Sunt porro quaedam in hoc libello loca, ex quibus licet cognoſcere, Wetſtenium ipſum haec Prolegomena, ut opinamur, cum Opere N. T. iterum edidiſſe, quibusdam hic illic mutatis et additis; (vid. p. n. 29. 56 ſqq. 92 ſqq. — 101) verum cum *nec inſpiciundae* ipſius editionis, nec cognoſcendorum, *quae ab* aliis de ea eſſent prolata, confeſtim facultas nobis eſſet, ſic partes noſtras agere inſtituimus, ut primum de univerſa libelli forma, deinde vero, inprimisque de iis, quibus plurim. rev. Semlerus hanc editionem vel ornavit, vel locupletavit, pauca quaedam diceremus. Ne vero lectoribus noſtris, aut nimia brevitate, aut prolixiore oratione moleſti ſimus, indicem modo capitum faciemus, quae a Wetſtenio his Prolegomenis tractata ſunt. Primo quidem de Codd. Graece. Mſſ. N. T. in univerſum diſſerit; *tum de eorum* forma externa atque interna, characteribus, *aetate; mox* de diſcrimine in conferendis iis diligenter obſervando. Deinde vero ſpeciatim agit a pag. 28. de Codd. Evangeliorum Graecis, tam veteribus, quorum facit duas claſſes, quam iunioribus, poſt Sec. IX. ſcriptis, p. 110. tum p. 162. exponit de Evangeliſtariis graecis Mſſ. rurſus in duas claſſes tributis, quarum prior complectitur ſex Codd. litteris maioribus conſpicuos, poſterior reliquos duodeviginti, minoribus litteris ſcriptos. Sequitur p. 169. recenſio Scriptorum Graecorum, qui codicibus N. T. ſunt uſi, inde ab antiquiſſima rei chriſtianae aetate, usque ad Seculum decimum tertium: in fine huius tractationis monet etiam, ſed tribus tantum verbis, et veluti obiter, de Catenis Patrum hanc in rem utilibus. Melior eſt diſputatio de *Verſionibus* N. T. antiquis, inprimisque de Latina, cuius *indolem* et hiſtoriam inde a pag. 211. egregie explicuit Au*ctor: in* ceteris autem verſionibus recenſendis rurſus iuſto brevior, nec ſatis diligens eſſe videtur. Itaque bene fecit

N 2 Sem-

Semlerus, quod in obſervationibus ſubiectis lectores paſſim amandavit ad celeberr. Michaelis Tractat. Crit. de Varr. Lect. N. T. cuius comparatio certe hac in parte non negligi debet. Pag. 309. incipit exponere de Editionibus N. T. inde a Sec. XVI, ſed modo de principibus; nimirum iis, quae ſingulae inter ſe differunt, et vel ex Codd. Mſſ. vel ex pluribus editionibus pro editorum arbitrio collatis expreſſae prodierunt; cuius generis numerat undeviginti aut viginti. Poſt p. 412. commemorat Collectores et Editores VV. LL. N. T. et denique p. 456. exponit de claris interpretibus N. T. inter Proteſtantes, et eorum de VV. LL. ſententias laudat. In hac vero Sectione reperitur etiam narratio bene longa litium Wetſtenii cum Baſileenſibus, qualis iam eſt ad calcem diſputationis de Edd. Eraſmi, inde a pag. 334. ad pag. 364. utraque vero ab hoc libello plane aliena, et Wetſtenii probitate interdum valde indigna eſt, ut ipſe Semlerus in notis plus vicies monuit. Subiicitur p. 537. indiculus Codd. Mſſ. Evangeliorum; quem p. 539. excipit catalogus Codd. Graec. Epiſtolarum Paulinarum, acceſſitis tribus Lectionariis huc pertinentibus; et denique p. 565. deſcriptio Codd. Graec. quibus Acta Apoſtolorum et Epiſtolae Catholicae continentur; adiecta ad extremum, p. 575. recenſione Codd. qui Apocalypſin Iohanneam habent. Haec fere ſunt, quae ab ipſo Wetſtenio pertractata hoc Prolegomenorum in N. T. volumine cognovimus. Nam Appendicem eius, calci voluminis N. T. ſecundi adiectam, Celeb. Editor omiſit, munere eius alio tempore edendae ſuſcepto: cuius inſtituti gratiam hoc libentius ei fecerint ii, qui ex iis, quae hac in parte praeſtitit, certisſimam mente ſpem conceperunt fore, ut altera quoque pars, potisſimum Semleri opera, multo ornatior atque auctior prodeat. Haec enim, quam nunc tractamus, non modo a vitiis erroribusque typographicis purgata, ſed magno quoque notarum numero aucta, et appendice de antiquioribus Latinis Recenſionibus maiorum Codd. inſtructa eſt. Quod itaque attinet ad no-

ta illas, in iis vel perperam a Wetſtenio dicta emendantur, vel recte quidem, ſed iuſto brevius ab illo propoſita, latius explicantur, teſtimoniis Veterum confirmantur, et exemplis illuſtrantur, vel omiſſa ſupplentur. Quo nomine inprimis utilem lectoribus horum Prolegomenorum operam navavit ea in parte, quae de ſcriptis Doctorum Eccleſiae ad criſin N. T. utilibus expoſitum eſt. Cum enim in hac tractatione Wetſtenius paulo negligentior fuiſſet, et nihil fere, niſi nomina auctorum veterum, librorumque ab iis ſcriptorum, ex quibus in iudicandis textus N. T. lectionibus aliquid profici putaret poſſe, ſine ullo delectu commemoraſſet; plurim. rever. Semlerus in notis paſſim de uſu illorum Scriptorum ad criſin N. T. expoſuit, ut p. 187 ſq. ſaepius eorum editiones recenſuit, et collectiones laudavit, in quibus huiusmodi ſcripta reperiuntur, ut p. 188. 194. tum ſubinde de aetate eorum et veritate quaeſtiones poſuit, v. c. not. 143. 134. adiecitque paſſim Veterum teſtimonia, ex quibus de illorum ſcriptis iudicari poſſet, ut not. 128. denique perutiliter monuit de libris quibusdam Veterum a Wetſtenio aliisque omiſſis, quorum tamen cognitio ad varias N. T. lectiones colligendas, omninoque ad hanc Criticae Sacrae partem facere ipſi videretur: vid. v. c. not. 130. In his, aliisque plurimis a celeb. Semlero egregie dictis, etſi doctrinae eius ingeniique gloriam libenter agnoſcimus; ſunt tamen etiam, de quibus idem dici videatur poſſe, quod plur. rev. Auctor de editione Lexici Heſychiani ab Alberto curata, quo iure, quave iniuria, nunc non definimus, not. 122. dixit. Quo quidem maxima notarum pars referenda eſt, quas doctiſſimus vir Wetſtenii controverſiarum cum Baſileenſibus enarrationi ſubiecit: his enim lector non ſolum ſine fructu interpellatur, ſed optare etiam cogitur, ut melioribus, quae ſubinde dici potuiſſent, locus ſit conceſſus. Nam in ipſa Sectione de Scriptt. Eccleſ. in qua Wetſtenii negligentiam Semleri diligentia diximus eſſe plurimam emendatam; ſaepiſſime, praeter alia, diligentiorem deſi-

deſideravimus commemorationem librorum Doctorum veterum Graecorum, quorum aliquis in Sacra N. T. Critica ſit uſus. Omnia enim eorum, quos Wetſtenius enumeravit, ſcripta, eo prodeſſe, iure meritoque negari poſſe videtur: quod ipſum celeb. Editorem vidiſſe ex not. 177. intelleximus. Neque vero excuſatio illa aliquam hic vim habere poteſt, Millium et alios de his accuratius diſſeruiſſe, adeoque ex horum libris pleniorem huius rei cognitionem eſſe hauriendam. Sed vero conſilium Editoris fuit, ut horum Prolegomenorum uſus pateret latius, et ad eos pertineret, quibus harum litterarum ſtudium eſſet cordi, illorum vero Operum copia denegaretur. Quanquam autem non timendum eſſe videbatur, ne cenſura notarum Semlerianarum agenda, iniquitatis malitiaeve poſtularemur: tamen nec lubitum erat, nec tempus ſuppetebat, omnia, quae in perlegendis iis nos offenderant, recenſendi aut enumerandi. Nam ut vitia mittamus, quae in numeris laudandis paſſim remanſerunt, v. c. p. 236. loco 31. legi debet 86; p. 238. et 563. pro 82. et 59. leg. 81. et 101; hoc certe aegre tulimus, quod multa alienis locis dicta, ut not. 88. 99. et aliis deprehendimus, cum de iſtis rebus a Wetſtenio alibi actum eſſet. Deinde vero obſervaſſe etiam nobis videmur, cel. Editorem interdum ſuis nimium indulgere coniecturis, et his, aliorum coniecturas oppugnando, multo incertiores facere lectores; v. not. 124. 263. 295. et aliae. Ut unum modo exemplum afferamus, not. 326. p. 545. corrigere tentat mancos Poetae cuiusdam verſiculos a Wetſtenio ex Cod. Reg. 2245. deſcriptos: verum ſi recte intelleximus ea, quae ibi contra Wetſtenium ſunt monita, Semleriana corrigendi ratio non procedit. Wetſtenius enim Codicem ipſe tractaſſe manibus, et quas poſſet oculis cernere litteras forma ſua deſcripſiſſe videtur. Quid Editor noſter? Non diligenter ea deſcripta, et ut hic habeant, nihil omnino eſſe dicit; ſe itaque correctionem eorum coniectura tentaturum eſſe. At enim vero, non de illarum littera-

rum

rum ſignificatione, ſed potius quae et quales in illo Codice poſſint conſpici, quaeri videtur: adeoque hoc quidem in libello poteramus tali emendatione carere, quae nec ipſa faciliorem ad intellectum verborum reddit aditum. Praeterea Cel. notarum Auctor multis locis paſſimque acriter defendit auctoritatem Verſionis Latinae, depreſſis Codicibus Graecis, et adeo Wetſtenium reprehendit, qui pagg. 390. *424. et 445.* conſenſum omnium Graecorum et Codicum *et Patrum,* Verſionumque reliquarum, Latinae verſioni recte, ex noſtra quidem ſententia, praefert. Qua de re cum poſtea quaedam ſint dicenda, quando ad Appendicem Semlerianam pervenerimus, nunc tantum monemus, ſententiam, quam plur. Rev. Vir initio notae 314. dixit, nobis videri nec Critico, nec veritatis ſtudioſo ſatis dignam eſſe, ſed Scepticismo favere. Quid enim certi poterit eſſe tum in divinis, tum in humanis litteris, ſi ius fasque ſit, ſuis unumquemque talibus in rebus parere legibus?

Sed veniamus ad Appendicem Semleri, octo obſervationibus *deſcriptam*, quibus hiſtoria veterum recenſionum Latinarum *explicatur*, earumque in emendando textu graeco uſus oſtenditur. Prima igitur obſervatione, ex Scriptis Tertulliani collegit plur. Rev. auctor locos, quibus demonſtraret, iam iſtis temporibus verſionem aliquam N. T. latinam in Africa exſtitiſſe, eamque ſemper et ubique eſſe a Tertulliano adhibitam. Etſi vero uſum recenſionis alicuius latinae in Africa temporibus Tertulliani ſatis confirmari, eiusque indolem bene explicari concedimus; tamen adduci non potuimus, ut cum celeb. Semlero ſtatueremus, graecum N. T. textum a Tertulliano numquam eſſe oculis viſum. Nam omnia, quae vir doctiſſimus hanc in partem diſputat, ita ſunt comparata, ut deeſſe nullo poſſint modo quae contra dicas. Neque vero bene ſuſtulit Auctor dubitationem, quae ex dictis Tertulliani, ubi textum graecum memorare videtur, oritur: quale eſt illud ex libro eius de Monogam. c. XI. prolatum, ubi voc. *graeco* vult pro gloſſemate deleri; quod fortaſſe

ferri

ſumi poſſet, ſi uſpiam alibi Tertullianus ad hunc modum doctus eſſet.

In univerſum vero valde lubricam eſſe putamus ſententiam, quam cel. Semlerus hac tota diſputatione maxime firmare voluiſſe videtur, collectionem iſtarum reliquiarum, quae ex antiquis recenſionibus latinis in ſcriptis Doctorum Eccleſiae latinae ſuperſint, eſſe multum profuturam, non modo ad hiſtoriam recenſionis latinae cognoſcendam, ſed etiam ad Verſ. Lat. vulgatam emendandam, et ad graecum N. T. textum conſtituendum. Nam cum ſatis conſtet, Doctores illos Latinos non ſemper et ubique in commemorandis N. T. dictis recenſionem aliquam preſſe ſecutos eſſe, ſed ſaepiſſime memoriter dicta S. S. commemoraſſe, et inde paſſim omiſiſſe quaedam, vel addidiſſe, vel mutaſſe; cumque vir doctiſſimus ipſe p. 584 ſq. doceat, ſtatim Sec. III. et ſequentibus plures extitiſſe Verſ. Lat. editiones, a variis diverſisque auctoribus, pro ſuo cuiusque conſilio concinnatas: profecto non videmus, quomodo ſic in vera lectione eruenda ad certam poſſis rationem pervenire. Nam etiam ſi vel maxime ſpes poſſet mente concipi, fore, ut illa collectione perfecta vetus translatio latina reſtitui queat; tamen plurimae reſtarent dubitationes, quae impedirent, quo minus auctoritate illius tuto poſſimus niti. Nam contendit vir doctiſſimus ipſe p. 683 ſq. eam primum videri factam eſſe ex Cod. Graec. in quo multa eſſent ſcribendi compendia; deinde verbis quidem graecis adhaeſiſſe, ſed gloſſis Tertulliani, et fortaſſe aliorum, eſſe permiſtam. Quanquam enim, quae de compendiis ſcribendi iam illo aevo frequentatis innuit, vix nobis probaverit: tamen exempla L. L. allata demonſtrant, illam recenſionis latinae editionem a textu graeco ſaepe aberraſſe, vel Codicis vitio, vel interpretis imperitia, vel etiam librariorum negligentia. Sed nolumus hac diſputatione longius progredi, in qua iam alios cum laude verſatos eſſe non ignorabamus; praeſertim cum ſupervacuam atque inutilem collocari operam ſentiemus

mus in explicanda rei utilitate, quae magis optari, quam ſperari poſſet. Unum hoc addimus, celeb. Semlerum conſilii, quod cepiſſet, videri oblitum eſſe. Pagina 23. enim not. 19. promiſerat, in Appendice ſe oſtenſurum eſſe, opera monachorum Benedictinorum, ex variis verſionibus tandem unam latinam eſſe congeſtam, mutatis phraſibus: verum huius rei demonſtrationem nobis non licuit reperire. Iam ceteras Cel. Viri obſervationes percurremus, et quid in quaque ſit expoſitum, tantum breviter annotabimus. Secunda, Cod. Cantabrig. accurate deſcribit, et comparatione cum aliis Codd. inſtituta docet, illius translationem aliis Latinis recentiorem eſſe, novasque ſubinde verſiones immiſcere. Ceterum operae tamen pretium fecerit, qui ea contulerit, quae Cel. Michael. l. l. §. 80 ſqq. de hoc Cod. diſſeruit. Tertia obſervatione p. 615 ſqq. de Cod. evangeliorum Colbertino exponit, eoque cum aliis comparato oſtendit, hanc editionem variis emendationibus commiſtam eſſe. Inprimis vero hic nobis placuit, quod p. 622 ſqq. in tabula quadam varietatum exempla propoſuit, quae in hoc Cod. deprehendit. Quarta de Cod. Vercellenſi, agit, eumque nec ab Euſebio, Epiſcopo Vercellenſi eſſe uſurpatum, nec aetatem Seculi IV. attingere, colligit, inprimis ex eius orthographia et ratione grammatica. Hunc Cod. rurſus cum aliis Codd. contulit, notatisque p. 638 ſqq. varietatibus, hanc eius indolem eſſe docuit, ut primum Latina eius verſio textui graeco, qui ſaepe ſit ex alia recenſione latina expreſſus, non omnino conveniat: deinde, (p. 638. circa fin.) ut exemplar, ex quo hic Codex cum Veronenſi ſit deſcriptus, ab aliis omnibus latinis, quorum quaedam ſuperſit notitia, diverſum, multisque ſcribendi compendiis refertum fuiſſe appareat: denique (p. 640.) ut hic Codex ſcriptus eſſe videatur tum, cum evangelicae lectiones iam uſu eſſent receptae. Codicem Veronenſem ex duabus recenſionibus conflatum, obſervatione Quiuta p. 654 ſqq. pluribus exemplis oſtendit, eumque Vercellenſi cedere aetate contendit. Sexta,

pag. 661. Codicem Corbeienſem tradit ex diverſis recenſionibus latinis, quae ex diverſis libris graecis eſſent factae, deſcriptum eſſe; id vero ex diverſa nomina propria ſcribendi ratione poſſe intelligi: liquere vero etiam, hunc Codicem et Colbertinum ex eodem graeco deſcriptum, (p. 665.) et ſubinde, praeſertim in evangelio Matthaei, ex verſione vulgata emendatum eſſe: (p. 666.) hunc denique ab alio Cod. Corbeienſi, in quo plura ſint recenſionis vetuſtae veſtigia, debere diſtingui. Obſervatione Septima Cel. auctor de Cod. Brixienſi agit, quem ante verſionem vulgatam extitiſſe, veruntamen non raro mutationes ſubiiſſe, dicit. Orthographia eius fere cum Veronenſi, Vercellenſi, et Corbeienſi Codd. convenit, ſcriptusque videtur poſt tempora Auguſtini, (veremur, ne conſtet ſibi Cel. auctor,) et Colbertino, Vindobonenſi, Cantabrigienſi, aequalis eſt: (p. 673.) ceterum, in evangeliis Matthaei et Lucae manus emendatrix temporibus diverſis acceſſit. Poſtrema Obſervatione p. 678. commemorat ſubſidia ad hiſtoriam Latinae recenſionis diſcendam, ex Conciliis, Actis Sanctorum, aliisque medii aevi libris petenda; atque exemplis oſtendit, accuratam eorum cognitionem in hac Criticae Sacrae parte non parum utilitatis habere. Iam etſi his ipſis in Obſervationibus nonnulla deprehendimus, quae vel accuratius dicta, vel latius explicita, et certius demonſtrata eſſe cuperemus; quo v. c. pertinet, quod p. 686. circa fin. affirmat, Decretalia fere ſua ex libris Africanis ſumſiſſe, de quo p. 683. bis modo dubitanter pronunciat: tamen non poſſumus quin in eorum eamus ſententiam, qui ipſi harum litterarum intelligentiſſimi, in his obſervationibus incredibilem Cel. Semleri induſtriam, ſingularem in comparandis exemplis diligentiam, paremque in iudicandis et enarrandis lectionibus variis ſolertiam atque ſubtilitatem, uti par eſt, admirantur. Profitemur denique, nos totum hunc libellum cum magna animi voluptate, nec ſine fructu perlegiſſe; qui fortaſſe fuiſſet uberior, ſi laborum varietas, et multitudo, plus nobis

otii

otii conceſſiſſet. Ceterum rogamus, ut ne quis dicta a nobis malam in partem interpretetur, ſed ut omnes potius exiſtiment, nos non amicos ſolum eſſe talium laborum aeſtimatores, ſed ſemper etiam ſumme reverendi Semleri laudibus maxime favere.

ABHANDLUNGEN DER CHURFÜRSTLICH-Bayeriſchen Akademie der Wiſſenſchaften:

i. e.

DISSERTATIONES ACADEMIAE ELECTORAlis Scientiarum Boicae, Vol. I. Pars I. pagg. omnino 282. Pars II. pagg. 232. cum figg. aeri inciſis, atque indicibus.

Monachii, e typographia academica, MDCCLXIII. quaternis.

Quod bono litterarum, Sereniſſimus Bavariae Elector *inſtituit* doctorum hominum conſortium, poſteaquam auctoritate Optimi Principis, liberalitateque, pulchre *adolevit*, iam fructus oſtendit laborum ſuorum, ad omnem poſteritatem duraturos, futurosque certiſſimo documento, iuvandis litteris, ſaepenumero non genium populi, non diligentiam atque aſſiduitatem civium, ſed auctoritatem Principum atque liberalitatem, deeſſe. Quod hic Opus indicamus, id tale omnino eſt, ut videamur vehementer in Lectorum noſtrorum commoda peccaturi, niſi et primi iſtius Voluminis, quod eſt in manibus noſtris, et reliquorum quae ſequentur omnium, diligentem cenſum egerimus.

Merito Operis initium dedicando relatum eſt ad Eum, qui Stator Academiae et Protector, Vindex Litterarum in terris ſuis, a docta poſteritate, ſuo merito, omni tempore celebrabitur. Eſt autem *Volumen* hoc *Primum* tributum in

Partes duas, quarum prima diſſertationes hiſtoricas; philoſophicas altera, complectitur. Dicemus autem nunc deinceps de ſingulis, etſi breviuſcule; quod vehementer optamus, ut in doctorum hominum omnium manus ipſi Commentarii veniant.

Prima igitur eſt *I. C. Lipperti*, Reviſionum Conſiliarii Monacenſis, Commentatio de priſcis literatorum Societatibus Boicis, cuius Sectio I, exponit de litterarum cura durante aevo medio, tenui admodum et miſera, nec ultra mediocrem grammatices ſcientiam adſurgente; donec fundamenta melioris doctrinae Maximiliano I. Imper. iecisset, auctore Conrado Celte, *Sodalitas Danubiana* 1501, condita tum demum, cum Ingolſtadio Vindobonam abiiſſet Conradus. Epiſodia, ab hac Sodalitate ei dicata, e MS. Monacenſi, appendicis loco, hic addidit Lippertus, V. Cl. Hanc excepit circa a. 1516. Prima *Societas Ingolſtadienſis*, ab Iohanne Thurmaiero, ſive Aventino, condita, nutuque Leonardi ab Ek, Boioariae Cancellarii, recta, cuius imaginem et vitam paucis exhibet hoc volumen, pariterque Iohannis Aventini. Quando iſta Societas ceſſaverit, non liquet. Probabile eſt, in illa barbarie temporum, non diu ſtetiſſe.

Sequitur *Frobenii Forſteri*, Illuſtrisſimi Principis Emerami Ratisbonenſis, diſſertatio de Concilio ſub Taſſilone II. Aſchaeimiae in Boioaria ſuperiore a. 763. habito, exhibens originalem textum Canonum, ex quo ſimul patet, quanta fuerit iſtorum temporum inſcitia. Non opus eſt, doctisſimi Principis Frobenii labores hic demum celebrare, in quibus multa optimae critices ſpecimina eminent. Unicum memoraſſe ſufficiat. Interpoſita fuerat ab Aſchaeimenſibus Nicaenae Synodi fides: in cuius decretis, quum nihil tale reperiretur, Illuſtriſſ. Princeps obſervat, Canones Conciliorum, Nicaeni, Ancyrani, Neocaeſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodicenſis, iunctim ſcriptos vel editos.

tos, una ſerie numerari. Sic v. c. 7. et 8. Canon Gangrenſis Concilii, eſt Nicaeni Canon 64. et 65. Friſingenſis Codex, permultorum Conciliorum Canones complexus, inſcribitur *Concilium Nicaenum*. Hanc diſſ. excipit *H.* Equitis *du Buat* Diſſertatio de *Luitpaldo*, Bav. Comite, Caroli M. coaetaneo, e latino exemplo converſa; nec non alia eiusdem auctoris, *de vita Caſſiodori*, qua oſtenditur, ſub Theodorico, Gothorum rege, duos *Caſſiodoros* vixiſſe, ſimulque vera hiſtoria rerum illius temporis, adverſus Mollerum, Welſerum, Scipionemque Maffeum, vindicatur: tandemque rurſus alia eiusdem viri, de *Iornandi*, Geticarum rerum ſcriptore, commentatiuncula. Eas vero, quamquam bene ſcriptas, anguſti paginarum noſtrarum fines haud capiunt; nec ſumma rerum in hoc literarum genere prodeſt: commendamus itaque lectoris iudicio et induſtriae, quae hic repetere non potuimus; in his autem maxime obſervationes eruditisſimas ſuper Iornandis hiſtoria, variisque codicum lectionibus. Sed de illuſtrisſimi eruditisſimique *Buati* laudibus, quas *Boicae domus Originibus* meruit, dicemus alio tempore.

Sequitur *Ferdinandi Sterzingeri* diſſertatio hiſtorico-critica, qua docet, Boios, imperante Theodorico, Oſtrogothorum rege, Noricum, Vindeliciamque, nondum incoluiſſe, adeoque nec ipſius legibus uſos eſſe, adverſus Aventinum, aliosque Boicarum rerum Scriptores.

Poſt haec collocata eſt *Chriſtiani Friderici Pfeffelii*, Viri laude noſtra maioris, Diſſertatio *de finibus Nordgaviae Bavaricae*, durante Seculo XI. Iſtis temporibus univerſa Bavaria in duas Provincias, cis Danubium et trans illum, diſtributa erat, quarum illa Nordgavia, haec Sudgavia dicebatur. Prioris meminit Teſtamentum Caroli M. a. 806. factum, in quo Nordgaviae portio pars Baioariae vocatur. Huic particulae adiuncta eſt mappa geographica, in qua Nordgavia

eleganter feliciterque delineatur. Hanc excipit eiusdem auctoris *Hiſtoria Marchionum Nordgaviae Bambergenſium et Vohburgenſium*, addita tabula genealogica. Sequitur eiusdem *Pfeffelii* diſſertatio de *Catharina*, Bavarica, Miſniae Marchione, cuius frater natu maior fuit *Otto* Hungariae rex, electus anno 1305.

His adiungitur *G. G. Platonis* diſſertatio *de numis medii aevi*, a. d. 13. Aprilis 1746. prope coenobium Ricobacenſe repertis, qui in Ratisbonenſi Capituli Emmerami Bibliotheca aſſervantur. Hos numos fere quingentos emerat Illuſtriſſ. Princeps, Iohannes Baptiſta, Emmeramenſis Abbas: e quibus vetuſtiſſimi medio Seculo XI, recentiſſimi autem medio Seculo XIII. cuſi videntur. Multi ex his in medio fracti fuerunt, ſemiſſis ſ. dimidii efficiendi cauſſa, quem morem Seculi XI. fuiſſe docuit Otto Sperlingius, de numorum bracteatorum et cavorum origine etc. pag. 70. et 80. Epiſcopales ornati ſunt nomine et effigie ſancti praeſidis eccleſiae, alteraque ex parte effigie quadam epiſcopi. Sic Friſingenſes exprimunt Corbinianum, cui dicata erat eccleſia. Haec vero diſſertatio, utiliſſimis obſervationibus referta, numorumque figuris ornata, inprimis digna eſt, quae diligenter legatur. Sequitur index rerum, quo prima huius Voluminis pars abſolvitur.

Altera Pars primi iſtius Voluminis complectitur diſſertationes contemplativas, quarum prima eſt *Lamberti*, Viri ingenioſiſſimi, ſimul et doctrinae ſubtilitate clariſſimi, de uſu Meridiani in dimenſione terrae et agrorum. Secunda eſt *Petri ab Oſterwald* inſtitutio ad recte inſtruendas operationes geometricas in delineandis mappis geographicis. Auctor ſequitur methodum Caſſini trigonometricam, qua ſingulorum locorum diſtantia et ſitus definiuntur ſeriebus magnorum triangulorum, quorum anguli exacta dimenſione menſurantur, latera calculo trigonometrico eriguntur. Tertia

tia eſt *Ildefonſi Kennedy* diſſertatio de exſiccandis locis paluſtribus. Sequitur quarto loco *Iohannis Antonii de Wolter* elegans eruditisſimaque commentatio de Turfis, qua bene oſtendit, Turfarum ignes cineresque valetudini nullo modo obeſſe. Quinta eſt *Caroli Auguſti Scheidii* inſtitutio practica ad conquirendos carbones bituminoſos, eosque recte *tractandos*. Haec prima ſectione deſcribit naturam iſtorum carbonum, uſumque eximium apud Batavos celebratisſimum. Secunda ſectio exponit de ſitu interno externoque montium, quibus inſunt ordines carbonum, eſtque optimis obſervationibus omnis generis referta; adeo, ut ipſa facies phyſica multarum regionum apte ex his definiri poſſit atque illuſtrari. Tertia ſectione agitur de rupibus, ordinibus carbonum, ſciſſurisque interſertis, quibus ipſi carbones adeo emolliuntur, ut ad comburendum inepti ſint, variis colorum umbris diſtincti. Quarta ſectione declaratur ratio reperiundi montes, quibus carbones bituminoſi progignuntur, *ipſosque carbonum* ordines recte obſervandi in locis patentibus *et apertis*. Quinta ſectio eſt de reperiundis carbonum ordinibus ſubterraneis. Ultima totius Voluminis diſſertatio eſt Iacobi Chriſtiani Schaefferi, de duplici verae et opinatae petrefactionis exemplo, minoris momenti. Haec ipſa, uti ſuperiores omnes, figuris aeneis illuſtratur.

Univerſum opus nihil continet, quod ingenuis ſeduliſque litterarum cultoribus inutile, aut ineptum videri debeat. Inprimis vero eminent Pfeffelianae diſſertationes in parte prima; Oſtervaldianae, Kennedyanae, et Scheidianae, in parte altera: et quamquam in ipſo dicendi genere quidam hinc inde animadvertantur Boicae regionis idiotismi, fatemur tamen, nihil omnino toti huic operi deeſſe, quod ad elegantiam ornatumque ſermonis in tali argumento tractando pertineat. Inſunt praeterea multa, novitatis, raritatisque nomine commendanda, ut profecto lectores ſuſcepti laboris haud poenituerit. Eſt denique is chartarum

rum nitor, ea formarum figurarumque elegantia, ut non poſſit non tanti Principis munificentiae conſentanea videri. Quae omnia, uti ingenuo animo dicimus et profitemur, ita quoque optamus, ut multa eiusmodi volumina, ſunt vere iam aliquot in manibus noſtris, prodeant, literarum incrementis profutura, ipſiusque Academiae laudem et famam mirifice auctura. Nos in percenſendis reliquis ſegnes non erimus.

IO. CHRISTOPHORI KOECHERI, S. THEOL. Doct. et P. P. in Acad. Ien. Analecta philologica et exegetica in IV. S. Evang. quibus IO. CHRISTOPHORI WOLFII Curae Philologicae et criticae ſupplentur atque augentur.

Altenburgi ex officina Richteria CIↃ IↃCCLXVI. in 4to.

Virorum virilis aetatis vigore, exactae doctrinae copia, et politi iudicii acumine inſtructorum opera, rebus philologicis atque exegeticis dicata, quam maxime laudanda celebrandaque eſſe videtur, praeſertim cum inter omnes conſtet, philologiae et critices ſtudium ad ardua illa negotia referendum eſſe, quae non niſi ab exercitatisſimis cum utilitate tractari poſſint, et a quibus aetas iuvenilis vel propter inconſtantiam, huic aetati utplurimum propriam, vel propter nimiam temeritatem, qua in devia aberrat, vel etiam propter pericula a praecocibus ingeniis, qualia quorundam iuvenum ingenia eſſe deprehenduntur, ſibi ſummo ſtudio cavere tenetur. Quum igitur doctisſimus, et in hoc litterarum genere verſatisſimus Vir, *Koecherus*, Curarum philologicarum a Wolfio exaratarum Supplementa nobiscum communicavit, non poſſumus non profiteri, ea omnibus eruditis,

eruditis, et in primis philologiae ſacrae amicis, quam maxime grata acceptaque fore; quae hanc quoque ob cauſam probanda commendandaque eſſe cenſentur, quoniam ſelectiores quasdam interpretationes continent, quae a Wolfio omiſſae ſunt, et quae e recentioribus auctoribus, non iis quidem, qui peculiares commentarios in libros ſacros edidere, ſed qui data occaſione vel in ſcriptis ſuis explicavere, vel ſingularibus libellis illuſtravere, non ſuppreſſis eorum nominibus, quod vulgo a compilatoribus fieri ſolet, quorumque ingens eſt numerus, petita ſunt. Qua quidem in re, et induſtriam, et ſinceritatem viri longe doctiſſimi, ſumma admiratione proſequendam eſſe exiſtimamus. Duplicem enim huius Cl. Viri labor utilitatem unicuique ſacrarum litterarum interpreti praeſtabit: primum enim qua ratione explicanda intelligendaque ſint verba ſcriptoris cuiusdam ſacri, quomodo verus ſenſus ſit eruendus, perſpicere poterit; deinde in hiſtoria litteraria Scripturae S. interpretum, cuius notitia et prodeſt et delectat, omnino hoſpes non manebit. Ut autem noſtri lectores ſibi notiones diſtinctas de hoc opere ſuis laudibus ornando formare poſſint, pauca quaedam exempla proponere conſtituimus.

Ad locum *Matth. IV*, 24. egregie τὸ συνέχεσθαι cum *Alberto*, *Raphelio*, et *Palaireto*, in *Bibl. Brem. nova Cl. III.* p. 148. de iis explicat, qui morbo aut malo aliquo laborant; metaphora deſumta ab iis, qui vinculis conſtricti tenentur. Exemplis quamplurimis haec ſignificatio a laudatis ibi Auctoribus confirmatur, et *Palairet* l. c. qui liber nobis ad manus eſt, ad *Dion. Halic.* I, 9. provocat, dicentem, συνεχομένοι κακοῖς, conſtricti malis, et *Diod. Sicul.* I. 3. ὁ συνεχόμενος τῷ πάθει, qui morbo iſto conſtrictus eſt; loquitur autem Diod. Sic. de morbo pediculari ſat gravi atque moleſto. Eandem induſtriam adhibuit V. C. in explicando verbo δαιμονίζεσθαι. Interpretum diſſenſum in huius vocis ſignificatione genuina eruenda curatius indicat, atque putat, *Stockium*

 in

in Obſ. ad h. l. eos revera et corporaliter a diabolo fuiſſe obſeſſos, demonſtraviſſe. *Beauſobrium* vero ita de illis diſſerere, ut animi ſui ſenſa non clare prodat, contrariaeque ſententiae favere videatur: *Kypkius* autem ad h. l. arbitratur, hoc nomine homines tantum morbis gravioribus vexatos, furioſos praeſertim, melancholicos, et epilepticos, in libris N. F. appellari; cuius explicationis confirmationem in eo eſſe cenſet, quod Matth. δαιμονιζομένους medio loco inter alios aegrotos ponit; quamquam non inficias eat, alia loca de corporaliter obſeſſis eſſe explicanda. *Wetſtenius* vero homines certo quodam morbo, ſeu vitio corporis laborantes, intelligit. Ex his vero difficultatibus c. A. ſic ſe expedire tentat, ut ſtatuat, δαιμονιζομένους propterea ab Evangeliſta numero aegrotorum accenſeri, quoniam plerique illorum ſimul gravi morbo affecti eſſent. Quod reliquum eſt, ſtatim ab initio, cum hanc obſervationem legeremus, quaedam ſimul de controverſia noſtris temporibus inter ſumme R. Semmlerum alioſque agitata inventuros nos credidimus, quae fortaſſe explicationis illuſtrandae, et fugandae ψευδεϱμηνείας cauſa afferri debuiſſent. Iam ad aliam vocem nos convertimus, vocem videlicet σεληνιαζομένους, quam de iis intelligit epilepticis morbo comitiali laborantibus, qui ad certa lunae intervalla aegerrimi ſunt; quo cum morbo interdum corporalis obſeſſio daemonis coniuncta teſte Scr. S. fuit.

Cap. XVI. 17. in verbis σάϱξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, iure *Piſtophilum* ad h. l. reprehendit, qui interpretibus, pronomen τοῦτο, in textu graeco non expreſſum, inferentibus, indignetur: nam hoc graecis ſcriptoribus quam maxime eſſe peculiare, ut pronomen τοῦτο omittant, quod tamen iterum in explicatione ſit ſubſtituendum, ſi nexus ſenſusque orationis id neceſſario requirant. Hanc autem h. l. ſubeſſe conditionem, quilibet, nobis etiam non monentibus, intelliget, atque ἀκϱίβειαν c. A. et ex hac obſervatione agnoſcet.

Cap.

Cap. XXVII. 36. poſt *καθήμενοι* comma tollit, atque *καθήμενοι* non male cum *Palaireto* pro adverbio; cuius vice: ſaepe participia ante aliud verbum ſuſtinent, accipit, *ſedulo ſtudioſe*; unde ſatis commodus ſenſus exiſtit: milites non ſediſſe ad Chriſtum cuſtodiendum, ſed eos ſedulo, ſtudioſe, ſumma cura, Chriſtum cuſtodiviſſe, Marc. IV, 21. Nonnulli codices pro ὁ λύχνος ἔρχεται legunt *καίεται*; quam lectionem *Eraſmus*, *Bebelius*, et *Brylingerus* amplexi ſunt, quia λύχνος ἔρχεται, lux adfertur, nimis dure dictum ipſis viſum eſt. Sed *Auct. Cel.* eo ut confugiamus non neceſſarium exiſtimat; ſimul ex optimis graecis auctoribus, vim verbi ἔρχεσθαι eſſe *adferre* probat, et uſu docet, verba neutra pro paſſivis non raro uſurpari. Brevis haec obſervatio eo gratior nobis eſſe debet, quo magis ex ea apparet, qua via ingredi amet *Koecherus*; breviorem enim eligere, quam per multas ambages nos ad genuinum ſenſum ducere maluit.

Cap. VI. v. 2. *Friſchium*, verbum ἤρξατο non ut alias negligendum eſſe affirmantem, ſolide refutat; nam ratio ab ipſo prolata, qua illud ad homines tum praeſentes refert, atque cenſet illos, ſimul ac Chriſtus docere coepiſſet, in admirationem raptos eſſe, rei propoſitae non ſufficere videtur. Si hoc voluiſſet Marcus, quod bene monet *Auct. Cel.* haud dubie non ἤρξατο, ſed ἀρξαμένου ſcripſiſſet. Nobis illuſtrandae huius ſententiae cauſa in mentem venit Act. I, 22. ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου ἕως κ. τ. λ. Ceterum, τὸ ἤρξατο et ἀρξάμενος raro otioſe ponuntur, ſed plerumque verti debent *inde*, v. c. Act. I, 1. II, 4. quod et ab Atticis ſcriptoribus ſic uſurpatur, v. Plat. Apol. Socr. ἐμοὶ δὲ τοῦτό ἐστιν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον, φωνή τις γιγνομένη.

Cap. IX, 48. varias interpretum ſententias laudat ad verba ὅπου ὁ σκώληξ etc. *Leighius* et poenam ſenſus, et poenam damni his innui verbis exiſtimat. *Hagiophilus* ad veterum ſepeliendi ritum, quem vel humatio, vel crematio

 con-

conſtituebat, reſpici coniicit, ita ut vermis ad cadaverum humationem, et putrefactionem; ignis ad cremationem eorum ſpectare videatur. *Moldenhauerus* per vermem morſus conſcientiae impiorum, per ignem demonſtrationem irae divinae intelligit. A *Viro Cel.* qui optionem inter has ſententias lectoribus relinquit, nobis modeſte, ob rationes fortaſſe non leves, diſſentire licebit. Nos mallemus vocem σκώληξ interpretari de miſerrima corporis impiorum conditione, et deformi aſpectu, ex notiſſimo Ebraiſmo; Ebraei enim hominem externa forma deſtitutum תולעת appellare ſolent, cf. Pſ. XXII, 7. ubi LXX. quoque σκώληξ reddiderunt.

Lectu quoque dignae ſunt obſervationes in reliquos Evangeliſtas collectae, neque ingratum fore noſtris lectoribus exiſtimamus, ſi etiam ex his quaedam laudaverimus. Luc. II. v. 1. peculiaris ſignificatio voci δογμα tribuitur, audit enim *decretum*, *edictum*, quo ſenſu apud Scriptores eccleſiaſticos paſſim occurrit; quod iamiam obſervavit *Eſtius* comment. in Eph. II, 4. „Edicta, ſeu decreta, ſeu dogmata hoc loco tam graeci, quam latini commentatores, „magno conſenſu interpretantur praecepta Novi Teſtamenti, quae ſunt de fide, caritate, et moribus, quae nimirum „Chriſtus in Evangelio tradidit.“ Unde, ſuffragante hiſtoria eccleſiaſtica, Chriſtiani quoque dicti ſunt δογματικοι, et οἱ τοῦ δόγματος, quia edictis I. C. fidem habuerunt, iisque paruerunt. De voce ἀπογράφεσθαι bene monet *Cel. Auct.* cum *Palaireto*, quod τὰ ὀνόματα debeant ſubintelligi, atque tunc ἀπογράφεσθαι eſt aſſumendum pro nomen profiteri, ut in tabulas publicas referatur. Hunc cenſum extraordinarium aliquem fuiſſe, cum *Cl. Auct.* conſentimus; nam Romanis in more poſitum fuit, interdum eiusmodi cenſum ſuis civibus imponere, et inter eos *ſtipendium* ſic dictum erat cenſus perquam moleſtus.

Luc.

Luc. IX. v. 36. vocem ὤφθη recte et concinne interpretatur, *fuit vel apparuit*, ſic enim latini quoque Scriptores verbo invenire uti ſolent: v. 55: οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. *Heinſium* haec verba nimis ieiune ſic explicantem, neſcitis ipſi quid velitis aut petatis, cum cenſura dimittit, aliorumque interpretum ſententiae ſubſcribit, qui magis nexum et iuncturam ſermonis obſervaverunt, et hanc vim his verbis ſubeſſe ſtatuerunt: non conſideratis, unde iracundus ille animus vobis obveniat, videlicet, non a Spiritu Sancto, cuius impulſu Elias fecit ignem e coelo deſcendere, ſed ex impatientia et vindictae cupiditate.

Reſtat iam, ut ex Ioanne quoque quaedam depromamus, ex quibus ipſa ratio interpretandi Cl. Auct. conſpici atque intelligi poterit. Sit igitur primus locus Ioh. IX, 1. ubi verba τυφλὸς ἐκ γενετῆς ad probas locutiones graecas cum *Raphelio* aliisque refert, atque cum *Leighio* exiſtimat, haec verba ad declarandam miraculi magnitudinem eſſe oppoſita, quia, qui naſcuntur coeci, unice a Deo ſanari poſſunt. Ex noſtra quidem ſententia, qua tamen maieſtati et virtuti divinae nihil detrahere conamur, hoc non in univerſum eſt aſſerendum: cum enim variae ſint ὀφθαλμίας ſpecies, inquirendum, qualis ea, qua homo ille laborabat, fuerit, et tunc optime magnitudo miraculi declarari poterit. Habemus in hiſtoria medica exempla coecorum, a teneris ſtatim unguiculis, quibus tamen viſus a medicis fuit reſtitutus; igitur ſumma cautione maximaque cura in eiusmodi rebus declarandis verſandum eſſe videtur.

Cap. XVII. v. 10. καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι καὶ τὰ σὰ ἐμά, eleganter cum *Ottio* V. Clariſſ. pro formula loquendi in foederibus pangendis uſitata accipit, atque hac ratione perverſae interpretationi Socinianorum optime cum laudatis Auct. occurrit. Ultimo loco exhibemus C. XXI. 15. 16. 17. βόσκε τὰ ἀρνία μου. Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.

βόσκε τὰ ἀρνία μου. Narrat hic *Cel. Auct.* a *Bengelio* in tres claſſes eccleſiam dividi; primum pavit Petrus tenellam eccleſiam Chriſtianam; deinde oves adduxit, rexit, congregavit; tandem eccleſiam ex Iudaeis et gentibus collectam pavit usque ad martyrium. Praeterea dicit, diſcrimen nominum, diſcrimen verborum βόσκε et ποίμαινε compenſare. Βόσκειν enim eſſe partem τοῦ ποιμαίνειν. Plura ſimul laudat explicationis genera; ad *Meisneri* autem philoſophiam ſobriam eos ablegat, qui praeſidium principatus Petri, et regiminis eccleſiae ipſi commiſſi, in his verbis quaerunt. Provocat praeterea ad *Febronium*, *libro de ſtatu eccl. et leg. pot. Pont. R.* demonſtrantem, illa Chriſti verba ad omnes eccleſiae paſtores eſſe referenda.

Satis luculenter ex his, quae diximus, Operis huius ſummo cum ſtudio elaborati, atque cum maxima cura collecti, praeſtantia conſpicitur, quod omnibus iis diligenter eſt commendandum, qui philologiam, noſtris temporibus varie auctam atque locupletatam, digne aeſtimant. Aſſidue enim lecto hoc libro fructus uberrimos quilibet ex eo ſperare, atque ſuam qualemcunque in rebus theologicis doctrinam mirum in modum ampliorem exactioremque reddere, qui autem multum profecit, is ad maius ſcrutinium ſacrorum textuum excitari poterit.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ
τα σωζόμενα.

XENOPHONTIS OPERA GRAECE ET latine, ex recenſione EDUARDI WELLS: Accedunt Diſſertationes et Notae Virorum doctorum, cura CAROLI AUGUSTI THIEME: VOL. III. Alph. 1. plagg. 18. VOL. IV. Alph. 1. plagg. 19. in 8. mai.

Lipſiae MDCCLXIV. Sumtibus Gleditſchianis, Litteris Saalbachii.

Cum

Cum in his Eruditorum Actis Anno 1763. Menſis Sept. Parte II. pag. 491. de primis duobus Tomis Operum Xenophontis, cura *Thiemii* V. Cl. editorum, diceremus, non laudavimus ſolummodo conſilium reddendae nobis editionis Welſianae, coniunctae cum Hutchinſonianis diſſertationibus, ſed indicavimus etiam, quid a Thiemio, Viro graece doctiſſimo, ſperare iuberemur. Nunc *Volumen III.* itemque *IV.* prodiit, ſimili ratione ad exemplar Welſianum, diligentiſſime curatum a Thiemio, ita ut fere pagina paginae reſpondeat. Habet Tomus III. praeter *Chronologiam Xenophonteam*, poſt Thucydidem, *Dodwelli*, primum *Graecorum Hiſtoriarum Libros VII.* quibus Xenophon, Diodoro teſte, hiſtoriam Thucydidis auxit annis XLVIII. ſuccedit *Hiero*, ſive *de rege*, dialogus; Tomo autem IVto reliqua Xenophontis ſunt: *Memorabilium Socratis* Libri IV. Liber qui inſcribitur *Oeconomicus*; Fragmenta *Oeconomicorum Ciceronis*; *Apologia* Socratis; *Convivium*; *de re equeſtri*; *de Magiſterio Equitum*; de *Venatione*; *Fragmenta* denique *Epiſtolarum Xenophontis*. Iam *Quintum Volumen* expectamus: in quo, ſi tardius procedere quibusdam forte videatur Vir Clariſſimus, nos profecto eam tarditatem laudi potius, quam vituperio ducimus. Indices enim futuri ſunt, Xenophonti bene intelligendo inprimis profuturi; qui labor eſt non paucorum dierum, aut facile profligandus, inprimis in homine aliis laboribus diſtento. Nec enim rerum modo index e Welſiana auctior exhibebitur, ſed etiam alius, magis utilis ſtudioſis, h. e. Graecus Aemilii Porti, ita adiungetur, ut ſignificationum et conſtructionum varietate locupletetur, additis etiam, ubi res poſtulare videbitur, obſervationibus, et per eam occaſionem difficiliorum locorum explicationibus: quo uno, quantum commendationis habitura ſit haec editio prae Welſiana, omnes intelligunt. Eſt enim eiusmodi index, cum interpretatio adiuncta eſt, quod in hoc eſſe futurum ſcimus, Commentarii inſtar, quoad quidem verbis et formis loquendi paratur, in quibus plerumque maxima pars

nota-

notarum conſumitur: et ſi quem non piget totum uno tenore perſpicere, totam Scriptoris cuiusque Graecitatem poteſt cognoſcere. Ita ex vero iudicavit Erneſtius, Vir Summus, Auctor talis in Homerum indicis, quem laudare Lectoribus noſtris non eſt opus. *Sextus Tomus*, idemque ultimus, Appendicis vice futurus eſt, in quam variae doctorum in Xenophontem notae conferentur, ſed magno delectu: adiicientur etiam Variae Lectiones, ex Hutchinſonianis Tomis, et ſi quae aliunde e MSctis Codd. nondum collatis parari poterunt. Precamur autem Thiemio V. Cl. ſanitatem et otium; nam neutro, conſumando praeclaro Operi, carere poteſt. — Ceterum chartae et typorum nitor eximius eſt, qualis iam primis Tomis fuerat, ceditque laudi non Bibliopolae minus, quam Typographo Saalbachio, cuius in exercenda arte ſua diligentiam, iam aliquot Auctorum veterum Editiones, ut Homeri, Plauti, Horatii, Auli Gellii, aliorum, ſatis declararunt.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iul. et Aug. Anno MDCCLXVI.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae, TOMUS X. pro Anno MDCCLXIV.

PETROPOLI, typis Acad. Scientiar. MDCCLXVI. Alph. 3. plagg. 10. in 4. cum tabb. aen. XX.

Iterum Lectoribus noſtris Volumen Commentariorum celeberrimae Academiae Petropolitanae proponimus, maxima attentione dignum, et doctorum Virorum plauſibus. Dabimus, pro more noſtro, ſingularum diſſertationum ſummam, e qua facile quivis intelliget, quantum litterariae rei his ſummorum Virorum laboribus commodi accedat, et quid inde augmenti Matheſeos potiſſimum et Phyſicae doctrina capiat.

Primo loco MATHEMATICA ſunt: atque in his I. *De reductione formularum integralium ad rectificationem ellipſis et hyperbolae*, diſſert. Auctore LEONARDO EVLERO. Quae quantitates numeris neque integris, neque fractis, neque etiam ſurdis vel irrationalibus, exhiberi poſſunt, tranſcendentes vocari ſolent, quarum ergo valores, non aliter niſi proxime per numeros exprimere licet. Dari autem huiusmodi quantitates certiſſimum eſt, etiamſi ratio ob

infinitudinem, quae eas excludere videtur, a pleriſque minus diſtincte perſpiciatur; id quod exemplo notiſſimo peripheriae Circuli, cuius diameter unitate indicetur, evidenter declarari poteſt. Nullum enim eſt dubium, quin quantitas huius peripheriae valorem habeat omnino determinatum, quem adeo primo intuitu conſtat intra limites 3 et 4 contineri. Verum intra hos limites innumerabiles conſtitui poſſunt fractiones ratione denominatorum diſcrepantes, cuiusmodi ſimpliciores ſunt: $3\frac{1}{2}$, $3\frac{1}{3}$, $3\frac{2}{3}$, $3\frac{1}{4}$, $3\frac{3}{4}$, $3\frac{1}{5}$, $3\frac{2}{5}$, $3\frac{3}{5}$, $3\frac{4}{5}$, etc. et generatim in hac forma $3\frac{m}{m+n}$ comprehenduntur: ubi, cum tam pro m, quam pro n, omnes plane numeros ſubſtituere liceat, nulla tamen huiusmodi formula veram peripheriae quantitatem praebet; ſed quaecunque aſſumatur, ſemper a veritate recedit, etiamſi error continuo minor reddi poſſit. Deinde quantitates etiam ſurdas introducendo, multitudo numerorum intra limites 3 et 4 contentorum ulterius in infinitum augetur, qui adeo omnes ab iis, qui in formula $3\frac{m}{m+n}$ continentur diſcrepant, neque tamen etiam in his ullus reperitur, qui circuli peripheriam exacte dimetiatur; quamobrem eius quantitas merito pro tranſcendente habetur. Quod idem multo magis de omnibus circuli arcubus eſt intelligendum, ita ut quicunque capiatur ſinus in Circulo, arcus ipſi reſpondens ſemper ſit quantitas tranſcendens; ſicque ſolus circulus infinitam quantitatum tranſcendentium multitudinem ſuppeditet. Deinde vero etiam logarithmi ad claſſem numerorum tranſcendentium ſunt referendi, qui adeo ab illis, qui ex circulo naſcuntur, prorſus ſunt diverſi. Iam nemo non videt, ſi praeter fractiones et quantitates tranſcendentes ex circulo et logarithmis ortae in ſubſidium vocentur, tum inter binos quosvis numeros multitudinem numerorum mediorum multo magis in immenſum augeri; ex quo maxime mirum videbitur,

tur, ne hoc quidem modo intervalla inter binos numeros integros, ita numeris mediis expleri, ut iis omnes plane quantitates intra eosdem terminos contentae exprimi queant. Quin potius praeterea innumerabilia alia quantitatum transcendentium genera, tam inter ſe, quam ab illis ex circulo et logarithmis natis maxime diſcrepantia, agnoſci oportet; inter quae potiſſimum notari merentur ea, quae ex rectificatione ellipſium et hyperbolarum originem ducunt, propterea quod hae Curvae poſt Circulum ſunt notiſſimae, et facillime deſcribuntur. Quomodocunque autem tam in ellipſi, quam hyperbola, arcus reſcindantur, eorum quantitas non ſolum nullis formulis irrationalibus exprimi, ſed etiam nullo modo, neque ad arcus circulares, neque ad logarithmos revocari poſſunt: quin etiam ſinguli arcus, tam elliptici, quam hyperbolici, peculiares quantitates transcendentes exhibent, quoniam ne inter ſe quidem, niſi pauciſſimis caſibus exceptis, comparari poſſunt. Ad innumerabilia alia autem quantitatum transcendentium genera calculus integralis perducit, dum omnibus formulis integralibus, quarum integratio algebraice expediri nequit, certae quantitates transcendentes deſignantur, in quarum natura evolvenda induſtria et ſagacitas analyſtarum maxime cernitur. Cum igitur nunc quidem ſit compertum, omnes huiusmodi formulas integrales $\int V\,dx$, ſi V fuerit functio rationalis ipſius x, ſemper per logarithmos et arcus circulares exprimi poſſe, niſi forte algebraicam integrationem admittant: artificia integrandi pro iis caſibus, quibus V eſt functio irrationalis ipſius x, adhuc potiſſimum deſiderantur; ubi quidem id imprimis eſſet optandum, ut eae formulae, quibus V eſt quantitas irrationalis, accuratius evoluerentur, quarum integratio per arcus ſive ellipticos, ſive hyperbolicos, expediri queat. Atque in hac inveſtigatione Auctor iſtius diſſertationis imprimis eſt occupatus, ſummumque ſtudium contulit ad hanc formulam integralem $\int dx\, V\frac{f+gxx}{h+kxx}$ explicandam,

 atque

atque adeo ad arcus ſive ellipticos, ſive hyperbolicos reducendam: quod negotium multo difficilius eſt, quam initio videatur. Prout enim quantitatum conſtantium f, g, h, et k, aliae fuerint vel poſitivae, vel negativae, caſus oriuntur natura ſua maxime inter ſe diſcrepantes. Primo enim relatio inter has quatuor quantitates ita poteſt eſſe comparata, ut formula integralis arcum quendam ſive ellipticum, ſive hyperbolicum, ſimpliciter exprimat. Deinde fieri poteſt, ut integrale binis conſtet partibus, altera algebraica, altera arcum ſive ellipticum, ſive hyperbolicum exprimente. Praeterea vero etiam eiusmodi dantur caſus, quibus integrale neutro modo exhiberi poteſt, ſed praeter partem algebraicam, duos arcus, alterum ellipticum, alterum hyperbolicum requirit. In tractatione igitur formulae $\int dx \sqrt{\frac{f+gxx}{h+kxx}}$ ob iſtam varietatem Auctor coactus eſt duodecim caſus conſtituere, quos ſingulos operoſo calculo ita feliciter expedivit, ut iam facile ſit, quaecunque quantitates litteris f, g, h, k deſignantur, integrale, conceſſa ellipſium et hyperbolarum rectificatione, aſſignare. Saepenumero autem evenire poteſt, ut formulae integrales multo magis complicatae, ope ſubſtitutionum idonearum, ad talem formam perduci queant, quibus ergo omnibus caſibus integratio expedita eſt cenſenda; ex quo haec inveſtigatio calculo integrali haud leve incrementum attuliſſe eſt aeſtimanda.

II. *Elementa Calculi Variationum*: et III. *Analytica explicatio methodi Maximorum et Minimorum*, Auctore LEON. EVLERO, pag. 51 et 94. Iam ante celeberrimum problema iſoperimetricum, inſignia quaedam ſpecimina huc pertinentia a Geometris ſunt edita, cum antiquiſſimis iam fuerit exploratum, circulum, inter omnes alias figuras pari perimetro incluſas, maximam aream complecti; quam quidem proprietatem ex circuli natura concluſerunt, minime vero ipſam quaeſtionem directe aggredi ſunt auſi, ut inter

omnes

omnes figuras aequali perimetro terminatas eam inveſtigarent, quae maximam aream includeret. Haec ſcilicet quaeſtio nimis eſt ardua, quam ut ante inſignem calculi infinitorum promotionem de ea ſaltem cogitare licuiſſet. Mox vero primis quaſi iactis huius calculi fundamentis, ab acutiſſimo viro, Iohanne Bernoulli, quaeſtio de brachyſtochrona feliciſſimo ſucceſſu eſt reſoluta; quippe qua inter omnes lineas a puncto ſubliniori ad humilius ductas, ea quaerebatur, ſuper qua grave tempore breviſſimo deſcendat, quam egregiam proprietatem cycloidi competere invenerat. Methodus autem, qua Vir celeberrimus erat uſus, fratri ipſius natu maiori, Iacobo Bernoulli, manifeſto occaſionem praebuiſſe videtur, ſolutionem magni problematis iſoperimetrici, quod deinceps tractavit, meditandi. Latiſſimo ſcilicet ambitu omnes huius generis quaeſtiones in hoc problemate eſt complexus, ut inter omnes lineas, intra data duo puncta ducendas, ſive debeant eſſe eiuſdem longitudinis, (unde quidem nomen iſoperimetrici eſt natum,) ſive alia quadam indole communi praeditae, eam inveſtigaret, quae vel maximam aream, vel circa datum axem rotata, maximum ſolidum, vel in genere quamcunque maximi minimive proprietatem contineret. Methodum autem, qua ſummus illius temporis Geometra eſt uſus, perpendentes, ancipites haeremus, utrum magis eius incredibilem patientiam in prolixiſſimis et taedioſiſſimis calculis expediendis, an ſummam ſagacitatem in concluſionibus ſatis concinnis inde deducendis, admirari debeamus. Ob hanc ipſam autem cauſſam, quod concluſiones prodierint ſatis concinnae, mox ſuſpicari licebat, viam planiorem ac breviorem dari eodem perducentem; quam etiam eius frater iunior, Iohannes, ſatis feliciter eſt ingreſſus, etiamſi ſtatim pro quibusdam caſibus nimis abſconditis negotium minus ſucceſſerit, quem tamen defectum deinceps, toto hoc argumento profundius retractato, largiter compenſavit. Longe poſtea interiecto tempore, Auctor harum diſſertationum, in eodem problemate evolvendo, ſum-

mum ſtudium collocavit; et cum perſpexiſſet, omnes huius generis quaeſtiones eo redire, ut eiusmodi linea curva, aequatione inter coordinatas x et y exprimenda, inveſtigetur, in qua talis formula integralis $\int V d x$, quomodocunque quantitas V per x et y fuerit data, maximum minimumve valorem obtineat. Nunc autem evidens eſt, in iſta quantitate V infinitam varietatem locum habere poſſe, prout in eam, praeter ipſas variabiles x et y, tam earum differentialia cuiuscunque ordinis, quam novae inſuper formulae integrales, ingrediuntur. Quodſi iam ſolutiones Bernoullianae ad hanc normam examinentur, eae tantum ad eos caſus, quibus quantitas V ſola differentialia primi gradus involvit, reſtrictae reperiuntur, ac praeterea caſus, quibus in quantitate V novae formulae integrales inſunt, inde penitus excluduntur, pauciſſimis exceptis, quos facile pro indole quaeſtionis ab hoc incommodo liberare licet. Hunc igitur defectum celeb. Auctor feliciſſime, cum in his Commentariis, tum in Opere ſingulari de hoc argumento edito, ſupplevit, ita, ut vix quicquam, quod amplius deſiderari queat, reperiatur. Interim tamen ipſa Methodus, etiamſi totum negotium ſatis expedite conficiat, tamen ipſi non ſatis naturalis eſt viſa, propterea quod vis ſolutionis tota in conſideratione elementorum curvae inveſtigandae erat poſita, ipſa vero quaeſtio facile ita adornari poſſit, ut ex Geometria penitus ad ſolam Analyſin puram revocetur. Quaeſtio enim ita propoſita, ut data quantitate V utcunque ex binis variabilibus x, y, earumque differentialibus cuiuscunque ordinis, quin etiam ex formulis integralibus utcunque conflata, ea inter x et y relatio inveſtigari debeat, qua formulae integrali $\int V d x$ maximus minimusve valor concilietur: hoc igitur modo quaeſtio propoſita prorſus a Geometria ſegregatur; ex quo etiam methodus genuina eam reſolvendi a Geometria immunis eſſe debebit: et quo difficilius Analyſis ad hunc ſcopum accommodari poterat, eo maiora incrementa huius ſcientiae, ſi res ſucceſſerit, merito ſpera-

ſperare licebat. Tametſi autem Auctor de hoc diu multumque eſſet meditatus, atque amicis hoc deſiderium aperuiſſet: tamen gloria primae inventionis acutiſſimo Geometrae Taurinenſi, *la Grange*, erat reſervata; qui ſola Analyſi uſus, eandem plane ſolutionem eſt adeptus, quam Auctor ex conſiderationibus geometricis elicuerat. Verum ipſa illa ſolutio ita erat comparata, ut novam plane Analyſeos ſpeciem conſtituere, eiusque fines non mediocriter promovere videretur; ex quo Auctori occaſio eſt oblata, hanc ſcientiam novo calculi genere locupletandi, quem Calculum variationum appellat, et cuius elementa hic tradere, ac dilucide explicare, conſtituit. Hic quidem calculus, perinde ac differentialis, in incrementis infinite parvis inter ſe comparandis verſatur, verum in ratione tractationis ab eo maxime diſcrepat. Cum enim in calculo differentiali ex data quantitatum variabilium relatione, relatio inter earum differentialia cuiusque ordinis inveſtigetur; in calculo variationum ipſa relatio inter variabiles infinite parum immutari concipitur: ita ut cum ſecundum relationem datam pro quovis alterius variabilis x valore, altera y certum valorem ſortitur, calculo variationum huic ipſi valori y incrementum quoddam infinite parvum adiiciatur, ex quo deinceps, quemadmodum formulae tam differentiales, quam integrales varientur, definiri oportet. Incrementum illud cuicunque valori y adiectum, ab Auctore eius variatio vocatur, ac, ne cum differentialibus confundatur, hoc charactere δy deſignatur. Cum igitur hinc omnes formulae, tam differentiales, quam integrales, quatenus quantitatem y involvunt, certas variationes naneiſcantur, Auctor in priore diſſertatione principia ac praecepta ſtabilit, quorum ope omnium huiusmodi formularum variationes definiri poſſunt: ita ſi W denotet huiusmodi formulam quamcunque, eius variationem δW per regulas peculiares aſſignare docet. Quo ſingulari calculo conſtituto, deinceps in ſequente diſſertatione eius applicationem ad omnia problemata, quae circa maxima et mini-

minima excogitari poſſint, clariſſime oſtendit; inque negotio hoc imprimis obſervari meretur, quod iſta nova methodus mere analytica multo pleniores ac perfectiores ſolutiones ſuppeditet, quam prior illa ex Geometria petita.

IV. *De inſigni promotione Methodi Tangentium Inverſae.* Auctore LEON. EVLERO, pag. 135. Notum eſt, Analyſin infinitorum primam originem ex eo Geometrarum ſtudio traxiſſe, quo omnium linearum curvarum tangentes ducere ſunt conati. Cum enim iam pridem ante Geometrae fuiſſent ſolliciti, ut methodum certam cuiusque lineae curvae tangentes inveniendi ſcrutarentur, atque ad hunc ſcopum continuo propius acceſſiſſent, ſagacitate tandem ſummorum ingeniorum, NEWTONI et LEIBNIZII, calculus differentialis eſt inventus, quo mox feliciſſimo ſucceſſu ſunt uſi ad tangentes omnium linearum curvarum, cunctaque phaenomena, ab ſitu tangentium pendentia, definienda. Quoniam vero iam ante, certa quaedam artificia, id, etſi multo imperfectius, praeſtandi, erant explorata, tamen hinc novae iſtius inventionis gloria haud mediocriter imminui eſt viſa, niſi ea ad eiusmodi inveſtigationes accommodaretur, quae illorum artificiorum vim penitus ſuperarent. Hinc primis inventoribus ſtatim in mentem venit, ſtatum quaeſtionis, quae praecipue circa tangentes verſabatur, invertere, iisque, qui minus ſplendide de novo iſto calculi genere ſentiebant, eiusmodi quaeſtiones proponere, quibus, ex data quadam tangentium proprietate ipſarum linearum curvarum natura eſſet inveſtiganda. Cum igitur methodus huiusmodi quaeſtiones reſolvendi etiam eſſet invertenda, hinc methodus tangentium inverſa eſt nata, quae, quoniam a differentialibus ad ipſas quantitates reverti oportebat, calculo integrali mox inſignia dedit incrementa, ita ut incredibilis promotio, ad quam hic calculus deinceps eſt perductus, potiſſimum methodo tangentium inverſo accepta ſit referenda.

Pri-

Primum quidem in hoc genere eiusmodi tantum quaeſtiones ſunt tractatae, in quibus conditio quaedam tangentium in ſingulis curvae quaerendae punctis proponebatur, ita ut in iis ſolvendis ad unicum curvae punctum, quod autem indefinite ſumtum ad omnia plane puncta transferri queat, reſpexiſſe ſufficiat. Cuiusmodi quaeſtio erat, cum quaerebatur curva, cuius tangens ad reſectam, ſeu differentiam inter abſciſſam et ſubtangentem, ubique datam teneret rationem: vocata enim pro curvae puncto quocunque abſciſſa $= x$, et applicata $= y$, quia tangens eſt $= \frac{y\surd(dx^2+dy^2)}{dy}$ et ſubtangens $= \frac{ydx}{dy}$, hac quaeſtione poſtulabatur, ut eſſet $\frac{y\surd(dx^2+dy^2)}{dy}$ ad $x - \frac{ydx}{dy}$ in data ratione: quae ratio ſi ponatur $= m:n$, ad hanc aequationem pervenitur:

$$m(xdy - ydx) = ny\surd(dx^2+dy^2)$$

quae integrata naturam curvae quaeſitae declarabit. Deinde vero etiam eiusmodi quaeſtiones ſunt agitatae, quibus tangentium conditio praeſcripta ſimul ad bina curvae puncta pertineret, cuiusmodi fuerat problema traiectoriarum reciprocarum, cuius ſolutiones a variis auctoribus prolatae, Analyſin infinitorum clariſſimis inventis locupletarunt. Eodem quoque referenda eſt quaeſtio Catoptrica, ab ipſo Auctore huius Diſſertationis olim evoluta, qua circa punctum lucidum eiusmodi linea curva deſcribenda proponitur, ut omnes radii ab iſta curva bis reflexi in ipſum punctum lucidum revertantur. In qua quaeſtione reſolvenda omnino neceſſe eſt, ut bina ſimul curvae puncta, in quibus quilibet radius reflectitur, in calculum introducantur; quae bina puncta ita inter ſe eſſe relata manifeſtum eſt, ut inter ſe permutationem admittant. Cum igitur huiusmodi quaeſtiones longe aliam ſolvendi methodum requirant, quam quaeſtiones

R priores

prioris generis, ubi unicum curvae punctum conſideraſſe ſufficit, Auctor hinc duas claſſes quaeſtionum ad methodum tangentium inverſam pertinentium, conſtituit: iisque adeo in hac diſſertatione tertiam claſſem adiungit, quae eiusmodi quaeſtiones complectitur, in quibus ſimul ad innumerabilia curvae puncta, quae certo quodam modo inter ſe cohaereant, reſpici oportet. Quoniam igitur huiusmodi quaeſtiones methodum prorſus peculiarem poſtulant; quam Auctor in hac diſſertatione dilucide exponit, eiusque eximium uſum in variis problematibus ſolvendis oſtendit, nullum plane eſt dubium, quin haec ſpeculatio Analyſi inſignem perfectionem ſit allatura.

V. *Dilucidationes de Tautochronis in medio reſiſtente*, Auctore LEON. EVLERO, pag. 156. Cum primum pendula ad tempus dimetiendum, motumque horologiorum temperandum, adhiberi ſunt coepta, oſcillationes non prorſus aequalibus temporibus abſolvi, ſed maiores excurſiones aliquanto plus temporis inſumere ſunt deprehenſa. Cuius inaequalitatis cauſſa mox in eo poſita eſſe reperiebatur, quod corpus ſuper arcu circuli deſcendens aliquanto tardius ad punctum infimum pertingat, quo altius deſcenſum inceperit, etiamſi diſcrimen ſit tam exiguum, ut nonniſi accuratioribus obſervationibus animadverti queat. Cum igitur aequabile curvamen, quale in arcubus circularibus ineſt, non ſit aptum ad omnes deſcenſus iſochronos efficiendos, facile colligere licebat, ſi loco circuli alia curva adhibeatur, cuius curvatura adſcendendo continuo fieret maior, fieri poſſe, ut tum omnes deſcenſus ad temporis aequalitatem perducerentur. Verum, tam ob Analyſeos, quam Mechanicae defectum, natura huius curvae definiri non poterat, donec Vir ſummo ingenii acumine praeditus oſtendiſſet, hanc proprietatem cycloidi competere. Et quoniam commodiſſime evenit, ut huius curvae evoluta iterum ſit cyclois, inventi iſtius applicatio ad praxin eo facilior evaſerat,

rat, quod tantum pendulum intra binas cycloides ſuſpendi opus erat; ſiquidem tum imum penduli ponduſculum iterum cycloidem eſſet deſcripturum. Veruntamen ne hoc quidem artificio omnis inaequalitas tolli videbatur, niſi motus fieret in vacuo, cum ob aëris reſiſtentiam motus non mediocriter ab ea lege, cui Theoria innitebatur, recederet; quare, quamdiu natura huius reſiſtentiae minus erat perſpecta, vera curva, quae omnes oſcillationes paribus temporis intervallis ederet, ne inveſtigari quidem poterat. Interim tamen ſummus NEVTONVS demonſtraverat, ſive aëris reſiſtentia fuerit conſtans, vel, eius loquendi more, momentis temporis proportionalis; ſive ipſam celeritatum rationem ſequatur, nihilominus omnes oſcillationes in Cycloide factas inter ſe iſochronas eſſe futuras, ita ut his caſibus reſiſtentia non impediret, quo minus cyclois pari ſucceſſu in uſum vocari poſſet, atque in vacuo. Deinde vero reſiſtentiae natura tam experimentis, quam ratione, accuratius explorata, ea neutiquam celeritatibus, ſed potius celeritatis quadratis proportionalis eſt deprehenſa; quae proportio nullo amplius modo cum cycloidis natura conſiſtere poterat, atque adeo iam non erat difficile, per calculum accurate definire, quantum oſcillationes in cycloide factae ob aëris reſiſtentiam ab iſochroniſmi ratione recederent. Quantumvis autem tum temporis Geometrae in eo elaboraverint, ut veram curvam, quae in medio reſiſtente omnes oſcillationes iſochronas produceret, inveſtigarent; tamen in ipſa Analyſi tantas offenderunt difficultates, quae vix ſuperari poſſe viderentur. At poſtquam etiam Auctor huius diſſertationis diu multumque in hac inveſtigatione deſudaviſſet, voti tandem compos eſt factus, veramque curvam tautochronam in medio, quod ſecundum rationem celeritatum duplicatam reſiſtit, felici ſucceſſu elicuit. Interim tamen methodus, qua in hac inveſtigatione erat uſus, nullo modo ad alias reſiſtentiae hypotheſes transferri poterat. Tametſi enim certum videbatur, in natura aliam reſiſtentiae

R 2 legem,

legem, praeter duplicatam celeritatum rationem, locum habere non poſſe; tamen eadem quaeſtio de Tautochronis in aliis reſiſtentiae hypotheſibus, non tam in Mechanica, quam in ipſa Analyſi, merito maximi momenti iudicabatur, propterea, quod tantae difficultates, quae hanc inveſtigationem impedirent, ſuperari non poſſunt, quin ſimul Analyſis eximia inde accipiat incrementa. Verum in hoc negotio haud parum mirum videbitur, quod methodus Auctoris ne ad eam quidem hypotheſin, qua reſiſtentia ipſi celeritati proportionalis fingitur, extendatur, cum tamen hic caſus iam pridem fuiſſet exploratus. At hic quidem imprimis notari convenit, a NEUTONO tautochronam in hac reſiſtentiae hypotheſi non a priori eſſe inventam, ſed potius, cum forte in motum ſuper cycloide inquireret, quaſi inopinato deprehendiſſe, tautochroniſmi proprietatem ab hac reſiſtentia non turbari; quamobrem hactenus methodus directa merito deſiderabatur, qua ſimul tam in ratione celeritatum ſimplici, quam duplicata, curvae tautochronae inveniri queant. Quo in negotio quidem Auctor ſibi nihil laudis vindicat, cum talis methodus a Celeb. FONTAINO ſit excogitata; neque tamen ideo abs re fore eſt arbitratus, ſi idem argumentum ſuo more pertractaverit, et hanc aeque novam ac maxime ingenioſam methodum luculenter expoſuerit, quo eius ampliſſimus uſus in Analyſi magis in aprico collocaretur. Interim tamen maxime eſt dolendum, ne hanc quidem methodum ultra eas hypotheſes reſiſtentiae, quibus tautochronae iam erant cognitae, patere.

VI. *Demonſtratio Theorematis Bernoulliani.* Auctore LEON. EVLERO, pag. 179. Ab HVGENIO primum curvarum evolutio eſt inveſtigata, qua filum curvae cuique circumplicatum paulatim evolvi, eiusque termino novam curvam deſcribi aſſumſit; hancque novam curvam, ex evolutione prioris natam, iſtam vero illius evolutam vocavit. Conſidera-

ſideratio autem tautochroniſmi Virum ſummum ad hanc meditationem impulerat, qua invenit, curvae cycloidis evolutam iterum eſſe cycloidem illi ſimilem, at ſitu inverſo poſitam: unde viciſſim ſequebatur, ſi ſemiſſis cycloidis, a cuſpide usque ad locum, ubi eius curvamen eſt minimum, ſumta, ita ut tangentes in his terminis ductae ſint inter ſe normales, ex loco minimi curvaminis evolvatur, curvam inde natam iterum eſſe cycloidem, hancque adeo ſimili modo evolutam denuo cycloidem producere, ſicque porro in infinitum innumerabiles naſci cycloides. Quae ſpeculatio cum Geometris maxime placuiſſet, Vir ſagaciſſimi ingenii, IOH. BERNOVLLI, obſervavit, ſi loco cycloidis initio alia quaecunque linea curva conſtituatur, cuius tangentes extremae inter ſe ſint normales, atque evolutio ſimili modo, ut in cycloide eſt factum, continuo repetatur, curvas hinc natas continuo propius ad cycloidis naturam accedere, ac tandem, evolutione infinities repetita, in perfectas cycloides abire. Inſigne igitur hoc Theorema ſoli quaſi obſervationi innixum. Auctor huius diſſertationis ideo demonſtrare ſuſcepit, quoniam ipſa demonſtratio ad plurimas alias pulcherrimas ſpeculationes manuducit, cuiusmodi nonnullas evolvit, quae haud exigui momenti eſſe videntur. At certe, cum hoc modo omnes curvae ad cycloidem tandem perducantur, haecque curva rectificationem admittat, hinc eximias approximationes petere licet. Veluti ſi prima curva ſit quadrans circuli, ac poſito radio $= 1$, eius arcus vocetur $= q$, qui eſt ſemiſſis numeri $\pi = 3,14159265$ etc. longitudo curvarum ſequentium ex continua evolutione notarum ita ſe habere deprehenditur:

Longitudo curvae primae: $= q$

— — ſecundae $= \frac{1}{1.2} q^2$

— — tertiae $= \frac{2}{1.2.3.} q^3$

R 9 Longi-

Longitudo curvae quartae $= \frac{5}{1.2.3.4.q^4}$

— — quintae $= \frac{16}{1.2.3.4.5.q^5}$

— — ſextae $= \frac{61}{1.2.3.4.5.6.q^6}$

— — ſeptimae $= \frac{274}{1.2.3.4.5.6.7.q^7}$

— — octavae $= \frac{1385}{1.2.3.4.5.6.7.8.q^8}$

— — nonae $= \frac{7936}{1.2.3.4.5.6.7.8.9.q^9}$

etc.

quas ergo longitudines continuo propius ad rationem aequalitatis accedere eſt neceſſe; et cum infiniteſima ſit cyclois, eiusque longitudo $= \frac{2}{q}$, ſi hinc illae aequentur, continuo propius ad veritatem accedetur, his ſcilicet formulis:

$$q^2 = 2;\ q^3 = 2.\frac{1.2}{1};\ q^4 = 2.\frac{1.2.3.}{2};\ q^5 = 2.\frac{1.2.3.4}{5};$$

$q^6 = 2.\frac{1.2.3.4.5.}{16.}$ Hic imprimis notandi ſunt numeratores illarum formularum, quorum, qui ſunt ordine pares, 1, 5, 61, 1385, etc. ita quisque per praecedentes definitur, ut ſit:

$$5 - \frac{4.3}{1.2.}1 + \frac{4.3.2.1}{1.2.3.4} = 0$$

$$61 - \frac{6.5}{1.2.}5 + \frac{6.5.4.3}{1.2.3.4}1 - \frac{6.5.4.3.2.1.}{1.2.3.4.5.6} = 0$$

1385

$$1385-\frac{8.7}{1.2}61+\frac{8.7.6.5}{1.2.3.4}5-\frac{8.7.6.5.4.3}{1.2.3.4.5.6}1+$$

$$\frac{8.7.6.5.4.3.2.1}{1.2.3.4.5.6.7.8}=0$$

ac ſi totae formulae pro locis paribus inventae ponantur:

$1q^0=;Aq^2;\ Bq^4:\ Cq^6;\ Dq^8;\ Eq^{10};\ Fq^{12};\ Gq^{14}$ etc. habebimus ut ſequitur:

$$A-\frac{1}{1\ 2}=0$$

$$B-\frac{A}{1.2}+\frac{1}{1...4}=0$$

$$C-\frac{B}{1.2}+\frac{A}{1...4}-\frac{1}{1....6}=0$$

$$D-\frac{C}{1.2}+\frac{B}{1...4}-\frac{A}{1...6}+\frac{1}{1.....8}=0$$ unde concludimus, fore hanc ſeriem

$$1q^0+Aq^2+Bq^4+Cq^6+Dq^8+\text{etc.}=$$

$$\frac{1}{1-\frac{1}{1.2}q^2+\frac{1}{1..4}q^4-\frac{1}{1..6}q^6+\text{etc.}}=\frac{1}{\text{coſ. }q}$$

Haecque conſideratio ad plurimas alias ſpeculationes non ſpernendas perducere poterit.

VII. *Demonſtratio ſeriei*, $\frac{2.6.10.14.18.....(4n-10)}{2.3.4.5.6.....(n-1)}$ Auctore S. KOTELNIKOW, pag. 199. Cum Auctor, in ſubſidium artis agrimenſoriae, occupatus fuiſſet in conſtructione

ctione polygonorum ex tot datis ſive lateribus, ſive angulis, ſive diagonalibus, quot ad figurae determinationem requiruntur, evolvenda, caſus, quo praeter omnia latera totidem, demtis tribus, dantur diagonales, (tot ſcilicet quaeſtiones determinatio poſtulat,) hic igitur caſus ipſum perduxerat ad eandem ſpeculationem, qua in Vol. VII. Celeber. SEGNER oſtenderat, quot variis modis quodque Polygonum per diagonales in triangula reſolvi poſſit. Arctiſſime ſcilicet hae duae inveſtigationes inter ſe ſunt connexae, etiamſi convenientia primo intuitu minus appareat. Incidit ergo Auctor in numeros 1, 2, 5, 14, 42, quorum autem progreſſionis legem, utpote ſatis abſconditam, ex ſola figurarum contemplatione perſpicere non poterat. At ex conſideratione horum ipſorum numerorum, quos iam elicuerat, ſatis ingenioſe in ipſam progreſſionis legem inquirit, ad eamque feliciter pertingit, coniectura maxime probabili adiutus, quod hi numeri ſecundum factores egregio ordine progredi debeant. In uberiorem quidem confirmationem ipſorum quoque polygonorum, unde hi numeri ſunt orti, rationem habet; ſed ea etiam praetermiſſa, eiusdem coniecturae adminiculo totum negotium hoc modo conſici poſſe videtur. Dividatur iſtorum numerorum quilibet per praecedentem, ut obtineantur hi quoti: $\frac{2}{1} = 2$; $\frac{5}{2} = \frac{5}{2}$; $\frac{14}{5} = \frac{14}{5}$; $\frac{42}{14} = 3$, qui cum non ſint integri omnes per eiusmodi fractiones exhibeantur, quarum denominatores ſint 3, 4, 5, 6, quandoquidem in tertio denominator quinario minor eſſe nequit; ſicque habebitur: $\frac{2}{1} = \frac{6}{2}$; $\frac{5}{2} = \frac{10}{4}$; $\frac{14}{5} = \frac{14}{5}$; $\frac{42}{14} = \frac{18}{6}$, ubi cum etiam numeratores progreſſionem arithmeticam teneant, vix ullum dubium ſupereſſe poſſet, quo minus ſtatuamus, omnes hos quotos ſequenti ordine progredi, in primo loco

ob

ob analogiam $\frac{2}{2}$ praefixo: $\frac{2}{2}.\frac{6}{3}.\frac{10}{4}.\frac{14}{5}.\frac{18}{6}.\frac{22}{7}.\frac{26}{8}.\frac{30}{9}$ etc.
Cum in VII. Volumine veritas huius formulae rigoroſiſſime ſit demonſtrata, aliaeque formae ipſi aequivalentes ſint exhibitae, uſu non carebit obſervaſſe, hos numeros 1, 2, 5, 14, 42, etiam hoc modo per factores repraeſentari poſſe:

$$\frac{2}{2};\ \frac{3.4}{2.3};\ \frac{4.5.6}{2.3.4};\ \frac{5.6.7.8}{2.3.4.5};\ \frac{6.7.8.9.10}{2.3.4.5.6};$$

$\frac{7.8.9.10.11.12.}{2.3.4.5.6.7}$, quae formulae porro in has transformantur: $1;\ \frac{4}{2};\ \frac{5.6}{2.3};\ \frac{6.7.8}{2.3.4};\ \frac{7.8.9.10}{2.3.4.5};\ \frac{8.9.10.11.12}{2.3.4.5.6}$ etc. tum vero ſuccinctius adhuc in has: $1;\ 2.\ 1;\ 2.\frac{5}{2};\ 2.\frac{6.7}{2.3};\ 2.\frac{7.8.9}{2.3.4};\ 2.\frac{8.9.10.11}{2.3.4.5}$, quarum prima pro triangulo, ſecunda quadrilatero, tertia pentagono etc. valet: unde in genere pro polygono n laterum valebit haec forma: $2.\frac{n}{2}.\frac{n+1}{3}.\frac{n+4}{4}\ldots\frac{2n-5}{n-3}$. verum nullum eſt dubium, quin forma ab Auctore conſiderata ad uſum multo magis ſit accomodata.

PHYSICO-MATHEMATICA. I. *De motu corporis ad duo virium centra attracti.* Auctore LEON. EVLERO, pag. 207. Argumentum huius diſſertationis Auctor in eius praefatione tam dilucide et copioſe explicavit, ut ſuperfluum foret de eius eximio uſu, cum in Aſtronomia, tum vero in Analyſi, hic quidquam commemorare. Priorem ergo huius diſſertationis partem, uberiori iſtius quaeſtionis explicationi deſtinatam, hic tranſcriptam putemus,

cum cuique a calculis etiam abhorrenti eam ante huius recenſionis lectionem evolvere liceat. In quaeſtione igitur, quam Auctor hic tractat, duo puncta fixa aſſumuntur, ad quae corpus quodpiam attrahatur in ratione reciproca duplicata diſtantiarum; et poſtquam huic corpori motus quicunque fuerit impreſſus, qua lege deinceps ſit progreſſurum, quaeritur. Neutiquam vero Auctor in ſolutione imperfecta, et ad veritatem tantum adpropinquante, qua ratione huiusmodi quaeſtiones adhuc tractari ſunt ſolitae, acquieſcit; ſed potius omnes, cum ingenii, tum calculi vires eo intendit, ut motum illius corporis ad duo virium centra fixa attracti omni rigore geometrico definiat, atque adeo aequationem pro curva deſcripta eliciat, ex qua eius conſtructio confici queat. Poſtquam autem aequationes differentiales ſecundi gradus, quas principia motus ſtatim ſuppeditant, felici ſucceſſu ad primum gradum perduxiſſet, aequationem tantopere complicatam eſt aſſequutus, ut inde vix plus ſubſidii, quam ex primis formulis differentio - differentialibus expectandum videretur, propterea quod binae variabiles maxime inter ſe erant permixtae. Cum igitur quaſi de ulteriori ſucceſſu deſperaret, eum caſum, quo alterutra vis centripeta evaneſcit, evolvendum ſuſcepit; quoniam aliunde conſtabat, curvam hoc caſu deſcriptam ſectionem conicam eſſe debere: in qua inveſtigatione, quae adhuc maximis difficultatibus erat implicata, Auctori caſu accidit, ut in enormem errorem illaberetur. Quem lapſum, tantum abeſt ut occultandum et reticendum putaret, ut eum potius ingenue confiteatur, cum huic ipſi errori perfecta huius quaeſtionis ſolutio unice accepta ſit referenda. Poſtquam enim omni ſtudio in originem huius erroris inquiſiviſſet, moleſtiſſimosque calculos expediviſſet, praeter omnem expectationem in eiusmodi methodum incidit, cuius beneficio ipſa quaeſtio, latiſſimo ſenſu accepta, ita ad exoptatum finem perduci poſſet, ut in ſolutione nihil amplius eſſet deſiderandum; ad quod eximium inventum, quod non ſolum in Aſtro-

nomia,

nomia, ſed etiam in Analyſi, maximi certe eſt momenti, nunquam pertigiſſet, niſi feliciſſimo eventu in errorem illum incidiſſet. Totám autem huius problematis ſolutionem perduxit ad hanc aequationem differentialem primi gradus, in qua binae variabiles adeo a ſe invicem ſunt ſeparatae

$$\frac{dr}{\sqrt{r(A+B+D+2Er-(A+B-D)rr)}} = \frac{ds}{\sqrt{s(-A+B-D+2Es+(A-B-D)ss)}}$$

ubi litterae A et B intenſiones utriusque centri virium denotant. D vero et E ſunt conſtantes, a prima motus impreſſione pendentes, at variabiles r et s per angulos $BAM = \zeta$ et $ABM = \eta$ ita definiuntur, ut ſit $r = \text{tang.}\ \tfrac{1}{2}\zeta.\ \text{tang.}\ \tfrac{1}{2}\eta$ et $s = \frac{\text{tang.}\ \frac{1}{2}\zeta}{\text{tang.}\ \frac{1}{2}\eta}$, ex quo, ope aequationis inventae, curva a Corpore deſcripta facile conſtrui poteſt. Alio loco autem Auctor oſtendet, hanc aequationem infinitis caſibus algebraice integrari poſſe, ita ut infinitis modis fieri queat, ut corpus circa duo haec centra virium A et B curvam adeo algebraicam deſcribat. Manifeſto ſcilicet haec ſequuntur ex iis, quae auctor eſt commentatus de aequatione hac:

$$\frac{m\,dx}{\sqrt{(\alpha+\beta x+\gamma xx+\delta x^3+\varepsilon x^4)}} = \frac{n\,dy}{\sqrt{(\alpha+\beta y-\gamma yy+\delta y^3+\varepsilon y^4)}}$$

cuius integrale, oſtendit, ſemper algebraice aſſignari poſſe, quoties numeri m et n ſunt inter ſe commenſurabiles. Verum praeter hos caſus, innumerabiles dantur alii, duo maxime ſimplices, quos immediate ex aequatione differentiali inventa derivare licet. Oſtendit enim Auctor alibi, quoties habeatur aequatio differentialis ſeparata inter binas variabiles r et s, ei ſemper duobus modis ſatisfieri poſſe; al-

tero, quo ipſi r, altero vero ipſi s, certus tribuitur valor conſtans. Secundum praecepta autem, quae in hac inveſtigatione obſervare oportet, ſi fiat $r = \alpha$, neceſſe eſt ut $\alpha - r$ ſit factor quantitatis $\sqrt{r}\,(A + B + D + 2\,Er - (A + B - D)\,rr)$ ideoque ipſa quantitas $A + B + D + 2\,Er - (A + B - D)\,rr$ factorem habeat $(\alpha - r)^2$ hinc diviſa illa forma per $D - A - B$ ſtatuatur $\frac{A + B + D}{D - A - B} = \alpha\alpha$ et $\frac{E}{D - A - B} = -\alpha$, et conſtantes ambae D et E, a motus initio pendentes, ita definiuntur, ut ſit $D = \frac{(\alpha\alpha + 1)\,A + B)}{\alpha\alpha - 1}$ et $E = \frac{-2\,\alpha\,(A + B)}{\alpha\alpha - 1}$. Quare, ſi motus corpori initio impreſſus his valoribus fuerit conformis, curva deinceps deſcripta hac exprimetur aequatione: tang. $\frac{1}{2}\zeta$. tang. $\frac{1}{2}\eta = \alpha$: unde cum poſitis $AP = x$, $BP = a - x = t$, $AM = v$, et $BM = u$ ſit tang. $\frac{1}{2}\zeta = \frac{v - x}{y} = \frac{y}{v + x}$ et tang. $\frac{1}{2}\eta = \frac{u - t}{y} = \frac{y}{u + t}$, fiet $\alpha = \frac{v - x}{u + t}$. Hinc cum ſit $x = \frac{vv + vv - uu}{2\,a}$ et $t = \frac{aa - vv + uu}{2\,a}$, erit $v - x = (u + v - a)\,(a + u - v)$ et $u + t = (u + v + a)\,(a + u - v)$ ita ut iam ſit $\alpha = \frac{u + v - a}{u + v + a}$ et $u + v = \frac{(\alpha + 1)\,a}{1 - \alpha}$ ſeu $AM + BM$ conſtans. Ex quo manifeſtum eſt, hoc caſu curvam a corpore deſcriptam fore ellipſin, cuius ambo foci in ipſis bini centris virium A et B ſint conſtituti. En ergo obſervationem notatu maxime dignam, qua nunc quidem conſtat fieri poſſe, ut corpus ad duo virium centra attractum etiam in conica ſectione revolvatur, cuius adeo foci in illa centra virium incidant: ad hoc quippe requiritur, ut

ut corpus initio certa quadam ratione proiiciatur; quam inſignem proprietatem haud memini a quoquam eſſe animadverſam. Quemadmodum autem hic; ponendo $r = \alpha$, omnis generis ellipſes ſumus adepti: ita, ſi pro altera aequationis parte ſtatuamus $s = \beta$, ſimili modo ad hyperbolas perveniemus, quarum foci itidem in centris virium reperiuntur. Ceterum Auctor hic aſſumſit, motum fieri in eodem *plano* cum ambobus virium centris: verum, etiamſi motus non abſolvatur in eodem plano, tamen methodus, qua hic auctor eſt uſus, pari ſucceſſu adhibetur, quemadmodum alia occaſione ab ipſo oſtendetur; quo ſimul ſpes Aſtronomorum non mediocriter confirmari videtur, fore aliquando, ut omnes perturbationes motuum coeleſtium, ab actione plurium virium oriundae, per calculum accurate queant definiri.

II. *De motu vibratorio Tympanorum: item* III. *Tentamen de Sono Campanarum.* Auctore LEON. EVLERO, pag. *243. et 261.* Duae inveſtigationes ad Acuſticam pertinentes, atque in ſe tantopere difficiles, ſuſcipiuntur, ut is iam plurimum praeſtitiſſe ſit cenſendus, qui ſaltem quodammodo hos ſonos ad calculum revocare valeat. Abunde nunc quidem conſtat, quantis difficultatibus quaeſtio de motu vibratorio cordarum fuerit involuta, cum ante eam perfecte expedire non licuerit, quam nova quaſi calculi integralis pars tractari atque excoli ſit coepta. Cum igitur in his quaeſtionibus, quae de ſono ſeu motu vibratorio tympanorum et campanarum inſtituuntur, non fili cuiusdam, veluti cordae, ſed totius ſuperficiei, atque adeo corporis agitationes inveſtigentur, facile intelligitur, ad hoc multo profundiora calculi myſteria requiri. Praecipuum autem negotium in eo conſiſtit, ut hi motus, eorumque variationes, debite ad calculum revocentur; id quod ſine certis hypotheſibus, pro ſtructura horum corporum ſtabilitis, nullo modo fieri poteſt. Hinc Auctor harum diſſertationum, in priori

rationem conſtituit, qua vibrationes membranae extenſae, dum pulſatur, evenire concipi oportet; in poſteriori vero ſimilem rationem pro campanis definit, unde deinceps formulas analyticas ſecundum motus principia derivat, quarum evolutio tandem ad veram motus utriusque cognitionem perducere debet. Formulae autem hae, quae pro tympanis ſunt differentiales ſecundi, pro campanis autem adeo quarti gradus, multo magis ſunt complexae quam eae, quibus cordarum motus exprimitur, neque etiam in genere, uti illae, inveſtigationem admittunt. Quamobrem Auctor etiam utramque ſolutionem ad eum caſum reſtringit, quo oſcillationes regulares certis temporum intervallis diſtinctae oriuntur, quandoquidem hae maxime in ſenſus incurrunt, ſonosque certi tenoris repraeſentant. Deinde autem hic idem quoque uſu venit, quod in cordis eſt obſervatum, ut tam tympana, quam campanae, pro varia impulſionis ratione diverſos ſonos ſimplices edere queant; tum vero etiam hoc potiſſimum, ut quos ſonos haec inſtrumenta ſeorſim edere valent, eosdem quoque coniunctim producere poſſint, quemadmodum idem in cordis contingit. Verum cum diverſi ſoni, quibus edendis eadem corda eſt apta, ſint inter ſe maxime harmonici, in ratione quippe numerorum naturalium 1, 2, 3, 4, 5 etc. procedentes: hic in tympanis et campanis maximum cernitur diſcrimen, dum ſoni ſimul editi adeo inter ſe incommenſurabiles, ideoque maxime ab harmonia abhorrentes ſint. Ex quo facile intelligitur, quid de illa inſignis Muſici Gallici, de Rameau, opinione ſit ſentiendum, qui memorata illa cordarum proprietate deceptus, verum omnis harmoniae principium in natura corporum ſonororum ſitum eſſe putavit, exiſtimans omnes ſonos ab eodem corpore ſimul editos, natura ſua inter ſe eſſe conſonos. Ratione campanarum provocat adeo ad experientiam, et affirmat, campana pulſa ſe ſemper ſimul ſonum acutiorem, qui ad principalem eſſet decima maior, ſeu in ratione 5 ad 2, exaudire. At Auctor noſter dilucide oſtendit,

ſit, hunc ſonum non rationem 5 : 2, ſed potius hanc irrationalem $\sqrt{6}:1$ illa tantillo minorem tenere, ita ut vel hoc experimento opinio illa funditus evertatur.

IV. *Obſervationes quaedam ad Opticam pertinentes.* Auctore F. V. T. AEPINO, pag. 282. In Commentariis Academiae Scientiarum Pariſinae anni 1743. proſtat Cel. BUFFONI diſſertatio, titulo de Coloribus accidentalibus inſignita, quae praeter colores accidentales tractat etiam de morbo, ubi maculae nigrae, tamquam muſcae, oculo obvolitare videntur, nec non de coloribus umbrarum, a corporibus ſole oriente aut occidente proiectarum. Auctori huius diſſertationis circa haec omnia nonnullae Cel. BUFFONO ignotae ſeſe obtulerunt obſervationes, quas idcirco hoc loco proponit. Diſſertatio igitur continet tres obſervationes. Prima ſpectat ſenſationem diverſorum colorum in organo viſus ſuccedentium, ſi Sol, dum eſt horizonti propinquus, vel raris obtectus nubibus, ut ſplendor ipſius oculum laedere nequeat, per quartam partem minuti primi conſpiciatur. Averſis enim tunc a Sole oculis, ſenſationem durare per tria aut quatuor minuta prima, expertus eſt Auctor, ſive illi aperti, ſive clauſi teneantur. Singulares, et a nemine hucusque obſervatas circumſtantias, quae ſenſationem hanc concomitantur, longum foret hic recenſere; idcirco qui illas, concluſionesque inde deductas, cognoſcere cupiunt, ad ipſam diſſertationem ablegandos eſſe cenſemus. Secunda obſervatio ſpectat morbum oculorum, quo ante oculum, obiectum quoddam album aut lucidum contemplantem, maculae nigrae, tamquam muſcae, obvolitare videntur. Multi quidem hoc morbi genere laborant, aſt nemo maiori cura, quam Auctor, in ſedem morbi inquiſivit. Plerique Medicorum quaeſiverunt infirmitatis huius cauſam in particulis opacis humori aqueo innatantibus; alii opacitati partium lentis cryſtallinae; alii denique partibus tunicae retinae ſenſatione privatis, ſive paralyſi

lyſi affectis, quae opinio Cel. BUFFONO quoque arridet, attribuerunt. Ultima ſententia, etſi magis legibus dioptricis conſentiat, propria tamen experientia convictus eſt Auctor, dari caſus, ubi hic morbus ſedem in tunica retina non habet: igitur in hanc ſententiam deſcendit, ut ſedem morbi, non alibi, quam in humore vitreo quaerendam eſſe, atque oriri a dilatatione ſubtiliſſimorum vaſorum lympham diaphanam vehentium, et introitum partibus craſſioribus et opacis praebentium, aliterque lumen ac lympha refringentium, exiſtimet. Obſervationes et experientiae Auctoris ita comparatae eſſe videntur, ut nullum dubium relinquant, quin veram ſedem morbi, ſaltem ſui ipſius, aſſignaſſe ſit cenſendus. In obſervatione tertia, quae de umbrarum coloribus agit, refert primum Auctor obſervationem BUFFONIANAE ſimilem, aſt novam: quod nimirum umbrae a candela accenſa proiectae, tempore crepuſculi matutini aut veſpertini, non, prout expectare fas videtur, nigrae, ſed nunquam non eleganter coeruleae inveniantur, ſi plano albo excipiantur; virides vero appareant, ſi in planum flaveſcens proiiciantur. Orta hinc erat ſuſpicio Auctori, qui inter innumeros caſus, nunquam viderat umbras a Sole occidente productas, niſi coeruleas, irrepſiſſe in BUFFONI obſervata inadvertentiam aliquam, dum celeberrimus Vir ſaepe virides apparere umbras has perhiberet; quod quidem Auctori nonniſi huic circumſtantiae attribuendum fuiſſe videtur, quod in obſervationibus BUFFONI umbrae in plenum flavum inciderint. Aſt propriis poſthaec obſervationibus edoctus fuit, apparere poſſe umbras a Sole occidente productas, etiamſi plano albo excipiantur, virides, dum nempe aer, ſparſis nubibus, rubicundo aut aureo colore tinctis, repletus eſt. Tentat quoque Auctor rationem reddere horum phaenomenorum, non tamen illam pro vera proponere audet.

V. *Similitudinis effectuum vis magneticae et electricae novum ſpecimen.* Auctore F. V. T. AEPINO, pag. 296.

Varia

Varia ab Auctore in lucem edita ſunt ſcripta, ſimilitudinem effectuum, et analogiam vis magneticae atque electricae demonſtrantia. Prima huius rei fundamenta iecit in ſermone anno 1758. publice praelecto, ſed uberius eandem Theoriam expoſuit in egregio opere, cui titulus eſt: TENTAMEN THEORIAE ELECTRICITATIS et MAGNETISMI. Quamquam autem hac ex parte Auctor in ſcriptis ſuis nihil deſiderandum reliquerit: phaenomenon tamen, quod hic deſcribit, utriusque vis tantam ſiſtit ſimilitudinem, ut obſervator omnino diſtinguere nequeat, utrum id pro operatione vis electricae, an vero magneticae habendum ſit. Haec eſt praecipua cauſa, ob quam experimentum hoc deſcribendum eſſe exiſtimavit. Simplex quidem illud eſt, ſed ſimilitudinem utriusque vis luculentiſſime probat.

VI. *Deſcriptio duplicis Microſcopii Solaris apparatus, obiectis opacis adaptati.* Auctore I. E. ZEIHERO, p. 299. *Microſcopium* Solare ad inventa recentiora pertinere, ſatis conſtat. Tribuitur illius inventio LIBERKÜHNIO, Academico celebri quondam Berolinenſi; quamvis non deſint, qui hoc inventum antiquius eſſe velint, et LIBERKÜHNIUM tantum illud perfeciſſe contendant. Microſcopium autem hoc variarum adhuc perfectionum eſt capax, uti ſolent recentiora inventa, quae non ſtatim ab initio ſummo perfectionis gradu gaudere ſolent, uti vel antlia pnevmatica exemplo eſſe poteſt perſpicuo, a variis aucta, variis perfectionibus. Microſcopia ſolaria prima, et ordinaria, adcommodata tantum ſunt ad obiecta pellucida obſervanda. Duplex perfectio eſt ab Auctore excogitata, pro obiectis opacis Microſcopio ſolari adplicandis. Altera inſervire debet obiectis minimis, valde amplificandis, quae alias commode in lentis foco collocari nequeunt; altera vero obiectis maioribus integris, mediocriter augendis, ut monetis, gemmis, et aliis. Hunc duplicem ſcopum Auctor ſibi in diſſertatione ſua propoſuit, ad quem obtinendum duas ca-

 pſulas

ſulas reperit cum adparatu, coniungendas cum microſcopio ſolari. Sed quum hic adparatus duplex ſine figuris diſtincte intelligi et repraeſentari nequeat, lectorem ad ipſam diſſertationem remiſſum volumus.

VII. *Methodus expedita velocitatem venti abſolutam determinandi*, Auctore I. E. ZEIHERO, pag. 302. Extant quidem iam multae methodi celeritatem ventorum determinandi, a variis auctoribus excogitatae; inter quas praecipue notatu digna eſt ingenioſiſſima illa viri quondam celeberrimi, ONS-EN-BRAY, quam deſcripſit in Memoriis Academiae Pariſienſis anno 1734: tamen in omnibus his methodis iure adhuc deſiderari poteſt, quod non ſatis ſint expeditae et commodae, quavis occaſione celeritatem ventorum determinandi. Scopus igitur diſſertationis eſt, methodum commodiorem et expeditiorem exhibere. Ad hunc ſcopum obtinendum coniunxit A. duo inſtrumenta ſatis iam nota: alterum eſt celeberrimi quondam BOUGUERI, alterum celeberrimi SMEATONII, Angli. Inſtrumentum BOUGUERI eſt deſcriptum in eius tractatu de navi, eſtque anemometrum ingenioſiſſime excogitatum, et ſimpliciſſime confectum. Conſiſtit illud generatim in elatere ſpirali tubo incluſo, qui a vento, maiore et minore, magis minusque intrudi ſolet, ſi ſcilicet planum ex charta confectum, elateri adfixum, vento obvertatur. Sed quum ſine figuris ſtructura huius anemometri diſtincte intelligi et repraeſentari nequeat, lectorem ad inſpiciendam figuram remittere cogimur. Si igitur anemometrum hoc BOUGUERIANUM celeritatis abſolutae ventorum gradus monſtrare debet, opus eſt, ut celeritate aequali et uniformi contra aerem quietum moveatur, et hac ratione velocitatis gradus ſimul in eo ſignari queant. Motus circularis Auctori hic videtur aptiſſimus, quem ope Machinae *Smeatonii* facillime perficere nititur. Deſcripta eſt haec machina Vol. LI. Transact. Angl. Vſus eſt ea Smeatonus, occaſione experimentorum circa aquae et venti vires inſtitutorum. Ipſa machina diſtincte per figuram eſt repreſentata, ita ut ulteriore eius deſcri-

ſcriptione hic ſuperſedere poſſimus, quae igitur eſt ipſa inſpicienda. Haec machina Smeatoni ad ſcopum ſuum ab Auctore eſt accommodata. Tota igitur machina ex inſtrumento Bougueriano et Smeatoniano ita eſt compoſita, ut mediante confibula anemometrum Bouguerianum parti ſuperiori machinae Smeatoni ſit affixum; ubi figura ipſa eſt inſpicienda. Vnius eiusmodi machinae auxilio, innumerabilia anemometra, veſocitatem ventorum abſolutam indicantia, confici et ubivis mitti poſſe, facile intelligitur. Poteſt poſt tempus aliquod praeterlapſum elater ſpiralis fieri imperfectior; verificandum igitur hoc inſtrumentum erit, et explorandum, an elater ſpiralis ab elaſticitate ſua aliquid amiſerit. Quod quomodo ſit faciendum, ultimo loco exponitur. *Reliqua propediem.*

S. L. MAIEVII ANIMADVERSIONUM AD VAria loca Novi Teſt., DECAS. I.

Traiecti ad Rhenum, apud Abrah. van Paddenburg. CIↃ IↃ CCLXIV. pagg. 212. in 8.

Noſtris temporibus Philologiae ſacrae ſtudium ad ſummum fere faſtigium pervenit, quo fit, ut, qui omnem ſuam in eo conſumunt operam, doctrinae chriſtianae, cuius veritas et praeſtantia ex libris utriusque Foederis recte explicatis optime declaratur, quam maxime inſerviant. Quare hominum eruditorum diligentia, quae in explicandis et vindicandis locis Scripturae Sacrae adverſus diſſentientes, ſive potius Scripturae ſenſum in ſuas opiniones audacter detorquentes, verſatur, laudanda omnino, celebrandaque eſſe videtur. Quorum ex numero cum etiam *Maievium* V. Cl. eſſe deprehendamus, non poſſumus non de conſilio eius optima quaeque ſentire, immo vero et ſperare. In hac autem Decade, loca X. e libris N. T. ſub examen vocat:

I. Rom. VIII, 19-23. de creatura ſuſpirante. pag. 1

II. Ioh. III, 8. de ſpiritu, quo vult, ſpirante. 21

III. Matth. V, 33-37. de iuramento Chriſtianis non illicito. 27

IV. 2 Petr. I, 19-21. de revelationis ſcripto conſignatae propria interpretatione. 41

V. Matth. XX. 1-16. de operariis in vinea. 79

VI. 1 Cor. XV, 29. de baptismo in gratiam corporum. 94

VII. Ioh. XVI, 20. de gaudio mundi ex morte Servatoris capiendo. 118

VIII. 1 Ioh. V, 6-8. de tribus in terra teſtibus. 120

IX. Iac. II, 14-26. de fide factis demonſtranda, non verbis iactanda. 140

X. 1 Cor. XV, 23. 28. de regno Patri a Chriſto tradito. 163

De uniuscuiusvis loci explicatione pauca quaedam, ut, quam viam potiſſimum Auct. in illuſtrandis iis ingreſſus ſit, appareat, ſigillatim exponemus. Ad primum autem quod attinet locum Rom. VIII. 19-23. qui Interpretibus tot tantasque creavit moleſtias, monet, vocem κτισις non per proſopopoeiam, qualia ſunt quamplurimorum Interpretum ſomnia, de omnibus creaturis, ſed de univerſo genere humano eſſe interpretandam. Rationem ex experientia atque hiſtoria ducit, qua docemur, omnes omnino homines huius vitae miſeriam percepiſſe, atque propterea ſuſpiraviſſe, melioraque exſpectaviſſe tempora: cumque iis miſeriis propter laeſam a nobis divinam maieſtatem affligimur, non ſine gravi ſane argumento aſſerit, gentes iam de expiando Deo variis ritibus ac victimis cogitaviſſe. Ex quo colligit, multo magis Chriſtianos hoc decere, quippe quibus maior lux illuxerit, maiorque ſpes ſit in Deum collocanda; nam fideles rem exſpectare gentibus valde incognitam, ἀπολυτρωσιν του σωματος, quae ſit effectus ultimus redemtionis

I. C.

I. C. et quo ſimul reſpexiſſe videtur Apoſtolus ad Ioh. XIX, 25. Quam ſuam explicationem Cl. Auct. cum totius ſermonis iunctura cohaerere arbitratur; et profecto ex noſtra ſententia textui optime hac ratione ſatisfit. Qui autem proſopopoeiam verbis Pauli tribuunt, aut alio modo hunc locum explicare amie tentant, hos mallemus maiori iure ſub creatura ſuſpirante intelligere.

Alter locus Ioh. III, 8. extat: ubi quidem vocabulum πνευμα non de vento, ſed de Spiritu Sancto explicandum eſſe A. cenſet; et particulam οὕτως non comparationis, ſed confirmationis, cauſa adiectam eſſe. Qua quidem in re impetrare a nobis non potuimus, ut ſententiae eius ſubſcriberemus. Nam docere vult Servator, hominis regenerationem eſſe opus myſteriis plenum; quod ne ulli quidem hominum mirum videri poſſit, cum et in rerum natura eiusmodi inveniantur myſteria, quorum interior modus et ratio nos fugiat, multoque magis in rebus ſpiritualibus eiusmodi arcana eſſe concedenda. Obſtare quidem videtur, prouti quoque monuit Auct. Cl. πνευματος uſurpationem de vento inſolitam eſſe apud Scriptores N. T. quod quidem libenter concederemus, niſi conſtaret, πνευμα eſſe vocabulum πολυσημον, ad formam Ebr. רוח; deinde et πνοὴ uſurpatur Act. II, 2. a qua voce πνευμα deducitur.

Animadv. tertia ad Matth. V, 33-37. Docet A. Chriſtianis in univerſum nequaquam eſſe interdicta iuramenta, ſed ipſis commendari animi candorem, quo fiat, ut ipſorum verbis unusquisque ſit fidem habiturus; atque adeo aliquid ſupervacuum eſſe, ſi maius robur et pondus addatur, praecipue cum fideles ab omni iuramento ſibi cavere debeant, ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε, Iac. V, 12. i. e. ne cadat in eos ſuſpicio fidei dubiae, et ne experiantur aliorum de ſe ſiniſtram opinionem. Praeterea docet A. ſalvo iure a Chriſtiano homine praeſtari poſſe iusiurandum, ſi neceſſitas exigat, cum e. c. ſacramento fides principi vel reipublicae addicenda eſt. Quatuor deinde iuramenti formulas, apud Iudaeos tunc uſu receptas, ſub examen vocat, easque peni-

tus temerarias fuiſſe pronunciat. Unde Chriſtianis iis prorſus abſtinendum eſſe, Servator praecepit. Optaremus a Cl. Auct. quaedam dicta fuiſſe de iuramento in Form. Concordiae, quod quidam praeſtare iniquum eſſe duce conſcientia affirmant; argumentum ex hoc loco petentes.

Quarta animadverſio ſuper loco 2 Petr. I, 19-21. in quo continetur argumentum pro religionis Chriſtianae veritate, quam demonſtrat ſuo ipſius exemplo, quo ipſi Chriſti in monte ſacro olim collocati gloriam videre contigit. Deinde, quia hoc aliquid prorſus ſingulare fuit, affirmat, non deeſſe alia argumenta, quibus omnes fideles ad fidei certitudinem pervenire poſſint. Primum eſt, dari revelationem ſcripto conſignatam, quod innuitur per λογον προφητικον, cuius latiorem ſignificationem eſſe ait, quae non ad vaticinia tantum ſit reſtringenda. Prophetae enim appellabantur non ſolum qui res divinas praedicebant, ſed et quicunque divinitus excitati de rebus ad religionem pertinentibus diſſerebant, et revelationem coelitus acceptam cum hominibus communicabant: cf. 1 Cor. XIV, 3. quo ſenſu etiam Ebr. נביא occurrit. Profanae gentes Poetas προφητας, et Latini vates nominaverunt. Vnde προφητειαν γραφης v. 20. eandem cum προφητικω λογω ſignificationem habere exiſtimat, id eſt, revelationem ſcriptam; quod etiam colligitur ex omiſſo articulo της; procul dubio dixiſſet, ſi ad vaticinia tantum reſpiceret, της γραφης. Porro omnes libri V. T. et ſcripta Apoſtolorum, quae tempore Petri iam extiterunt, de Chriſto teſtabantur. Hinc dicitur ευαγγελιον φανερωθεν νυν δια τε γραφων προφητικων a Paulo, Rom. XVI, 25. 26. quocum conferendus eſt locus Eph. III, 6. Verba Apoſtoli: *donec illuceſcat dies, et lucifer exoriatur in animis noſtris*, de ſtudio Chriſtianorum in evolvendis libris ſacris explicat, quod patet ex uſu vocis ἡμερα, quo illa beata conditio hominis declaratur, cum certo cognovit, quae noſſe ipſius intererat. Cum autem homo in hac vita non poſſit omnibus numeris abſolutam adipiſci notitiam, ea notitia cum *ſole oriente et matutina ſtella* comparatur; quae imper-

perfecta quidem cognitio nos non retinere debet a ſtudio religionis, cum maior nobis poſt hanc vitam propoſita ſit. Iubet tamen Apoſtolus obſervari, *nullam revelationem ſcriptam fieri propria interpretatione*, quod κατ' ἀρσιν et κατα θεσιν probatur: κατ' ἀρσιν his verbis, *numquam ex voluntate vel conſilio hominis obtigit revelatio*, κατα θεσιν vero: ἀλλα ὑπο πνευματος ἁγιου κ. τ. λ. Iam colligi poteſt, quid ſit ἰδια ἐπιλυσις, videlicet is ſignificatus, quem quis verbis tribuit, iisque ineſſe mavult, et quem quilibet pro arbitrio ſuo conſtituit. Ii igitur ἰδιαν ἐπιλυσιν amant, qui eiusmodi ſenſum Scr. S. fingunt, qui cum placitis ſuis, decretis, et animi deſideriis quam maxime convenit. Modi autem, quibus ſe illa explicandi ratio exſerit, pro hominum varia conditione, varii quoque eſſe deprehenduntur; horum igitur aliquot A. enarrat. Apoſtolus tamen urget, eam explicationem ſoli Deo vindicandam eſſe, quia hic auctor ſcripturae fuit. Et ſi propter aliquam obſcuritatem locus quidam a nobis non ſatis intelligi poſſit, ad alia loca, in quibus ea veritas eſt revelata, recurrendum eſſe. Subiungit quaedam eximia conſilia, quibus non ſine fructu uti licebit.

Obſervatio V. verſatur circa Matth. XX, 1-16. Cl. Auct. ex iunctura textus verum huius ſermonis ſenſum eruere conatur. Occaſionem huic diſputationi praebuerat quaeſtio divitis cuiusdam iuvenis, ad Ieſum accedentis, eumque interrogantis, quid factu opus eſſet, ſi aeterna potiri ſalute vellit. Chriſtus ipſi ſua reſponſione ſpem excitabat, fore, ut, ſi ſpretis opibus ſe magiſtrum ſequeretur, voti compos fieret. Hoc colloquium Petro anſam praebuit, plura de ea re cum Chriſto colloquendi, atque ſciſcitandi, quid tot tantisque calamitatibus perpeſſis, fideque ſervata, diſcipulis ſit ſperandum denique. Servator O. M. *duplex* diſcipulis dedit reſponſum, quorum *prius* animum contra perſecutionum violentiam, laborisque improbi moleſtias obduraret; *poſterius* eo valeret, ne plus ſibi arrogarent, aut ſibi perſuaderent, praemia ab ipſo deſtinata ſuis deberi meritis. Promiſſa igitur maxima ipſis dedit, de conſeſſu duodecim tribuum in regno gloriae,

riae, et de vitae aeternae haereditate, ſi ſui cauſa quaevis bona terrena dereliquerint. Ut autem Servator perverſae diſcipulorum de propria dignitate perſuaſioni occurreret, ſubiicere placuit promiſſioni haec: πολλοι δε ἐσονται πρωτοι ἐσχατοι, και ἐσχατοι πρωτοι: quibus verbis docere videtur Servator, Deum in praemiis diſtribuendis non habiturum eſſe rationem dignitatis, ſed pro arbitrio ea tributurum eſſe; hanc vim Auct. verbis οἱ πολλοι κ. τ. λ. ineſſe cenſuit. Summa adeo parabolae eo redit: conductis a domino vineae ex convento praemia eſſe ſolvenda, poſteriorum vero advenientium mercedem ex arbitrio heri pendere. Ergo herus non iniuſte egit, qui ex pacto tantum tribuerat unicuique, quantum dari inter ipſos convenerat; caetera omnia arbitrio ipſius erant relicta. Quod quidem et in praemiis Apoſtolis decernendis obtinere ait. Tria de operariis obſervat: 1) hi nulla neceſſitate adigebantur, ut hero operam ſuam locarent; 2) vires nullae ipſis ab hero erant tributae; 3) ſucceſſus praeterea in vinea recte colenda totus ipſorum induſtriae debebatur. Id quod ſecus fuiſſe in Apoſtolis docet.

Animadverſio VI. ad 1 Cor. XV, 29. ſpectat. Nexum verborum Apoſtoli ex argumento pro mortuorum ſuſcitatione in hoc capite tractato demonſtrat, eiusque poſſibilitas v. 35. declaratur exemplo ex natura in medium producto. Certitudinem autem ipſius rei probari poſſe, duobus argumentis poteſt confirmari. Primum ex conſilio Apoſtoli, quo erroribus quorundam hominum obviam ire conſtituit, corporum reſtitutionem negantium. Alterum huc redit, eosdem adverſarios, qui nunc a divo Apoſtolo confundantur, vel prorſus perſuaſos de reſurrectione Ieſu Chriſti fuiſſe, vel ita tamen de hac ſenſiſſe veritate, ut penitus eam negare non ſuſtinerent. Difficultatem, in verbis ὑπερ των νεκρων latentem, ſic removet, ut neutrius potius, quam maſculini generis, habendam eſſe rationem affirmet. Ergo ὑπερ των νεκρων, ex mente Pauli, non ſignifi-

ſignificare cenſet ὑπερ των, qui ſunt νεκροι, ſed, quae ſunt νεκρα. Ambiguitatem autem facile tolli potuiſſe arguit, ſi alius adhibitus fuiſſet caſus, *nominativus* videlicet, aut *accuſativus*. Vertit autem locum hoc modo: *cur haec mortalia tantopere curant qui ipſi ſunt mortales?* ſubſtituto neutro τα νεκρα ellipſis eſſe intelligitur, quae ſuppletur τα νεκρα σωματα. Duplici vero ſenſu σωμα dici poteſt νεκρον. Nam vel idem eſt ac ἀψυχον, cf. Iac. II, 26. id eſt omnis agendi et motus producendi facultatis expers; vel id denotat, quod vivit quidem, ſed morti eſt obnoxium, quod idem eſt ac φθαρτον, cf. Rom. VIII, 10. 11. Particulam ὑπερ τινος reddit, in gratiam, in commodum alicuius. Itaque βαπτιζεσθαι ὑπερ των νεκρων eſt, ſacro tingi fonte, in commodum corporum, ſive, ut redeat ex ſacro hoc ritu inſigne aliquod emolumentum ad illam partem, quae νεκρα eſt, tum quod vitae per ſe ſit expers, tum quod continuo ſit obnoxia morti. Finis igitur ſuſcepti baptiſmi is eſt concedendus, ut praeter animae beatam ſortem, *corporis quoque morti obnoxii conſuleretur reſtitutioni futurae*. Hanc explicationem ſcopo Pauli maxime idoneam eſſe fuſius docet Auct. atque de haereſi Hymenaei et Phileti, quam Apoſtolus in hoc oppugnavit capite, quaedam addit.

Animadverſio VII. eſt ad Ioh. XVI, 20. Primo ſtatim loco explicat, quid ſub voce κοσμος intelligatur. Non mundum illum, qui voluntati adverſetur divinae, in ſuam mens perniciem, quamquam eiusmodi interpretatio bonum admittat ſenſum; ſed mundum illum, quem Deus integerrimo complectitur amore, Ioh. III, 16. 17. Subtilior quidem haec poſterior eſt ſententia, verum eam a Ieſu Chriſto ſic intellectam eſſe vix credimus; quamquam Cl. Auct. affirmet, plus ſolatii his verbis ita explicatis ineſſe. Allatum exemplum de muliere gravida contrariari videtur iſti opinioni; magnitudo et gravitas doloris deſcribitur, a diſcipulis tempore abſentiae Ieſu Chriſti percepti.

Animadverſio VIII. eſt ad 1 Ioh. V, 6-8. Attendi debere in hoc loco recte explicando, ait Auctor, ordinem ab Io-

U hanne

henne obſervatum, *quo poſteriora ſemper explicant priora, at horum ex illis redditur ratio.* Igitur ex v. 8. explicat v. 6, quibuscum coniungit v. 9. 10. Adeſſe omnino argumenta fide digniſſima bene docet, quibus doctrinam fidei noſtrae prorſus divinam eſſe probetur. Duplici enim res conſtat teſtimonio: 1) In coelo; 2) in terra. Sub tribus teſtibus in terra quid ſit intelligendum, oſtendit. Per πνευμα *dona Spiritus Sancti extraordinaria, Apoſtolis praeſertim conceſſa*, innui tradit, quibus doctrinae Chriſtianae maximum ſane additum fuerit pondus. Nomine ὑδατος *ipſam morum ſanctitatem et animi puritatem* innui credit. Hanc nos interpretationem ingenioſam quidem, at minus accuratam eſſe cenſemus, cum proprio verborum ſenſui magis ſit inhaerendum. Per το αἱμα autem *ſanguinem illorum intelligit, qui veritatem humano generi annunciatam morte obſignare cruenta nulli dubitarunt.* Quod reliquum eſt, in formula ὁτι το πνευμα ἐϛιν ἡ ἀληθεια, ἀληθειαν loco ſubiecti, et πνευμα loco praedicati collocari debere exiſtimat, atque tunc ſenſum hunc fore: *Veritas, quae annunciatur in Evangelio, tota quanta eſt Spiritus*, h. e. nec revelata unquam generi humano fuiſſet, nec recipi a quoquam mortalium poſſet, nec argumenta pro veritate Chriſtianae religionis quicquam haberent ponderis, nec ulla eius eſſet ad ſanctificandos homines, et conſecrandos Deo, vis, *niſi omnia ea operaretur unus idemque Spiritus*, 1 Cor. XII, 11. Ingenue fatemur, nos huic propterea non ſubſcribere poſſe opinioni, quia hac ratione fides tantummodo humana exiſteret, cum tamen fides divina per media ordinaria gratiae ſit producenda, quorum hic mentio iniicitur.

Animadverſio IX. ad Iac. II, 14-26. In difficili hoc loco explicando, (qui totam hanc olim epiſtolam ſuſpectam reddidit, atque effecit, ut ipſe Lutherus, ira commotus, eam ſtramineam appellaverit,) ita procedit A. ut ad voculam λεγῃ v. 14. animum advertere iubeat, quae, ſicuti 1 Ioh. IV, 20. Iac. I, 26. magnam et hoc loco habeat vim. Iacobus ergo ex ſententia Auct. hoc evincere vult: *nullum ad hominem inde redire emolumentum, quod fidem multis verborum ambagibus iactet,*

iactat, cum nihil interea in universa eius vitae ratione appareat, quod argumento ſit, revera illum fidem habere, et iuſtificari ob eandem fidem poſſe. Cum itaque adiiciat Apoſtolus, *μη δυναται η πιστις σωσαι αυτον*, non inſtituitur quaeſtio, *an ille, qui fidem habet, per eam fidem, nullo reſpectu operum habito, ſervari poſſit? ſed, an ille ſpem ullam ſalutis habere poſſit, qui nihil agit aliud, quam ut profiteatur ore, ſe habere fidem, cum tamen illud, quod verbis enunciat, nullo demonſtret facto, ex quo colligere veram liceat fidem?* Unde docet Apoſtolus: *fidem, quae ore tantum enunciatur, fidei nomen non mereri, eamque ob cauſam neminem iuſtificare poſſe;* cui explicationi illuſtrandae 1 Ioh. III, 18. inſervit. Verba v. 18. 19. non omni carent difficultate. Quidam exiſtimant, verba *συ πιστιν εχεις, καγω εργα εχω obiectionem* continere. Alii verba, *αλλ' ερει τις* ita capiunt, ut Apoſtolus *argumentum* illi *ſuppeditare* ſtatuatur, cui cum homine vanam fidem iactante diſputandum ſit. Auctor priorem ſententiam amplectitur, quia alia exempla extant eiusmodi obiectionum, ut 1 Cor. XV, 35. Rom. IX, 19. XI, 19. Duplicis argumenti ea obiectio eſſe videtur: idcirco ad duo reſpondet Apoſtolus. Primo enim obiectum erat: *Iacobum tamen ipſum per fidem ſervari velle, ſi genuinus ſit Chriſtianus.* Tum difficultas mota ab adverſario erat, *an adeo facile ſit, ut fidem quis ſuam ipſo demonſtrare facto poſſit.* Quod exemplo Abrahami et Rachabis declaratur; ſed addit, Abrahamum *εξ εργων, και ουκ εκ πιστεως μονον* iuſtificatum eſſe. Ex quo illuſtri exemplo duo colligi poſſe A. ſtatuit: 1) *οτι η πιστις συνηργει τοις εργοις αυτου*, cf. Marc. XVI, 20. quae verba, Iacobum propoſitum ſibi habuiſſe declarant, ut *ſummam, quam poſſet, fidei conciliaret dignitatem*; 2) alterum, *οτι εκ των εργων η πιστις ετελειωθη*. Fides igitur Abrahami, eadem ratione, *εκ των εργων ετελειωθη*, qua amor Dei ex obſervatione praeceptorum eius *τετελειωται*. Quae omnia ex Gen. XXII. illuſtrantur. Quocum coniungitur exemplum Rachabis. Totam tandem diſputationem Iacobus egregio ſimili concludit: *ωσπερ γαρ το σωμα χωρις*, κ. τ. λ. *Πνευμα* hoc in ſimili idem ac *πνοην, αναπνοην*,

πνευμα, et ἀναπνευσιν, Ebraeorum רוח, et halitum et reſpirationem deſignare, et eandem intercedere rationem inter fidem et opera, qualis intercedit inter corpus et halitum. His ergo omnibus evincitur, *non ſufficere ad fidem veri nominis, ut dicat quis ſe fidem habere, cum tamen fidem non habeat; et fidem, quae ita ſit comparata, ſervare neminem poſſe*, quod *v.* 18. 19. uberius exponitur. Hanc ſuam ſententiam de loco hoc ſatis vexato fuſius Auct. Cl. vindicavit, et, ni fallimur, hunc locum probe perſpicueque explicavit.

Animadverſio X. ad 1 Cor. XV, 23-28. Sententiam de univerſo hoc loco ex ipſius verbis intelligere poteris, quae iam exhibemus. „Interea, ut, quid de univerſi loci vexatiſſimi argumento ſentiam, ingenue exponam, in eo explicatio, quam tradam, ab aliis differt, quod *omne excludam tempus futurum*, et bis particulam dictam (ὁταν) *praeterito* applicem *tempori, bis* itidem praeſenti." *Propoſitio generalis*, ex qua reliquarum ratio eſt reddenda, ea eſt: *mors tandem certo certius eſt abolenda*. Hanc ita tractat Apoſtolus, ut 1) obiectionem aliquam e medio tollat; 2) exponat, quae praecedere hanc mortis deſtructionem debeant; 3) tradat, cui praecedere illa debeant; 4) doceat, quam ob cauſam fieri aliter non poſſit; 5) ſolvat duas obiectiones contra univerſam hanc doctrinam ab adverſariis metuendas. Unde verba v. 22. eos, qui in Adamo mortui ſunt, vita eſſe in Chriſto donandos, ex ſcopo Apoſtoli *vitae et morti corporis* applicanda ſunt, docetque Apoſtolus, omnia ad conſilium Dei de ſorte generis humani referri debere. Ιδιον ταγμα igitur eſt tempus, quo Deus vitam unicuique reſtituere conſtituit; quale illud ſit, docent verba ειτα το τελος. Sequitur mortis abolitio, poſtquam Chriſtus regnum Deo et Patri tradiderit. Particulam ὁταν vertit *poſtquam*, Ioh. XVI, 21. 1 Cor. XV, 54. Col. IV, 16. etc. Varias dein ſignificationes vocabuli παραδοσεως allegat, et παραδιδοναι per *commendare* explicat; παραδιδοναι βασιλειαν igitur eſt *abdicare ſe regno, ius ſuum in alterum devolvere*. Qua in traditione Chriſtus a Patre efflagitat, ut omnia ad decus eius et ſplendorem conferat,

ſtat; omniaque ita gubernet, ut ad regni ſui cedant glorificationem. Verba δει γαρ αυτον usque ad ποδας αυτου includenda ſunt parentheſi. Ea verba ad Patrem ſunt referenda, nam hoc ſibi Pater vindicat Pſ. CX, 1. De regno Chriſti et regno naturae dein A. verboſius agit. Deſcribit, qualis ſit regni *Chriſti* ratio. Mors vero ſiſtitur tanquam hoſtis humani generis et regni Chriſti, quia fidelium corpora, non *obſtante* redemtionis pretio pro iis ſoluto, ſibi vindicat. *Victoria* autem de morte in fine mundi reportatur. Simul aſſeritur: Patrem Ieſu Chriſto non ſubiectum fore, ſed potius filium, at ſine opprobrio, ſubiectum fore Patri. Ratio ſubiectionis latet in verbis και ῃ ὁ Θεος τα παντα ἐν πασι. Quod reliquum eſt, nervus probandi de unoquoque loco ita proponitur, ut verborum paraphraſi ſubiecta, totius ſermonis ſumma indicetur. Verboſius quidem quaedam, et a critica ſubtilitate aliena, dicta reperimus: ſed haec facile Cl. Auctori ignoſci poterunt, quoniam alias multas egregias obſervationes legimus, quae et utiles, et iucundae quam maxime nobis fuerunt.

THESES PHILOSOPHICAE DE PRIMIS PHILOſophandi principiis, quas Nobiliſſimi et praeſtantiſſimi Viri Iuvenes, quorum nomina ſequenti pagina exhibentur, hoc anno Academico per vices ſtrenue pro viribus tuiti ſunt.

Campis, apud Aegidium Valkenier, MDCCLXIV. in 8vo mai. pl. 1 1/2.

Non ſine voluptate has theſes perluſtravimus, atque in iis ordinis, perſpicuitatis, et brevitatis, quae virtutes ſcriptiunculas tales plurimum ornant, rationem habitam fuiſſe intelleximus, adeo ut eas omnibus, qui prima logicae elementa cognoſcere cupiant, magnopere commendare poſſimus. Nihil quidem, quod novitate ſua oblectet,

 paucis

paucis exceptis, quae paullo poſt indicabimus, in ipſis invenimus, quod et ipſi *Cl. Auctori* vitio verti non poteſt, cum veritatem, nullis mutationibus obnoxiam, ſemper unam eandemque manere oporteat. Interim tamen breviter capita, ex quibus hoc opuſculum compoſitum eſt, enarrabimus.

Caput I. Agit *de Philoſophia, eiusque partibus in genere.* Praemiſſa definitione curatiori philoſophiae, et rerum perſpicua explicatione, variae partes philoſophiae nominantur, atque ibi obſervationes breviores, ubi rei neceſſitas exigere videbatur, ſunt ſubiectae. *Cl. Auct.* omnium philoſophicarum doctrinarum principem eſſe exiſtimat *Metaphyſicam*, atque urget, in ea *de homine, ut cive huius mundi*, primo loco agi oportere, quia in eo omnes res, quae naturam Metaphyſicae conſtituunt, conſpirent; atque ita efficiatur, ut haec pars philoſophiae magis pragmatica reddi poſſit.

Cap. II. *De Logica in univerſum* praecipit. Definitionem ſtatim ſequitur uſus Logicae, qui eſt cauſarum et veritatis *cognitio* et *demonſtratio*. Cognitionem *ratione quantitatis*, ex omnium philoſophorum ſententia, triplicem eſſe affirmat, *philoſophicam, hiſtoricam*, et *mathematicam*: *ratione qualitatis* eam *obſcuram, confuſam, claram, diſtinctam, completamque* eſſe dicit. Demonſtrationem autem vel *popularem* et *rhetoricam*: (quam et homileticam appellare poſſis; nam interdum in homiliis eiusmodi argumenta pro aſſerenda veritate producuntur, quibus aura quidem popularis captatur, quae tamen ab eruditis non probantur;) vel *ſcientificam* et *apodicticam* eſſe profitetur. Methodo autem ſcientifica optime Logicam tractari cenſet, quoniam ſcopus Logicae ſit cognitio et demonſtratio cauſarum. Laudat in primis *Ioach. Iungii* Logicam Hamburgenſem, et *Iſ. Watſii* Logicam. Nemo tamen ea propter putet, eum reliqua philoſophiae compendia, aut compendiola, catalogo librorum prohibitorum inſerenda eſſe exiſtimare, cum conſtet, philoſophi cognitionem, niſi partium ſe ſtudio ſeduci patiatur, undiquaque iuvari poſſe.

Caput

Cap. III. *De obiecto cognitionis in genere* loquitur. Omne videlicet menti ad cognoſcendum propoſitum *thema* vocatur. Cum haec themata non recte ratione *formae* et *materiae* diſtinguuntur, ſaepe fieri ait, ut Logica multorum minus cohaereat. Unde ipſe deſcribit themata ratione *formae*, et ea vel *ſimplicia*, vel *compoſita* eſſe dicit, quae ulterius deſcribuntur atque dividuntur. Ratione *formae* thema eſt vel *ſubſtantiale*, vel *modale*, vel *relativum*. Obiter monet *Cl. Auct.* examen thematum a veteribus ſecundum X. categorias, (Quinctil. nominat elementa,) inſtitutum, non commode, non accurate rem abſolviſſe.

Cap. IV. *De relationibus, et veritate in genere.* *Relatio* eſt, ait, duorum pluriumque thematum coniunctio, ita ut ſe invicem reſpiciant et explicent. Ad unamquamque autem relationem requirit: *a) relatum, b) correlatum, c) nexum* et *fundamentum* relationis. Diviſio relationum in *intrinſecas* et *extrinſecas* ſequitur: *intrinſecae* ſunt quatuor: 1) *ſubiecti et praedicati*; 2) *generis et ſpeciei*; 3) *totius et partis*; 4) *cauſſae et effectus*. *Extrinſecae* etiam quatuor: 1) *ſubiecti et adiuncti*; 2) *ordinis*; 3) *comparatorum*; et 4) *relatorum*: de ſingulis ſingulatim quaedam traduntur. Tandem A. de *veritate* praecipit, eamque vel *philoſophicam*, vel *hiſtoricam* eſſe dicit: *philoſophica* eſt convenientia relatorum et correlatorum, quatenus ſunt poſſibilia et contingentia; *hiſtorica* vero vocatur convenientia relatorum, quatenus re vera exiſtunt, vel exſtiterunt. Unde oritur *fides*, cuius diverſae enarrantur ſpecies: eſt enim vel *philoſophica*, vel *litteralis*, vel *hiſtorica*; quarum oppoſitae quoque ſpecies conſiderantur. Cumque fides etiam *ſubiective* poſſit ſpectari, inde oritur *veritas interna* (Pſ. LI, 8.). Haec omnia breviter enarrantur.

Cap. V. *De notionibus rerum et perceptione earundem.* Tres ſic dictas operationes mentis, quae ſub voce *cogitare* comprehenduntur, A. commemorat. Notionum varias diviſiones ſuppeditat, atque omnes omnino ope *ſenſuum*, *mentis operatione*, *recordatione*, produci ſtatuit. Quae omnia fuſius tractantur, ſimulque de iudiciis ſermo inſtituitur. Nimiam

in *Auctore* prolixitatem, qualem in multis compendiis, quae potius ſyſtemata ſunt, et multa inutilia continent, non videmus; igitur abſque taedio poteſt legi.

Cap. VI. *De definitionibus et diviſionibus rerum.* Hoc caput in univerſum plene atque perſpicue exponit, quae alibi obſcure traduntur, inanibus terminis obvoluta, nulli umquam mortalium uſui futura.

Cap. VII. *De ratiociniis et demonſtratione per Syllogiſmos* praecipit. Docet *Auct.* ratiocinia eſſe vel *imperfecta*, vel *perfecta*. Diſſerit de figuris modisque figurarum. Tribus uſitatiſſimis figuris addit quartam Galenicam, omnesque perſpicuis exemplis illuſtrat. De quarta monet; quod et vere dicit, eam non tantae eſſe utilitatis, ut nimis urgenda ſit. Ceterum Modos harum figurarum per litteras, ſecundum tritum illum verſiculum exprimit, atque voces memoriae ergo a Scholaſticis inventas omittit: mallemus tamen eas retinuiſſet, quia haec doctrina his ipſis paullo facilior redditur. Denique agit de imperfectis Syllogiſmorum modis. Quibus adhuc ex noſtra ſententia addi debuiſſent cavillationes atque Sophiſmata, itemque genera apud veteres uſu recepta, quae Ciceroni inexplicabilia, graecis ἄλυτα, ἄπορα dicuntur; queque ingeniis iuvenum exercendis apprime inſerviunt. Haec eſt idea libelli, quem, etſi Logicae cauſa laudavimus, tamen propter dictionem bonae latinitati adverſam, merito reprehendimus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Sept. et Octobr. Anno MDCCLXVI.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae, TOMUS X. pro Anno MDCCLXIV.

PETROPOLI, typis Acad. Scientiar. MDCCLXVI. Alph. 3. plagg. 10. in 4. cum tabb. aen. XX.

Pergimus in recenſendis bonis novi Voluminis Novorum Commentariorum illuſtris Academiae Petropolitanae, in quo iam nuper occupati fuimus.

Sunt igitur in Claſſe PHYSICA: I. *Caloris diminuti et auſti Phaenomena nova paradoxa et conſiderationes.* Auctore I. A. BRAVNIO, pag. 309. In rerum natura multa evenire ſolent, quae paradoxa videntur, dum contrarium eius, quod ſecundum leges ordinarias fieri debet, conſpiciendum praebent. Deteguntur eiusmodi phaenomena paradoxa partim adcuratis obſervationibus, in quantum illa ſcilicet a ſolis naturae viribus ſunt producta, eoque ſolius naturae ſunt effectus; partim et praecipue Experimentis, quatenus ſcilicet phaenomena eiusmodi accedente arte oriuntur, eoque effectus et naturae et artis ſimul ſunt, ita ut ſine arte, ſine diſpoſitione artificiali, nunquam ſe conſpicienda praebuiſſent. Eiusmodi quaedam paradoxa phaenomena

Auſtor multis iisque accuratiſſimis experimentis, pro ſua, ut in arte obſervandi, ſic in arte experimentandi, peritia ſatis nota, detexit, quae in hac diſſertatione propoſuit, non nude, ſed explicare quoque pro ſuo acumine ſtuduit. Experimenta pertinent ad caloris diminutionem et auctionem paradoxam, h. e. quae legibus phyſicis ſtabilitis repugnare videtur, dum calor diminuitur, quum tamen augeri, ſaltim non variari, et e contrario augetur, quum diminui, certe idem manere deberet. Pro diverſitate fluidorum, quae ad haec experimenta ſunt electa, caloris diminutio maior et minor adparebat, quin in quibusdam fluidis nulla plane conſpiciebatur. Experimenta in conclavi ſunt inſtituta, quod vel eiusdem temperiei cum fluidis, vel calidius illis erat. In caſu igitur priori thermometrum mercuriale, quod eſt adhibitum, eundem caloris gradum monſtrare debebat, ex fluido extractum, quem habebat fluido adhuc immerſum, et in caſu poſteriori calor augeri, eoque thermometrum adſcendere debebat. Sed in utroque caſu ſecus accidit. Calor enim eſt diminutus ſemper in fluidis plerisque tentatis, cum exceptione tamen quorundam, quae vel plane nullam caloris mutationem, vel parum aut nihil mutationis monſtrarunt. Ad ea fluida, quae frigoris nihil ſub dictis circumſtantiis producere ſolent, pertinent omnia olea expreſſa et deſtillata. Spiritus acidi quidam, ut ſpiritus nitri et ſalis, parum aut nihil mutationis oſtenderunt, excepto oleo vitrioli, quod loco frigoris 5. 6. et plures gradus caloris ſub dictis circumſtantiis produxit. Caeterum ſpiritus ſulphuris, aceti, acidum citri, acetum vini, ſpiritus ſalis ammoniaci, frigoris gradus aliquot produxere. In omnibus aliis fuidis tentatis, productio frigoris ſine omni exceptione cernebatur, ut in ſpiritu vini rectificatiſſimo, ſpiritu vini francico, in vinis omnibus tentatis, in cereviſiis, in ſolutionibus ſalium, et aliis: de aqua iam ante conſtitit hoc phaenomenon extraordinarium. Sed haec hactenus de phaenomenis, quae hic ſufficere poſſunt. De

expli-

explicatione horum phaenomenorum et experimentorum adhuc dicendum reſtat. Primum A. demonſtrat, neque frigus, neque calorem, in recenſitis phaenomenis eſſe adparentem, ita ſcilicet, ut potius haec caloris diminuti et aucti phaenomena a contractione et dilatatione vitri, quam a contractione et dilatatione mercurii ipſius pendeat, ſed realem; revera enim in productione frigoris, mercurius in thermometro contrahitur, et in productione caloris dilatatur. Sed quaenam cauſa phyſica producti frigoris paradoxi in pleriſque fluidis, et quaenam ratio producti caloris paradoxi in oleo potiſſimum vitrioli? Phaenomenon frigoris paradoxi explicare A. ſtudet per ſolutionem frigidam, dum ſcilicet fluidum bulbo thermometri adhaerens in vapores reſolvitur, quemadmodum alias frigus augeri animadvertimus, dum madida corpora lintea etc. exſiccari ſolent. Eiusmodi frigoris productio durat, quamdiu reſolutio fluidi in vapores durare ſolet. Hinc, cur olea parum aut nihil mutationis caloris producere ſoleant intelligi poteſt, quia ſcilicet exſiccatio bulbi thermometri, eoque reſolutio in vapores, parum aut nihil omnino in oleis fieri ſolet. Contra, caloris paradoxi cauſam in vitrioli oleo non dubitat Auctor deducere ex attracta ab oleo vitrioli aqua, quae cum oleo vitrioli mixta calorem ad tempus producere ſolet, quod multis experimentis oſtendi poteſt, et eſt oſtenſum. Tandem adhuc notandum eſt, occaſione horum experimentorum errorem quorundam Phyſicorum magni nominis eſſe detectum, qui ſtatuerunt, frigus quoque produci ſolere, ſi ſpiritus vini oleis eſſentialibus miſceatur. Sed hi ſine dubio ignari phaenomenorum paradoxorum recenſitorum, miſtioni olei eſſentialis cum ſpiritu vini tribuerunt, quod effectus ſolius ſpiritus vini (per antecedentia) eſſe ſolet, dum thermometrum extrahitur, et in aëre etiam calidiore ſuſpenditur. Multis experimentis hoc quoque egregie confirmatum ab A. eſt.

 II. Pi-

II. *Piſcium rariorum e muſeo Petrop. exceptorum deſcriptiones continuae.* Auctore, I. T. KOEHLREVTERO, pag. 329. Tredecim a Clariſſ. Koehlreutero piſcium deſcriptiones reſtare Tomo VIII. dictum eſt. Harum deſcriptionum tres dicto Tomo inſertae fuerunt. Sex in praecedente reperiuntur. Sequuntur in praeſenti quatuor reliquae. Prima earum, Lophium, oſſiculo frontis tentaculis carnoſis, centralibus, terminato, depingit. Secunda Mallam aculeatam, limbo abdominis producto, attenuato, carnoſo, monſtrat. Percis pinnae dorſualis radiis undecim ſpinoſis, quatuordecim mollibus; faſciis duabus latis, albicantibus, tertiae diſſertationis eſt obiectum. Hunc piſcem Clar. Auctor unum eundemque cum Sciaena lineis obliquis lacteis, in utroque latere, Gronov. Muſ. Ichthiol. eſſe opinatur. Sequitur, in Diſſertatione quarta, Percis faſciis tribus albicantibus, oſſe malae utrinque in duas ſpinas, unam longam, alteram brevem, producto. In deſcribendis hic piſcibus eadem methodo, eademque ſolertia uſus eſt, quam lectores in antecedentibus forſitan obſervarunt. Suo tempore et reliqui Ichthiophylacii Petropol. piſces rariores eodem modo deſcribentur; hoc etenim modo hiſtoriae piſcium naturali maius tutiusque lumen forſitan accendetur, quam usque adhuc multis naevis ſubiectam novimus.

III. *Dentalii Americani ingentis magnitudinis deſcriptio.* Auctore I. T. KOEHLREVTERO, pag. 352. Dentalios, qui non raro ex continente, nunc ſoli, nunc inter alia conchylia et petrefacta, eruuntur, merito ad domicilium vermium marinorum quorundam pertinere, nemo eſt qui ſibi non perſuadeat; quamvis ipſos vermes videre adhuc nemini contigerit. Variae indolis, ſtructurae, et magnitudinis reperiri, diverſa exemplaria in Lithophylaciis curioſorum aſſervata docent. Clariſſ. Auctor igitur duos dentalios ingentis magnitudinis deſcribit, eosque Dentalios arcuatos, ſpongioſos, fuſcos, ſuperficie tuberculis contiguis exaſpe-

rata,

ſita, nominat. Ambo hi Dentalii magnitudine ſua inſigni ſe commendant. Maximum eorum, ſecundum lineam rectam 4. pedes Pariſinos cum duobus pollicibus, ſecundum aream curvaturae 4. pedes et 5. pollices aequat. Latitudo extremitatis inferioris unius eſt pollicis, ſuperioris trium pollicum quinque linearum. Extremitas inferior fruſto Madreporae inſidet. Subſtantia ipſa corneae eſt duritiei. Corpus ipſum tuberculis ſubrotundis obſitum, interius ruſo-fuſci, exterius vero plane fuſci coloris eſt. Inprimis vero notatu dignum eſt, ex baſi maximi huius dentalii, alium puſillum, 1. pollicem cum 8. lineis longum, excreviſſe. Reliquum hoc fruſtum rariſſimum, a nauta quodam olim Archangelopolin advectum, et a PETRI MAGNI Archiatro D. Areskin Petropolin miſſum fuit. Alterum fruſtum, quod Clar. Auctor deſcribit, tres pollices cum 8. lineis longum, non aeque elegans ac antecedens, magis irregulare, non ubique tuberculoſum, et pallidiore gaudens colore cernitur. Adhaerent diverſis in locis teſtae paraſiticae, ſcyphiformes, quadri- vel quinque laterae, inverſo-conicae, cuius indolis et in antecedente conſpiciuntur. Caeterum haec fruſta, propter inſignem et fere inconſuetam magnitudinem, rariſſimis omnino ſunt annumeranda.

IV. *Obſervationes Meteorologicae potiores Anni MDCCLIX. Petroburgi factae; et in eas conſiderationes.* Auctore I. A. BRAVN, pag. 357. et ſeqq. Satis iam conſtat adcuratio et methodus Auctoris, qua in obſervationibus meteorologicis concinnandis uti ſolet. Nimirum adcuratiſſime notantur primum Altitudines Barometricae maximae et minimae, in Barometro ſimplici, ſecundum pollices Pariſienſes, eorumque partes centeſimas, per ſingulos menſes totius anni, cum differentiis. 2. Calor maximus et minimus, ſive frigus maximum per ſingulos quoque anni menſes, cum differentiis adnotatur. 3. Meteora recenſentur potiora, additis ubique, ubi ſcilicet e re videtur, conſiderationibus et con-

ſectariis, potiſſimum ex comparationibus deductis. Cuilibet regioni propria eſſe meteora non ſolum, ſed cuilibet quoque anno eiusdem loci, ſatis conſtat. Nos igitur notatu digniora enotabimus, quae dicto anno Petroburgi ſunt obſervata. Denuo monendum eſt, obſervationes has meteorologicas omnes ſecundum ſtilum veterem eſſe confectas, quoniam ibi, uti conſtat, eſt adhuc uſitatus. Obſervationes Barometricae primum occurrunt. Summa Barometri altitudo huic anno et huic loco propria, erat = 28. 82. Nov. 9. obſervata; infima = 27. 00. Ianuarii 24. et 26. notata. Ergo ſumma altitudo huius anni minor eſt maxima alias hic obſervata, ſcilicet 1757 = 29. 12, et quidem $\frac{30}{100}$ ſive fere $3\frac{1}{2}$ lineae duodec. pollicis Pariſienſis. Altitudo Barometri infima 27. 00, ſi comparetur cum infima alias hic obſervata, nempe 26. 41. deprehenditur maior $\frac{59}{100}$ ſive fere 7. lin. ſeu partibus duodecimis pollicis Pariſienſis. Ceterum, variationes Barometricae primis et ultimis menſibus, quam mediis, maiores et hoc anno deprehenduntur, ita ut vix, aut rariſſime, ab hac lege exceptio occurrere ſoleat. Minima variatio Barometrica fuit = [illegible] ſive fere 7. lin. menſe Novembri. Minores differentiae et variationes hoc anno deprehenſae ſunt menſe Aprili, Maio, Iunio, Iulio, et Auguſto, eoque per 5. menſes, nonnunquam per 4. menſes tantum, reperiuntur. Ceterum nec maxima, neque minima variatio ſemper iisdem menſibus occurrunt, quod per antecedentes obſervationes iam conſtat. Quod ad obſervationes Thermometricas attinet, ſingulare et plane extraordinarium fuit frigus Dec. 26. obſervatum = 212, quo Auctor huius Diſſertationis ſuum egregium inventum, de congelando Mercurio, perficiendi occaſionem arripuit, et perfecit. Tantum frigus antea nunquam hic eſt obſervatum, maximus enim frigoris gradus ultra 202. et 203. nunquam adhuc fuerat notatus. Calor maximus huius anni = 104. Maii 26. et Iulii 18. et 19. obſervatus, ſolet eſſe fere ordinarius. A maximo igitur calore 97°. 1757. et 1758.

hic

hic obſervato, differt 7°. ſeptem ſcilicet gradibus minor eſt. Haec hiems poteſt igitur iure pro frigidiſſima haberi, quae unquam hic contigit, quae notata ſit, id quod et frigoris gradus reliqui inſigniores quoque recenſiti ſatis demonſtrare poſſunt. Penetratio inſignioris huius frigoris in terram, extra urbem tanta quoque eſt deprehenſa, quanta forſitan antea nunquam, ſc. 30. pollicum Londinenſium, quum KRAFTIVS ultra 12. pollices eam mitiore hieme non deprehenderit. Vid. ipſius Phyſica pag. 265. P. 1. Interim glacies Nevae frigore hoc ſaevo craſſior non multum eſt reperta, quam ordinarie ſolet, ſcilicet 29. Poll. pedis Lond. Ordinaria eſſe ſolet 1 Arſchin = 28. Poll. Lond. Altitudo aquae pluviae fuit mediocris, nimirum per ſex menſes aeſtivos, a Maio ad Octobrem, 11. pollicum Paris. Aeſtas igitur non humida, et annus ſat fertilis fuit. Primum tonitru hoc anno quoque catenus extraordinarium fuit, quod ſolito citius contigit, ſcilicet iam Martii 25. Ceterum 12 diebus *tonitrua* ſunt audita. Congelatio ultima fuit Apr. 22. prima rurſus Sept. 22. Declinatio acus magneticae et hic loci quoque per dies variabilis in acu praeſtanti eſt deprehenſa, ſed parum, ita ut differentia inter maximam et minimam ſit vix aliquot minutorum. Denique notatu dignus eſt motus vibratorius acus magneticae, tempeſtate imprimis fulminea imminente obſervatus, qui ſine dubio eſt effectus electricitatis aeris.

V. *Obſervationes Meteorologicae, Anni MDCCLX. factae Petroburgi, et Conſectaria.* Auctore I. A. BRAVNIO, pag. 369. Quae generatim de obſervationibus meteorologicis anni praecedentis praemonuimus, de huius anni quoque obſervationibus valent. Statim igitur ad ea enotanda progredimur, quae huic anno propria fuerunt, et notatu ſunt digniora: 1) Quod obſervationes Barometricas attinet, notamus primum altitudinem huius anni ſummam et infimam. Summa hoc anno fuit = 28. 58. et infima

26.

26. 74. Summa hac anno mediocris fuit, et ab altitudine omnium adhuc obſervatarum, ſumma ſcilicet 29. 12. differt $\frac{64}{100}$ pollicis Pariſienſis, quibus minor eſt. Minor quoque eſt altitudine anni praecedentis, ſumma ſcilicet 28. 82. Novembr. 9. obſervata $\frac{24}{100}$. Summa huius anni altitudo menſe Septembri, anni praecedentis contra menſe Novembri eſt obſervata; et iam ex antecedentibus obſervationibus conſtat, ſummas Barometri altitudines iisdem menſibus non contingere, uti neque infimas. Infima hoc anno = 26. 74. obſervata eſt Octobr. 21. minima vero anni praecedentis = 27. 00 Ianuarii 24. et 26. Minima haec huius anni licet ſatis parva, maior tamen eſt $\frac{33}{100}$ minima omnium adhuc hic obſervatarum, quae eſt 26. 41. Differentia ſive variatio menſtrua maxima altitudinum Barometricarum reperta eſt menſe Octobri 1. 78. minima $\frac{65}{100}$ menſe Iunio. Minores hoc anno 4 tantum menſibus ſunt repertae, ſcilicet Aprili, Maio, Iunio, Iulio, anno praecedenti quoque Auguſto menſe, ideoque per 5 menſes. Anno praecedenti differentia minima fuit = $\frac{59}{100}$ eoque minor $\frac{5}{100}$ huius anni. Minima variatio incidit huius Anni in menſem Iunium; anno praecedenti autem in Aprilem. Maxima differentia et variatio menſtrua huius anni maior eſt, quam anni antecedentis. Eſt enim huius anni = 1. 78. anni praecedentis 1. 55. Hoc anno deprehenſa menſe Octobri eſt, anno vero praecedenti menſe Novembri. In obſervationibus thermometricis ſequentia memorabilia. Frigus maximum quod incidit in Ianuar 13. huius anni fuit = 206. eoque 6 gradibus minus eſt, quam anno praecedenti, que fuit = 212°. Decembris 26. Calor maximus hoc anno non inſignis = 109°. incidit in menſem Maium, anno antecedenti in menſem quoque Maium et Iulium, qui fuit = 104°. Gradus 109. raro maximus per annum eſſe hic ſolet, neque frequens in menſem Maium, ſed frequentius in Iunium et Iulium incidere ſolet. Aeſtas igitur minus calida, contra hiems ſatis gelida erit cenſenda. Ad Meteora

quod

quod attinet, primum aurorae boreales 7, quarum tres inſignes et perfectae erant, hoc anno ſunt notatae. Phaenomenon ſolare, quod fuit halo circa ſolem, cum tribus pareliis, adparuit Ian. 12. circa meridiem; phaenomenon hoc in peculiari figura eſt repraeſentatum. Alia halo ſolaris adparuit cum pareliis, ſed non diſtinctis, Martii 2. *Tonitru* primum hoc anno ſolito tardius evenit, ſcilicet *Maii* 16. anno praecedenti contra ſolito citius, iam *Martii* 25. ceterum tonitrua novem diebus ſunt audita. *Halo* circa ſolem elliptica, Auguſti 4, h. 8. mane obſervata, eſt notatu digniſſima, rariſſime enim eiusmodi halones occurrere ſolent. Vid. Figuram. , Nives ad inſtar parvorum ſpiculorum, quum non frequenter occurrere ſoleant, hic quoque ſunt adnotandae. Cecidere eiusmodi nives Decembris 10. Altitudo nivis, ad altitudinem aquae ex illa liquefactae, fuit ut 11. ad 1. recenti nive lapſa, alias ut 9. 8. et 7. ad 1. Altitudo aquae pluviae, per ſex menſes, a Menſe *Maio* ad Octobrem fuit = 16. poll. Pariſ. 5. lin. Menſe *Iulio* maxima, et Septembri minima pluviae copia cecidit. Dies ſereni, aut maiorem partem ſereni, erant 134. *Venti* vehementiores 32. Numerus ventorum vehementiorum maximus menſe Ianuario, Septembri autem nullus fuit. Aeris electrici effectus ſaepius in acu magnetica ſe conſpiciendos praebuere per vibrationes, non ſolum coelo nubilo, et tempeſtate fulminea imminente, ſed etiam coelo ſereno. In auroris contra borealibus veſtigium electricitatis in acu magnetica adparuit nullum.

VI. *Recenſiones binarum Diſſertationum. Hiſtoria et Examen chymicum Lapidis Nephritici.* Auctore D. I. G. LEHMANNO, pag. 381. Diverſae Auctorum de hoc lapide opiniones omni tempore fuere, et uno eodemque nomine nunc verum lapidem Nephriticum, nunc Malachitem, nunc lapidem Amatonum, nunc Gallorum Iade, aliosque opacos lapides virideſcentes inſigniverunt. Auctor diſſertationis, iure, ad genus Smectitis, eiusque ſpeciem, lapidem Serpentinum, eum refert. Hanc ſuam ſententiam

ſequentibus argumentis comprobat: 1) Quod plerumque in fodinis lapidis Serpentini inveniantur, et una cum hoc lapide eruantur. 2) Eadem duritie cum his gaudeat. 3) Color ambobus utplurimum communis et idem. 4) Partes conſtitutivae ambobus fere eaedem; et 5) per experimenta chymica eadem producta oriuntur, quae a Lapide Serpentino provenire ſolent. Quin immo affinitatem quandam lapidem inter Nephriticum et Serpentinum, et Amianthum, Asbeſtum, et Granatos eſſe, opinatur ideo, quoniam plerumque in uno eodemque loco natali, et ſatis arcte interdum connati reperiuntur. Id quod inprimis quoque elegantiſſima ab Auctore exhibita exemplaria comprobarunt, quae ex fodina Reicher Troſt prope Reichenſteinum effoſſa ſunt, et in quibus lapis Nephriticus cum Amiantho in lapide cornuo nigro arctiſſime connatus cernitur. Exponit poſtea Auctor labores chymicos, quos cum hoc lapide inſtituit. Menſtrua acida parum tantum ex hoc lapide extraxerunt, quod indolis martialis eſſe ex praecipitationibus cognovit. Easdem partes martiales per ſublimationes cum Sale Ammoniaco, Mercurio Sublimato, Sale Alembrot, detexit. Fundendo cum Sale Tartari et Borace in vitrum ſubluteum, cum Tartaro vitriolato in vitrum viride, abit. Eodem colore gaudebat vitrum ex hoc lapide et arſenico fixo conflatum. Lapis cum argilla ſola, nec non cum argilla et Smectite ſimul fuſus, vitrum dedit durum, cum chalybe ſcintillas ſpargens. Ex his experimentis analogiam inſignem lapidis Nephritici cum Amiantho et Asbeſto deducit, et comprobatam credit ideo, quoniam Asbeſtus et Amianthus eodem modo ſe habent. Haec Diſſertatio, ne meris tantum experimentis, omni utilitate deſtitutis, concinnata videatur, in fine uſum, etiamſi paucis tantum, indigitat, qui exinde in artem fuſoriam redundare poteſt. Notum eſt, in Imperio Auguſtiſſimae Imperatricis Mineras Cupri per ſe ſatis divites reperiri, lapide Nephritico et Amiantho intertextas et interſperſas, quae

propter-

propterea refractariis annumerantur. Cum vero ex addu-ctis in Diſſertatione experimentis pateat, mediante argilla hoc lapidis genus in vitrum bene fuſum, vel, quod unum idemque eſt, in ſcoriam bene fuſam (dünne Schlacke) abire, hoc modo forſitan paucis impenſis, iſtud Minerarum genus cum fructu in furnis fuſoriis, ſolo argillaceo additamento adhibito, fundi poterit; qui eventus, ſi expectationi reſpondet, non exigui momenti eſſe debet.

VII. *De Entrochis et Aſteriis Columnaribus trochleatis, vulgo* Schraubenſteinen. *Accedit Problema de Petrefacto incognito nuperiter invento.* Auctore D. I. G. LEHMANNO, pag. 413. Haud diu eſt, et vix Seculum elapſum, ex quo Hiſtoriae naturalis amatores petrefacta paullo penitius conſiderare et examinare dignati ſunt. Haec diſquiſitio pro voto in iis petrefactis ſucceſſit, quorum originalia ex regno animali et vegetabili ſatis fuerunt cognita. Pluribus vero difficultatibus ea ſunt ſubiecta, quorum originalia ſagacitati Phyſicorum hucusque effugerunt. Huius indolis petrefactis noſtri quoque aevi auctores complures, Entrochos Columnares trochleatos annumerarunt, eosque nunc Conchylia, nunc Zoophyta petrefacta eſſe crediderunt. Auctor Diſſertationis per complura exemplaria, non tantum allegata, verum quoque in Conſeſſu Academico demonſtrata, hos lapides Entrochis Columnaribus iure annumerat, qui, uti notum eſt, de ſtellis marinis diverſi generis, Encrinis, et Capitibus Meduſae, ortum ſuum trahunt. De hac re certior factus eſt in exemplari quodam ex ferri fodinis Huttenrodanis in Hercynia eruto, quod diffractum eandem ſtellam pentagonam monſtrat, quam in compluribus Trochis et Entrochis Columnaribus cernimus. Tab. XII. fig. 5. eius iconem exhibet. Sententia Auctoris magis adhuc corroboratur per aliud adhuc exemplar, Tab. XII. fig. 7. delineatum, ubi axem Entrochi monſtrat, cui Trochus circa hunc axem verſatilis inhaeret. Quinimmo, ipſae hae axes

 lucu-

luculenter teſtantur, lapides iſtos ad Entrochorum familiam pertinere, cum neminem certe fugiat, Trochos complures in centro perforatos reperiri. Omnibus vero argumentis, noſtra quidem ſententia, palmam praeripere videtur Anatome ramorum vel brachiorum Capitis Meduſae Archangelopolitani, ab Auctore inſtitutum, quae illi eandem cum Entrochis figuram, ſtructuram, et conformationem monſtravit. Haec omnia ſimul ſumta ſententiam extra dubium ponent, Trochleas iſtas lapideas ad Entrochos Columnares, id eſt, ad partes ſtellarum marinarum, Capitum Meduſae, Encrinorum, petrefactas, pertinere. Colophonis loco proponit Auctor Diſſertationis Problema de Petrefacto quodam incognito, quod, uti adiectae figurae Tab. XII. fig. 8. 9. monſtrant, mox piſcem, mox concham quandam ſimulat. Poſteaquam haec diſſertatio Academiae exhibita fuit, iuvenit Auctor in Ephemeridibus Acad. Scient. Succieae Tom. 21. pag. 20. et in Muſaeo Teſſiniano pag. 98. No. 3. deſcriptionem ab illuſtriſſ. Equite de Linne concinnatam, petrefacti, quod plurima ex parte cum hoc convenit. Celeberr. Eques de Linnel. c. illud Enthomolithum paradoxum appellat, et tres eius allegat ſpecies: 1) Dorſo laevi aequali: 2) Dorſo ſtriis transverſis, convexis, integris, viginti: 3) Dorſo ſtriis transverſis, convexis, interruptis, viginti, punctisque ſex longitudinalibus. Ad quam vero Enthomolithorum Claſſem proprie pertineant, determinare non auſus eſt, ſed potius quaſi intermedium quoddam eſſe credit, Cancros inter et Oniscos et Monoculos. Cum huius generis petrefacta rariſſimis fere ſint annumeranda, cumque eorum Originalia in hunc usque diem reperta non ſint, optandum foret, ut plures Minerophili eorum originem inveſtigare ſtuderent.

ASTRONOMICA: I. *Diſſertatio Aſtronomica de effectu Parallaxeos in tranſitu Planetarum ſub Sole.* Auctore F. V. T. AEPINO, pag. 133. Appropinquante celebri

illo

illo coelesti phaenomeno, tranſitu Veneris per diſcum Solis, anno 1761. Cl. Auctor exhibuit Academiae diſſertationem de qua hic ſermo eſt, eique adiunxit mappam, principiis hic expoſitis ſuperſtructam, in qua uno quaſi intuitu conſpicere erat loca, quae praecipua huius phaenomeni momenta, immerſionem ſcilicet atque emerſionem Veneris, dato tempore, citius aut tardius, ob parallaxin prae Centro Telluris ſpectare debebant. Cel. de l'Islius primus huiusmodi mappam, occaſione tranſitus Mercurii per diſcum Solis, anno 1753 viſi, in lucem edidit. Aſt celavit artificia, quibus in conſtructione ipſius uſus eſt. Praecipuus itaque ſcopus, quem Cl. Auctor hac diſſertatione intendit, is eſt, ut oſtendat, qua ratione eiusmodi mappae pro tranſitu Planetarum ſub Sole conſtrui queant. Cum effectus parallaxeos in eo conſiſtat, ut immerſio Veneris in diſcum Solis aeque ac emerſio, e diverſis telluris locis, diverſo tempore fieri conſpiciatur: Cl. Auctor de effectu parallaxeos agens, primum ſibi proponit ſequens problema ſolvendum: Invenire momentum, *quo diſtantia centrorum Solis et Planetae ex dato puncto videtur ſub angulo dato.* Ut ad ſolutionem illius viam ſternat, rem orditur a generalibus contemplationibus, ex quibus cum perſpexiſſet, infinita dari puncta problemati ſatisfacientia, in ſuperficie ſita, quae producitur rotatione circuli ſuper recta, diſtantiam centrorum Solis et Planetae referente; deducitur ad principale problema, quo quaeritur, *quonam momento datum telluris punctum in hac ſuperficie reperiatur?* Non alia enim puncta globi terreſtris elongationem Planetae ac Solis ſub dato angulo videre poterunt, niſi quae in interſectione ſuperficiei Telluris, cum ſuperficie ſupra memorata, fuerint locata. Ne vero in ſolutione problematis, uti propoſitum eſt, ad formulas intricatas devolvatur, primum circulum tantum telluris, qui formatur interſectione, a plano per centra Solis, Terrae, ac Planetae tranſeunte, conſiderat. Evoluta iam formula generali, qua exprimitur proprietas pun-

 ctorum

ctorum in plano huius circuli exiſtentium, et diſtantiam centrorum Solis ac Planetae ſub dato angulo conſpicientium, id agit, ut oſtendat, qua ratione pro quovis puncto in hoc plano reperiundo problema ſolvi, atque ad Immerſionem aeque ac ad Emerſionem erutae formulae adaptari debeant. Abſolutis generalibus, deſcendit Cl. Auctor ad ſpecialia, quae in tranſitu Planetarum ſub Sole veniunt conſideranda: oſtendit ſcil. qua ratione formulae ad centrum telluris accommodari debeant, et determinari queant loci, quorum alter primum, alter ultimum omnium, Immerſionem aut Emerſionem conſpiciunt, atque indicat modum, ad quem computus commodiſſime peragi debeat. Quoniam plura ſemper dantur ſuperficiei telluris puncta, Immerſionem ſive Emerſionem Veneris eodem tempore conſpicientia, omnia vero ſita ſunt in circulo quodam in ſuperficie telluris ducto, prout patet ex iis, quae in principio diſſertationis dicta ſunt: Cl. Auctor exponit modum circulos hos deſignandi, tam in globo artificiali, quam in plano proiectionem telluris exhibente. Pro primo caſu definit polum, et eius diſtantiam a perimetro Circuli deſcribendi; pro ſecundo vero docet artificia, quorum ope circulus hic in proiectionem telluris transferendus eſt. Atque ſic omnia, quae ad finem, quem propoſuerat, obtinendum faciunt, Cl. Auctor abſolviſſe eſt exiſtimandus. Diſſertationem hanc orbi erudito gratam et acceptam vel ideo maxime fore confidimus, quod peculiari et prorſus nova ratione abſtruſam hanc theoriam pertractaverit.

II. *Diſſertatio II. de Effectu parallaxeos in Tranſitu Planetarum ſub Sole.* Auctore F. V. T. AEPINO, pag. 454. In prima diſſertatione Cl. Auctor occupatus fuit in enucleanda Theoria generali effectus parallaxeos in tranſitu Planetarum ſub Sole, formulisque analyticis concinnandis, in hoc negotio adhibendis, neque de earum abbreviatione, niſi quatenus calculi analytici difficultates ſuperandae permiſerant, fuit ſollicitus. Ut igitur illas contrahat,

con-

concinnioresque reddat, adplicat ad caſum ſpecialem, ad proximum nempe qui evenerat tranſitum. In Aſtronomia non raro offerunt ſeſe caſus, ubi non minor ſolertia in formulis, quae problematis ſolutionem continent, condendis, quam iis ad uſum deducendis requiritur: hic certe ad numerum eorum referri debet. Concinnitati itaque formularum Cl. Auctor intentus, rem perquam utilem praeſtitiſſe eſt cenſendus, dum integram Theoriam ſuam exemplo illuſtraverit, et rationem in ſimilibus caſibus formulas ſuas adhibendi monſtraverit. Ex hoc fonte promanavit mappa illa, cuius ſupra mentionem fecimus.

III. *De Venere in Sole viſa Anno 1761. d. 6. Iunii ſt. nov.* Auctore G. HEINSIO, pag. 473. In obſervatione rariſſimi huius phaenomeni peragenda, eodem inſtrumentorum apparatu, eademque methodo uſus eſt Cl. Auctor, quam in nov. Comm. Tom. VI. occaſione Mercurii in Sole Anno 1753 ab eodem Lipſiae obſervati, copioſiſſime expoſuit. In concluſionibus vero ex obſervatis ſuis deducendis, in locum Conſtructionis Geometricae ibidem traditae, rectiſſime Calculum hic ſubſtituere maluit. Non ſine ratione Cl. Auctor, in limine, de intempeſtiva coeli facie conqueritur: nam ſi caelum faviſſet, per bihorium et amplius a ſole orto iucundiſſimo ſpectaculo frui illi licuiſſet, antequam tubo Aſtronomico, ſex pedes longo, libella et reticulo inſtructo, venari cepiſſet. Inſtitutis novem huius indolis obſervationibus, cum Venus emerſioni propinqua iam eſſet, praeparavit ſeſe Cl. Auctor ad contactus obſervandos tubo Gregoriano, 52. vicibus obiecta amplificante, atque incredibili mentis et oculorum celeritate obſervationem hanc perfecit: plurima etenim momenta pauciſſimis Secundis ſeſe excipientia obſervavit. Dum difficultates obſervationem afficientes, atque in parallaxin ſolis reſultantes, anxie perſequitur, dubitat, quodnam momentum contactus, interiorne utriusque limbi $8^{h.}\ 8'\ 7''$ an totalis luminis ad margi-

marginem Veneris diſparitio 8h. 8′ 27″ ad merid. Lipſ. pro initio egreſſus aſſumendus ſit, et quemvis obſervatorem per viginti ſecunda et amplius haeſitare in eo poſſe Cl. Auctori perſuaſum eſt. Interim, miſſo contactu, momentum diſparitionis luminis inter limbum Veneris, lineamque a reliqua diſci ſolaris peripheria quaſi ſeparatam, et a Cl. Obſervatore viſam, ſc. 8h. 8′ 27″ pro initio egreſſus aſſumi debere exiſtimat. Siquis modum, quo Cl. Auctor ex obſervationibus tubo ſuo libella et reticulo inſtructo peractis, poſitionem Veneris in diſco Solis viſam elicit, ſcire cupiat, is ex ipſa diſſertatione illum haurire poterit. Id ſolum hic monuiſſe ſufficiat: ex novem diverſis obſervationibus, Latitudinem Veneris momento coniunctionis viſam, ex computo Auctoris profluxiſſe 9′ 57″ Auſtr. ipſum momentum coniunctionis centrorum Solis et Veneris in Ecliptica Iunii d. 5. 6h. 35′ 7″ ad merid. Lipſ. et latitudinem denique heliocentricam 3′ 57″½ non habita ratione parallaxeos. Solemne eſt Cl. Auctori, ſumma tantum capita obſervationum ſuarum referre; verum optandum eſt, ut ad normam a Celeberr. Aſtronomis probatam, examen ſaltem horologii, in tam gravi obſervatione, iudicio lectorum ſubmitteret, quo maior fides et certitudo ipſis obſervatis concilietur.

IV. *De effectu parallaxis in Tranſitu Veneris per Solem.* Auctore G. HEINSIO, pag. 501. In diſſertatione praecedente, cuius iſtam tamquam continuationem Auctori nominare placet, inveſtigavit Vir Cl. ex obſervationibus Lipſiae habitis, ſemitam Veneris intra diſcum Solis, qualis apparuiſſet, ſi Sol et Venus quaſi ad infinitam diſtantiam a Terra remoti fuiſſent, atque inde concluſiones uſui Aſtronomico inſervientes elicuit. Cum vero hypotheſis iſta veritati non ſit conſentanea, concluſiones ibi erutas correctione indigere ultro patet: Parallaxin etenim Solis, nec non et Veneris, ſenſibilem eſſe, aliae obſervationes evincunt, atque idcir-

idcirco ſemita Veneris a ſpectatore in centro Telluris conſtituto viſa, prorſus diverſa debet eſſe ab ea, quam videt ſpectator in ſuperficie Telluris locatus, et pro diverſo ſitu obſervatoris, diverſa quoque ſemita apparens locum habeat neceſſe eſt. Quamobrem concluſiones in uſum aſtronomicum ex obſervationibus in ſuperficie Telluris habitis derivari non poterunt, niſi eae prius ad centrum Telluris reducantur. Id quod eo curatius praeſtari poterit, quo exactiore cognitione parallaxeos Solis inſtructi fuerimus. Quoniam Aſtronomi, in enodanda ſubtili quaeſtione, de quantitate parallaxeos Solis uti et Veneris, omnem ſpem in tranſitum hunc coniecerant, et absque exacta illius cognitione, ſemita Veneris, ex dato ſuperficiei Telluris loco viſa, ad centrum Telluris reduci nequit: perſpicuum eſt, utramque quaeſtionem ita inter ſe connecti, ut altera alterius poſtulet ſolutionem. In enodanda igitur quaeſtione de quantitate parallaxeos Solis, ad methodum indirectam confugiendum eſt, ut ſc. ſuppoſita parallaxi aliunde cognita, calculo inquiramus in effectus, qui inde pro datis locis reſultent, eosque comparemus cum iis, quos obſervationes manifeſtarunt. Comparatione inſtituta patebit, quantum aſſumta parallaxis a vera diſcrepet. Inquiſitio autem effectuum ſupponit ſemitam Veneris ad centrum Telluris reductam. Hanc ob rem Cl. Auctor, ut ordine procedat, in iſta diſſertatione primariam quaeſtionem, conceſſis parallaxibus et ſemita Veneris ad centrum Telluris, explorare effectus parallaxeos, enodandam ſibi proponit. Rem integram orditur a primis principiis, et in genere perſequitur effectus, quales in diverſis circumſtantiis à parallaxi profecturi ſint. Ut doctrinam ſuam illuſtret, deſcendit ad ſpecialia. Ex Tabulis Aſtronomicis ſumtis elementis, ad ſchema pro obſervatore in Centro Telluris conſtituto conſtruendum, praecipua momenta tranſitum ſpectantia per calculum elicit. Cognito Schemate ad Centrum Telluris, perpendit circumſtantias, ſub quibus obſervatori in ſuperficie Telluris lo-

cato, phaenomenon hoc appariturum ſit; dein integram theoriam illuſtrat exemplo, ad obſervatorem Lipſienſem applicato. Poſita parallaxi Solis 10″ et calculo ad methodum expoſitam inſtructo, invenit Lipſiae ob parallaxin centrum Veneris 1′ 38″ citius egredi debere, et ingredi 6′ 29″ tardius, prae obſervatore in centro Telluris conſtituto. Eandem rem praeſtitit ſub aliis quoque hypotheſibus. In introitu iam Cl. Auctor monuit, multos nonniſi ad primarios effectus parallaxeos, circa ingreſſum nempe et egreſſum, attendiſſe, aliorum tamen effectuum durante tranſitu conſiderationem non fuiſſe poſtponendam. Idcirco expoſitis effectibus in introitu et exitu Veneris pro obſervatore Lipſienſi accingit ſeſe Auctor ad ſolutionem problematis: ad datum tempus definire poſitionem mutuam centri Veneris in puncto aliquo ſemitae ſuae haerentis, et centri Solis a dato obſervatore in aliquo ſemitae ſuae Eclipticae loco viſi; et retenta eadem parallaxi Solis, ſeriem locorum, ſemitam centri Veneris exhibentem, in tranſitu per diſcum Solis Lipſiae viſam, calculo inveſtigat. Impletis 42 paginis argumentum hoc ſpectantibus, Cl. Auctor filum abrumpit, idem in alia diſſertatione, aliaque methodo pertractaturus, quam facilius iudicium de quantitate parallaxeos largituram iri exiſtimat.

V. *Conſiderationes de motu Corporum Coeleſtium.* Auctore LEON. EULERO, pag. 544. Licet nullum ſit dubium, quin leges, quibus corpora coeleſtia in motibus ſuis obediunt, a KEPLERO detectae, a NEUTONO vero in maximum Aſtronomorum incrementum demonſtratae ſint; minime tamen exiſtimandum eſt, theoriam Aſtronomiae ad ſummum gradum perfectionis evectam eſſe. Poſſumus quidem motum duorum corporum in ratione directa maſſarum, et inverſa quadratorum diſtantiarum in ſeſe agentium, perfecte definire: verum ſi iis accedat tertium, ut unum quodque in reliqua ſecundum illam legem agat, motui

motui eorum enodando omnia hucusque inventa Analyſeos artificia minime ſufficiunt. Quidquid autem de motu Lunae et reliquorum corporum coeleſtium a *Viris* celeberr. hucusque praeſtitum eſt, id nonniſi approximationibus innititur, quae eatenus locum inveniunt, quoad inter ternas vires una prae reliquis maxime ſemper eminet, ita ut effectus a reliquis oriundus veluti minimus ope approximationum definiatur; quae tamen negotium minime conficiunt. Quoniam Solutio problematis de tribus corporibus, ſecundum memoratam legem in ſeſe invicem agentibus, ſenſu generali accepti, vires humanas Cel. Auctori merito tranſcendere videtur, tentavit illud reſtrictum ſolvere, poſita maſſa unius prae binis reliquis evaneſcente, ut ſcilicet incipiendo a caſibus particularibus, viam ſternat ad ſolutionem problematis ſenſu generali accepti. Verum reſtricto etiam ſic problemate, tantae difficultates in ſolutione eius ſeſe obtulerant, ut ipſe Cel. Auctor fruſtra in evolvendo eo ſe deſudaſſe fateatur. Interea obſervavit caſum perquam ſingularem et notabilem, quo Lunae eiusmodi motus imprimi potuiſſet, ut perpetuo vel in oppoſitione, vel in coniunctione cum Sole apparuiſſet, ſi ſcil. Luna quater fere longius a nobis remota, et ei eiusmodi motus impreſſus fuiſſet, ut pari paſſu cum Terra in plano Eclipticae ingredi inciperet. Licet fictam hypotheſin Cel. Auctor in calculum introduxerit; veram nihilominus exinde, et minime expectatam elicuit de limite Satellitum Terrae concluſionem: corpora nempe, quae quadruplo magis a nobis ac Luna diſtant, in numerum Planetarum primariorum, propiora vero in numerum Satellitum Terrae, referenda ſunt. Ut Luna coniuncta vel oppoſita perpetuo Soli maneat, motus illi in plano Eclipticae, idemque cum Tellure, imprimatur neceſſe eſt; quodſi vero ille a lege hac diſcrepat, Luna exiguas excurſiones hinc inde veluti oſcillando conficiet. Cel. Auctor naturam quoque earum, adhibitis approximationibus, eo, quo pollet acumine, in diſſertatione iſta ſcrutatus eſt.

 Addi-

Additamentum IOH. GOTTL. LEHMANNI *ad Diſſertationem ſuam*, pag. 430. *huius Tomi.* Dies diem docet: et ex eo tempore, quo tanquam problema petrefactum iſtud incognitum hiſtoriae naturalis amatoribus explicandum propoſuit, iam biennium eſt elapſum, non deſiit penitius in naturam eius inveſtigare, et expertus eſt, hoc petrefactum eſſe Entomolithum Oniſci, et quidem Tab. XI. Fig. 8. 9. et Tab. XII. Fig. 8. 9. Oniſcum petrefactum, dorſo ſtriis tranſverſalibus convexis integris viginti, monſtrat Fig. 10. Tab. XII. vero Oniſcum, dorſo ſtriis tranſverſis convexis interruptis viginti, punctisque ſex longitudinalibus in lapide calcareo petrefactis innumeris referto, ex Gothlandia, exhibet. Huius inſecti ſpecies haud raro quoque in confiniis Petropolis, in oſtiis Sinus Finnici et fluminis Fontalkae aut Fontanae, vivae, et diverſae magnitudinis, a Secretario Academiae, Status Conſiliario, Dom. *de Staehlin*, repertae fuerunt. Celeberrimus Eques Dom. *de Linné*, in Act. Academ. Upſal. Tom. 21. huius inſecti non minus, quam in Muſ. Teſſin. pag. 98. No. 3. mentionem facit, rem tamen in ambiguo relinquens, pertineatne ad Cancrorum, Monoculorum, Oniſcorum familias; et ideo quoque hoc petrefactum Entomolithum paradoxum appellavit, vel intermedium quoddam Cancrum, Oniſcum, Monoculum inter. Auctori impraeſentiarum ſufficit explicuiſſe, hoc petrefactum ad Entomolithos Oniſcorum pertinere.

VETERA HUMILIATORUM MONUMENTA Annotationibus ac diſſertationibus prodromis illuſtrata, quibus multa ſacrae, civilis, ac literariae medii aevi hiſtoriae capita explicantur. Auctore HIERONYMO TIRABOSCHIO, *Soc. Ieſu in Braidenſi Univerſitate Rhetor. Prof. VOL. I.*

DIS-

DISSERTATIONES PRODROMAS CONTINENS de Humiliatorum origine, vicibus, exitu.

Mediolani, MDCCLXVI. Excudebat Ioſeph. Galeatius, Regius Typographus. Superiorum permiſſu, ac Privilegio: 2 Alph. 8. pl. in 4to mai.

Multis magnisque difficultatibus hiſtoriam Humiliatorum eſſe implicitam, neminem, niſi hiſtoriae eccleſiaſticae ſit plene rudis atque ignarus, ignorare arbitramur. Igitur *Celeberrimi Tiraboſchii* ſtudium, in hiſtoria Humiliatorum illuſtranda atque accurate delineanda, eo magis laudari commendarique meretur, quo magis cognitum perſpectumque habemus, arduum hoc opus perquam feliciter ab Auctore eſſe tractatum, ſpemque certam concipimus, fore omnibus iis acceptum, qui animum ſuum accurata huius Ordinis notitia imbuere, et ſuam qualemcunque cognitionem mirifice augere velint; deſiderio igitur maximo, reliqua quoque duo volumina brevi tempore videndi, tenemur. Antequam vero rationem de ipſo hoc eleganti libro reddere inſtituamus, haud male noſtram in eo collocatam operam iri intelligimus, ſi pauca de fontibus, ex quibus quamplurima ſingulari rerum delectu atque prudenti examine hauſta ſunt, dixerimus. Praeprimis Petri *Puricellii* Codicibus MS. qui in Ambroſiana Bibliotheca ſervantur, aliisque monumentis a *Puricellio* ſtudioſe collectis, et a Propraefecto Ambroſianae Bibliothecae, Balthaſare *Oltrocchio*, caeterisque eiusdem Bibliothecae moderatoribus, ipſi communicatis, uſus eſt Vir Cl. *Codex* quoque *Braidenſis* in ſubſidium vocatus, egregie operi conficiendo inſerviit; quid quod et litteris ad diverſos Eruditos datis hoc conſequi ſtuduit, ut ſi forſan adhuc quaedam monumenta de rebus Humiliatorum laterent, ea conquirerent, atque ſecum communicarent. Tribus praeterea *MSS.* Humiliatorum *Chronicis*

uſus eſt: 1) *Chronico* Anno MCCCCXIX. conſcripto, cuius auctor fuit Io. de *Brera*, Braidenſis domus incola. 2) *Chronico* Anno MCCCCXXI. ſcripto, cuius auctor Hier. *Torchius* eſſe perhibetur, quod *Helyotto* et *Argelato* placuit, *Cl.* vero *Auctor* illud Io. *Braidenſi* fortaſſe tribuendum eſſe cenſet. 3) *Chronico* de Anno MCCCCXCIII. a Marco *Boſſio*, Florentinae Humiliatorum domus Praepoſito, conſcripto.

Iam quaedam de ipſo hoc Vol. I. quod octo diſſertationes continet, ſunt commemoranda. Primo igitur loco diſſertationis primae ſummam, ea qua ſolemus ratione enarrabimus.

Diſſertatio I. De primis Humiliatorum initiis. Vehementer ille erraverit, qui hac in re Scriptorum conſenſum invenire ſibi perſuaderet; ſententiae enim de origine huius Ordinis in diverſas eunt partes, ita ut admodum difficile eſſe videatur, cuinam ſententiae potiſſimum ſit ſubſcribendum fateri. Nonnulli enim ad undecimi Sec. initia, nonnulli ad duodecimi finem, veram eius originem referunt. Cuius quidem diſſenſus duae cauſae eſſe poſſunt: 1) ab initio ſtatus Humiliatorum nihil plane habuit, quod multorum oculos in eum converteret; in obſcuro vixit usque ad Iohannis Medenſis aetatem, qui novum huic Ordini decus medio circiter Saeculo XII. conciliavit, comprobatis poſtea ab Innoc. III. A. MCCI. ipſius inſtituto legibusque, illuſtrior fieri, et per totam fere Italiam diffundi coepit. 2) Humiliati nihil per quatuor Secula, quod ad Patrum ſuorum hiſtoriam pertineret, litteris conſignaſſe videntur. Ante Sec. XV. nullos de Humiliatis habemus Annales. Philippus Bergomenſis, et M. Ant. Sabellicus, haec de origine illius tradunt: Nobiles quidam Inſubriae cives, ira Imperatoris concitata, patria extorres facti, atque in Germaniam traducti ſunt, quo facto, exilii calamitate tolerata, hoc vitae genus elegerunt, ac ad Imperatoris pedes provoluti reditum in patriam impetravere. Adhuc autem ſub iudice lis eſt, quo-

nam

nam tempore, quove Imperatore haecce contigerint. Quamplurimi probae fidei viri Friderici Ahenobarbi temporibus haec geſta eſſe cenſent; at eos nequaquam in Germania exules fuiſſe affirmant, et in anno diſſentiunt: nam vel MCLXX. vel LXXI. vel LXXII. vel LXXX. vel LXXIX. vel XCVI. aut XCVIII. natalitia huic Ordini fuiſſe dicunt. Quae quidem opinio omni prorſus deſtituta eſſe videtur, ex ſententia Auct. fundamento, quia iam ante tempora Friderici Humiliatorum domus exſtructae ſunt, eorumque auctus numerus deprehenditur. Cavitellius, Cremonenſis Hiſtoricus, aliam amplectitur ſententiam. Annum MLXX. Humiliatorum initiis tribuit, et Mediolanenſes huius coetus primos auctores, in Germaniam ab Henr. IV. Rege traductos fuiſſe perhibet, quibus Friderici aetate plures acceſſerint. Verum ea ſententia propterea probari nequit, quia Henr. non ante A. MLXXVI. in Italiam deſcendit, quo tempore cum Greg. VII. Pont. bellum, quod nihil ad Mediolanenſes pertinebat, geſſit. Mediolanenſes quidem A. MXCIII. adverſus Henr. inſurrexerunt, quo tempore Henr. rebelles neque vincere, neque proſcribere poterat, quippe qui in Germaniam haud paulo poſt ſe recipere coactus eſt. Unde non apparet, quo tempore Henricus Inſubres in Germaniam potuerit relegare. Multo probabilior eorum ſententia eſſe intelligitur, qui Humiliatorum originem ad Conradi I. Imperatoris aetatem, qui cum Mediolanenſibus A. MXXXVII. bellum geſſit, referunt. Mediolanenſes eodem anno, ab Ariberto Archiep. in Galliam ad Odonem Campaniae ducem legati in Galliam oratum miſſi, ut exercitum in Italiam contra Conradum duceret, dum, Odone a Lotharingo duce in pugna occiſo, in Italiam revertuntur, at a Berta Suſae Marchioniſſa, in Alpium anguſtiis intercepti, atque ad Conradum miſſi; qui, cum Vercellenſem, Cremonenſem, ac Placentinum Epiſcopos, huic coniurationi manus dediſſe intelligeret, hos in Germaniam relegavit. Atque iſtud occaſionem Humiliatorum initiis revera praebuiſſe, affirmat

firmat *Cl. Auct.* atque Bernardini Corii Hiſt. di Mil. P. I. pag. 38. verbis confirmat, quem et alii auctores ſecuti ſunt. Caroli Sigonii tamen ſententiam, qua initiis Hum. annus MXLVI. aſſignatur, veriſimiliorem eſſe cenſet, in quem bellum ab Henr. in Mediolanenſes geſtum, exilium in Germaniam, eius duratio, atque reditus in patriam, incidit. Nihilo tamen minus initia ab Henr. I. Regis temporibus repetenda eſſe arbitratur: cui rei fidem faciunt auctores Chronici I. et III. Helyottus tamen, qui religioſorum Ordinum hiſtoriam conſcripſit, caſtigatur, ſimulque aſſeritur, eum Chronica haec ne quidem vidiſſe, ſed habuiſſe commentarios negligenter ſatis collectos. Errores Helyotti ſunt, quod dicat, Humiliatorum Chronicon anno MCDXIX. latine conſcriptum eſſe a P. Hier. Torecchio, Praepoſ. domus Humil. Mediol. cum tamen ſit Hieron. Torehius, generalis Ordinis magiſter anno MDXXXIII. renunciatus, qui neque hoc Chronicon conſcripſit. Porro Helyottus ait, Laudenſes, Papienſes, Cremonenſes, Inſubresque alios, praecipue Mediolanenſes, cum in Henr. I. inſurrexiſſent, ab Imperatore in Italiam profecto devictos, praecipuosque rebellionis auctores in Germaniam captivos abductos fuiſſe. Hos exilii pertaeſos, b. Guidonem, maximam apud illos pietatis famam adeptum, impuliſſe, ut pium auſteramque vitae genus amplecterentur. Itaque anno MXVII. cra ſis veſtibus indutos, ſuſceptum conſilium in domeſticis aedibus exſequi coepiſſe Cuius rei fama ad Henr. delata, hic aliquando iisdem advocatis, cum omnes ſuis pedibus obvolutos videret: En vos, inquit, tandem Humiliatos. Hinc de praeterita rebellione pauca obloquutus, de que eorum fide certior factus, reditum in patriam permiſit. Bene monet Auct. in Chronico nequaquam Papienſes etc. nominari, neque bellum in eosdem geſtum, potius exules illos ſola Henrici ſuſpicione in exilium pulſos fuiſſe teſtantur. Neque Guido in Chron. ante annum MCXCIX. memoratur. Neque eos Henr. irridendo allocutus: En etc. ſed: *Accedite, chariſſimi Humiliati: En, religioni dediti eſtis, ut*

mon-

monſtrat habitus veſter? Cui reſponderunt: ſicut vides Imperator: et tunc patriam conceſſit. M. Boſſius rem paullo aliter, ſed ab hac ſententia non adeo diverſe, refert. Relationem quoque Helyottus reprehendit, Humiliatis Mediolanum reverſis, eorumque uxoribus maritorum exempla ſecutis, S. Bernardum Mediolanum advenientem perſuaſiſſe, ut patriis aedibus relictis, vitam monaſticam amplecterentur; qua etiam in re ex ſententia Auct. minus recte verſari videtur. Unde a Chronicorum opinione recedit Helyot et Ordinis originem ad annum MCXVII. refert, quo Henr. V. urbes Inſubriae non paucas, eius imperium poſt Mathildis Comitiſſae obitum detrectantes, armis devicit. Sed hiſtoria repugnat: nam Mathildis anno MCXV. iam obiit, Henr. ſequente anno in Italiam deſcendit, de bello autem in Inſubres geſto nullum veſtigium apud Hiſtoricos deprehenditur, neque fit mentio urbium Inſubriae ab Henr. devictarum, aut exulum in Germaniam relegatorum. Helyotto igitur devicto, rationem Auct. reddit ſuae ſententiae. Si videlicet Inſubres eſſent auctores Humiliatorum, eorum ortus a bello Henr. I. in Harduinum Eporediae Marchionem, ac Italiae regem, geſto, deducendus foret. Harduinus enim, Italicarum urbium auxilio fretus, ab a. MII. ad annum MXV. cum Henr. de regno Italiae decertavit. Aſt omnes tamen cenſent Mediolanenſes fuiſſe auctores, quibus nihilominus cum Henrico I. nullum bellum fuit; quod quidem de bello palam, non autem occulte geſto, valet. Chronici verba hoc illuſtrant: *ſuſpectos ſcil. hoſtes habens multos nobiles Lombardos, maxime Mediolanenſes et Comenſes, quos ne contra imperium machinarentur, in Alemannia mittit in exilium.* Accedit et hoc, inclytae Ateſtiae gentis Maiores fuiſſe olim Mediolani Comites, et bello inter Henr. et Harduinum saeviente, Obertum huius nominis ſecundum ea dignitate praeditum fuiſſe, qui quidem cum Harduino regnum invaſit, et iram Henrici promeruit, ut ex diplomate a. MXIV. conſtat, quod Muratorius in Antichità Eſtenſi P. I. c. 13.

 lau-

laudat. Ex favore Oberti eiusque filiorum erga Harduinum colligi poterit, vel alios ex Mediolanenſibus eius fuiſſe comites, vel Henricum de eius fide dubium fuiſſe adeo, ut eos bonorum privatione et exilio mulctare minime dubitaverit. Calchi igitur verba aliquid ponderis habere videntur, dicentis: *Ceterique rebellionis populares, in quibus non pauci Mediolano Comoque oriundi fuere, in Germaniam relegantur*. Idem fatum in Comenſes Henrico infeſtos saevit, quod e duobus diplomatibus patet, ab Aloyſio Tatto in Ann. Sacr. di Como T. II. pag. 835. 837. aſſervatis. Tattus autem affirmat, Calchum, Inſubrum exilium MXV. conſignantem, defendi non poſſe, quia Mediolanenſes et Comenſes nunquam Henrici iram promeriti ſint; quia et Arnulphus Mediol. Archiepiſc. et Albericus Comenſis Epiſc. apertos Harduini hoſtes ſe oſtenderint; et praeterea Henricum hoc anno in Italiam deſcendiſſe nemo Hiſtoricorum tradat. Quis vero ignorat, et inter fidiſſimos cives perfidos deprehendi? Neque auctoritas Epiſcoporum, a partium ſtudio aliena, libertatem reliquorum tollit, hanc vel illam partem ſequendi. Iter vero Henr. neque in a. MXV. neque in MXVI. incidit; ſed ex teſtimonio Boſſii in ann. MXIV. quo exules in Germaniam eiecti fuerunt. Ex hoc diſcrimine neglecto, variae ſententiae de anno originis Humil. ortae ſunt. Tres adeo annos in Germania commorati ſunt; ſpe autem a. XVII. patriae recuperandae amiſſa, aſperum vitae genus elegerunt; anno dein XIX. hac de re Henr. certior factus, reditum in patriam omnibus conceſſit. Quae omnia aliquot Scriptorum auctoritate, Puricelli, Iac. Phil. Beſtae, et Antonini Volaterannique confirmantur, quibuscum alii quoque iunguntur. Non eſt hic ſicco pede praetereunda relatio de genere veſtimentorum. Nonnulli enim exiſtimant, Humiliatos albis ſe veſtibus tunc induiſſe, cum primum Deo ſe totos devoverent. Quae opinio ex verbis Chronici primi refellitur: Pretioſa deponunt veſtimenta, et induunt veſtimenta berettina, i. e. cinerea,

quae

quae erant Novitiorum; monaſticam dein vitam amplexi, albas induerunt. Calchus praeterea Humiliatos eandem in Germania vitae rationem aggreſſos fuiſſe teſtatur, quam poſtea in Italiam reduces tenuerunt: lanae videlicet faciendae operam ipſos dediſſe, pecuniam in pauperes erogare conſueviſſe, etc. Dolendum interim, primorum exulum interiiſſe nomina. In Henrici enim litteris, et Calchi hiſtoria nominati, nec in Germaniam exules abierunt, nec multo poſt in Henrici gratiam recepti ſunt. Et hoc quidem eſt argumentum prioris diſſertationis, ex qua aequi et a partium ſtudio alieni lectores de praeſtantia totius Operis iudicium ferre in anteceſſum poterunt.

Diſſert. II. eſt de alterius tertiique Humiliatorum Ordinis initiis. Novum vitae genus, quod reverſi Mediolanum Humiliati amplexi ſunt, cives in admirationem rapuit, novos enim homines, non quidem ſenſu ſcriptorum elegantiorum, ſed theologico, quilibet videre credebat. Commorati vero ſunt adhuc in patriis aedibus, et mercaturae lanificioque operam dederunt, quod duobus locis Chronici I. et III. comprobatur. Iidem vero iſti, ut ſuis rebus eo melius proſpicerent, ducem aliquem unicuique coetui praepoſuerunt, cui *miniſtri* nomen imponebatur. Huic cura totius coetus felicitatis, et praecipue aedium, collata pecunia exſtructarum, erat commiſſa. In iis ſingulis Dominicis lucri ex lanae opificio percepti rationes expendebant, et aliquis ex ſociis, de Chriſtianae perfectionis ſtudio, eiusque adiumentis, diſſerebat. Unde aedes huiusmodi *Convenia* aut *Parlatoria* audiebant. Humiliati ipſi vero dicti *fratres de Convenio.* Succeſſu tandem temporis Coenobia exſtructa ſunt; de auctore autem et tempore huius inſtituti diſſenſus eſt inter eruditos. Bernardus Abbas Claraevallenſis auctor eſſe creditur, eum Mediolanum A. MCXXXIV. veniſſet; alii vero huic anno alterius Ordinis Humiliatorum originem tribuunt. Tres namque Ordines Humil. numerantur: 1) eſt Sacerdotum,

qui non tempore, ſed dignitate prior eſt, nam poſt primum et alterum demum ortus; 2) de quo in hac diſſ. et 3) de quo in priore agitur. Originem autem coenobiorum huius Ord. Bernardo tribuendam eſſe, Galuaneus Flamma, teſte Muratorio probat, ex chronico videl. maiori et Muratorii manipul. flor. et ex Cod. MS. Biblioth. Canonic. Negat nihilominus *Auct. Cel.* Bernardum Mediolanum veniſſe; quia demum ab Innocentio II. ad Concil. Piſanum vocatus acceſſerit, et verba de Societate a Bern. inſtituta melius de reconciliatis Innocentio Pont. Mediolanenſibus capi poſſunt. Curatiori ſtudio Cl. Auct. ſe in verba Flammae et eius aſſeclarum inquiſiviſſe dicit; cum autem nihil, quod veritatis ſpeciem prae ſe ferret, invenerit, eum ſolidis argumentis convellit, et potius litterarum Apoſtolicarum, et conſtitutionum Humil. aeque ac monumentorum ſequendam eſſe auctoritatem, ſuadet. Flamma quoque vera falſis miſcuit, quare Saxius eius opinionem data opera infringere ſtudet, et Papebrochium in Exeg. de Archiepiſc. Mediol. n. 116. ad Landulphi locum in Hiſt. Mediol. C. 41. Vol. VI. Script. rerum Ital. refutat ſic; ut de Ciſtercienſibus, quibus Bernardus Coenobium Claraevallenſe erexerit, illic ſermonem eſſe oſtendat. Ergo de legibus a Bern. acceptis nulla ibi iniicitur mentio. Nemo porro ex Humiliatorum ſcriptoribus, e Saxii ſententia, ullam de Bernardo legum conditore mentionem fecit; et Chronicon de A. MCCCCXIX, in quo Bernardus commemoratur, hoc in loco eſt interpolatum. Verum enim vero, ſilentium veterum Humiliatorum totam rem nullo modo conficit, cum de Bernardo, Flammae, Muſſii, Donati Boſſii, aliorumque, extent teſtimonia. Deinde cultus Bernardo praeſtitus, effigies Bernardi in ſtemmate Humiliatorum expreſſa, qua uſum eſſe Modoetienſe Convenium in confeſſo eſt, Bernardum patronum Humiliatorum fuiſſe declarare videntur. Porro noſocomium Modoetienſe, Faventina ac Rhegienſis clauſtralium Humiliatorum domus, a Bernardo denominatae, noſocomium Bononiae

niae a Bernardo appellatum, et Godf. de Buſſero teſtimonium de ara in Humiliatorum domo, (porta orientalis dicta) Bernardo exſtructa, tandemque denominatio *fratrum S. Bernardi*, argumenti loco contra Saxium afferuntur, indeque concluditur, Humiliatos omnino a Bernardo leges accepiſſe. Unum ad haec argumentum reliquum eſt, adverſus ſententiam de auctore Bernardo prolatam. Videlicet A. MCCI. Innoc. III. Humiliatorum tertii ordinis leges apoſtolicis litteris comprobavit. Quodſi earum auctor Bernardus fuiſſet, certe Humiliati de hoc Pontificem monuiſſent, et Pontifex ſane ultro nomen Bernardi commemoraſſet, quod tamen non eſt factum; deinde quaedam in legibus ab Innoc. emendata deprehenduntur, quod vix fieri potuerat, ſi earum Bernardus auctor fuiſſet. Haec tradita ſunt de diſſenſu auctorum circa originem Humil. a Cl. Auct. cuius humanitatem modeſtiamque vel ideo laudamus, quod cuique lectorum optionem inter has ſententias relinquit. Omnia ſic forte conciliari poſſe ait, ſi ſtatuas, nullas quidem leges Bernardum Humiliatis dediſſe, ſed multos eius ſermonibus exemplisque commotos huic ſe Societati addixiſſe, ſanctiusque vitae genus amplexos eſſe. His miſſis videamus, quid de Guidone, Portae Orientalis Capitaneo, Flamma, ceterique auctores ſtatuant. Hoc in capite tractando, tria potiſſimum in cenſum veniunt: 1) Guidonem S. Bernardo, in Claraevallenſis prope Mediolanum coenobii conſtructione, divitiis ingentibus collatis, plurimum profuiſſe; 2) eum primam Humiliatis domum in portae orientalis regione aedificaſſe; et 3) eum Romam profectum, tertii Ordinis Humiliatorum ſtatuta ab Innoc. III. approbari curaſſe. Quae omnia ex Sigonio, Io. Fr. Beſutio, et Chronicis probantur. Interim a Cel. Auct. quaedam dubitationes moventur. Et primo quidem de Guidone a. MCXXXV. coenobii exſtructionem, a. MCCI. Ordinis approbationem curante, dubius haeret, an ſit una eademque perſona. Nam Scriptores Humiliati nihil umquam innuunt, e quo Gui-

doni ſuo fuiſſe quidquam cum Bernardo commune adpareat. Deinde vix probabile eſt, iam anno MCXXXV. adulta aetate, ita viribus valuiſſe, ut Romanum iter anno MCCI. ſuſciperet. Difficultas omnis ſic poteſt ſolvi, ut ſtatuamus, Guidonem fuiſſe unum eundemque, ſed id quod narratur non contigiſſe temporibus Bernardi; quo errore decepti Flamma et Sigonius, rem aliter narrarunt, ac revera eſt. Sententia vero Flammae, de prima domo in porta orientali poſita a Guidone, ſic refutatur. De ſecundo et primo ordine Humil. haec non ſunt accipienda, ergo de tertio, cuius initia ad annum MXVII. referenda ſunt: igitur ſtatuendum eſſet, Humiliatos per CXVIII. annos nullam certam conveniendi ſedem habuiſſe, quod verbis Chronici contrariatur. M. Boſſius enim dicit: *Etiam communibus ſumtibus conſtruxere unum locum in qualibet civitate, etc. magnum et amplum, ita ut* omnes fratres caperet. Totus error ex rerum commixtione ortus: Flamma enim et reliqui ſcriptores, Ciſtercienſes cum Humiliatis, et Claraevallenſe primum Mediolanenſe Ciſtercienſium coenobium cum domo de porta orientali, confuderunt. Sed initia alterius quoque Ordinis ſunt inveſtiganda, an eo tempore, quo Bernardus Mediolanum venit, collocanda, quod Helyottus affirmat, qui tum a Bernardo ipſis leges ſcriptas fuiſſe profitetur. Hoc ſolidis argumentis ab auctore confutatur. Neque enim auctores Chronicorum, nec ullus ex antiquis ſcriptoribus aliquid eiusmodi affirmat. Annus MXXXIV. in Boſſiano chronico margini adnotatus, verus annus natalium ſecundi ordinis eſt cenſendus; nam Mediolanenſes Humiliatorum domos fuiſſe antiquiſſimas, et ex communi opinione, et ex Conſtitutionibus Humiliatorum conſtat, *Diſt. XIV. c. 7.* Braidenſis vero domus, vulgo *Brera*, fuit omnium antiquiſſima, quod litteris Innoc. III. Hon. II. et Greg. IX. ex duplici item catalogo omnium domorum, chronici ſecundi hiſtoriae inſerto, colligitur. Iam vero Braidenſis domus anno MXXXVI. vel XXXVII, monumentis confirmantibus

tibus, extitit. Unde Chronicorum auctores, et Saxius, Sormannusque, annum XXXIV. origini eorum aſſignant. Iuliinius tamen tria antiquiori chartae Laudenſi opponit: Imperatoris nomen, eiusque imperii annum praetermiſſum; indictionem quintam anno MXXXVI. non congruentem; nominum rationem, quorum nondum illa aetate uſus invaluerat, quaeque rariſſime in illorum temporum monumentis occurrunt, Gofredus de Crepa, et Creſibenius de Guidonis, quae ultima ratio utique chartae fidem ſuſpectam reddit, igitur quoque annus XXXIV. conſignandis initiis Hum. Ord. nondum ſatis congruit. Cl. Auct. dubius manſit, atque chronicis tamdiu fidem habet, donec monumentis certis eorum auctoritas evertatur. Eiusmodi monumentum deprehendit in Collegii tabulario, chartam videlicet anno MCLXXVIII. conſcriptam, qua Chronicorum infringitur opinio. Qua ex charta intellexiſſe ſe ait, anno MCLXXVIII. Suzonem Bagutanum decimam redemiſſe, cui obnoxia erat Braida, ad partem illorum hominum, qui ſunt Humiliati ad illam domum. Ergo ſocii Suzonis fuerunt primi domus Braidenſ. emtores, atque adeo conditores, ex quo liquet illam multo poſt annum MXXXVI. conſtructam fuiſſe. Itaque ante annum MCXL. haec ipſa domus initia ſunt locanda, quo anno primus Ordo Hum. (tertius ordine) coaluit, antequam Fridericus Aenobarbus bellum in Mediolanenſes moveret. Alterius Ordinis igitur fundamenta circa a. MCXXXVI. vel XXXVII. iacta ſunt. Ex eadem charta intelligitur, Suzonem, Io. Bellum de Arcuri, ac Petrum de Sologno, certam ſedem Humiliatis fixiſſe in terra quae eſt in Braida. Braida vero, ſecundum Cangium, idem ſignificat ac *campus*, *ager ſuburbanus*, veterum lat. praedium, alias ager S. Catharinae dictus. Vrbe deinde a. MCLVII. novo ambitu aucta, Braida ſimul urbi incluſa eſt; porta ibi poſita, a templo S. Marci contiguo nomen adepta, antea Porta Beatrix, a Beatrice Eſtenſi Ludovici Sfortiae uxore, antiquis temporibus Puſterula, ſeu Porta Braidae

Guer-

Guertii appellata fuit. Conſtat quoque, Humiliatorum familiam e viris et feminis fuiſſe conflatam: verba in *charta* hoc declarant, *ad partem illorum hominum et feminarum, qui et quae ſunt humiliati per Deum.* Vehementer illum erraviſſe igitur dicas, qui affirmet, de Humil. religione, vel de appellatione Fratrum, aliquid in Innocentii litteris, aut aliis monumentis, occurrere ante annum MCCXL. In Girardi Cardinalis Legati litteris ad Humiliatos, datis XII. Kal. Maii, hoc nomen primum occurrit. De Suzone Bagutano, Io. Bello de Arcuri, ac Petro de Sologno, minime dubitandum eſt, eos inter primos Humiliatorum ſecundi ordinis fuiſſe. Suzo enim ipſe, non multis annis poſt, fuit Praelatus domus Braidenſis. Cl. Auct. originem Hum. accuratius inveſtigaturus, in Bibl. Ambroſ. invenit Necrologium, inventum in Humiliatorum domo de Ottaciis dicta, iam in pauperum ſenumque noſocomium converſa. Huius Necrologii aetatem circa Sec. XIII. characterum forma conſtituit. Commemoratur ibi *F. Petrus de Puteo, qui fuit aedificator huius congregationis*, qui alias *Frater Ottacius* appellatur. Ille igitur a. MCCXXXII. coenobii in porta Vercellina conditor extitit. Auctor dubitationes, quae contra explicationem vocis aedificator moveri ex media latinitate poſſent, ſolvit, atque totam rem eruditorum iudicio, ea modeſtiam humaniſſimi Viri, relinquit. Ad vivendi vero formam Hum. quod attinet, ea abſque difficultate ex chronicis poteſt cognoſci; quibus vero veſtibus uſi ſint, monaſticam vitam ingreſſi, indicabimus. Albas, poſitis cinereis ſ. berettinis, abſque caputio geſtaverunt tunicas, easque honeſtas (i. e. ſcapolare,) in capite berettum altum et album, unde fratres berettani dicti, extra domum mantellum ſ. mantelesſam (gabanum), cum duobus foraminibus pro brachiis emittendis. Innoc. III. has de veſtibus leges ipſis ſcripſit: Camixia, brage et tamen groſſe, pellitiam, guarnatiam (ſc. tunicam) manſtrucam agninam nudam vel opertam, (pelliceum veſtimenti genus, domi frigori arcendo forte aptum,) mantellum, cali-

caligas, ſcoſones, patitos, ſubtulares, (Iulinius his diverſa calceorum genera innui exiſtimat,) nocturnales calceos, ſi permiſerit Praelatus. Stramenta lectorum ſunt: biſacium vel filtrum (culcitra), capitale, et duo lintea de lana. Infirmis licebat habere alteram mauſtracam, aut culcitram et linteum de ſtupa *vellino*. Mulieres, moribus non multo diverſae a viris, *quippe* quae ab initio in eadem domo, certis tamen *intervallis* diſtinctae, cum viris commorabantur. Tertio *chronico* haec de iis dicuntur: mulieres ſe ligaverunt quan*darinis*, (fuit ſine dubio veli genus, quod collo ſanctimoniales *obduxerunt*,) velis albis capita, indutae tunicas albas honeſtasque absque caputio. Coenobium S. Margaritae, adhuc Modoetiae exiſtens, iam ante Saec. XII. conditum fuiſſe, Barth. Zucchus cenſet. Re vero accuratius inquiſita, Auctor nullum ante Saec. XV. monumentum invenit. Ignorare ſe ait, qua auctoritate Helyottus iam a. MCXXXIV. Humiliatarum coenobii, olim de Blaſſono, nunc S. Catharinae Braidenſis *appellati*, fundamenta iacta fuiſſe narraverit. Primus Ordo clericus poteſt deſcribi, qui non tantis obſcuritatibus laborat. Auctor fuit Ioannes Meda. Duas hic quaeſtiones occurrere ait Auctor: 1) num in ſecundum ordinem fuerit cooptatus Ioannes, antequam tertii fundamenta poneret; 2) quo tempore ſui ordinis fundamenta iecerit. Tattus, qui Ioan. vitam deſcripſit, illum ſecundo ordini adſcriptum fuiſſe ſtatuit, atque Mariam Virg. quae ipſi apparuerit, albam illi Humil. veſtem induiſſe, et ad hoc impuliſſe; qua de re tamen Scriptores in utramque partem diſputant. Quod autem Ioannes in ſecundum Hum. ord. cooptatus ſit, antequam primi fundamenta poneret, nulla auctoritate fretus Tattus ſtatuere videtur: ex tertio tantum Chronico patet, et Io. de Vico in Italica Ioannis vita ipſe ait, Ioannem ſponte in Ronderarium ſeceſſiſſe, ibique aliquamdiu divinis rebus vacantem ſolitarium vixiſſe, a Novocomenſi deinde Epiſcopo fuiſſe ſacris initiatum, ac denique Humiliatorum ſanctitate permotum, eorum ſocietatem iniiſſe, multosque

in ſui communionem recepiſſe. Origo igitur ordinis aeque ex auctoritate Chronicorum, ac Scriptorum conſenſu, et litteris Innoc. III. ſatis intelligitur. Ioannes obiit a. MCLIX. X. ante hunc annum, et poſt ann. MCXXXVI. vel XXXVII. qui alteri originem dedit, incepit, et annus forte XL. fuit ille annus. Antiquiſſima monumenta ſunt litterae Pontificiae a. MCLXXXVI. ab Urb. III. datae, quibus Vicoboldoni Humiliatos ſub Apoſtolica protectione ſuſcepit. Alexander III. ab a. MCLIX. usque LXXX. eccleſiae praefuit, atque eo temporis intervallo iam Vicoboldonenſem Humiliatorum domum exſtitiſſe certum eſt; ante hanc iam fuit Novocomenſis primi ordinis domus, *de Rondenario* dicta. Chronici auctores quidem in margine annum 1119. notarunt, hunc vero ſcite *A. Cl.* ita emendat, ut 1129. ſubſtituat, quod circa an. 29. a Ioanne hoc minime fieri potuerit, bello ſcilicet inter Mediolanenſes et Comenſes ſaeviente, quod anno 1128. funeſto Comenſis urbis excidio confectum fuit. Iam Ioan. ad Rondenarium acceſſit urbe Comenſi a Mediolanenſibus deleta, uti ex eius vita a Suyskenio edita patet, atque eo anno de vita ſua recte inſtituenda cogitavit, donec anno MCXL. cum aliis nonnullis in ſocietatem coiret. Locus in Novocomenſi ſuburbio, ubi nunc PP. Somaſchorum collegium, Gallium dictum, extat, *Rondenarium* fuit appellatus; quo loco Tattus, at falſo, dicit, potius debere legi *Arundinetum*, voce ex arundinibus, quibus frequens ſcatebat, deſumta. De veſtibus ſic M. Boſſius loquitur: *habitum potiorem retinuit, ſed capinum (collare, collarino, cappuccio,) cum honeſta conſutum addidit*, *et mantellum ante apertum, et ex lateribus pro brachiis emittendis*, *prout hodie utpluſimum utimur extra clauſtrum, ſibi impoſuit.* Iulinius veſtes nigras, ex errore a Sormanno concepto, finxit. Mulieres autem caputium conſutum, cum honeſta, et velum deſuper portabant. Ex quo intelligimus, aliquid diſcriminis fuiſſe inter Humiliatas. Properamus iam ad *Diſſert. III. De Humiliatorum legibus*, *deque tertii eorundem ordinis progreſſu, vicibus, exitu.*

Nihil

Nihil certi de legibus Humil. ante Ioan. Medenſis conſtitutiones poteſt dici; veritati autem proxime accedit, Humiliatos leges nonnullas mutuo conſenſu ſibi praeſcripſiſſe. Sigonius, Miraeus, Bucelinus, Tattus, atque Helyotrus, cum aliis exiſtimant, Ioan. de Meda Humiliatis perſuaſiſſe, ut Benedicti leges amplecterentur. Quod contra Chronicorum fidem eſt. A. MCXCVIII. nimirum, vix XL. poſt Ioan. obitum annis, Humiliatis, auctore M. Boſſio, obiiciebatur, Fratres ipſorum habere regulam non conformem alicui religioni approbatae, aut a ſummo Pontifice confirmatae; quod etiam colligere licet ex litteris Honorii III. ad Humil. ſecundi ordinis a. MCCXXVI. datis. Haec morum diverſitas ipſis odium peperit: unde, cum Lucius III. a. MCLXXXIV. concilio Veronenſi haereticorum quorundam ſectas damnaret, et Humiliati inter reprobos fuerunt. Nonnulli inter utrumque Humiliatorum genus non ſatis diſtinguentes, utrumque perperam ut haereticum execrati ſunt, teſte Spondano in Annal. Eccl. ad A. 1199. n. 11. Rebus interim ſic conſtitutis, Iacobus Rondenarienſ. et Lanfrancus Laudenſis Praepoſiti, Romam ad Innoc. a MCXCIX. miſſi ſunt cum legibus Humil. Iis Innoc. praecepit, ut diverſas leges in unum cogerent, atque Alberti Vercellenſis Epiſc. et Petri Locedienſis Abbatis conſilium, qui muneribus tunc apud Mediolanenſes fungebantur arduis, exquirerent, quibus Cerretenſem in Laudenſi agro Abbatem ſocium conſtituit. Humiliati in his omnibus obſequium Pontifici praeſtiterunt: eorum itaque leges a ſupra dictis viris emendatae Pontifici exhibentur, qui Gratiano SS. Coſmae et Damiani, ac Petro Capuano S. Marcelli Cardinalibus iniunxit, ut leges has expenderent, quo facto, nonnullis emendatis, ab Innoc. litteris comprobatae ſunt. Qua quidem occaſione inquirendum eſt, num antea Rom. Pontificum, aut Mediol. Antiſtitum comprobatione Humiliati ornati fuerint. Thuanus, Spondanus, et Papebrochius, Lucio III. ab a. MCLXXXI. ad LXXXV. Pontifici hoc tribuunt: id ſi factum eſt, non tantum fa-

ctum fuiſſe, ſtatuendum. Io. Franc. Beſutii commentum, Benedictum IX. medio circiter Sec. XI. Humiliatis, ut ſacris initiarentur, conceſſiſſe ſcribentis, nullius momenti plane eſt. Probabilior eſt ſententia Latuadae, Saxii, atque aliorum, ſtatuentium, Ordinem a Galdino ab a. MCLXVI - LXXVI. Archiepiſc. comprobatum fuiſſe, quamquam Henſchenius diſſentire videtur. Guido vero ad Innoc. miſſus ab eo impetravit, ut a. MCCI. Iunio menſe tres Humil. Ordines litteris Pontificis comprobarentur, quos ſubſecutis temporibus Honor. III. Greg. IX. et Innoc. IV. aeque comprobarunt.

Operae pretium eſt, ut pauca, quae privatos mores Humil. reſpiciunt, addantur. De hora primum refectionis, deque ieiuniis, haec ſunt commemoranda. Omni ieiuniorum tempore, refectio fiebat poſt nonam, appoſito uno vel duobus cibis coctis, praeter in quadrageſima, in qua eſt coena poſt orationem veſpertinam. Aliis diebus comedebant ad ſextam, poſt veſperam coenabant, appoſito tantum ad coenam uno ferculo ſimiliter cocto. A die reſurrectionis Ch. usque ad Pentec. bis fiebat in die refectio, ſexta feria excepta poſt octavam reſurrectionis Domini. In Vigilia Philippi et Iacobi, in tribus diebus Litaniarum, et in vigilia Pentecoſtes, fratres ieiunabant atque abſtinebant. A Pentec. usque ad Adv. tria ieiunia in qualibet hebdomade fuere. Continuatio iejunii ab Adventu usque ad nativitatem Domini. Ab nativitate iterum usque ad Septuageſimam, ſecunda feria omni tempore, excepta quadrageſima natalis domini et maiori, erat in arbitrio Praelati ſolvere ieiunium. Innoc. IV. a. MCCXLVI. has leges mitigavit, ita ut a Pentec. ad F. Mich. praeter ieiunia omnibus Chriſtianis communia, ſexta tantummodo feria ieiunarent. De Veſtimentis ſupra dicta ab A. repetuntur; itidem de ſtramentis lectorum. Trina venae ſectio M. Aprilis vel Maii, Septembris, et Februarii, et plures ſi viſum fuerit Praelato. Per quindenas, qui vellent, abluebant capita. Barba raſa ſemel quovis menſe; capilli inciſi; pedes lavabat

vabat alter alterius ter in anno, ſc. in vigilia nativitatis Domini, in coena Domini, in vigilia Pentec. Praelatus elegit, qui deberent pedes lavare. Unusquisque habebat pectinem, et caltellum, et acum. *Sancta ſimplicitas!* Ex his legibus quam maxime apparet, coetibus Benedictinorum ex parte propter aliquam convenientiam adnumerari poſſe; immo Benedictum ut parentem coluere, diem illi feſtum ſolenni ritu celebravere, et eius leges publice recitandas curavere: quibus omnibus nonnulli decepti, Ordinem Humil. cum Bened. commiſcuerunt. Notandum eſt, his legibus Humiliatos omnes clauſtrales uſos fuiſſe. Ergo Frid. Cardinal. Borromei ſententia, de primo ordine legibus Canonicorum, quae Canonicorum officium appellantur, a reliquis diſtincto, eſt reiicienda. In antiquis enim exemplaribus nomen Canonicorum non deprehenditur, et vox ipſa nihil aliud notat interdum, quam hominem certis legibus viventem, cultuique divino vacantem. Anno MCCCCXXXVI. cum Mantuae ad comitia eſſent collecti Humiliati, Benedictinas leges amplexi ſunt. Nonnulla tamen in ipſis, monialium cauſa, mutarunt. Has ſanctimonialium leges Italice verſas edidit Puricellius. Fratrum vero leges aſſervantur in Bibliotheca Ambroſiana. Ea denique, quae ad Sacrorum ritus ſpectabant, non uno eodemque modo ab Humiliatis peragebantur. Quare Innocent. IV. litteris ad Humil. Magiſtrum a. MCCXLIX. datis edixit, ut unus modus cantandi et legendi in div. officiis in ordine Humiliatorum obſervetur. Mediolanenſes nihilominus, Ambroſianis ritibus aſſueti, eos retinuerant. Braidenſis vero eccleſia alios admittebat Sacerdotes, qui tamen quoque Ambroſiani eſſe debebant. Poſtea Alex. IV. ſerio edixit a. MCCLVIII. ut Mediolanenſes Humiliati contrariam conſuetudinem ſequuti, Innocentii legibus obtemperarent, quod tamen demum multis litibus compoſitis, Petri Card. Peregroſſi opera, a. MCCLXXXVIII. factum eſt. Ab hoc tempore Humiliati ſuos ſemper retinuerunt ritus. Ty-

pographica arte ad Italos delata, a. MCCCCLXXXIII. Mediolanenſibus typis, per Io. Ant. de Honate, divinorum officiorum liber ſecundum Humiliatorum ritus editus eſt, curante Steph. Nottio, quam aliae editt. ſecutae ſunt. A. MDIV. editum eſt Mediolani Miſſale ſecundum morem Fratrum etc. quod ob huiusmodi librorum inopiam denuo editum fuit A. MDXLVIII. Poſtea iteratis editionibus acceſſerunt quaedam epiſtolae, ad quasdam controverſias pertinentes, et denique a. MDCCLI. Humiliatorum Breviarium nitidis Marelli typis impreſſum eſt. Caſſanaei ſententia, *quod in Sabbatho Paſchae celebrant eorum officium illius diei de ſero poſt meridiem in introitu noctis, ita quod miſſa illius diei de nocte in vigilia Paſchae cantatur*, omni prorſus deſtituta eſt fundamento. Tanquam peculiare aliquid hoc ab Auct. Cl. animadvertitur, quod cum antea vulgata verſione in SS. Bibliis uterentur, Iſidori Clarii deinde interpretationem amplexi ſunt, ut ex edit. a. MDXLVIII. conſtat, quamque adhuc Humiliatae Sanctimoniales uſurpant. Reliquos ritus propter nimiam prolixitatem omittit A. Cl. De ſtemmate autem ſ. Signo addit: Pagium erraviſſe, ipſis effigiem Bernardi tribuentem, quae ad Hum. III. ordinis pertinuit. Maurolycus ipſis album canem, cum charta in ore, cuius haec inſcriptio, *Tuta fides:* Helyottus agnum, cum inſcriptione, *Omnia vincit humilitas:* Mannius vero ovem, ex monumentis Florentinorum, tribuit; quae ſententia calculo Auctoris firmatur, quia plerumque laneo operi erant dediti, et quia hoc ſigno Florentinum Lanariorum collegium uſum fuit. De diſcrimine ordinum haec collegit A. Secundus habet Praelatum cum honeſta alba et biretto, ut in Variſio. Tertius (dignitate primus) habet Praepoſitum cum honeſta alba et capucio, ut nunc in Brera. Praepoſitus ex fratribus communi conſenſu, ieiunio per triduum peracto, electus fuit, quem IV. praecipui Praepoſiti et Magiſter generalis confirmarunt, eratque dignitas eius perpetua. Praelati electio eadem fuit, ſed ille confirmatione

non

non indigebat, et dignitas eius anno vel biennio definiebatur. Tempore dein Tiberii Parmenſis, Praelatorum ius idem eſſe coepit ac Praepoſitorum, quid quod ipſi alterius ordinis praeſides Praepoſiti dicti, quod Mantuanis comitiis a. MCCCCXXXVI. lege lata ratihabitum eſt. Diſcrimini loco et hoc eſt, primum ord. Sacerdotibus, alterum laicis conſtitiſſe, quod tamen ſublatum a. MCCLVI. ab Alex. IV. Monialium contra haec erat ratio, ut quae in domibus primi ord. Fratrum viverent, (nam ab initio domus habuerunt communes,) veſtes primi, quae in alterius, veſtes alterius geſtarent. Ipſis praeerat Miniſtra, quae etiam Magiſtra, Antiana, raro Prioriſſa, Abbatiſſa audit. In communibus domibus rei familiaris adminiſtratio Praelato aut Praepoſito erat commiſſa. De gravioribus rebus fratres et ſorores ſimul conveniebant. Seiunctae domus ſubiectae quoque erant Praepoſito Humiliatorum, cumprimis in Spiritualibus. Seligebantur igitur Humiliati confeſſionibus excipiendis uſque ad a. MDLXVIII. quo Pius V. Humiliatas Ordinariorum iuri obnoxias eſſe iuſſit. Ad tertii ord. Humil. quod attinet, de eorum inſtitutis litterae Innoc. III. nos edocent. Generalia plerumque praecepta, de manſuetudine, de condonandis iniuriis, et modo in cibo potuque ſervando, ipſis praeſcripta: peculiaria ſpectabant ad quartae et ſextae feriae ieiunium, ad recitationem canonicarum horarum, ita ut oratio Domini ſepties in ſingulas horas, Symbolum Apoſtol. ad Primum et Completorium recitarent, preces pro defunctis, conventus ſingulis Dominicis habendi, quibus conventibus plerumque eccleſiae erant dicatae. Veſtes fuerunt coloris cinerei. Mannius ex Florentino monumento probat Humiliatas, albis veſtibus decoratas, inde ſororum poenitentiae nomen accepiſſe. Romani Pontifices multa iura ſenſim Hum. tertii ord. conceſſerunt. Proſtant Gerardi Card. ac Legati Apoſt. litterae a. 1211. ad omnes

Epi-

datae, quib. eorum commodo proſpectum eſt. Innoc. IV. edixit, ne arma capere cogerentur, aut vi ab iis pecunia extorqueretur. Ubicunque Humiliati tertii ordinis vivebant, ibi et clauſtralium Humil. domus erant. Muratorius iis domos, pagos, caſtra nonnulla, ac bona alia quamplurima Acconenſis ditionis tribuit, nimirum, Piſanis viris de Societate Humil. Eos Mercatorum Piſanorum ſocietatem quandam fuiſſe ait, Tyrum deductam, quae opibus ſuis plurimum in expeditione Chriſtianis profuiſſe affirmatur. Evanuit illa ſocietas Humil. exeunte Saeculo XV. *Reliqua proxime.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Nov. et Decembr. Anno MDCCLXVI.

VETERA HUMILIATORUM MONUMENTA

Annotationibus ac diſſertationibus prodromis illuſtrata, quibus multa ſacrae, civilis, ac literariae medii aevi hiſtoriae capita explicantur. Auctore HIERONYMO TIRABOSCHIO, Soc. Ieſu in Braidenſi Univerſitate Rhetor. Prof. VOL. I.

DISSERTATIONES PRODROMAS CONTINENS de Humiliatorum origine, vicibus, exitu.

Mediolani, MDCCLXVI. Excudebat Ioſeph. Galeatius, Regius Typographus. Superiorum permiſſu ac Privilegio: 2 Alph. 8. pl. in 4to mai.

Cum in paucorum manibus ſit Humiliatorum Ordinis hiſtoria, cuius ad nos exemplum, pro ſua humanitate, miſit *Tiraboſchius* V. Cl. non putavimus committendum, ut Lectores noſtros laterent, quae praeclaro hoc Opere, cuius adhuc duos Tomos expectare nos iubet auctor doctiſſimus, continentur. Igitur proſequimur recenſionem nuper coeptam, a *Diſſertationis IVta*, quae eſt *de Generalibus Humiliatorum Magiſtris*.

Demonſtrat hic A. Cl. de regiminis forma apud Hum. ante confirmationem legum ab Innoc. III. factam nihil certi conſtare,

ſtare. Hunc Innoc. hanc rationem praeſcripſiſſe, ut quatuor primi ordinis domus ceteris antiquitate et dignitate praeirent: Novocomenſis, quae de Rondenario dicebatur, Vicoboldonenſis, Papienſis de Vigalone, atque Laudenſis, quarum praepoſiti ſinguli, ſingulis annis, Ordini, iuſſu Innoc. de MCCI. praefuerunt. Hic mos ab a. MCCI-MCCXLVI. obtinuit, quo generalem ordinis magiſtrum Humil. ſibi praefecerunt; nam eo tempore nonnulli Humiliatorum Lugdunum ad Innoc. IV. profecti, omnium Sodalium ſuorum nomine magiſtrum aliquem ordini praeponendum petierant. Difficilior quidem ab initio Pontifex eſſe videbatur, ſucceſſu vero temporis Ottoni Portuenſi ac S. Ruffinae Epiſc. commiſit rem omnem. Hic litteris Humil. in generali conventu congregatos hortatus eſt, ut totius ordinis magiſtrum renunciarent. Primo hoc igitur honore decoratus eſt S. Lucae Brixienſis domus Praepoſitus, qui in litteris Innoc. Bertraminus, in Chronico rectius *Beltramus Zochora*, Calcho autem Zotara adpellatur. Pontifici liberum relictum eſt, quale nomen illi imponi iuberet. Lugdunum idcirco Beltramus ad Pontificem proficiſcitur, ibi humaniſſime exceptus, dignitatis confirmatione, et nomine Humiliatorum magiſtri potitus eſt. Pauca tamen, quod A. ait, de hoc magiſtro litteris ſunt conſignata. Eum ex chronico fundatorem Praepoſiturae S. Lucae Brixiae fuiſſe, non poteſt concedi, cum Lanfrancus a. MCCXXXV. iam fundaverit. Tribuitur illi quoque falſo collectio conſtitutionum in generalibus comitiis Humiliatorum editarum, cuius potius Auctor fuit Beltr. alter, ab A. MCCCVIII. usque MCCCXVII. Hum. mag. Res Humil. eo tempore valde florebant, et Pontifices privilegiis pluribus eos ornaverunt. Innoc. IV. plus quam triginta epiſtolas ad Humil. dedit. Alexandri IV. autem tantum una, de a. LVI. ad Beltr. ſcripta proſtat, cum obiurgatione quadam. A. LVII. obiit Beltr. Alter magiſter *Petrus*, ſolenni conventu electus, et ab Alex. confirmatus eſt, a. 1272. Chronicon ait, ſponte muneri renunciaviſſe, qua de cauſa, non addit: tandem in Ot-

tacia-

taciorum domo Mediolani obiit, neque conſtat quo anno. A. MCCLXXII. *Loderengus*, domus Miraſolis praepoſitus, Petro ſucceſſit. Othobonus de Fliſco Cardin. Greg. X. iuſſu eum confirmavit. Honorius IV. binis litteris ad eum datis de ſuo erga Humil. amore teſtatur: ipſe Loderengus apud ſuos inclaruit, quod eius opera Humiliat. ordo immediate Apoſtolicae ſedi ſubiectus eſt. Iam Auctor docte et ſolide probat, Humiliatos ab Epiſcoporum iure ſolutos eſſe, ſeriemque totius controverſiae proponit. Sed novum hoc decus externas et internas controverſias excitavit, quae intelligi poſſunt ex litteris Petri Cardinalis Petrigroſſi. Qui cuncta haec amplius cognoſcere cupiat, is legat diligentem *Tiraboſchii* narrationem, quam ille Chronicorum teſtimoniis, Pontificumque litteris bene firmavit. Ex Petri quoque litteris, in quibus ſimul auctorum iſtarum turbarum nomina exſtant, apparet, nonnullos Humil. ſtetiſſe pro Epiſcopis, eorumque potius imperio parere voluiſſe. Petrus dein mitius ſe acturum declaravit; qua tamen gratia ſpreta, anathemati eos ſubiici iuſſit. Quis rerum fuerit exitus non aeque intelligere licet. Auct. Cl. pacem redditam quibusdam diſperſis cenſet, ac Loderengum ſua dignitate tranquille deinceps uſum. Circa a. 1290. obiit hic Magiſter, cui eodem anno ſuffectus eſt *Brignanus*, domus Ottaciorum praefectus, in Capitulo generali celebrato ad Grantiam montis Luparii fratrum Braidae. Duobus annis praefuit, neque eſt de eius rebus memoratu dignis in monumentis quidquam. Eum ſecutus eſt A. MCCXCIV. *Guidottus*, Vicoboldonenſis domus Praepoſ. fama praecipue clarus, quod, cum Galgarii Praepoſitus eſſet, controverſiae inter Epiſcopum et Canonicos Bergomenſes arbiter electus, eam prudenter compoſuit. Humiliatis XIV. annos praefuit; ſed a. MCCCIV. illi de Capucio turbas in eum excitarunt, quod colligitur ex litteris Bened. XI. in Biblioth. Ambroſ. aſſervatis. Recuſabant enim magiſtros ac viſitatores admittere in capitulo generali electos; ipſi contra domos a ſe

fundatas viſitare, corrigere, et praepoſitos confirmare volebant: at eis obſequium a Benedicto imperatum eſt. Guidottus tandem munere ſuo ſe abdicavit, quo facto *Beltramus* II. Vicoboldonenſis domus Praepoſitus Magiſter gen. renuntiatus eſt. De patria et familia eius diſſentiunt Scriptores. Ioſ. Breſſianus Cremonenſis ex Burga familia, patria Cremona; Lazarus Auguſt. Cotta ex Burga familia, ſed ex oppido Gaudiano, vulgo *Gozzano* dicto, eum fuiſſe ſtatuit. Poſterior ſententia priori anteponenda eſſe videtur, cum Beltramus in charta permutationis a. MCCCX. vocetur de Colzano. Res eius geſtae ex Ioan. XXII. litteris a. MCCCXXI. X. cal. Mart. diſci poterunt. Matthaeus Vicecomes Mediolani Dominus videlicet, collectam triginta millium librarum tertiolorum ordini Fratrum Humil. impoſuit, atque vi extorſit, Beltramumque reluctantem cepit, et Galuaneum de Melengiano fecit eligi et intrudi in magiſterium ordinis. Idem Petrum de Vigolono, Petrum de Lameria, et Albertinum de Cantarellis, capi et cruciatibus affici iuſſit. Domum omnium Sanctorum Laudenſis Dioeceſis funditus demoliri, Oliverium Fratrem domus S. Ioan. de Alexandria Presbyterum dicti ordinis per Marcum filium ſuum capi, ac duci fecit ad palatium Communis Alexandriae, ibique diris quaeſtionibus vexari, qui dein ſemivivus in navicula ad civitatem Papienſem delatus fuit; Iacobum de Alliate fecit intrudi in magiſtrum generalem: Verum neque Galuanei, neque Iacobi in ſerie magiſtrorum fit mentio, quia ab Humiliatis non agniti ſunt. A. MCCCXVII. magiſtri dignitate functus eſt *Iacobus de Lomeno*, de cuius familia rebusque geſtis monumenta ſilent. A. MCCCXXI. *Benedictus de Alzate*, domus Miraſolis Praepoſitus, Filius Ioannis. Argelatus coniectura aſſequi ſtudet ex nominis ſimilitudine, eum ex nobiliſſima Mediolanenſi Alciatorum familia fuiſſe; cui coniecturae quantum ſit tribuendum, iudicio lectorum relinquitur; praefuit vero hic Humiliatis usque ad A. MCCCXXXVI. De geſtis hiſtorici nihil prodiderunt. Succeſſor eius fuit *Guil. Faba*, ſ.

Villa.

Ville. Non obſtante edicto Ioan. de electione ſucceſſoris ad ſedem Apoſtolicam pertinente, Faba electus eſt, neque is renuit. Deinde vero de Pontificio edicto, aut Pontificis iram metuens, commonitus, *ad Apoſtolicam Sedem,* inquit Bened. XII. *devote ſe contulit, et iuri, ſi quod habebat, in noſtris manibus ſponte ceſſit, nosque huiusmodi ſuam recepimus ceſſionem.* Pontifex ad Rondenar. et Vicobold. Praepoſitos Mediolan. et *Brixienſ.* Praelatos litteris MCCCXXXVIII. datis, *Humiliatos* generalem Alexandriae conventum cogere *iubet*, ac Magiſtrum ſuum ex antiqua conſuetudine renunciare. Illi igitur Alexandriae ad comitia collecti, *Iacobum,* Bergomenſis domus Praepoſitum, quae de Galgario dicebatur, Magiſtrum eligunt. Donatus Calvius, Iacobum hunc ex familia Calviorum fuiſſe exiſtimat, quae tamen ſententia omni fundamento deſtituta ab Auctore dicitur. Ille enim Iacobus vocatur Iacobus de Lemine. Inter hunc autem et Guil. Fabam haud leves contentiones ortae ſunt. Nempe, Guil. de Cazzago, Vicoboldoni domus Profeſſus, Guil. Fabae nomine Iacobum maximorum criminum reum fecit, ex hac forte cauſa, quod ſpe ad dignitatem Magiſtri iterum veniendi exciderat. Iacobi adeo electionem aegre ferens, eum accuſavit de litteris Apoſtolicis falſis et ſuſpectis, ſed etiam de haereſi, propter certa verba prolata in civitate Novariae in domo S. Crucis Humiliatorum. Cauſa haec disquiritur ab A. quis vero exitus fuerit plane ignoratur. Certum eſt, Iacobum ſuam retinuiſſe dignitatem, unde et hoc intelligitur, omnes eum criminationes diluiſſe. Iacobus vero hic ad a. MCCCL. vel XLIX. praefuit Humiliatis. Duos poſt Iacobum Humiliatorum magiſtros Scriptores Chron. nominant, non adeo celebres. Primus *Guilielmus Corbetta*, Braidenſis antea, tunc vero domus novae Mediolanenſis ſeu S. Io. Evang. Praelatus, primus etiam fuit, quem ex alterius ordinis Praelatis ad hanc dignitatem evectum legimus. Poſt tres circiter annos huic ſucceſſit *Ubertus*, domus Miraſolis Praepoſitus, qui iam MCCCLV. obiit.

 Tibe-

Tiberius Parmenſis eius fuit ſucceſſor, quem Beatis ſuis humil. adſcripſerunt. Alias appellatur Bergomenſis, quoniam ad Bergomenſem Galgarii domum tranſiit. Hic Venetiis et Patavii coenobium erexit. Referunt Scriptores, eum et Parmenſem et Brixienſem domum condidiſſe; quarum tamen prior a. MCCXLVI. poſterior MCCCXLIV. iam extitit. Reprehenditur a Scriptoribus, quod Praelatorum alterius ordinis eligendorum rationem immutari permiſerit. XVI. annis humil. praefuit, tandemque Venetiis MCCCLXXI. obiit. Eius corpus adhuc in aede Chriſtophori aſſervatur, eique Coenobii incolae Canonici S. Georgii in Alga, a. MDXCI. inſcriptionem fecerunt, quam Flaminius Cornelius, Eccl. Venet. Dec. XIV. ſervavit. Poſt hunc *Chriſtoph.* Braidenſis Praepoſitus hoc munere ornatus eſt, qui animum ad emendandos mores Humil. appulit, ac litteris a Greg. XI. acceptis impetravit, ut omnes Praepoſiti ſuo magiſtro parere cogerentur; qua in re et opera Ianuenſis Archiep. et Syri Abbatis Genuenſis adiutus eſt; deinde et Bonifacius IX. litteris idem Chriſtophoro permiſit. In Conventu Genuenſi MCCCLXXIV. leges ferri curavit, quae tamen propter nimiam ſeveritatem in Senenſi Conventu a. MCCCCXXXV. antiquatae ſunt. Anno MCCCXCVIII. exeunte alius, Chriſtophoro adhuc vivo, ex alio religioſo coetu, Humiliatis Magiſter datus eſt, *Petrus* nimirum Ciſtercienſis Abbas, qui et Petrus Botta vocatur, iuſſu Bonifacii IX. magiſter renunciatus a. MCCCXCVIII. Ad hoc honoris faſtigium, favente ipſi Io. Galeatio, Mediolanenſium Domino, qui gratia Urbani VI. et Bonif. IX. fruebatur, beneficiaque eccleſiaſtica cui vellet conferre poterat, evectus eſt. Patriam eius Cremonam fuiſſe nonnulli contendunt, eo inducti, quod Cremonenſis audit, et familia Bottarum quam maxima nominis celebritate ibi floruit. Auctor Mediolanenſem eum fuiſſe his nixus argumentis affirmat, quia inde ab a. MLXXXII. familia eius iam in illa urbe floruit, et quia a. MCCCXLI. Andreas ſ. Andreolus de Botto Mediolanenſibus Decurionibus

has adſcriptus eſt, qui forte Petri fuit Pater. Eius autem ad hanc dignitatem evectio Franc. Com. Barbavariae et Io. Galeatio eſt tribuenda. Ne autem Humil. invitis Petrus obtruderetur, Praepoſitos ille nonnullos ſibi conciliavit. In Chriſtophorum dein tumultus concitati ſunt, ita ut Mediolano fugere cogeretur, ac Venetiis, Bononiae, et in Etruriae caſtro Civoli, ubi erat Humiliatorum domus, usque ad obitum MCCCCVI. commorari. Omnia reliqua de Petro ſumma obſcuritate ſunt involuta, excepto hoc, quod per tres annos praefuit Humiliatis. Eum quidem ad Ciſtercienſes redire voluiſſe coniectura aſſequi liceret, ſed ab iis nullo modo receptus eſt, dum tandem Cremonae a. MCCCCXVIII. obiret. *Andreas Vicecomes* ipſi ſuffectus eſt, forte iterum Io. Galeatii et Franc. Barbavariae auxilio, cuius poſterioris uxoris Antoniae affinis fuiſſe videtur, neque ordini cuidam religioſo antea addictus. Praefuit Humil. 31. annos, nunquam conventu generali celebrato. Inopia monumentorum ea aetate efficit, ut nihil certi de eius rebus geſtis, neque de eius obitu proferri poſſit; neque ea, quae ab a. XXXIII. usque ad MCCCCLXXXV. in chronico narrantur, vera cenſenda ſunt, ab alio Auctore adiecta, annus tamen emortualis Andreae fortaſſe fuit MCCCCXXXII. Humiliati iterum, elapſis iam 34. annis, ex ſuis ſibi aliquem praeficere optarant, verum fruſtra. Nam iterum dignitas collata eſt in alienum hominem, qui ne Humiliatorum quidem veſtem geſtabat, et huius dignitatis Commendatarius appellabatur. *Ioannes Vicecomes*, Vercellini armorum ducis filius, et Mediol. Metropolitanae eccleſiae Archipresbyter, a. MCCCCXXXII. Baſileenſis Synodi, (cuius decretum non habemus, ex defenſione autem eius colligimus,) auctoritate, a L. Praepoſitis humil. renunciatus eſt magiſter. Caſtigatur hac occaſione Wionius, aſſerens, Ioannem de Horaccio S. Mar. Magd. Brixienſis Praepoſitum humiliatis fuiſſe Commendatarium datum. Redit Auct. Cl. ad Ioan. Vicec. atque teſtatur, eum parum fuiſſe rerum Humiliat. curioſum, omnes potius eorum opes in ſuos convertiſſe uſus.

Eugen.

Eugen. IV. igitur, ut Humiliatis opem ferret, litteris, quas deperditas A. dolet, ſed tamen alias comitiorum tempore Florentiae datas profert, edixit, ut Humiliati, quindecim poſt Paſcha a. MCCCCXXXV. diebus, in Senenſi S. Thomae domo generalem ordinis cogerent conventum, atque magiſtrum ſibi eligerent. Ioannes Vic. itaque provincia ſua tres annos adminiſtrata decedere coactus eſt, eam tamen anno L. Franc. Sfortiae ducis Mediol. ope, et a Nicol. V. Pontifice iterum eſt conſecutus, retentam ad annum LIII. quo e vita exceſſit. Humiliati Senis congregati, *Stephanum de Arzago*, Novocomenſis domus de vico appellatae Praepoſitum, magiſtrum creant, atque ut haec dignitas tantum in tres annos deinceps conferatur edicunt. Stephanus de Arzago vero ter in ſua dignitate confirmatus, novem annos Humiliatis praefuit, dein ſponte ſe ſua dignitate exuit. Eum poſtea ad Vicoboldonenſem domum ſe contuliſſe, atque ibi ad annum MCCCCLVI. vixiſſe, ex aere campano in eccleſiae turri ſervato intelligitur. Renunciante Stephano, a. MCCCCXLIII. frater *Philippus de Cribellis*, Praepoſitus de la Vinea, Laude electus eſt in magiſtrum, qui ſaepius confirmatus, annos viginti quatuor hoc munere functus eſt. Irritum igitur fuit Senenſis conventus decretum. Philippus vero, qui et Viſitatoris ac Definitoris munere ornatus fuerat, et Decretorum doctor appellatur, e re ſua eſſe exiſtimavit, humiliatorum dignitati proſpicere, igitur Philippi Mariae Vicecomitis Mediol. ope immorigeros coercuit, ut ex litteris huius ducis patet. Braidenſes hum. arctius vitae genus amplexi, caeterique hoc exemplo incitati, de moribus bonis reſtituendis cogitabant, unde Paulus II. litteris Mantuae datis plura ad diſciplinam inſtaurandam edixit. Hic et Inſtituta laude digna commendavit, ut v. c. magiſtri munus ad ſex annos protraheretur, ut tertio anno quovis humiliatorum ageretur conventus, ut Papiae et Patavii collegia duo conderentur, in quibus iuvenes humiliati exercerentur ſtudiis, etc. An. MCCCCLXVIII. Philippus obiit. Electus dein *Ioan. de Ruſtonibus*, dictus de Claro, Rondenarienſis Praepoſitus, Vicarius

carius generalis; A. autem MCCCCLXIX. *Nicolaus de Landriano*; Vicoboldoni Praepoſitus magiſter generalis. Hic XVII. annis praefuit, de quo altum ſilentium apud Scriptores. Wionus contra ſtatuit, Landrianum tantum per unius anni ſpatium hoc munere functum; quod tamen ex litteris MCCCCLXXXV. datis refutatur. *Hieronymus*, eius ſucceſſor, ex nobili Landrianorum familia natus erat. Octavianus *Picius*, auctor Appendicis Chronici, de anno, quo Hieronymus magiſter dictus, tacet, ſed illum a. MDXXV. obiiſſe narrat, XXVI. annis humiliatis praefectum. Ergo anno MCCCCLXXXIX. electus eſt; ſed eius litterae a LXXXVI. ſcriptae eum iam magiſtrum innuunt, igitur 30. annos fere eo munere functus eſt. Ex Senenſi quidem monumento MCCCCLXXXVIII. Simonem de Plenis magiſtrum per id tempus fuiſſe intelligitur; ſed cum nulla eius in reliquis fiat mentio monumentis, eum vicarii potius trans Apenninum munus geſſiſſe probabile eſt. Wionius varia de Landriano narrans h. l. refutatur, praecipue quod eum ab Eug. IV. Pontifice hanc dignitatem conſecutum eſſe ſcribit, cum tamen Eugenius iam a. 47. obierit. Hunc Hieronymum a Ludovico Sfortia ſummo honore affectum fuiſſe ſcribunt. A. MID. cum Ludovic. hoſtium vi oppreſſus fugam in Germaniam moliretur, quatuor ex Mediolanenſibus conſiliarios ſibi delegit, quorum primus fuit iſte Hieronymus. Quod reliquum eſt, a. MDXIX. in conventu Humiliatorum Romae habito, a Leone X. in ſua dignitate Hieron. confirmatum ſcr. A. Lex quoque de triennio a Leone renovata, nullam in Hieronymo vim habuit. Octavianus Picius eum nimis potentem fuiſſe arguit; idem Maius Picius tribus carminibus, Capitoli dictis, conqueritur, quorum autographa in Bibliotheca Auguſtinian. Excalceat. Coſmae et Damiani extant. Unde quoque humiliatorum res ſunt deteriores factae. Obiit a MDXXV. non ſine odio multorum; nam Bordigallus narrat, eum ſine campanarum ſonitu, abſque honore et officiorum ſolennitate et charitate, fuiſſe ſepultum. *Carolus de Advocatis de Vercellis* loci Quinti, ordinis Eremitarum,

magnus praedicator, a Clem. VII. in general. magiſtrum conſtitutus eſt, qui humiliatos ad priſcum vivendi reduceret genus. VII. annis praefuit. Marius Picius carminibus vehementer in eum invehitur, quod tamen per calumniam et partium ſtudium factum fuiſſe Cl. A. cenſet. *Hieronymus Torchius* igitur, qui iam Carolo Vicarius a Clemente fuerat datus, illi ſuffectus eſt a. MDXXXIII. Theologiae ac iuris peritiſsimus vir, Franc. II. Sfortiae, Mediol. duci, Hippolyto Cardinali Ateſtio Mediol. Archiep. et Curiae Rom. Cardinalibus, quam maxime acceptus. Ille a. MDLI. coacto Cremonae conventu, ultro dignitate ſe abdicavit, quam tamen precibus Praepoſitorum iterum ſuſcepit. Quae de inſulis Syracuſanis in Hieronymum conferendis ab Argelato narrantur, gravisſimis rationibus ab Auct. negantur. Eo tandem mortuo comitia a. MDLII. in domo Braidenſi habita ſunt, quibus electio magiſtri per biduum agitata, duobus hanc dignitatem deſiderantibus, Ioa. Bapt. Tonſio, Braidae, et Galeatio Brippio, domus S. Calimerii Praepoſito. Tonſius, ut diſputatio finiretur, palam declaravit, Iacobum Gaddium Cremonenſis domus S. Abundii praepoſitum quam maxime eſſe dignum, qui deinde omnium votis Magiſter renunciatus eſt. Triennio expleto a. LVI, in conventu Bergomenſi ad aliud triennium confirmatus eſt; an perditis moribus humil. corrigendis operam navaverit, nullo poteſt teſtimonio confirmari. A. LIX. *Galeatius Brippius*, A. LXII. *Marius Averoldus*, A. LXV. *Alexander Colleonus*, A. LXVII. *Aloyſius* a Baſilica Petri, poſtremus Humiliatorum magiſter, ſucceſſit.

Tandem A. Cl. paucis ea abſolvere ſtudet, quae a Senenſibus aliquot ſcriptoribus de duobus in hoc catalogo omiſſis dicuntur magiſtris, videlicet Accurſio Tolomaeo, et Gaddo Selvoleſio. Accurſius inter annum MCCXL. usque L. et A. MCCLXIX. Gaddus, hac dignitate uſi dicuntur ab Ugurgierio; quod autem, cum adverſus litterarum Pontificiarum chronologiam pugnet, merito reiicitur. Conciliatio tamen ſic inſtitui poteſt, ut dicamus, Tolomaeum et Gaddum fuiſſe Generales Humil. Vicarios in Etruria, quod et de b.

Luca

Laci Manzolio, quem P. Ioſeph Ritha commemorat, affirmandum eſt.

Diſſ. V. De diverſis humiliatorum muneribus. Ab initio ſtatim lectores monendi ſunt, ne hic quaedam de tertii Ordinis humiliatis, qui in privatis aedibus laici vivebant, dici exiſtiment; totus enim ſermo ad munera primi alteriusque ordinis ſpectat. De cauſa, cur humiliati hoc vitae genus amplexi ſint, pauca haec A. Cl. tradit: victum ſibi manuum labore comparare ſtuduerunt; quod ex legibus ab *Innoc.* III. et aliis comprobatis patet. Unde Honor. III. aliquid de ſeveritate legum ipſis remittendum cenſuit. Lanam pannosque conficiebant. Perfectius, ut vocant, vitae genus amplexi, coenobia incolebant; qui vero ſacris initiati non erant, alterum conſtituebant ordinem, eidem vacantes labori, quod paſſim in Chronicis innuitur. Ex his et conſtat, humiliatos primi ordinis lanam feciſſe, ſacris vero poſtea initiatos per alios id fieri curaviſſe: lanam dein certo pretio divendebant. Chronici Auctores hoc teſtatum reliquerunt. Pauperum quoque habebant rationem, quod innuit Humbert. de Romanis, quintus Ord. Praedic. general. Mag. de erudit. Praedic. L. II. Tr. I. c. 38. et Ughellius Ital. Sacr. T. IV. de Archiep. Mediol. in vita Guil. de Rizalio. Hoc opificium lanae commune fuiſſe omnibus Humiliatis, ex multis monumentis apparet, ſibique invicem auxilium humiliatorum domos, quo commodius commercium hoc exerceretur, praeſtitiſſe. Unum etiam aliquem fuiſſe in ſingulis humiliat. domibus, qui negotiationi univerſae praeeſſet, mercator aut negotiator dictus, conſtat. Poena quoque iis indicta, qui ordinis res quaſcunque alienare auderent, haec, ut ad Praelaturam aliquam ſeu Prioratum, vel Canevariam, aut etiam mercaturae officium, adſpirare non poſſent. Habebant argenteum Sigillum, quale MDCCXL. cum novi Braidenſis Collegii veſtibuli fundamenta iacta ſunt, effoſſum eſt, et nunc in Muſeo Soc I. aſſervatur, cum inſcriptione, quam Com. Anton. Simonetta illuſtrare epiſtola quadam ſtuduit, quae extat in his Eruditt. Act. ad A. MDCCXL. p. 622.

 In-

Inſcriptio ſic ſe habet: S. FRIS. TOMAXIMCATOIS BRAXDE, i. e. Sigillum Fratris Tomaxi Mercatoris Braydae. In medio ſigillo ſculptum eſt B. quod Braidenſes aedes ſignificat. Eius formam aere inciſam Cl. Auct. ſimul exhibuit. Non conſentit tamen ille cum Simonetta ratione aetatis huius ſigilli. Conicit, humiliatos circa a. MCCLXXXII. eo uſos fuiſſe, idque fide chartae, eo anno d. 22. Nov. conſcriptae, quae adhuc in Collegii Tabulario ſervatur, in qua inter caeteros Braidenſis domus incolas *fr. Tomaxius pariarius* nominatur. Hoc Sigillum florentis apud Humiliatos lanei opificii indicium eſt, qui opum domorumque copiam ita auxerunt, ut hac ipſa de cauſa a multis urbibus ultro expeterentur. Excepti in Etruria, Florentiae artem lanae faciendae exercuerunt, quod a Florentinis ſcriptoribus, et litteris Ioan. Florentini Epiſcopi MCCLI. datis confirmatur. Deinde eos Piſas, Senas, Piſtorium, et in alias Etruriae urbes veniſſe, a veritate non adeo alienum eſſe videtur. Acceſſerunt eodem conſilio ad civitatem Peruſii atque Arimini, teſte Ioſepho Comite Garampio, Baſilicae Vaticanae Canonico, in Memorie della b. Chiara da Rimini diſſ. XVI. n. 1. Iisdem quoque locus conceſſus Arimini ad S. Matthaei aedem, cui proxima erat *gualcheria* et molendinum; dein et in Ariminenſibus ſtatutis *MCCCXXXIV*. cautum fuit, ut Sororibus humiliatis ius ſervaretur *della gualchiera del luogo detto dei Frati Umiliati.* Peruſini a. *MCCLXXIX.* in ſtatutis ſuis Humiliatos Peruſium vocandos decreverunt. Ante omnes alios vero Inſubres Humiliati lana facienda excelluerunt. Nomen gualcheriae ſupra allatum cum obſcuritate laborare videatur, cl. A. id a voce Italica Gualchiera deducit, quae ſic a Florentinis Academicis definitur: Edificio, gli ordigni del quale moſſi per forza d'acqua raſſodano i panni. Unde hoc infertur, humil. non ſolum pannos confeciſſe, ſed etiam eos denſandos poliendosque curaviſſe. Molendinorum quoque occurrit mentio in conſtitutionibus, quae cum molendinis fullonariis, dictis ad pannos, in medio aevo coincidunt. Videntur etiam Humiliati

[illegible] ad triticum caeteraſque fruges molendas curam adhibuiſſe, iisdem conſtitutionibus declarantibus, Deinceps disquirit Auct. Cl. num et in Siciliam evocati fuerint Hum. lanae faciendae cauſa. Certe ex chronicis hoc liquet, et ex Epiſtola *Antonini de Amico* a. *MDLXXXVIII.* ſcripta, qua Fridericum Regem de lanae artificio praeprimis ſollicitum fuiſſe aſſerit; atque privilegium Panormitanis datum narrat. Exemplar huius privilegii tamen Antoninus nullibi, neque A. Cl. in Puricellii Schedis, reperit. Sanctimoniales autem Meſſanas laneis albisque veſtibus indutas, vulgo *Poenitentes* dictas, ad canonicos regulares potius refert; et reſponſio Conſulum lanae, de humiliatis ibi nequaquam repertis, teſtatur in Sicilia non fuiſſe. His aliisque argumentis Auct. doctiſſ. ſentent. ſuam evicit. Lanae artificio, ſi eſt chronico fides, usque ad annum *MCCCXXX.* operam dederunt, dum divitiis domibusque praediti otio ſeſe totos dederent. Auct. porro alia munera recenſet. Bonifacius de Sala, Mediolanenſis Praetor, fide ac dexteritate Humiliatorum perſpecta, a. *MCCXLVIII.* legem tulit, ut in publicas tabulas eorum nomina referrentur, qui Mediolanenſi *communitati* aliquid deberent; quarum exempla apud Braidenſes Humiliatos aſſervarentur. Ben. Iovius de Novocomenſ. Humil. refert, eos omnium eorum curam geſſiſſe, ex quibus commercii integritas penderet, ipſis publicam redituum adminiſtrationem, aedificiorum operumque praefecturam, et taliumcuram fuiſſe concreditam. Armatas interdum copias ſecuti, et omnium, quae ad bellum requirerentur habuerunt rationem; cuſtodes item fuerunt Canevariae, i. e. arcae publicae. Quae omnia ex chronicis aliisque ſcriptoribus egregie illuſtrantur. Annonae adminiſtratio ipſis commiſſa fuit, hinc audiunt Maſſarii in Inſtrumento Mutinenſis reip. *MCCLX.* a Muratorio laudato. Ghilinius in Annali d'Aleſſand. ad a. 1189. Humiliatis et arcis turriumque cuſtodiam concreditam fuiſſe tradit. Neque tamen Pontifices adſenſerunt, ut his muneribus defungerentur Humil. eaque propter Innocentius IV. diverſis litteris interdixit.

dixit.

dixit. Praeſulum vero negligentia in exſequendis et his litteris admodum conſpicua fuit. Multo vilioribus muneribus illi fungi iubebantur, v. c. ad portas urbis conſiſtere, atque frugum, quae invehere̅ntur, menſuram ac pondus exquirere, quod ſi recuſarent, vi compellebantur. Iterum Innoc. IV. hunc abuſum abrogare ſtuduit litteris, ſed fruſtra. Pedagiorum collectio, aliaque levia munera Alexandriae et Mutinae ipſis fuerunt impoſita, prouti Muratorius et Ghilinius teſtantur. At Hieronymus Borſierius Humiliatos artificum collegia, quae Badie vocantur, Mediolani inſtauranda curantes, laudat. Profertur ab Auct. deinceps Helyotti ſententia, omni prorſus fundamento deſtituta, quod panni auro argentoque intertexti ab Humiliatis confecti fuerint. Praeterea cura hoſpitalium domorum, ſeu quae aegrotis, ſeu quae alendis advenis paterent, fuit commiſſa, praecipue tertio, interdum etiam primo et ſecundo ordini. Tertius ordo, clauſtralis vitae genus gerens, voto ad id erat obſtrictus. De Modoetienſium domibus primum videamus. Modoetiae locus pius Convenii ſupereſt, a S. Bernardo nomen ducens, ubi publicum quoque Noſocomium reperitur, cui pariter Convenii adminiſtratores praefuit, et utrumque ad Humiliatos tertii ordinis pertinuit. Antiquiſſimum huius rei monumentum, quod A. Cl. invenire potuit, ad a. *MCCLV*. occurrit. Fratres et profeſſi idcirco humiliati dicti. Quo tempore autem iſti Convenii et Noſocomii curam poſuerint, non conſtat. Poſt Saeculi *XVI*. initium nunquam adminiſtri iidem fratres dicuntur, ergo, cum hoc tempore tertius humiliatorum ordo ſit diſſolutus, etiam cura harum rerum deſiiſſe videtur. Senis praefuerunt etiam humil. 3. ord. hoſpitali pauperum domui, quae S. Mariae de Miſericordia dicta, iam in Gymnaſium publicum, Sapientia dictum, converſa eſt. Alterius ordinis humiliati domum Bergomi habuere, de Raſulo dictam, ſeu ab eccleſiae patronis SS. Maria et Bartholomaeo. Conditor huiusce domus fuit Cremoſanus de Crema; fundationis annus eſt *MCCXXI*. Ius Praepoſiti eligendi Epiſcopo et Praepo-

ſito

ſiae Bergomenſi conceſſum. Anno *MCCCCLII.* exeunte, et ab his oneribus Humiliatos liberatos eſſe coniicit Auct. cl. Ad primi ordinis Humil. Papiae S. Iuſtinae hoſpitalis domus pertinuit, alias *S.* Simonis dicta. Goffridus Cardinalis litteris Cerviae *MCCXXIX.* datis, hoc optime declarat. Neque tamen humiliati primi ordinis curis rerum terrenarum diſtenti, doctrinae chriſtianae partes coetui tradendas neglexerunt, quin potius, egregio Io. Medae exemplo incitati, *orationibus* ſacris habendis impios homines a flagitiis revocare, ſegnes ad chriſtianae pietatis ſtudium allicere, et cum haereticis ac Catharis ſeu Patarenis, (qui Sec. *XIII.* a multis Inſubriae urbibus errorum multorum et graviorum inſimulabantur,) congredi ſolebant, multisque religioni romanae proficuis victoriis potiti ſunt. Quae hac de re clariſſ. Sec. *XIII.* ſcriptor, Iac. Cardinalis de Vitriaco, in hiſt. Occid. c. 28. litteris conſignavit, omnino digna ſunt quae legantur. Romani adeo Pontifices Humil. coetui indulſerunt, ut palam ad populum verba facerent. Ex litteris a *MCCXL.* datis, et Innoc. *IV.* a. *XLIX.* haec libertas ipſis conceſſa eſt, at ſine Epiſcoporum conſenſu hoc fieri nequaquam debebat; qua quidem in re primitivae eccleſiae exemplum ſibi ante oculos poſitum habuere, idque imitari ſtuduerunt. Decretum vero provincialis Synodi, ab Othone Vicecomite Archiepiſc. Mediolani conſtae, abuſui opponitur, ex quo cognoſcitur, non ſolum uſque ad an. 1287. humil. in eo munere perſtitiſſe, ſed etiam poenitentiae ſacramentum, ut romanenſes nominant, illos exteris hominibus adminiſtrare conſueviſſe. Sec. *XIII.* exeunte, aut *XIV.* ineunte, etiam hunc concionandi laborem deſeruiſſe videntur. Aliquando etiam humiliati ſaecularibus eccleſiis praefuerunt. Eius rei veritatem charta Rondenarienſis tabularii a. *MCCXCVI.* et conſtitutiones Ronden. conventus *MCCCXLIII.* docent; quibus, ne hoc in poſterum fieret, cavetur. Mos ille tamen magis magisque invaluit, teſtibus Actis Franc. Zenaliae, in cathedralis Bergomenſis *eccleſiae* Tabulario ſervatis, Actis item Io. Matthaei de Paltoneriis, quibus egregie depingitur collapſa diſciplina

Hum.

ſtum, qui nihil magis, quam ut eo liberius extra clauſtra vivere poſſent, optarint.

Diſſ. VI. De Viris inter Humiliatos illuſtribus. Tribus partibus haec diſſertatio abſolvitur. Prima eſt *de Humiliatis vitae ſanctitate illuſtribus.* Eorum pium vivendi genus, praeſertim Sec. XIII. litteris Pontificum celebratur. Innoc. IV. ad Beltramum ſcribens, hoc potiſſimum laudat. Cum eo conſentiunt Iacobus Cardinalis de Vitriaco, et Humbertus de Romanis, ordinis Praedicatorum magiſter, qui Humialatorum aeque ac humiliatarum mores ſummis laudum encomiis ornant. Nomina illorum, qui ſancti et beati, aut publica eccleſiae auctoritate, aut privato humiliatorum cultu, ſunt appellati, ex eorum Miſſali a. *MDIV.* enarrantur. En eorum nomina: *B. Guido de Mediolano*, qui huius religionis fundator extitit. Eius res geſtae ab ſuis Chronicorum ſcriptoribus ita ſunt neglectae, ut hunc ſolum ipſi tribuant honorem, quod humiliatorum tertii ordinis leges ab Innoc. III. approbari fecerit. Dicunt eum ordinis ſui fundatorem extitiſſe, quamvis ab ordinis ipſius initiis non parum abfuerit. Laudant quod plurimas in coenobia conſtruenda opes contulit, et liberaliſſimum ſe praeſtitit in domibus Humiliatorum condendis. Tertio ordini adſcriptus, ex Innoc. III. litteris intelligitur. Vocatur alias Guido de porta orientali, et ibi eſt eius tumulus. Quo tempore obierit, nondum eſt ſtabilitum. Auct. exiſtimat, eum poſt annum *MCCI.* obiviſſe; et Iulinius ex Necrologio Modoetienſi diem emortualem VI. April. notavit. Alter eſt *B. Io. de Cumis*, primus presbyter. In huius viri biographia ita *auctor* verſatur, ut primo Scriptores eius vitae nominet; deinde patriam, quae Meda fuit, Io. de Cumis vocatur, quod Rondenarienſe Coenobium, quo eius corpus adhuc ſervatur, Novocomi condidit. Ex nobili familia, et fortaſſe e gente quae a Meda pago nomen duxit, ortus, nequaquam vero ex gente Oldrata, uti quibusdam viſum eſt. Annus nativitatis ignoratur; mortuus vero eſt admodum ſenex a. *MCLIX.* Igitur Seculo XI. exeunte forte natus. Sunt et ea incerta,

quae

quae Tattus de pueritia primisque ſtudiis Ioannis profert. Virtutibus maxime conſpicuum ſe praebuit, inter quas eminent: 1) ſingularis in concionando ardor ac fructus; 2) cura egregia Ordinis incrementorum; 3) inſignis eximiarum virtutum ſplendor; 4) patrata prodigia. Obiter narrat Auctor, Eccelinum ad illum ſeultro contuliſſe, ſupplicemque Humiliatorum veſtem impetraviſſe; ubi ſimul tres Eccelini nominantur, quam tamen narrationem fictam cenſet A. et Tattum aliosque, bene, uti ſolet, refutat. Sanctitas eius vitae multos cives et ruricolas Italiae movit, ut Seculo renuntiarent. Tattus hic fallitur, cum coenobia ab ipſo conſtructa fuiſſe affirmat. Inter prodigia ab eo patrata haec referuntur: 1) pecunia in ſumma annonae caritate Ioanni ab Angelo ſuppeditata; 2) menſa in deſerto loco Angelorum manu inſtructa; 3) ignea columna, dum oraret, capiti impendens; 4) oleum alendae pauperculae mulieri auctum: de quibus nugis Tattus retulit. M. Boſſius, A. 1159. Mediolani in domo Brerae mortuum d. 26. Sept. omnibus hiſtoricis conſentientibus affirmat. Novocomenſes ad ſe corpus viri deferri a Mediolanenſibus petierunt; dicitur dein miracula patraſſe: e. c. coeca puella, cum mater ſanguine ex Ioannis ore manante filiae oculos deliniiſſet, viſum repente recepit; ſi verum eſt. Sed de eius die emortuali ſuperant dubia quaedam. Sub ara maxima eccleſ. Ronden. corpus ad 1607. ſervatum fuit; verum eruptione torrentis Coriae facta, eccleſia vaſtata, novaque demum exſtructa, idem corpus *MDCXXXV*. inventum, A. *XLV*. novae arcae incluſum, atque ad templum recens delatum fuit: a. 1749. cum nova a PP. Congr. Somaſchae eccleſia aedificaretur, arca marmorea, in qua Ioan. corpus incluſum, d. 5. Aug. in privatum Collegii Sacellum deportata, a. LIII. d. 15. Sept. P. D. Franc. Cicereio Praepoſito, in novum templum illata, atque arae eiusdem nomini dicatae ſuppoſita eſt. Reſtat adhuc quaeſtio, num eodem anno, quo Ioannes obiit, i. e. *MCLIX*. ab Alex. III. in SS. numerum cooptatus ſit. Tattus ex denominatione Sancti hoc conicit; quae tamen con-

Ee ... iectura

iectura admodum fallax eſt. Boeſierius, ut hanc rem probabiliorem redderet, provocat ad Apoſtolicas litteras, quae ad calcem conſtitutionum humil. extent, ſed nemo unquam has vidit, neque Lucae Caſtellii Tract. cui quam maxime Tattus confidit, (de certitudine gloriae Sanctorum canonizatorum) ſuis mendis caret; neque cenſorum auctoritas aliquid efficit. Auctor Cl. exiſtimat, Ioannem nunquam ſolenni ritu in Sanctorum numerum relatum fuiſſe, his potiſſimum de cauſis: 1) propter ſilentium humiliatorum; 2) ob breve tempus, quo peracta dicitur canonizatio, quod propter locorum diſtantiam, et propter eccleſiam per id tempus Octaviani Pſeudo-pontificis Schiſmate turbatam, Alexandroque minus otii relinquentem, vix fieri potuit; 3) Humiliati Ioannem beatum potius, quam ſanctum appellant. Iſti praeterea d. 26. Sept. eius memoriam coluere, cum miſſa et officio ſecundum breviarium humiliat; tamen Cler. Reg. Congr. Somaſchae miſſam et officium omittunt. Tertius eſt b. *Iacobinus de Senis, Cardinalis,* de quo poſtea in altera parte huj. diſſ. Quartus *S. Baudolinus Epiſcopus de Alexandria.* Vixit ille tribus ſeculis ante, quam humiliatorum cogeretur coetus. Sanctitas eius eximia locum illi inter humiliatos paravit. Ferunt feciſſe miracula, et futura praedixiſſe, quod exemplo regis Liutprandi Longobardorum illuſtrant. Res eius geſtae in Humiliatorum horis canonicis recenſentur. Philippus Ferrarius breve elogium inde contexuit. Vitam hominis deſcripſit P. Archangelus Caraccia, Ord. Praed. Alex. MDC. uſus Paullo Diac. Car. Sigonio, atque horis humiliatorum canonicis, ſimulque MS. commentario Ge. Merulae: epitomen fecit Petr. Hiacinthus Gallitia. Caracciae vitio iſtud vertitur, quod oratorio potius, quam hiſtorico more narravit. Natus erat in Foro, alias Villa, pago tribus circiter paſſuum millibus Alexandria Statiellorum diſtante, extra Genuenſem portam, a. forte DCCXVI. Multa de eius vita, pueritia, probisque moribus, a multis auctoribus, ſed incertum qua fide, dicuntur. Canonicos templi Mariae Virg. de meliori vita inſtituenda admo-

monuit, quo iram eorum ita in ſe concitavit, ut de ipſius nece cogitarent: igitur apud Aquenſem Epiſcopum, ut maledicum, plebis concitatorem, ut hypocritam, accuſarunt. Epiſcopus Baudolinum ad ſe adduci iubet per nuncium. Hic ad accuſatum veniens, Fori incolas apud eum collectos invenit, agros ſuos a maxima ſylveſtrium anſerum copia vaſtatos conquerentes, eumque orantes, ut iram dei flecteret. Baudolinus nuncium excipit, et Epiſcopi voluntatem exſequi promittit; interim tamen nuncium ruſticosque praeſentes ad vicinos campos digredi iubet, ibique anſeres monere, ut ad ſe venirent. Quo facto iſti turmatim ad Baudolinum advolant; ille cubiculo includit nocte, mane autem edicit, ne agros deinceps vaſtent. At obſtrepere tunc ſenſit vir ſanctus unum ex illis, a villicis raptum devoratumque. Iubet itaque hoc furtum cicure anſere reſtitui. Iam igitur imperio Baudolini anſeres paruerunt, atque avolarunt. *Aniles fabulas.* Baudolinus his actis iter ingreditur, nuncius ſiti aeſtuans monetur, ut ad ceſpites quosdam ſitis ſolatium reperturus accederet, quo cum ille iviſſet, diſtentis uberibus cervam invenit, cuius lacte refectus eſt. Haec Epiſcopo narrantur; qui Baudolinum honorifice excipit, in Canonicos animadverſurus, niſi Baudolinus deprecatus fuiſſet. Alia accuſatione ad Dertonenſem Epiſc. delata, Baudolinus et ad hunc accedere cogitur. Nuncius Epiſcopi manere apud Baudolinum ſe reficiendi cauſa cogitur: apponitur aqua et panis; admiratione captus quaerit nuntius, an non plura apponerentur? ad quae Baudol. ſuperaddi nonnumquam olera, ſed haec non eſſe in promtu; per miraculum igitur effectum, ut confeſtim in horto progerminaverint, praeſente nuntio. His refecti iter ingrediuntur: cum ad Bormidam veniunt, fluvius impetu imbrium ita exundatus fuit, ut nullo modo transvehi poſſent; Baudolinus pallio ſubſtrato, illud cum ſocio, tanquam cymbam, conſcendens, traductus eſt; quae cum audiret Epiſcopus, humaniſſime excepit Baudolinum. Tales fabulas quis credat, cui ſanum eſt ſinciput. Puerilia haec omitti oportebat. Errarunt hic nonnulli, qui Alexandrinum Epiſcopum factum aſſerunt. Vocatur quidem Epiſcopus de Alexandria, ſed verba haec ita

accipienda, quod ibi eius corpus ſit repoſitum. Annus emortualis non conſtat. Dies IV. Idus ipſi ſacer, ſolenni pompa celebrari conſuevit. Quartus eſt b. *Andreas Senenſis.* Vitam edidit Barthol. Naccarinus a. 1528. Huic elogium breve ab Academia Inthronatorum confectum eſt. Andreas e Galleruna, nobilisſima Senenſi familia, natus Sec. XII. Ghezzolino patre, ſtrenuus fuit miles in patria, caede autem blaſphemi hominis perpetrata, ſolum vertere coactus, ab exilio redux Deo ſe devovit, tanta pietate, ut Maria Virg. mira luce cubiculum eius per noctem illuſtraret, et cum eo colloqueretur. Fuit amicus pauperum aegrotorumque, ut aiunt, miraculis clarus. Condidit Senis Noſocomium S. Mariae de miſericordia pauperum Senenſ. quod curae et adminiſtrationi Humiliat. fuit commiſſum. Humiliati tamen nondum ſatis probarunt, Andream ex eorum fuiſſe ordine: obiit ille MCCLI. et Bernard. Epiſc. Senenſ. indulgentiam iis conceſſit unius anni, qui die Andreae memoriae ſtatuto, XI. Cal. April. ad ecclesiam Ordinis Praedicatorum accederent. Humiliatos tamen eum publico cultu proſecutos fuiſſe, non probari poterit. Quintus eſt *S. Homobonus Confeſſor, de Cremona.* Vitam eius deſcripſerunt Sicardus Cremonenſis Epiſcopus, quae interiit; porro Canonici Cremonenſes, Hier. Trombonus atque Hier. Balladorius. Natus Cremonae e Tuceughiorum familia, patre mercatore, in adoleſcentia virtuti deditus, mercaturam exercuit, atque uxorem duxit. Patre mortuo aliud vitae genus elegit, multis prodigiis claruit, a. MCXLVII. inter cantum angelici carminis vita functus. Cremonenſes, et Epiſcopus, ab Innoc. III. impetraverunt, ut memoriae Homoboni recolendae Idus Novembr. a. 1148. conſtituerentur; quod tamen contra chronologiam eſt, nam quatuor dies ante Innoc. ad ſedem Rom. evectus eſt, intra quos ea res minime expediri potuit. Hic Humiliatis tertii ordinis citra omnem controverſiam eſt annumerandus. Innocentius non nominavit Humiliatos in ſuis litteris, quia nondum ab ipſo fuerunt confirmati.

ſanati. Pridie Idus Novemb. ſacer ei dies fuit, et eius ſub ritu duplici in Breviario extat officium. b. *Blanca de Senis*, vocatur alias Aldobrandeſca. Papebrochius, Greg. Lombardellus, et Silveſter Razzius Camaldulenſis, eius vitam delinearunt, elogium vero extat in Faſtis Senenſibus. Senis nata MCCXLV. patre Franc. Pontio, matre Agnete Bulgarina, quam divinitus admonitam dicunt, ut puellam probe educaret. Bindi Bellanti nupſit, quocum pie ſed non diu vixit, ab Accurſio demum Ptolomaeo tertio ordini humiliatorum adſcripta. Tenui victu contenta fuit, dum ſe reciperet in praediolum, Villa ad Quartum dictum, ubi divinis epulis ſaepe refecta, ſanguinem Chriſti ex eius effigie manantem hauſit, et ſanctorum ſocietate laetata eſt. Oculi praeterea unius uſum amiſſum, mire reſtitutum ſenſit. *Videtur haec femina fanatica fuiſſe.* Obiit a. MCCCX. Eius corpus huc et illuc translatum, tandem in S. Thomae aedem Sanctimonialium S. Petronillae Coenobium deductum eſt. b. *Petrus de Corino*, in vico ſic dicto ad laevam Larii lacus oram natus, hoc felix, quod nihil de eo mentiti ſunt Legendiſtae. b. *Lucas de Florentia, Cardinalis*, de quo vide alteram huius diſſertationis partem. b. *Raynerius de Ianua* non fuit is, quem Bartholomaeus a S. Claudia dicit, Innocentii III. litteris ad humil. a. MCCI. datis commemorari. Corpus eius Genuae ad S. Marthae, vulgo de Aquaſola, ſervatur. Duo prodigia A. narrat: arenam in ſacco contentam in farinam convertiſſe, et ſacrum templi aes illius obitum ſponte indicaſſe. b. *Horicus de Vercellis*: b. *Emma de Vercellis*. Fuerunt fundatores domus S. Martini de Gattoſco, quae Vercellis eſt. Vitam Car. Amedaeus Belinus, res vero geſtas Io. Stephanus Vercell. Episc. Aur. Corbellinus Auguſt. ac Io. Andr. Iricus deſcripſerunt. Horicus fuit Verc. Canonicus; floruit ſub Ghiſulpho Episc. Pontificias partes cum contra Imperatorem tueretur, ab hoc in Germaniam relegatus eſt, ubi albis induti veſtibus humiliati a Caeſare ſupplices veniam reditumque impetrarunt. Cum Ghiſulphus eum ad aedem S. Chriſtophoro condendam adhortaretur, obiit MCXLI. quae quidem non

 omni-

omnino probat Auctor. Igitur in ea paullo accuratius inquirit. Aedem Martini ab eo conſtructam, conſenſu omnium Scriptt. et Carol. Innoc. Fileppii, in comm. MS. de Vercell. humiliatis, cognoſcitur. Bruna vero Vercellis aliisque in locis mulierum coenobia exſtruxit. Iter eius Laudenſe adhuc dubium eſt. Imago pingitur tenentis lapidem cum inſcriptione: lapis obedientiae: Bruna enim ſaxum immane alio transferre iuſſa, paruit, lapidemque illum diu manu geſtavit. Alibi tamen illa manu tres clavos ſuſtinens pingitur. Utriusque corpus diu in S. Martini aede ſuburbana ſervatum, translatum eſt in aedem Chriſtophori, teſte membrana, Horici ſepulcro appoſita. Utriusque oſſa duabus arculis incluſa ſunt. Etiam Laudenſes Brunae corpus ſibi vindicant, quae tota controverſia ſic dirimitur, ut apud Laudenſes pars oſſium eſſe dicatur. *S. Conſtantius de Brixia*, cuius Bollandus res geſtas breviter illuſtravit, Car. Doneda autem vitam ſcripſit. Patria eſt incerta: aliis Gnardi in Camuniis, vulgo Val Camonica, aliis in Galliae urbe Eſtampes, aliis in Italia natum a. MLXXX. ſcribentibus. Brixienſis a loco domicilii dicitur. Nobili genere, Comitis dignitate atque opibus illuſtris, militiae primo operam dedit, deinde rebus divinis vacaturus, in deſertum montem receſſit, ibique templum Virginumque coenobium Mariae V. ſacrum exſtruxit, columba indicante locum, minutisſimas lignorum particulas roſtro eo deferens, ubi fundamenta eſſent iacienda. In eo templo vixit ad A. 1151. quo obiit. Tumulus eius ibi eſt: a. 1481. ab Ord. Praedicatorum PP. oſſa inventa Brixiam ſolenniter deducta, atque in Coenobio Catharinae condita ſunt. Clauſtralibus humiliatis praeter veritatem adſcribitur Conſtantius. De controverſia inter Dominicanos ac Humiliatos exorta *MCCCCLXXXIII*. v. Doneda. Eum Confeſſorem fuiſſe dicunt. b. *Tiberius de Palma* ſ. de Parma, de quo diſſ. IV. actum; huic nullus cultus tributus. *S. Torpes Martyr de Piſis*, ſub Nerone Piſis vita privatus eſt. Eius corpus naviculae impoſitum, ventorum arbitrio commiſſum fuit;

unde

unde contentio inter Gallos Luſitanosque orta, utriſque illud ad ſuas oras delatum dicentibus. Eius caput Sec. XIII. apud Piſanos fuit, et ſub Frid. Piſano Archiep. huius ope pluvia in diuturna ſiccitate impetrata eſt; quo facto veneratio erga Torpetem ingens enata, atque vetus eccleſia Torpetis denuo aedificata, quam nunc PP. Ordinis Minimorum incolunt, ubi caput S. Martyris ſervant, quod antea in Luxorii templo fuerat. Reliqua de capite eius narratio, grande argumentum eſt inſignis ſtupiditatis illorum temporum. b. *Ubertus de Medicibus*, ex Familia Landrianorum, domoque Ottaciorum, in qua etiam obiit. Hic tertio ordini fuit addictus, mortuus Sec. XIV. initio, aut paullo poſt. De eius rebus geſtis nihil narratur, et Wionius fallitur, qui fundatorem domus Humiliatorum ſtatuit. S. *Pincinnus Epiſc. Brixienſis*, incertum an ad Humiliatos pertinuerit. S. *Holinus*, de quo in tabula ad Chronici Braid. calcem addita haec habentur: *S. Holinus in domo Dei Aſt.* Aſtae quidem humiliati in Monteferrato aedem habuere *domum dei* dictam; ſed apud Aſtenſes nullum ſupereſt de eo monumentum. Hi omnes ad Miſſalis calcem recenſentur: at in Braid. Chr. b. *Albericus de Gambara* Brixiae nominatur, a quo humil. domus Mariae Magd. de Gambara aedificata eſſe videtur. Vixit Sec. XIII. ineunte. *Cunizia*, ſ. *Cunegundis*, vixit Sec. XIII. Epigraphen plumbo inſculptam edidit P. Bernardus Maria de Rubeis Ord. Praedic.

Pars II. eſt *De Humiliatis praecipua aliqua dignitate illuſtribus.* Borſierius ex Hum. coetu XXIX. Epiſc. VIII. Archiep. V. Cardinales prodiiſſe dicit, ſed parum apposite. Auctor Cl. primum laudat b. *Iacobum*, qui in Senenſibus Faſtis cognomine Muratus de Monterio dictus, antea Iacobinus vocabatur. Fuit Cardinalis, quod teſtatur Ugurgierius in Pompe Saneſi P. I. Tit. 1. obiit a. *MCCCXXXIV.* b. *Lucas de Florentia* alter Cardinalis fuit. Natus A. *MCCCXXXI.* Obiit *MCCCCXI.* dictus quoque Lucas Manzolius, Patria Pontormius. A. aet. XVIII. ordinem humil. Florentiae ingreſſus eſt, domumque omnium ſanctorum a. *MCCCXLIX.*

bonorum

bonorum ſuorum liberaliter conſtituit haeredem. Non praefuit humiliatis, uti nonnulli exiſtimant. Ab Antonino vocatur S. Theol. Prof. fama celebris, probitate et ſcientia clarus. Vixit Humil. ad A. *MCCCCVIII.* quo Feſulanae eccleſiae Epiſc. et S. R. E. Cardinalis a Greg. XII. dictus eſt. Prolixitatem Auctoris h. l. nemo facile probaverit. Semper Gregorii partes ille ſequutus eſt, idcirco Piſanae Synodo, qua Greg. XII. et Bened. XIII. omni Pontificatus iure exciderunt, non interfuit, quia putabat verum illum eſſe Pontificem. De actis eius poſt Piſanam Synodum nihil conſtat, ſed ad finem vitae usque legati munere functum, ex Epigraphe tumulo appoſita colligitur. Tamen non fuit publice cultus. *Iacobus Calzinarius*, Eccleſiae Dertonenſis Epiſcopus XV. circiter annis fuit. Melchiori *MCCLXXXIV.* ſuffectus erat. *Petrus Spelta* Papienſis, Epiſcopus a. *MCCCXXXVIII.* a Veronenſi Capitulo declaratus eſt. Benedictus XII. eum confirmare noluit, quo mortuo, cum Clem. VI. ſufficeretur, ſponte ſe eo munere abdicavit. Hic Pont. a. *MCCCXLVIII.* decimae ad ſacri belli apparatum indictae conſtituit collectorem. *Petrus Craſſus*, Neocaſtri ad Scriviam natus, Eccleſiae Papienſis Epiſcopus, non fuit generalis Humil. Magiſter, uti cenſet Ughellius, neque Ciſtercienſis Genuae S. Andreae Abbas, ut volunt aliqui. Ab a. demum *MCCCCXIV.* Cremonenſis Epiſcopus, eccleſiam per biennium rexit; ab A. *MCCCCIII.* Papienſem. Ughellius de rebus eius geſtis ſic ſcribit: Hic corporis Chriſti proceſſionem inſtituit, inque cathedrali ad divinum maius obſequium organa voluit extare. Nobile S. Marthae templum erexit, Synodoque celebrata, ſaluberrimas plures edidit conſtitutiones. Idem P. Romualdus a S. Maria confirmat. Conſuetudo illa de eccleſia Papienſi tantum intelligenda eſſe videtur; nam in reliquis eccleſiis occidentalibus integro fere ſeculo ante Petrum in uſu fuiſſe putatur. Piſanae Synodo *MCCCCIX.* interfuit. Etiam Ticinum ad Concilium generale mittendus erat, ſed peſte exorta, Senas id, dein Baſileam translatum fuit. Minoribus

lius de Obſervantia aedem S. Iacobi a. *MCCCCXXI.* extra Papienſes muros attribuit. Obiit *MCCCCXXVI.* *Scipio Rotarius*, Aſtenſis Epiſc. fuit Praepoſitus Aſtenſis S. Quirici domus. A. *MDIX.* a Iul. II. P. R. Brixienſis S. Mariae Magd. de Gambara domus ipſi demandata eſt, 1529. Aſtenſis Epiſc. conſtitutus. Elogium ex Ughellio adnexum, variis annotationibus ab Auct. Cl. illuſtratur. De anno emortuali ſilent Scriptores; et parum intereſt. *Bartholom. Averoldus Brixienſis*, Benedictinus Monachus, ultimus Leonenſis Coenobii Abbas, Spalatenſis Archiep. *MCCCCLXXIX.* creatus, anno ſequenti Veronae obiit. Alter *Barth. Averoldus*, a. *MD.* domus S. Mariae de Glarea Praepoſitus, Calamonenſis et Rhetimnenſis Epiſcopi dignitate ornatus, obiit 1537. in aede S. Mariae a Glarea, ubi ſacellum ei cum honorifica epigraphe poſitum, ut et Brixiae. Iam de Vicariis generalibus Epiſcoporum ſermonem A. inſtituit. Occurrit primo *Guil. de Corbetta*, Aicardi Antimiani Mediol. Archiepiſc. Vic. ex litteris huius ad Guil. 1335. datis cognoſci poteſt. *Franc. de Ciliis*, Papienſ. Ulderici domus Praep. a. 1398. a Petro Mainerio Placentino Epiſc. vicar. dictus, et in Gymnaſio Placentino Scriba conſtitutus eſt. *Virginius*, Bonon. dom. hum. Praep. Iacobi Palladini Florentini a. 1407. Archiepiſc. Vic. vocatur, alias Canonum ſolennis doctor. *Iohannes* ſeu *Iohannolus de Homatio*, de quo diſſ. IV. iam dictum, fuit Franciſci de Marerio Brixienſ. Epiſc. Vic. a. 1425. *Aegidius Nobiliar*, Ioh. Vicecomitis Novarienſ. Epiſc. et Archiepiſc. Mediol. Vicar. *Guilielm. de Viceboldingo*, *Donatus* de Morano, Mutinenſis domus S. Lucae Praepoſitus, Apoſtolicus Legatus factus, vixit a. 1436. Tandem et Humiliatos civilibus muneribus admotos, cl. A. nominat. *Ludovicus de Landriano* Vicoboldonenſ. Praepoſ. Praefectus publici aerarii fuit, Mediolani ducibus diutiſſime, fideliſſimus conſiliarius, adhaeſit. *Iacobus Buſſolarius*, a. 1356. a Iohanne Montisferrati Marchione, Papienſi urbi praefectus. Cerius eum primo Humiliatorum Ordini adnumerat, cum

potius fuerit Auguſtinianus; Galeatius, Papiae capta, Vercellis perpetuo carceri mandavit.

Pars III. De Humiliatis litterarum ſtudio illuſtribus.

Inter Humiliatos, quanquam ſtudiorum cauſa non in ordinem coaluerant, haud paucos tamen invenimus, qui doctrinae eruditionisque amore tenebantur, ita ut et ad externa Gymnaſia, non tamen ſine conſenſu Magiſtri, (ſec. Edict. in conventu Modoetiae a. 1321. datum,) accederent. Ita A. 1342. in Braidenſ. Comitiis lex lata eſt, ut XII. iuvenes Bononiam ſtudiorum cauſa mitterentur. Etiam in Galliam migrarunt, teſte Tiberio Parmenſi Gen. hum. Mag. cuius litterae in Bibl. Ambroſ. ſervantur. Pius II. deinde 1459. edixit: ut Generalis duo collegia, unum videlicet Papiae, in quo ad minimum octo, alterum vero Paduae, in quo ad minimum quatuor eiusdem ordinis profeſſi, fratres in Iure Canonico, aut in artibus, aut in theologia inſtituant, erigat, unde plures decretorum doctores appellati ſunt. A. Cl. iam Scriptorum nomina ordine alphabetico commemorat. Sunt haec: *Alciatus Benedictus*, cui tribuuntur conſtitutiones ab eo conditae ac promulgatae in domo de Galgari, dum eſſet Praep. Gener. a. 1332. Ita Argelato videtur; incertum tamen, an Benedictus auctor ſit. *De Alliis Stephanus* Cremon. floruit circa a. 1485. ſcripſit de hoſpitalitate, et de horis canonicis, quae an ſint edita, necne, ignoratur. *De Arzago ſ. Arſago Stephanus*, ſcripſit conſtitutiones a. 1438. de eo diſſ. 4. egit auct. et excludit e numero Script. hum. *Averoldus Bartholomaeus*, de quo ſupra; ſcr. annotationes in Biblia, emendavitque codicem decretorum. *De Auguſtis Camillus*, quem Ariſius ad a. 1526. inter Cremonenſ. Scriptores numerat: ſcripſit Annales, quos multi eruditi, ſed fruſtra quaeſiverunt. *Bebulcus Pariſius* familia clarus, Mediolani ortus. Scr. elegans poema ad Pium IV. latine, cuius MS. in fol. extat in Biblioth. FF. Marchio-

chiorum Vicecomitum. *Boſſius Marcus* Mediolan. Florentiae omnium ſanctorum domus praepoſitus fuit: ſcr. breve Chronicon humil. a. 1493. Argelatus de hoc chronico locutus fallitur, nam illud non ſervatur in Bibl. Comitis Caeſaris Montii Equitis Mediol. confundit etiam antiquius Chronicon A. 1421. conſcriptum. Triplicem cod. MS. vidit Auct. Cl. 1) in Franciſci Comitis de Abdua Biblioth. 2) in Braidenſi; 3) in Ambroſiana. Helyotus per errorem eum vocat Boſſum. *De Brera Iohannes* fuit Auct. Chronici, de quo in praef. *Capriolus Iohannes Petrus* Brixienſis, A. 1567. ſcr. de origine Eccleſiae eiusque praecellentia atque auctoritate, cuius exemplar vidit A. Cl. apud Carolum Abbatem Trivultium: in quo libro auctor medelam humil. adhibere ſtuduit. Scripſit et de arte poetica ſub titulo, Della vera poetica. In Vinegia: appreſſo Bolognino Zaltieri, 1555. in 4. Extinctis humiliatis, Cremonae in S. Abundii aedibus vixit. *Cribellus Philippus*, de quo iam diſſ. 4. Argelatus ait, chronicon eum conſcripſiſſe; ſed fallitur, collegit enim Cribellus tantum Pontificias litteras, eo chronico contentas. Idem iſte Cribellus ex numero Script. humil. excludendus eſt. *Faba Guillelmus*, v. diſſ. IV. Scr. commentarium in leges Benedicti. *Landrianus Hieronymus*, de quo itidem diſſ. IV. Quadrius bonum Poetam vocat, atque aſſerit, ſpecimen huius extare in Hiſt. Humil. quae aſſervatur in Ambroſ. Bibl. ſed nullum ibi eſt ſpecimen; igitur auct. exiſtimat, Quadrium Marii Picii carmina, in quibus Landrianus occurrit, pro huius ipſius carminibus accepiſſe. *Landrianus Victorius*, ab Hier. Borſierio laudatus. *Luraſcus Georgius*, quem Argelatus Humiliatorum Chronici auctorem facit, cum alio loco eius auctorem Anonymum dicat, Luraſco continuationem tribuit. Reliqua hic diſputata, parvi momenti, merito a nobis negliguntur. *Marini Felix*, Cremonenſis, Theologus, floruit a. 1526. ſcr. com. in epiſt. Pauli, et ſuper canticum Magnificat. Per errorem Io. Bartholomaeus a S. Claudia *Marenum* vocat, atque de praecipuis Humiliatorum rebus ſcripſiſſe ait,

quod opus tamen inveniri a ſe potuiſſe negat. Typorum errore eum a. 1575. floruiſſe aſſeritur, quo anno iam ordo deletus erat. *Manzolius* b. *Lucas*, de quo ſupra ſcr. ſummam caſuum conſcientiae, Tr. de auguſtiſſimo Sacramento, et conſilium pro collegio Cardinal. contra Antipapas, ſub nomine Laurentii de Ridulphis; qui tamen liber vix ab eo conſcriptus eſſe videtur, nam Laurentius hic tunc erat Senator Florentinus, et pro Gregorio Benedictoque ſemper ſtetit, unde fieri non potuit ut contra eos ſcriberet. Italicam praeterea poeſin Lucas excoluit, eique Italica Lucani interpretatio Mediol. 1429. edita tribuitur, ubi Montichiellus vocatur. Sed tunc nondum exculta erat Poeſis Italica, neque ratio poteſt afferri cur nominetur Montichiellus. *De Meda S. Ioannes*, v. diſſ. III. et IV. Non fuit, ut Argelatus cenſet, totius ordinis Praepoſitus, neque ex Oldrada gente. Obiit 1159. *De Nottis Stephanus*, ſcr. Tr. de Iubilaeo, quem Magiſtro olim ſuo, Ioanni Antonio a S. Georgio inſcripſit. Libri frons ſic habet: Opus remiſſionis a poena et culpa, Mediol. 1500. recuſum eſt compendium huius libri cum comment. Mart. Azpilcuetae Navarri in Levit. a. 1573. et ſeparatim eodem anno. Edidit quoque Breviarium humil. 1483. *Perſicus Eugenius* Cremonenſis, ſcr. de beatitudine aeterna L. III. de Angelis L. II. de praedeſtinatione L. II. de Sacramentis in genere, de celebratione miſſae L. II. qui libri an editi ſint, incognitum eſt. *Picus Marius*, Mediolani nobili genere ortus 1488. Ex ſententia Argelati fuit Praepoſitus Florentiae S. Marci domus, quod falſum eſt. Fuit potius domus novae S. Ioh. Evang. Praepoſ. quam praepoſituram Octaviano ceſſit. Eccleſiam ibi aedificari, ac ſolenni ritu conſecrari curavit. Vixit a. 75. obiit 1564. ſepultus in eccleſia domus novae, non ut vult Argelatus in Ottaciorum domo. Scr. 1) Verſi di Frate Mario Pizzo, dell' ordine degli Humiliati, MS. in 4. autographum eſt apud Auguſtinianos Excalc. Mediol. 2) Breve chronicon rerum memorabilium ab a. 1547–

1558.

1578. quod extat ibid. 3) Necrologium, quod Picius deſcripſit. Argelatus Boſſium, de Mario ſcribentem, laudat falſo, cum Boſſius conſcriberet chronicon, fuit Marius quinquennis puer. *Picius Octavianus*, Marii ex fratre nepos, a patruo Humiliatorum veſtem accepit. Elogium iſtius viri extat in appendice Humiliatorum chronici. Fuit praepoſitus domus Ioh. Evang. a. 1567. ad Praepoſituram domus Trinitatis translatus eſt. Scr. additamentum a. 1567. ad praecedentem ſui ordinis hiſtoriam. Argelatus hic fallitur, ſtatuens, eum Boſſii chronicon continuaviſſe, cum hoc potius Braidenſe fuerit: cf. Diſſ. IV. refert porro, ab a. 1519. orſum, cum tamen ab Hier. Landriano 1686 incipiat. Acceſſit ad hunc librum oratio, habita d. 19. Nov. 1552. in generalibus humiliatorum comitiis, praeterea Marii patrui ſepulcralis inſcriptio. Argelatus Octaviano tribuit opuſculum: Canto di cento ottave, Prognoſtico della ruina del ſuo Ordine; ſed ſine dubio deceptus eſt ab aliis Scriptoribus. Servatur Codex MS. in Bibl. Ambroſ. Unde vero Argelatus didicerit, Octavianum eſſe Auctorem, nos cum cl. A. ignoramus; neque eſt res magni momenti. *De Ripa Bonvicinus*, quem Argelatus bene ad humil. refert. Flamma primum huius viri meminit ad a. 1288 et chron. 1291. Argelatus tamen in eo peccat, quod de Bonvic. laudat c. 30. hiſt. ord. hum. cum potius ſcribere debebat Chron. de a. 1421. Vir doctus et pius, fuit Profeſſor Grammatices in Palatino gymnaſio. Legnani Noſocomii aedificatio ipſi adſcribitur. Primus ſalutationem angelicam ad ſacri aeris ſonitum, in urbe atque agro Mediolanenſi recitandam, inſtituit; quod quidem alii Urb. II. et Greg. IX. tribuunt. Ioannes XXII. triplicem deinde ſalutationem introduxit. Non deſcribimus minutias reliquas, ne forte videamur λεπτολογεῖν. Scr. 1) de diſcipulorum praeceptorumque moribus, ſ. vita ſcholaſtica, cuius ed. A. 1501. extat in *Braidenſi* Bibl. ceteras enarrat Argelatus; 2) Chronicon de Magnalibus urbis Mediol. Flamma ſuo Manipulo florum inſeruit, et Iulinus Comes denuo illuſtravit; 3) Menſura et

 ſtatus

ſtatus Mediolanenſis urbis a. 1287. MS. in fol. extat in Bibl. FF. Marchionum Comitum, et penes Advocat. Io. Sitonum MS. in pergamena litteris Gothicis in folio. Forte cum alio opuſculo, de eodem anno, alii adſcripto, unum idemque eſt; 4) de le zinquanta Cortexie da tavola di Frà Bonvicino da Riva, carmen Italicum, non ſane elegans, prouti id illa tempora ferebant; ſervatur cum aliis in Bibl. Ambr. 5) Poeſie di Bonvicino da Riva, MS. in Bibl. Ambr. 6) hiſtoria ordinis humil. quam nemo unquam vidit. Argelatus vitae Bonvicini ſcriptores recenſet, quibus addendi I. A. Fabricius, Franc. Xav. Quadrius, Ioſ. Anton. Saxius, et Georg. Comes Iulinius. *Riparius Ferdinandus* Cremon. ſcriptor ad a. 1527. Scr. de coelo Empyreo; ſuper phyſicam Thomae Aquinatis, et de vanitate mundi. Barthol. a S. Claudia eius nomen in Raparo mutavit. *De Sanctis Philippus*, in epiſt. ad Iacob. Landr. horis canonicis humil. praemiſſa, ſeſe Vicoboldonenſem Profeſſum nominat; nulla de eo alias mentio fit. *Stradivertus Camillus* Cremon. Script. Philoſophus et Theologus. Scr. ſuper phyſicam Ariſtotelis L. III. de editionibus nihil ſcitur. *Tonſus Iohannes*, de quo Argelatus brevius agit. Natus Mediolani Iohanne Bapt. patre a. 1528. Adoleſcens humiliatis adſcriptus eſt, et Picius valde laudat. Latinam exercuit Poeſin, eiusque VII. carmina extant in collectione carminum illuſtrium Io. Paulli Ubaldini a. 1563. Mediol. edita. Fuit Cremonenſis Praepoſitus; propter coniurationem in Braidenſibus aedibus initam carcere detentus, cum dein febri laboraret, ulteriorem poenam effugit. Ordinis extinctionem, atque fata, carmine lyrico ad Scipionem Gonzagam expoſuit; A. 1574. a. Rom. Pontif. impetravit, ut humiliatorum veſtem ſibi exuere liceret, et ſui iuris eſſe. Viciſſitudines reliquas Tonſii ex ſupplici eius libello, Philip. II. Catholico regi oblato, cognoſcere licet. Obiit a. 1601. Scr. 1) Franc. Panigarolae Eccl. Haſtenſ. Epiſcopi diſceptationes Calvinicas, a ſe ſerm. in latinum converſas, Med. 1594. ibi eſt. epiſt. ad

Clem.

Clem. VIII. 2) de Vita Emmanuelis Philiberti, Allobrogum ducis et Principis Subalpinorum L. II. Aug. Taur. 1596. fol. Italice reddita atque edita Mediolani 1602. 4. 3) Vita Alphonſi Avalos Marchionis Vaſti, Italice, cuius plures codices MS. enumerant auctores; 4) carmina aliquot latina, de quibus Argelatus. *Torchius Hieronymus*, v. diſſ. IV. et praef. huius libri Scr. conſtitutiones pro reformatione monaſterii S. Mariae Magd. ad Circulum, Italice, quae MS. extant in Bibl. Ambroſ. *Vicecomes Maximus*, Samaratenſis domus Praepoſitus. Horas humiliatorum canonicas a Paullo III. approbatas edi 1548. curavit, iisque bina epigrammata, et epiſtolam ad Hier. Torchium, praemiſit. Quo anno obierit, non conſtat. *De Vico Iohannes* obiit a. 1509. forte de Vico dictus, quoniam Novocomenſem domum incoluerat. Vitam Iohannis a Meda hexametris verſibus ſcripſit, et appendicem ad breviarium humiliatorum, quorum tamen Auct. nihil vidit. Aliam Ioannis vitam Italice conſcriptam detexit, de qua in huius diſſ. P. I. Iſtis Humil. Scriptor. addit A. tres Anonymos 1) Auctorem alterius Chronici a. [illegible] 2) vitae S. Ioannis a Meda latinae; 3) codicis MS. Bibl. Braidenſ. Sec. XVI. ineuntis, qui non ſolum Grammatices praecepta, ſed et graecae latinaeque Syntaxeos leges, continet.

Diſſ. VII. De Humiliatorum domibus exponit.

Ante omnia Auct. Cl. inquirit, quaenam aedium forma apud Fratres et Sorores in uſu quammaxime fuerit. Tria genera ex Ioh. XXII. litteris conſtituit: 1) quae viris mulieribusque fuerant communes, ita tamen, ut mutuo aditu prohiberentur; 2) mulierum a virorum coenobiis ſeiunctae, ſed ipſis paene contiguae; 3) mulierum a virorum aedibus iuſto ſeparatae intervallo. De prioribus Auctor fuſius agit. Duplicia videlicet coenobia in Oriente, usque ad Iuſtiniani legem de iis abrogandis latam, extitiſſe, neminem latet. In Occidente diutius ille mos viguit. In Italiae urbibus eadem coenobia iuncta deprehenderunt Io. Brunaccius,

Fortu-

Fortunatus Vigna, aliique; et ex humiliſtarum catalogo a. 1344. idem cognoſcitur, quocum conſentit Humbertus Ord. Praed. Habebant templum commune, in quo, poſtquam viri canonicas recitaverant horas, dato ſigno ſtatutum ſibi locum mulieres adibant, easdemque perſolvebant; habebant tamen etiam ſorores proprium ſibi ſacellum. Humiliati quoque legibus latis abuſui obviam ire ſtuduerunt, ita, ut in muris eccleſiarum feneſtrae ferreae perforatae minutim eſſent, ubi confeſſiones ſororum audirentur, praeviſum ut etiam Sacerdos viſitans infirmas, et ſoror ipſa, conſpici poſſent a pluribus etc. Ioh. XXII. haec coenobia tolli iuſſit a. 1327. ſed obſtantibus quampluribus, abolitio demum in Novocomenſ. comitiis a. 1343. ſecuta eſt. Clauſurae lex usque ad Bonif. VIII. tempora non obtinuit; ſed neque huic Pont. omnes obtemperarunt, eaque propter Bened. XI. a. 1304. iterum interceſſit. Ad numerum quod attinet, erant et in urbibus, et in pagis, quamplurimae, quas demum Bened. XI. coniungi iuſſit, plurimae tamen usque ad annum 1344. extiterunt, Urbano V. iterum aliter iubente. Domos quoque in urbibus poſitas ex pagi alicuius nomine, v. c. domus de Glaxiate; et fundatoris, v. c. fratris Ottacii, appellarunt. Erant hae domus a pagis appellatae hoſpitio deſtinatae iis, qui litis causa ad urbem accederent. Nunc deinceps adnectit Auct. Cl. nomina catalogorum, quibus in his domibus deſcribendis uſus eſt; videlicet Guidotti Riboldi, de A. 1298. Iacobi de Lemine, de A. 1344. Catalogum nominum Praepoſitorum, qui Humiliatorum comitiis interfuerunt. Catalogum domorum cum de extinguendo coetu ageretur de A. 1570. Mediolanenſium tandem cauſa duos Cod. MS. laudat, in metropolitanae eccleſiae Capituli Bibliotheca ſervatos: 1) Notitia Cleri Mediolanenſis circa illius immunitatem de a. 1398; 2) Liber decimarum antiquarum 1404. Totam diſſertationem hanc duabus partibus, quarum 1) de Mediol. 2) de reliquorum domibus, praecipit, abſolvere A. inſtituit.

Nos

Nos reliqua, ne nimia prolixitate taedium lectoribus creemus, praetermittimus; lectoribus curioſis ad Libri ipſius lectionem ablegatis.

ABULFEDAE TABULA SYRIAE, CUM EXCERpto geographico ex IBN OL WARDII Geographia et Hiſtoria naturali. Arabice nunc primum edidit, latine vertit, notis explanavit, IO. BERNHARDUS KOEHLER, Prof. Publ. Extr. Philoſophiae et Hiſtoriarum in Academia Kilonienſi, Inſtituti hiſtorici Gottingenſis, et regiae Societatis, quae ibidem eſt, Teutonicae, Sodalis. Acceſſere IO. IACOBI REISKII V. C. Animadverſiones ad Abulfedam, et prodidagmata ad Hiſtoriam et Geographiam orientalem.

Lipſiae, litteris Schoenermarkii, 1766. 1 Alph. 7 pl. cum Praef. 8 plagg. in 4. mai.

Vehementer laudamus conſilium *Koehleri*, Viri doctiſſimi, quod cepit, edenda Abulfedae tabula Syriae, multis modis Geographiae Orientis, et ipſi Arabiſmo, ut ita loqui liceat, profutura. Dabimus libri praeclari excerptum, tale, quod invitare Lectores noſtros poſſit ad illum legendum. Edita enim in lucem hac Syriae tabula, ab Abulfeda arabice ſcripta, non modo eos ſibi devinxit Cl. Koehlerus, qui vel regiones Orientis deſcribere, vel eius hiſtoriam cognoſcere accuratius, vel elegantiori atque doctiori litterarum ſacrarum interpretationi operam navare, vel linguam arabicam melius et facilius diſcere cupiant; ſed ab omnibus etiam, qui Geographiae, Hiſtoriae, linguarumque cognitionem, ut vere eruditos decet, maximi faciunt, rogandus eſt V. Cl. ut ne hanc, quam ſemel ingreſſus eſt, viam deſerat, caeteriſque Abulfedae tabulis eandem operam deneget. Quid vero de iis dicamus, aut quod potius iis conſilium demus, qui nihil eorum, quae gentis Mohammedanae

ſermone ſcripta ſunt, legere aut intelligere cupiunt; neque etiam credunt utilia ſibi illa eſſe poſſe? utantur verſione latina operis a nobis indicati haud contemnenda; adiuvent honoreque proſequantur litteraturam, quae, ut quaevis alia, non habet oſorem niſi ignorantem; acquirant ſibi, ſi fieri poteſt, dulcis Iſmaelitarum linguae ſcientiam, ſintque erga eos benevoli, qui eximios Erpenii, Golii, Pocokii, Hottingeri, Schultenſii conatus, nunquam ſatis laudandos, exemplaque praeclara, ſequuntur. Liceat nobis quaedam ad hanc rem ſpectantia in medium proferre. Quis enim eſt, qui de iis loqui nolit, quae immerito eorum ſubire odium et indignationem videt, quorum effata oracula putantur? Utinam hi ipſi contemtores linguae arabicae, ignorantiam, qua premuntur, conqueſſi, alios, ac praeſertim Theologiae ſtudioſos adhortarentur, ut in lingua perdiſcenda tempus atque operam collocent, quam magno iis fore emolumento, et res ipſa, et experientia docet. Imprudenter atque inſipide ageret, qui graecorum et latinorum optimi aevi Auctorum ſcripta commendare nollet, aut omnino profiteri, (nec raro tantae ignorantiae, iudiciique perverſitatis homines, vel noſtra memoria, videas,) eſſe ea lectu, perſpectu, atque explicatu minime neceſſaria. Eandem inſcitiam, idem perverſe iudicandi ſtudium, eundem coecum ardorem is prodit, qui Orientis linguarum ignarus, neque ſciens qui quantive pretii ſint ſcripti iis libri, (quos qui cognoſcit aliter ſentit,) operam iis intelligendis et explanandis dicatam, plane inutilem pronuntiat. Ad has querelas, librumque K. magna laude proſequendum, (qui in Germania rarum phaenomenon recte habetur, ac certo manebit, niſi plures ſanam philologiam orientalem ament.) futilibus illis indiciis impellimur et movemur, quae de hac re audimus lata eſſe. Priſtino tempore linguis illis maiorem dederunt operam, ſed ultra Grammaticam et Lexicon, ut nobis quidem de pluribus Philarabum videtur, non ſapuerunt; noſtro autem, quum haud pauci editi ſint Scriptores arabici, pluresque ſperandi eſſent,

ſi cre-

ſi creſceret in eos verus amor, ſtupent fere hae litterae. Quam exiguus eſt eorum numerus, qui genium linguae diſquirant ac perſcrutentur, rite adhibitis adminiculis, h. e. perlecta inprimis auctorum, quos habemus, multitudine? Lege modo, quae iam edita ſunt, arabice ſcripta; nemo erit qui dubitet, vel his recte et ſedulo tractatis, te linguam ſatis callere. Nos, qui Reiskium, dignumque tanto praeceptore diſcipulum, Köhlerum, rogamus, ut Arabum libros nobiſcum communicent, nomine poſterorum, qui gratiores futuri ſunt, eos admonemus. Gaudemus, utrumque et Graeciae ſcriptoribus, ſive emendandis, ſive illuſtrandis et exponendis, vacare; et *Koelerum* ope linguae arabicae, variis Sacri Codicis V. T. locis, alio loco affudiſſe lucem. Sed iam ad noſtrum revertimur inſtitutum. Priusquam vero tam de praefatione, quam de opere ipſo loquamur, poſterioris conſpectum Lectori ob oculos ponimus. Propoſuit V. Cl. 1) notas miſcellaneas a p. 1-36. 2) ſextum clima geographicum, quae eſt terra Syriae, a pag. 37-74. 3) deſcriptiones et narrationes generales, a pag. 75-144. 4) Supplementum tabulae, a pag. 145-166. 5) de terra Syriae ex Ibn ol Wardi, a pag. 167-192. 6) Io. Iac. Reiske animadverſiones ad Abulfedae tabulam Syriae, a pag. 193-214. 7) eiusdem Prodidagmata ad Hagii Chalifae librum memorialem rerum a Muhammedanis geſtarum, exhibentia introductionem generalem in hiſtoriam ſic dictam orientalem, a pag. 215-240. Liber ipſe ultra tres annos in manibus typothetarum fuit; quae quidem mora, primum, ab auctore, ſeu potius editore, aegre lata, dein utilis fuit, ob varias, quas in itinere litterario ad Belgas, Anglos, Gallos facto, colligere potuit vel lectionum codicis arabici diſcrepantias, vel annotationum ad receptas maiorem ſelectum et numerum. Cl. Reiskius, qui Koehlero noſtro Geographiae Abulfedinae, a ſe e codice Lugdunenſi deſcriptae, copiam fecerat, primus ei auctor fuit, ut, quam exſcripſerat Syriae tabulam, latina interpretatione, notisque donatam et illuſtratam, in lucem ederet. Cuius viri praeſtan-

ſtantiſſimi, in litteratura arabica noſtra aetate facile principis, conſilium *K.* ſequutus eſt, magnisque eius doctrinam et inſtitutionem in lingua Iſmaëlitica, ut decet, laudibus celebrat. Eadem obſervantia Io. Iacob. Schultenſium, magni patris filium, Profeſſorem in Academia Leidenſi celebrem, colit; cui ſoli et Autographon Geographiae Abulfedinae, et alia manuſcripta arabica, collata perlectaque, debet. De Abulfeda, Hamatenſis in Syria provinciae principe, operis a ſe translati auctore, nihil commemorat, ſed ad Gagnierii, Schultenſii, Reiskii ſcripta ablegat. Affert nonnulla ad menſuras geographicas ſpectantia, quibus Abulfeda utitur, quorum tamen mentio a nobis mittitur; tametſi iis neceſſaria, qui opus ipſum legunt, atque accuratam orientis regionum, locorum, et urbium cognitionem acquirere ſibi cupiunt. Refutat dein ea, quae Renaudotus, nimis acerbus aliorum ſcriptorum cenſor, protulit, ad reprehendendum Principem Hamatenſem; vindicatque optimum hunc Geographum ab iniuſtis illius accuſationibus, licet minime neget, nonnunquam eum dormiviſſe, nec de omnibus, omni, qua fieri debebat, diligentia, loquutum eſſe aut ſcripſiſſe: quod et Abulfeda ipſe fatetur, e. c. in deſcriptione Chinae, atque alibi. Quod Koehlero in Abulfeda maxime diſplicet, hoc eſt, quod in proprietatibus regionum deſcribendis, quae Geographiae pars inprimis utilis eſt ac iucunda, nimis parcus et ſterilis eſt; deinde, quod nimis plano et humili prorſus atque abiecto ſcribendi genere utitur. Agitur et de codicibus operis Abulfedini manu ſcriptis, quibus editor uſus eſt. Primum nominatur codex magni pretii Lugdunenſis, in charta bombycina ſcriptus, qui indicatur in catalogo Bibl. Lugd. Bat. pag. 477. no. 1700. Leg. Gol. 57, quemque ipſius Abulfedae manu ſcriptum, ſaltem in ipſius uſum, certe ex eius ſchedis deſcriptum fuiſſe, interpres latinus putat. Qua quidem in re diſſentit a Cl. Reiskio, qui in eo eſt ut credat, codicem univerſum a Scriba calligrapho, iuſſu Abulfedae exaratum eſſe, atque ab ipſo Principe, priusquam vulgaretur,

tur, relictum et emendatum; unde illa orationis ſtri-*bligo.* Quae quidem Koehlerum impulit, ut iterum ſententiam ſuam diceret, ſecundum quam vero ſimillimum ei videtur, prolegomena tantum, quod litteras habent maiores, paruisque lituras, ab alio eius uſui exſcripta, reliquum opus ipſius auctoris manu exaratum eſſe. Neque vero negare audemus, nos, ſi alienos decet de hac re et lite praeceptorem inter ac diſcipulum iudicare, ad *Koehlerum* accedere, Lugdunenſem codicem autographum putantem, atque pag. 1. et 2. plag. d. nonnullas cauſas pro ſua opinione adducentem; quas alii ponderent, eamque Reiskii effatis conferant. Cum Leidenſi vero codice contulit Koehlerus alterum codicem Dresdanum, apographum Pariſini, ab Sebiſchio, Bibliothecario olim regio, Pariſiis, ſub exitum ſuperioris ſeculi factum, cuius uſum ei, Lipſiae adhuc verſanti, conciliaverat Collega noſter Erneſtius. Hunc codicem in notis Pariſinum vocavit. Ceteros omnes, quos ei videre licuit, non integros contulit, ſed difficilioribus modo locis inſpexit, et nonnunquam in addendis memoravit. Huc pertinet alius codex regius Pariſinus 579, a ſuperius dicto diverſus; itidem Oxonienſes Pacockiani 196 et 379. et Guiſianus, a priſtino poſſeſſore ita nominatus, aliique, quorum nominibus edendis ſuperſedemus. Codicem Pocockianum 196. Gagnierius ſecundam Abulfedae editionem arbitratur. Idem iſte Geographiae Abulfedianae edendae immortuus eſt. Iam octodecim plagulae, integra nempe tabula Arabiae, et initium Aegypti, antequam vita excederet, typis exſcripta fuere. Apparet ex dictis plag. g. quinam ii fuerint, qui apud ſe conſtituerint, Geographiam Principis Hamatenſis totam edere, nimirum Th. Erpenius, Th. Hyde, *Guil.* Schickardus, Sam. Clericus, Guil. Guiſius, Thevenotus, Io. Gagnierius, et Ioſeph. Aſcari, genere Syrus; quibus Reiskius, in nota quadam, et Ikenium, et ſemetipſum addit; de qua re allata quaedam in epilogo Editoris ſunt, plag. g. p. 1. Ceterum, ex hac Geographia

 nihil

nihil editum adhuc fuit, praeter tabulas Arabiae, Chorafmiae, et Mawaralnahrae ſ. Transoxanae, (quae omnia cum verſione *Gravii*, Geographis minoribus Hudſoni inſerta eſſe conſtat,) excerpta quaedam dedit Schultenſius in indice geographico, Vitae Saladini adiecto. Melius actum fuiſſe nobis videtur Cl. Koehlerus, ſi et hic a Gagniero editae Arabiae, partisque Aegypti, iterum recordatus fuiſſet. Pergit editor Cl. in diiudicando Ibn ol Wardi, ſeculi XIV. ſcriptore, auctore Geographiae atque hiſtoriae naturalis, librorum non plane contemnendorum. Putat enim, poſteriorem omnino priori poſtponendam eſſe, verſatam (e. c. in capite de lapidibus et gemmis,) in fabulis aniilibus de magicis lapidum virtutibus. Prioris quidem illius operis particula exſtat ſub hoc titulo: *Ex opere cosmographico Ibn Alvardi particulam latine verſam et illuſtratam notis publ. exam. ſubi. Carolus Aurivillius et Ephr. Axelſon, Upſal. 1752.* Codicibus uſus eſt, ut iam diximus, uno Electoralis, quae Dresdae eſt, Bibliothecae, altero Leidenſi, utroque vitioſiſſimo, ſed plerumque emendato, vel collatione; (nec enim iisdem in verbis uterque ſemper peccabat,) vel coniecturis Cl. Reiskii felicibus. Supereſt, Lectores breviter moneri de ratione, quam in hac editione ſervare ſtuduit Koehlerus. Operam dedit in vertendo elegantiae, eam tamen maluit deſerere, quam ſenſum ac proprietatem verborum. In notis hoc egit, ut ſcriptores in locis difficilioribus diligenter explicaret, in vitioſis bene emendaret. Quamvis enim Manuſcriptum Lugdunenſe autographum ſit, tamen in eo tam lacunae, (quarum numerum Cl. Reiskius in nota quadam minuit, ac valde reſtringit,) quam negligentes litterarum ductus, qui lectionem dubiam et obſcuram reddunt, inveniuntur: quod utrumque, collationem aliorum codicum et utilem, et neceſſariam fuiſſe, teſtatur. Omnes Cruciatarum ſcriptores integros perlegit, et Byzantinos quoque diligenter tractavit, quo magis illuſtrando Abulfedae eſſet idoneus. Quod nomen apud veteres mediique aevi ſcriptores Geographo noſtro memoratum eſt, loco quodque ſuo annotavit; Urbes caeteris magis

igno-

ignotas, nationes atque illuſtriores reddidit. In quo ſibi haud parum profuiſſe libros manuſcriptos, lexicographos inprimis, quibus in Bibliothecis Leidenſi et Oxonienſi Bodleiana uſus ſit, profitetur; quorum etiam titulos affert. Optamus, ut Cl. Koehlerus quam p. 4. plag. h. promittit de *Iakutis*, *viris inter Muhammedanos eruditionis fama illuſtribus*, diſſertationem, mox, commodo litterarum, prodire iubeat. Denique nonnulla addit de ratione nomina arabica latine ſcribendi, in hoc libello adhibita, (quam ii legant, qui accuratius linguam iſtam pronuntiare cupiunt,) valdeque dubitat, an plures Abulfedae tabulas illuſtraturus ſit. Fortaſſis mox videbimus feliciorem et iucundiorem litterarum arabicarum faciem. Accedimus ad *notas miſcellaneas*. Finita deſcriptione inſularum maris mediterranei, confert ſe Auctor ad expoſitionem Syriae. (Praecipuae vero inſularum illarum, quas in tabula praecedente, quae numero eſt quinta, recenſuit, ſunt Cadix, Gierba, Maiorca, Minorca, Ibiſa, Sardinia, Creta, Rhodus, Samus, Cyprus, Sicilia.) Nominantur fines et termini Syriam cingentes. Adducuntur cauſae, ob quas Syria nomen, quod iam gerit, ſc. Scham شامة accepiſſe dicitur, praecipue tres. Prima eſt, quia colonia quaedam filiorum Canaan ad illam taſchaamu, i. e. ad ſiniſtram, ſe flectentes contenderunt. Iacet enim a ſiniſtra Caabae, vultu ad orientem converſo. Secunda, quia ita dicta eſt a Semo, filio Noachi, nominato ſecundum dialectum Syriacam Scham شام Tertia, quia habet Schamat, i. e. maculas albas rubraſque et nigras, terras nempe his coloribus praeditas. Nec diſſentiunt inter ſe Reiskius et Koehlerus in nota 15. cuinam harum ſententiarum accedere velint. Ille priorem amplectitur, quod Arabia felix Arabibus al Iaman dicitur, h. e. ἡ ἐπιδέξιος, dextima regio, ratione ſcilicet Caabae, et hominis ad orientem ſolem reſpicientis, quare Scham eſt ἡ λαιὰ aut ἡ εὐώνυμος. Koehlerus eidem favet, alios tamen adducit, qui mediam ſequuntur. Abulfeda dicit, ſe Achmedis, filii Abi Iacubi l Catebi, libro legendo dediſſe operam, qui contendat, eſſe Syriam terram peſtiferam, eique adeo maledicat. Ibn al Atſiri, quem Geographus noſter in me-

dium

dium profert, ita loquitur: ſcito, Syriam dividi in quinque praefecturas, Kinnesrinam ſcilicet, Emeſſenam, Damaſcenam, Iordaniticam, Palaeſtinenſem, quae poſterior ingens eſt, et Hieroſolymam, Gazam, et Aſcalonem amplectitur, et ab occidente prima praefecturarum Syriae. Deſcribitur Palaeſtinae fertilitas, eiusque gleba totius Syriae mollisſima dicitur; uti ſolum Hieroſolymae, de qua nonnulla proferuntur, totius Palaeſtinae uberrimum. In celebrioribus Syriae oppidis eſt ar Rakim, cuius omnes domus ſaxo vivo inciſae ſunt, quas ergo Troglodytarum, in quorum locum Idumaei ſucceſſerant, ſedes arbitratur Reiskius, (not. 50.) Albalkaa eſt unus quidam diſtrictuum, ar Scharatae, metropolin habens حسبان Chosban, quam Koehlerus (not. 51.) recte cum חשבון, celebrato in ſacris litteris oppido, confert. Lacus Zogharae vulgo uſurpatur lacus foetidus. Nullum eſt in eo animans, neque piſcis, neque alius generis quidquam. Exaeſtuat et ille aliquid, quod vocant al Chommar, bitumen, quo utuntur incolae huius terrae ad oblinendas vites et ficus, hoc non minus conducere arbori arbitrati, quam foecundationem palmae. Prope mare foetidum ſunt regiones Lothitarum, quae vocari ſolent terra inverſa. Nulla ibi ſunt arva, nulla paſcua, nil pabuli. Solum illic eſt nigrum, lapidibus coopertum, qui pari fere omnes magnitudine ſunt. Lapides accepimus eſſe de genere illorum ſignatorum, quibus olim icti ſunt Lothitae. Hanc vero maris foetidi paulo uberiorem deſcriptionem ideo totam communicavimus cum lectoribus noſtris, ut ſecundum eam examinarent, quas vel veteres, vel recentiores Geographi et Hiſtorici, de illo dederunt narrationes; praeſertim ut *Büſchingium* alliceremus ad evolvendum librum, de quo hactenus locuti ſumus, cuiusque partem reliquam, nam ita putamus nos bene merituros de Lectoribus noſtris, propediem recenſebimus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Ian. et Febr. Anno MDCCLXVIII.

THESAURI BRITANNICI PARS II. SEU MUſeum Numarium, complexum nummos Graecos et Latinos omnis metalli et formae necdum editos, depictos et deſcriptos, a NIC. FRANC. HAYM, Romano, interprete IOS. KHELL, e Soc. Ieſu.

Vindobonae typis Ioh. Thomae de Trattnern, Aulae typogr. et bibliop. 1765. 2 Alph. 5 plagg. et LI. Tabb. aen. quaternis.

Iuſtiſſima illa vota, quibus Illuſtriſſimo Comiti *Chriſtiani*, in recenſita priore huius Theſauri Britannici parte, vitam et incolumitatem diurnam, literis autem humanioribus ab illius ingenio politiſſimo ſumma apprecati ſumus incrementa, haud irrita prorſus fuiſſe conſpeximus. Etiamſi enim Illuſtr. Comes nunc quidem editoris partes non ſuſcepit; alius tamen vir doctiſſimus, Summe Rev. *P. Khellius*, veteranus miles in hac palaeſtra, et hac noſtra aetate certe e primariis, votis noſtris reſpondit. Non repetimus igitur, quanta iam Partis prioris editio in re numiſmatica emendaverit, ſuppleverit; id quod cum pluribus cognoſci poteſt, ex conſenſu virorum rei antiquariae peritiſſimorum, tum

etiam ex iis, quae his Actis anno 1762. menſe Iulio pag. 329. inſeruimus. Accedimus potius ad alterius Partis recenſionem, quae eadem, ut diximus, diligentia, eadem doctrina, eadem praerogativa prae reliquis rem numariam tractantibus libris, iisdemque animadverſionibus doctiſſimis, quibus prima, omni reipublicae literariae ſatisfecit expectationi. Eandem Auguſtiſſimae Imperatrici Mariae Thereſiae, *Com. Steph. Oliv. de Wallis*, quum ab Ipſa in cubiculariorum regiorum numerum eſſet adſcitus, inſcripſit. Cuius gratiam, quod ſcientiis artibusque omnibus liberalibus laetiſſima dat incrementa, et ingenia haud exigua praeſidio aliisque maternis fovet, allicit, tuetur, animo ſubmiſſo et grato, boni civis teſſera, celebrat. De Theſauri huius ipſius Tomi praeſtantia, nihil fere eſt quod adiiciamus; quippe quae priori ſimillima, praeter pauca iſta, quae Haymius ipſe in priore editione mutaverat; eadem gloria ſplendidus, elegantiaque commendatus prodiit hic Tom. II. ut facile de eodem calamo fluxiſſe videatur. Idem peritus chalcographus Mansfeldus, aeneas, quemadmodum in priore Tomo, caelavit tabulas, ab ipſis Haymianis paene haud dignoſcendas. Adpendicula inprimis numorum, eorumque maxime, qui in Geſnero deſiderantur, huic libro adiecta, hic ſumma aeſtumatione proſequenda et commendanda eſt; de quo infra pluribus agemus. Praeterea hoc etiam, exiguum quanquam, monendum eſſe duximus, locupletioris huius Tomi adnotationes, quae in primo Tomo nec alterum adſequebantur Alphabetum, hic numerum ducenteſimum excedere, quoniam et in opere ipſo 5000. amplius numiſmata recenſentur, et R. P. Khellius exinde melius eſſe duxit, pro alphabeti elementis, ne literae parum commode deberent multiplicari, numeralibus characteribus in animadverſionibus uti. Veruntamen in hoc etiam Tomo, Haymio, viro doctiſſimo, aliisque laboribus occupatiſſimo, exciderunt quaedam, quae aliorum virorum eruditorum nec ferre potuerunt calculum, nec ab eruditiſſimo editore impune praetermitti, in quibus eum, bonum ce-

tero-

ceteroquin auctorem, dormitantem ſaepius deprehendit; de quibus pauca adiiciemus.

Sic pag. 17. haud immerito, immo vero praeclare Haymius reprehenditur, quod in numo quodam Tab. II. n. 5. caput cauſia tectum Philippi patris Alexandri M. eſſe crediderit, imitatumque in eo fuiſſe Perſeum regum poſtremum, quod idem caput ob grandium illius Philippi facinorum memoriam, ſua in moneta feriri iuſſerit; reddita praeterea ratione de aquila averſae partis, fulmen unguibus ſtringente. Quare recte A. miratur, Haymium, virum in diverſis vultuum ductibus obſervandis accuratiſſimum, diverſo oris habitu animadverſo, capita haec non iis adſcripſiſſe regibus, quorum nomina monetae praeferunt. In ipſius enim numi averſa aquila conſpicitur, fulmen in unguibus, ſuperadditis literis B. A. quas Haymius legendas, *Regis Alexandri*, autumat. Quid autem literae E. P. paulo inferius exaratae ſibi velint, in eo modeſtam profitetur ignorantiam, quum nullius Macedoniae regis nomen iiſdem comprehendatur. Quibus perpenſis Khellius exiſtimat, poſtremum Philippum multo maiorem habuiſſe rationem, praeremotioris illius Philippi, caput Antigoni Gonatae avi conſignandi, qui pulſis aemulis, regnum in Poliorcetis familiam traductum, ſibi et poſteris adſeruerat. Quam praeclare autem haec animadverſio doctiſſima ingenium auctoris acutiſſimum prodit? forte tamen alia coniectura locum obtinere aliquem poſſet, nimirum, caput in numo expreſſum, Philippi Aridaei, aut Antigoni III. Doſonis cognomine, credi poſſe. Nonne enim poſtremus ille Philippus, aut Perſeus, ultimus Macedonum rex, eadem ratione inductus, numos capite Philippi Aridaei, fratris Alex. M. primi poſt Alex. M. Macedonum regis, ſignare potuerat? Nonne alia impulſus ratione, numos in honorem Antigoni III. Doſonis, qui tutor Philippi poſtremi, regnum bene adminiſtratum, ipſi, maturam aetatem conſecuto, opti-

ſua fide, (rariſſimo eorum temporum exemplo,) tradiderit, eiusdem capite ornare poterat? Sed in eiusmodi ſententiis ſuſpenſis, cuique eligendi libertatem relinquimus.

P. 48. ad Tab. V. n. 11. Haymius nummum regum Cappadociae profert, in cuius parte antica caput diadematum, in adverſa ſtans Pallas, dextra Victoriolam, ſin. haſtam cum ſcuto, cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. Θ. *Regis Ariarathis Philometoris* anno IX. Hinc Haymius, duabus ſeductus rationibus, ſibi perſuaſerat, ſub hoc Ariarathe rege hunc nummum eſſe percuſſum: cui vultus iuvenilis primum, et titulus, *Amantis matrem*, alterum praebuerat argumentum: quem titulum Ariarathem propterea adſumſiſſe exiſtimat, ut Mithridati, ſororem ſuam odio proſequenti, adverſaretur. de quo vid. plura p. 47. et ap. Iuſtin. lib. 38. Deinde Ariarathem IX. Cappadociae regem venditat, filium octennem a Mithridate patre intruſum eſſe, ſub tutela perfidi Gordii, qui Ariarathem VIII. trucidaverat. Verum pl. R. Editor Haymii ſententiam ex loco Iuſtini modo laudato, *Regnum Cappadociae octo annorum filio, impoſito Ariarathis nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit*, optime repudiat. Alium enim, quam Mithridatis filium intelligendum eſſe, probe notat: quid enim opus fuiſſet, inquit, Ariarathis nomen, hac in familia domeſticum, ei inditum commemorare, niſi ex alia gente fuiſſet protractus? Deinde ex alia gente omnino ortum fuiſſe, reliqua hiſt. Iuſtini ſeries probat, ubi nimirum refert, Nicomedem veritum, ne Mithridates, acceſſione Cappadociae facta, etiam Bithyniam finitimam invaderet, puerum eximiae pulcritudinis ſubornatum, (hic videtur ille, ex cuius oris venuſtate Haymius ſupra argumentum duxerat,) cum Laudice uxore Ariarathis VII. Romam miſiſſe, *ad teſtimonium*, uti loquitur, *trium ex Ariarathe ſuſceptorum filiorum*, Mithridatem vero ea re cognita, pari impudentia Gordium miſiſſe Romam, qui Senatui adſereret, *puerum illum*, cui Cappado-

pado-

pahdie regnum tradiderat, *ex eo Ariarathe genitum*, qui bello Ariſtonici auxilia Romanis ferens occubuiſſet.

Pag. 52. not. 23. recte Khellius V. Cl. monet, *Pruſiam I.* cognomine *Claudum*, qui praeerat Bithyniae, non, ut Haymius vult, Nicomedis fuiſſe filium, ſed nepotem, ex *Ziela* ſive *Zela* natum, qui poſt mortem patris Nicomedis regno erat potitus.

Pag. 77. Haymius numum Comitis de Winchelſea, argenteum, fabricae et conſervationis optimae, granorum Anglicorum ſex, Tab. VII. n. 6. exhibet, in cuius parte antica caput calvum et barbatum, cornu ad aurem adpoſito: in averſa duo piſces cum literis ΑΘ —— —. Quod caput aveſe partis alii Pani deo, alii Socrati, alii Epicuro tribuunt. Hic Haymius, qui quidem ultimam de Epicuro ſententiam amplectitur, addit tamen eo loco, exiſtimationis gratia etiam caput Socratis hac moneta argentea potuiſſe cudi. Quam ob rem Khellius Haymium reprehendit, quaerendo, quid ad gloriam conferat conſignatus in obolo, eoque diminuto, vultus? Sed veniam dabit Vir doctiſſimus, ſi et nos in hoc loco diiudicando propenſiores ſimus ad ſententiam illam Haymianam amplectendam. Tota enim antiquitas loquitur, veteres, in ornandis viris ſummis, et de rep. bene meritis, eorum memoriam vel ſtatuis, vel aliis monumentis poſteritati ſervaſſe. Praeterea eadem noſtra ſententia ex ipſis etiam cl. Editoris verbis probari videtur. Sic enim pag. 85. not. 96. ipſe largitur, per numum illum, qui ibidem Tab. VIII. n. 4. proponitur, *Byzantinos herois ſui iuventutem honorare voluiſſe*. Quidni igitur impedit, ſi pluribus urbium exemplis, ut Abderitarum, Cyzicenorum, Myrinaeorum, Smyrnaeorum, Tianorum, etc. probari poſſit, iſtas urbes, capita τῶν Κτιςῶν, non vaga ſolum effigie, ſed adſcriptis etiam nominibus, honoris cauſa ſignare ſolitas fuiſſe, quo minus idem de aliis viris illuſtribus et bene meritis credamus?

Pag. 130. not. 81. arguit Haymium erroris, quod neglecto Stephani textu autenthico, ſola verſione latina contentus, eaque ſeductus, exiſtimavit, voc. θυγατέρα eſſe nomen filiae Seleuci proprium. Praeterquam enim quod nullus hiſtoricus eius nomen ad nos transtulerit, etiam ſanus omnino ſenſus ex eo ipſo Stephani loco Graeco apparet, ubi nimirum ſic legitur: ἀκέσαντες ὅτι θυγάτηρ αὐτῷ γέγονε, τὴν πόλιν κ. λ. cuius ſenſus: *audiens natam ſibi filiam, urbem* etc.

Pag. 131. n. 82. alium locum Platonis, ab Haymio male intellectum, vindicat. Non enim in ipſo templo Agraeae, ut Haymius vult, ſed alicubi in aedis vicinia, aram Boreae fuiſſe conſtat. Sic Plato loc. cit. in Phaedro ſub init. leg. καίπε τὶς ἐςι βῶμος αὐτόθι Βοῤῥέου. Pauſan. autem lib. I. c. 29. tradit, in vicinia ad Iliſſum, per Athenienſium agrum fluentem, templum Dianae fuiſſe; collato Herodoto, qui lib. VII. Boreae aedem ad eundem fluvium refert.

Pag. 286. n. 175. candide oſtendit vener. Khellius, Haymium in deſcribendis campis illis floridis, et diſtantia inter Tium urbem et Billaeum fluvium, non ſatis diligenter verſatum, ſolamque Stephani ſententiam, neglecta Strabonis aliorumque, ſecutum fuiſſe. Tium enim, Philetaeri Pergami regni conditoris patriam, in propinquo habere, ait, Billaeum fluvium: quum e contrario Strabo commemoret, per campos illos Parthenium fluere. Sic enim Strabo lib. 12. p. 374. ὁ Παρθένιος ποταμὸς, διὰ χωρίων ἀνθηρῶν φερόμενος, καὶ διὰ τῦτο τῦ ὀνόματος τύτυ τετυχηκὸς, ἐν αὐτῇ τῇ Παφλαγονίᾳ τὰς πηγὰς ἔχων, *amnis*, inquit, *Parthenius per florida delabens loca, indeque id nomen conſecutus*, (quaſi virgineus,) *fontes in ipſa habet Paphlagonia.* Arrianus autem a Tio urbe Graeca Ionica ad Billaeum $\overline{XX}$ et ab hoc fluvio ad Parthenium $\overline{C}$ ſtadia numerat. De Billaeo fluvio plura refert Plin. lib. 6. c. 11. Apollonius l. 2. v. 793. et Porphyro-

phyrogennetus Conſtantinus lib. 1, them. 7. hoc fluvio dicit Paphlagoniam ab occaſu finiri, ſequutus Plin. loc. cit. qui etiam a *Billi* ſ. *Billaeo* initium fecit gentis Paphlagoniae.

Poſt haec, quae de Tomo altero, eique ſubſcriptis animadverſionibus, lectoribus noſtris indicanda cenſuimus, convertimus nos ad alium librum huic Tomo alteri itidem adiectum. Auctor integri huius libri, minoris quidem molis, verum haud minori eruditione conſcripti, ut priorum obſervationum, eſt *P. Ioſephus Khell* S. I. Vir in his ſtudiis exercitatiſſimus, qui inſequentem praemiſit titulum:

Adpendicula altera ad Numismata Graeca populorum et urbium, a *Iacobo Gesnero* tabulis aeneis repraeſentata, *Auct. Ioſ. Khell, e Soc. Ieſu, in Coll. Thereſiano rei antiquariae docendae praefecto.* Vindobonae 1764. 21. plagg. et 4. Tabb. aen.

Hoc igitur libro, qui illam Tomi prioris appendiculam eruditione aequat, copia autem numorum et obſervationum ſuperat, praeter paucos quosdam, eiusmodi tantum numi propoſiti ſunt, quorum nullus adhuc a viris eruditis eſt editus. Quo magis autem perſpectum habemus, hac priſtini aevi monumentorum collectione, et illuſtratione, multum utilitatis afferri Geographiae, Hiſtoriae, Grammaticis et antiquitatibus, eo minus dubitamus, quin tota reſpublica literaria hie celeberr. Auctoris laboribus digniſſimis ſummo aſſenſu applauſura, eiusque opus, gratum ſibi munus, hilari fronte ſit acceptura. Quinquaginta quinque numi hic ab erudito lectore, in quatuor tabulas diſtributi, diligenterque aeri inciſi, conſpici poſſunt. In quibus hoc inprimis, prae reliquis ad rem numismaticam pertinentibus libris, conſiderandum aeſtimandumque eſt, quod ſinguli numi eadem magnitudine, eodemque ambitu, quem eorum quisque per ſe habet, a chalcographo ſint exhibiti, eademque elegantia ſcalpturae et aeris ruditas, aliique defectus, aeruginis edacitate et temporis iniuria oborti, additi, diligenterque expreſſi.

Prae-

Praeterea etiam pretium huius libri ex hoc cognoſci poteſt, quod S. Rev. Auctor lectoribus trium ſupra viginti urbium numos, ſine capite regis vel imperatoris percuſſos, neque adhuc ab ullo deſcriptos; atque inter eos iterum aliquot, quorum urbes nunquam adhuc in moneta aliqua legebantur, in hoc opere exhibuit: quo pertinent inprimis numi Carthaeae urbis, et Cneſſiorum quidam, quos Ill. Comes primus e tenebris in lucem protraxit. Pleroſque autem eorum cum ex Ugneriano, tum ex ſuo potiſſimum muſeo depromſit, praeter eos, quos ipſi ad coniecturas firmandas, et explicationem conſtituendam, depictos ſuppeditavit Generoſiſſ. Marchio Antonius Savorgnanus. Ceterum, quam maxime etiam Tomi prioris ordinem conſervare ſtuduit, aliquantum tamen ab illo ſimul diſceſſit. Prior enim Adpendicula primi Tomi, ut Kh. in praefatione ſingulari docuit, ſic erat comparata, ut ab Haymiano opere poſſet ſeparari; id quod fieri in hac non potuiſſe, idem Auctor in praefatione pluribus monuit, quum multa ſimul, quae adnotationes ad Haymium nimis longas effeciſſent, huc transtulit. Accedimus nunc ad ipſius libri recenſionem, ut cum ex collectione numorum, quantum valeant ad ſtudium antiquitatis aliasque artes illuſtrandas, tum ex animadverſionibus ipſis eruditis conſpici queat, quantum ingenium venerabilis auctoris, prae multis certe aliis, in antiquitatum hiſtoriaeque omnis generis notitia, hoc opere praeſtiterit. Omnes quidem numi, pariter ac ea, quae Khellius ad ſingulos commentatus eſt, ſingularem doctrinae, quam ſpirant, laudem merentur; nos tamen, pro more in his Actis ceteroquin obſervari ſolito, de quibusdam duntaxat, qui nobis prae ceteris ſingulari attentione digni viſi ſunt, nunc quidem breviter diſſeremus.

Numus primus eſt aereus Adramyttenorum, minoris oppidi Myſiae, in cuius parte antica caput Apollinis laureatum; in averſa cornu copiae inter pileos Dioſcurorum,

cum

cum Epigraphe: ΑΔΡΑΜΥ - - ΤΗΝΩΝ, conſpicitur. Hic nummus ex ipſius rever. Editor. muſeo, uti reliqui Adramyttenorum, tam rarus, ut imperiales eiusdem generis ſ. a Vaillantio, ſ. ab Harduino indicati, vel poſtea a Theupoli editi, admodum pauci, ſine imperatoris autem capite alius productus plane nullus hactenus extet. Typus ipſe averſae partis id praeterea ſingulare habet, quod, vel tacentibus geographis et hiſtoricis, urbem Adramyttenorum Dioſcurorum religioni addictam, ſitum ſuum ad mare habuiſſe, et conſecutam inde, ut Phoeniciae urbes, per commercia magnam opulentiam, luculenter indicet. Quam urbem magnis emporiis ſe comparare potuiſſe, ex Strabonis lib. XIII. p. 606. probat; qui, quum docuiſſet, totam maris oram a Lecto ad Canas, comprehenſo Elaitico, ſinum dictum fuiſſe Adramyttenum, d. l. ſubiicit, *proprie Adramyttenum ſinum dictum fuiſſe, qui promontorio, cui inſident Gargara, et alio Pyrrha claudatur.* Latitudinem autem inter utrumque promontorium traiectu ſtadiorum CXX. emetiendam eſſe. Eiusdem urbis antiquitatem idem Strabo p. 613. probat, eam a Lydis conditam fuiſſe aſſerens, et exinde ſummae antiquitatis locum obtinere oſtendens. Contra cuius tamen ſententiam Editor doctiſſ. dubium affert, quod eandem Strabo Athenienſium coloniam fuiſſe, neque tamen duce ductae coloniae, neque Olympiade deſignata, perhibuerit. Quanquam enim e Thucyd. lib. VIII. init. conſtat, Delios inſula ſua Olymp. LXXXIX. an. 2. ab Athenienſibus pulſos eſſe: ratio tamen Khellii V. Cl. videtur probabilior, dum e Diodoro Sic. lib. XII. p. 121. negat, Delios aut illuc migrare voluiſſe, aut ipſos Athenienſes id paſſuros fuiſſe. Diverſis igitur utriusque Scriptoris verbis inter ſe collatis, optime colligit, Adramytteum tum potius ſub Perſarum imperio fuiſſe; hocque maxime e Diodoro probat, ubi ſic legitur: Τοῖς δ' ἐκπεσοῦσι Δηλίοις Φαρνάκης ὁ σατράπης ἔδωκεν οἰκεῖν πόλιν Ἀτραμύττιον, h. e. Deliis vero eiectis Pharnaces Satrapes Atramyttium incolendam dedit. Deinde quaeſtioni occurrit, cuiusnam

nam Apollinis ſit caput in antica numi parte? an Apollinis Parii, in templo ad Hamaxitum ſito, an Apollinis Sminthei? Optimis enim argumentis e Strabone l. c. p. 605. et 612. oſtendit, eſſe hoc caput Apollinis Sminthei, cuius delubrum Chryſae, oppido maritimo in vicinia Myſiae et Adramyttenorum urbis fuerit; de quarum urbium confinitate vid. Pomp. Mela lib. 1. c. 18. Relinquit tamen iis etiam liberum arbitrium, qui hoc de capite Apollinis Cillei eiusdem viciniae accipere malint: de quo Apolline ipſe Strabo l. c. dubius tradit: Ἄδηλον, εἴτε τὸν αὐτὸν τῷ Σμινθεῖ, εἴθ' ἕτερον. *Incertum, idemne ſit cum Sminthco, an alius ab eo.* Duo praeterea in fine ad hunc numum monenda cenſuit. Primum, ſcriptorem muſei Theupoli, turpi admodum lapſu, numum Commodi in averſa ita inſcriptum: ΑΔΡΑΜ. ΜΗΤΡ. ΝΕΟΚ. ΠΡ. ΠΟΝΤ. ΕΤ. ΡΗΘ. Adramytteo huic attribuiſſe, et ſic Pontum ad Myſiam usque extendiſſe. Alterum, Stephani praecepta de orthographia nominis Adramyttei male cum numis, etiam ante hunc editis, conſentire; nam iubere illum, cum ſimplici T ſcribi, dum diphthongum, cum duobus, dum I ſolum habeat.

Pag. 24. exhibet numum Aleatarum, Tab. 1. n. 4. in cuius antica caput Minervae galeatum, in av. bubo cippo inſidens, cum epigr. ΑΘ - - ΝΑΣ. ΑΛΕΑΣ. *Minervae Aleae:* cuius numi picturam ſibi miſſam eſſe fatetur a Sereniſſ. Reip. Venetae Senatore et XViro Incl. *Thiepoli*: Extat quidem idem numus, ſimilis ſaltem moneta, in Muſeo Cl. Arigoni Tab. III. n. 39. ſed quia in Collectione Gesneriana plane aberat, et in Arigoniana per errorem Athenienſibus numis inſertus, S. Rev. auctor hac collectione ei denuo locum concedere haud immerito cenſuit. Oſtendit primo errorem Arigoni, ex male intellecta dialecto Dorica profectum eſſe; qua dialecto Arcades uſi, literam A [in hoc numo quidem extritam] pro H poſitam legerunt. Deinde ex epigraphe huius numi ΑΘΑΝΑΣ. ΑΛΕΑΣ optime probat, hoc-

hocce numiſma nuſpiam alibi, quam Aleae Arcadiae oppido percuſſum fuiſſe. Quam ſententiam ſuam contra locum etiam Pauſaniae L. VIII. c. 4. p. 606. ex quo probari videtur, Minervae Aleae cultum Tegeae potiſſimum floruiſſe, aliis locis, optimisque argumentis vindicat. Oſtendit nimirum ex alio Pauſaniae loco L. VIII. c. 9. p. 617 aliud etiam Minervae templum Mantineae ſtructum fuiſſe, et ex eiusdem cap. 45. p. 693. coll. c. 23. p. 642. probat, Aleum Aphidantis filium vetuſtum templum Aleae Minervae Tegeatis quidem aedificaſſe: interiecto tamen deinde tempore aliud ipſos cives deae exſtruxiſſe Olympiade XCVI. magnum illud et ſpectantium approbatione dignum. Quibus inter ſe comparatis, ex ſeqq. Pauſaniae dictis optime colligit, Aleum aliquandiu ſedem regiam Aleae, nimirum in urbe a ſe condita, fixiſſe, eo ſaltem temporis intervallo, quo Minervae ibidem dedicatum ſignum, et hinc uſucapione quaſi aliqua Aleae cognomen mereri potuiſſe. Tum vero, ſeu triſti patris memoria motum, ſeu loci ſitu invitatum, aulam regiam Tegeum transferre conſtituiſſe, neque tamen aliter quam Palladio ſuo aliquantum ante praemiſſo. Sic enim Pauſanias: Τῇ δὲ Ἀθηνᾷ τῇ Ἀλέᾳ τὸ ἱερὸν ὠκοδόμησεν ἐν Τεγέᾳ τὸ ἀρχαῖον, καὶ αὐτῷ κατεσκεύασε αὐτόθι ἡ βασιλεία. Ceterum, ſi vel nulla adeſſent teſtimonia, nequaquam tamen, ut Khellius V. Cl. bene notandum exiſtimat, cives omnes convulſis tectis Megalopolin [ſec. Pauſan. L. VIII. c. 27. p. 655.] convolaſſe putandi ſunt, aut iis, qui remanſerant, priſca civitatis iura, atque adeo in his etiam cudendae monetae, fuiſſe ademta. Non enim ſeditionis alicuius, aut alterius criminis, ſed communis ſecuritatis cauſa, exemplo Argivorum inducti, hanc Arcades ſuſceperant commigrationem.

Pag. 52. Nummum aereum Aradiorum profert, in cuius antica caput Solis radiatum; in averſa navigium aut calathus, ex quo ſpicae duae cum plantae alicuius ramuſculo eminent, cum epigr. ΑΡΑΔΙΩΝ. ΕΟΤ. *Aradiorum.*

Ii 2 anno

anno CCCLXXV. Tab. I. n. 8. Moneta haec e numophylacio *Cl. Igneri*, et ſignis utriusque partis, et epocha ſpectabilis eſt. Antiquitas Aradiorum, et urbis in inſula freto parvo a continente diremta ſitus, haud dubio ex Scriptoribus vett. omnibus innotuit. Quam inſulam Plinius lib. 5. cap. 31. Pariam ante Ioppen ſitam vocat. Duas huic urbi epochas, et quidem eodem in numo ſignatas, tribuerunt Begerus et Spanhemius Theſ. Brand. To. I. p. 405. ſſ. nempe recentiorem unam, quam ille, quemadmodum Harduinus, cum Seleucidarum epocha incepiſſe ſuſpicabatur; hic vero ad annum V. C. 494. retulit: altera antiquior, ad tempora Darii Nothi adſcendere videbatur. Contra utrumque horum virorum doctiſſimorum errorem Auctor clar. dubitationes ſuas affert, et laterculo epocharum in ipſo opere p. 53. ſ. diligentiſſime exhibito oſtendit, neutri errori futuros fuiſſe obnoxios, niſi uni eidemque fere numo coniecturas ſuas superſtruxiſſent. conf. h. l. *Noriſius T. II. Diſſ. IV. de Epoch. Syromac. col. 454. ſſ.* qui exordium aerae Aradiorum inter A. V. C. 494. et 496. refert. De caelatura partis poſticae Vener. Auctor, exemplo aliorum huius urbis numorum, probat, roſtrum altius verſus epigraphen naviculam potius, quam calathum exhibere. De ſpicis autem, quae fertilitatis alias ſymbolum eſſe ſoleant, e *Strabone* L. XIII. p. 753. et *Pomp. Mela* L. II. c. 7. monet, in hac inſula parva eaque petroſa fruſtra agros quaeri: *Aradus* enim, uti Mela d. l. ait, *in Phoenice eſt parva, et quantum patet tota oppidum.* Reſtat adhuc plantae illius averſae partis difficilior explicatio. Qua in re doctiſſ. Khell. de *Oenanthe*, in re unguentaria adhiberi ſolita, ſententiam eo magis ſectamur, quo clarius eiusdem naturam et uſum optimis probavit ſcriptorum vett. teſtimoniis. Praeterquam enim quod opinio eorum, qui hanc plantam de vite botris ſuis turgida explicant, ea de cauſa minus probanda eſt, quia eorum ad ſpicas nulla fere ſit proportio; de oenanthis contra natura, eiusque in commercio cum Graecis utilitate, optime teſtantur Plin. H.

N. lib.

N. lib. XII. c. 28. Dioſcor. lib. V. c. 5. et Athenaeus, qui unguentum oenanthinum proferens, continuo addit: ἐν δὲ Ἑλλάδι ὀ γίνεται διὰ τὸ ἄοσμον *unguentum hoc in Graecia non conſit, quia inodora oenanthe.*

Pag. 86. *Duo* numi aerei Cnoſſiorum exhibentur, altero ad alterius illuſtrationem adhibito. In prioris antica caput, ut videtur, Dianae, prominente ad humeros pharetra; in av. pharetra ex loro ad angulum acutum pendula: ep. ΘΑΡΣΤΔΙΚΑ. - - *Tharſydica*, Tab. II. n. 4. De priore hoc numo, quem Rev. auctor ex ſuo numophylacio protractum urbi tribuit, de qua omnes fere veteres ſcriptores ſilent, ſuſpicatur, nomen inſcriptum eſſe magiſtratus; idque probare ſtudet ex numo alio, ab Ilgnero ſibi ſuppeditato, in cuius poſtica nitide ſervata, ſparſis circa pharetram literis, pro ΘΑΡΣΥΔΙΚΑ legebatur ΑΥΡΙΑ. Verum nova dubitatione implicitus erat, conſpecto numo aliquo Inl. Arigonii, Tab. XXIII. n. 226. exhibito, qui praeter capitis aliquam ſimilitudinem referebat literas ΔΥ, et quem auctor ille Zanclae attribuerat. Hinc ex eiusmodi dubiis hoc altero numo explicare ſe ſtuduit, cuius ectypon Celeb. Marchio Savorgnanus ipſi ſuppeditaverat. Exhibet nimirum in antica caput Iovis laureatum, et in av. aquilam ſtantem in partem converſam, cum epigr. ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ Ζ. *Tharſydicas VII.* Tab. II. n. 5. Conſtat enim inter omnes, diverſis in urbibus ſaepe viros eiusdem nominis magiſtratu eſſe perfunctos; unde, quia hic nullum in antica integri numi veſtigium literarum vel conſpici poterat, Cl. Khellius optime coniicit, urbes aliquas ſuum in monetis nomen praetermiſiſſe: ſimul vero affirmat, ipſas utriusque per aream averſae diſperſas literas velut digito in eandem officinam intendere. Confirmat praeterea hanc ſuam coniecturam e numismate Haymii, To. II. pag. 143. ſ. edit. Ital. pag. 117. deſcripto, in quo ſimiliter aquila conſpicitur, qualis in Savorgniano, et literae pariter per aream diſſeminatae alterius

 alicu-

alicuius Cosmi nomen, et in recto quidem caſu ΜΝΗΣΘΕΟΣ. *Mneſtheus*, ut ΘΑΡΣΤΔΙΚΑΣ atque ΑΤΡΙΑ, obiiciunt. Quibus ſine omni dubio conſici docet, numum, quem ex ſuis cum nomine ΘΑΡΣΤΔΙΚΑ - - exhibuit, Cnoſſo notiſſimo Cretae oppido eſſe adſcribendum. Ait ſub finem A. non eſſe tam anguſtam ſupellectilem numariam, ut non eadem ſententia magis ſtabiliri poſſit.

Pag. 99. Profertur numus argenteus Lacedaemoniorum, in cuius antica caput diadematum: in poſtica vas inter pileos Dioſcurorum. ΛΑ. ΠΕΙCΙΠ, Tab. II. n. 11. Hic numulus inprimis ſpectabilis, partim quia tertius inter Lacedaemonios eſt, quem argenteum hactenus vidimus; partim quia, uti Auctor Cl. ad Haymii To. II. p. 158. not. 100. indicavit, in ipſo catalogo τῶν ἀνεκδότων gazae Auſtriacae Vindobonenſ. erat omiſſus. Obelum aliquem hoc de argumento iam fixerat Inl. *C. Chriſtiani* To. I. p. 132. huius operis, nimirum ſub Agide II. circa A. Chr. 337. et magis ſub Lyſandro irrepſiſſe pecuniam auream et argenteam peregrinam, de qua re inprimis Aelian. V. H. lib. XIV, c. 29. ὅτι Λύσανδρος ἐκόμισεν ἐις Λακεδαίμονα χρήματα κ. λ. Satis nota ſunt etiam ex hiſtorigis deliberatio et ψήφισμα Spartanorum, quid auro et argento ex captis a Lyſandro Athenis adportato faciundum? Ex quibus conſici videtur, Spartanos, [ut omnis fraus in legem de pecunia caveretur,] decernere potuiſſe, ut peregrina argentea moneta vel a typario Lacedaemonio refingeretur, vel in alium uſum adhiberetur. Fieri enim potuit, ut a Gylippo Spartano pro caſtrenſi pecunia numi Carthaginienſes, pretio forſan inferiore, ut Spartana paupertas ſublevaretur, in Lacedaemoniam monetam transformarentur ſub A. Ch. 413. et ſeqq. cuiusmodi pecunia Punica, ſane maximo numero et pondere, per diverſa bella, aut per Poenos ipſos, aut per Agathoclem regem, iam A. Ch. 309. in Siciliam fuerat transvecta. Sic Polyb. hiſt. lib. VI. p. 492. ed. Caſaub. tradit, Laco-

Lacedaemonios cupiditate dominandi ac diteſcendi ex alieno, pace per Antalcidam facta, urbes Graecorum a ſe proditas eo conſilio tradidiſſe, χρήζειν τῶν χρημάτων εὐπορῆσαι πρὸς τὴν κατὰ τῶν Ἑλλήνων δυναστείαν, i. e. quo pecuniarum copiam haberent ad ſubiiciendos dominatui ſuo Graecos. Etiam ipſos Lacedaemonios operam dediſſe pecuniae extraneae colligendae, paulo inferius ead. pag. docet: προσεδεῖτο γὰρ τὰ πράγματα κοινοῦ νομίσματος, — — ὅθεν ἠναγκάσθησαν — —, φόρους τοῖς νησιώταις ἐπιτάττειν, ἀργυρολογεῖν δὲ πάντας τοὺς Ἕλληνας: h. e. Erat enim opus ad res gerendas communi pecunia, — — quare coacti ſunt inſulanis tributa indicere, ex omnibus denique Graecis pecuniam corrogare. Sic idem Polyb. lib. II. p. 147. e Phylarcho refert: ἀπὸ τῶν ἐκ τῆς Μεγάλης πόλεως λαφύρων, ἑξακισχίλια τάλαντα τοῖς Λακεδαιμονίοις πεσεῖν, i. e. de praeda urbis Megalopoleos ſex talentorum millia ad Lacedaemonios rèdiiſſe. Quod ad epigraphen huius numi attinet, Rev. Auctor modeſte fatetur, primas quidem literas bene nexas, poſtremam vero ita caelatam eſſe, ut fere dubitari poſſit, an priores Π et Ε an Γ et Ι, poſterior Π, vel in Γ Ι ſit reſolvenda. Quoniam tamen probabilius viri nomen aſſumtis Π formatur ΠΕΙCΙΠΠων, vel ΠΕΙCΙΠΠος, *Piſippus* legendum eſſe exiſtimat. Quia denique nullus Spartanorum regum hoc nomine cognitus eſt, libenter in eo Viro doctiſſ. aſſentientes, caput hoc diadematum ad eorum aliquem, quorum tempore luxus irrepſerat, ita referendum cenſemus, ut Piſippi nomen magiſtratum aliquem deſignet.

Pag. 119. Exhibet A. numum Prianſienſium argenteum, in cuius antica Neptunus ſeminudus, dextra tridentem, cum epigr. ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ, *Prianſienſium:* in poſtica mulier ad arborem ſellae inſidens, quae dextra aut paſcit ſerpentem, aut animali adſilienti blanditur, Tab. III. n. 1. Hoc numisma iam Froelichii et Khellii opera, in Cimel. Auſtriac. Vindebon. P. I. pag. 34. et Tab. VIII. n. 9. depictum, prodierat.

dierat. Verum quia liber ille ob maius pretium in paucorum eſt manibus, immo propterea maxime, quia ipſi editores, litera Σ pro Ξ male accepta, una cum aliis decepti, Priene Ioniae oppido hoc numisma attribuerant, denuo A. et cum emendatione huc retulit. Alto tamen apud Geographos et Hiſtoricos de Prianſio Cretae urbe ſilentio, et inde exortis dubiis, optime conſuluit marmor Oxonienſe, olim a Cl. Humfrido Prideaux N. LVII. et deinde accuratius a Cl. Chiſhulo *Antiqu. Aſiatiqu.* p. 129. ſſ. editum; quo praeclaro monumento, uti inter Hierapytnios et Prianſienſes communium utriusque civitatis iurium ſocietas ſtabilita, ita et Prianſii memoria praeclare conſervata eſt. Optime autem in errore illo de Ionica Priene detegendo conſuluit Rever. auctori muſeum Caeſareum ab ipſo inſpectum, quo ſincera lectio ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ non ſolum explicata, verum etiam arbore, quae in Hierapytniorum monetis fere ſimilis eſt, fuit confirmata. Oſtendit praeterea A. Scribarum errore hoc mendum in Stephanum Byzantinum, et eiusdem Epitomatorem, Hermolaum, pag. 646 irrepſiſſe, ubi pro ΠΡΙΑΙΣΟΣ *πόλις Κρήτης*, laudatus Prideaux cum aliis viris eruditis legendum ſuſpicatur ΠΡΙΑΝΣΟΣ, uti et Stephani lectio, *οἱ πολῖται Πριαίσιοι καὶ Πριαισιεῖς*, id ſtabilire videtur. Prianſum autem oppidum Cretae fuiſſe maritimum, oſtendit clare Neptunus anticae partis, qui item in muſeo Ill. Arigonii ſe ſiſtit in averſa numi Tab. XVIII. n. 181. cum epigr. ΠΡΙΑΝ. Utramque Hierapytniorum et Prianſienſium urbem, eundem ſitum, utramque ſuum navale, utramque eandem ſtipulationem de praediis diſtribuendis, et communem curiam habuiſſe, apparet e foederis laudati reliquiis, ab Auctore Clar. pluribus allegata. Ex huius tabulis unum tantummodo, vicinitatem nempe ex agris conterminis excitamus, ubi lin. 17. ſic legitur: *Ἐξέστω δὲ τῷ τε Ἱεραπυτνίῳ σπείρειν ἐν τᾷ Πριανσίᾳ, καὶ τῷ Πριανσιεῖ ἐν τᾷ Ἱεραπυτνίᾳ*: h. e. *Tam civi Hierapytnio in agro Prianſienſium, quam Prianſienſi in Hierapytnio, ſeminare fas eſto.* De ſigno muliebri

libri in parte poſtica, quia nullum certum attributum reperitur, auctoris modeſtia non auſa eſt coniecturam facere; nos tamen iis non refragabimur, qui hoc ſignum Minervae Poliadis, cuius templum, teſte eodem marmore, utrique civitati fuit ſanctum, eſſe perhibent. Ceterum per arborem partis poſticae, cui ſimilis in Hierapytniorum numis repraeſentari ſolet, Inl. Spanhemius palmam intelligit; at Khell. V. Cl. ſecutus ratiocinationem Cl. Tournefortii *To. I. Relat. d'un Voyage du Levant* ep. 2. pag. 56. pro pino accipit; cuius libri verba ipſa latine reddita p. 125. l. adpoſuit. Sunt eiusmodi plura per totum libellum erudite adnotata, ſtudioſeque explicata, quae tamen contra inſtituta horum Actorum huc transferre omnia non potuimus, ne plura diſſerendo, aut lectorum noſtrorum attentionem videamur defatigare, aut terminos huius ſcriptionis excedere: quare ad ipſum potius libellum, ſumma doctrina et eleganti̇a compoſitum, lectores noſtros ablegamus.

Prius vero quam huic noſtrae recenſioni finem imponamus, operae pretium quodammodo eſſe duximus, quaedam adhuc de numis quibusdam obſcuris, pluribusve ignotis, quos Rev. auctor numis dubiis accenſuit, adiicere. Poſtquam enim varias dubitationes contra numos quosdam *du Recueil de Medailles des Rois*, tribus Tomis a Gallis quibusdam Lutetiae Pariſ. 1762. editos, protulit, et quae vel minus probanda, vel magis eruenda, et maiori argumentatione ſtabilienda, inde a pag. 156. ad pag. 164. oſtendit, pag. 165. ſeqq. ſubiicit ſeptem ignotos reliquos, ſui fere numophylacii, eosque tantae collectioni elapſos eſſe miratur. Horum primus Tab. III. n. 18. lineari pictura expreſſus, Rever. editori Hetruriam redolere videtur. Caput exhibet nudum, circa quod in orbe numi extimo aliqua literarum veſtigia conſpiciuntur; pars averſa de ſingularibus eſt, nimirum ſerram aliquam, aut repagulum, claudendis portis, refert, nullius autem epigraphes indicium plana area prodit. Praeterea craſſiuſculus eſt, atque drachmas IV. grana 30. quam proxime appendit. 2) Numum alterum

ex muſeo collegii regii Thereſiani Tab. IV. n. 1. nuſpiam adhuc editum, et a ſcriptoribus Gallicis, ut et ab academicis Cortonenſibus, neglectum, profert. In antica caput Mercurii ſatis nitide videtur repraeſentari; verum literarum veſtigia, quae in orbe a collo ad frontem ſe porrigunt, nullam fere explicationem admittunt. Pars av. Pegaſum bonae caelaturae in poſteriores pedes adſurgentem refert, infra cuius ventrem tripus. In infimo numi ſegmento, incerta tamen prima litera, uti et in pictura A indicari curavit, haec a dextra ad ſiniſtram integerrimis characteribus leguntur: IƎ◁ TNƎ — —. Primam literam, quae mutilata eſt, Rever. auctor fere pro A aut Π. Hetruſco haberi poſſe cenſet. 3) Numum muſei ſui Tab. IV. n. 2. exhibet, quem propterea dubiis adnumerat, quod ex litera una nomen loci erui debebat. Antica caput galeatum virile perite ſcalptum obiicit, ſine epigraphe: poſtica duos ſibi adverſos habet delphinos, quos inter media area litera P. Hinc, quia inſulae fere paucis, et ſaepe una ſolum litera nomina ſua ſignare ſolebant, atque delphini etiam loco mari circumfluo optime congruunt, Vener. auctor hunc numum *Rhenae*, parvae ad Delum inſulae, attribui poſſe exiſtimat, quod et ab exemplo Deliorum numorum probari poteſt, quorum aliqui officinam itidem per ſolum Δ indicant.

Deterior tamen, ex ſententia rever. auctoris, conditio trium conſequentium numorum eſt. 4) Numus Tab. IV. n. 3. in adverſa parte caput Iovis laureatum habet, infra collum duabus comparentibus literis dubiis, vel EM. vel PH. In averſa bos currens videtur paulo aliter, quam in Aradiorum numis. superiore numi parte quinque lineae rectae ſine omni fere nexu lectionem admodum intricatam reddunt, uti ex caelata imagine planius conſpici poteſt. Ad collum bovis, KA auctori doct. coniungendum videtur cum inferiore ΜΙΛΟ, aut ΜΙΛΩ, et hiſce literis magiſtratus nomen ΕΠΙ. ΑΡΙΣΚΑΜΙΛΟΥ exprimi. 5) Numus eiuſdem Tab. n. 4. muliebre caput lauro cinctum obiicit, ſine epigraphe: in poſtica duo diverſae formae ſunt haſtarum pila,

penes

penes quae verſus orbem numi hinc forſan K aut P cum K in monogramma contractum; inde E rotundum diſtinctius conſpicitur. 6) Moneta, quam Khellius V. Cl. Tab. eadem n. 5. profert, una parte delphinum caelatum habet, infra quem incertarum literarum quaedam veſtigia obiiciuntur. Pars altera maiuſcula litera Π inſignis eſt, in cuius medio aut granum frumenti, aut haſtile, quale in Polyrheniorum numo To. III. du *Recueil* Tab. C. n. 49 exhibetur; ad quam urbem forſitan quoque Π poſſet referri. 7) Ad numum, eadem Tab. n. 6. poſtremo loco exhibitum, quem *Auctor* doct. ex numophylacio Ilgneriano hic depingi curavit, varios virorum doctorum errores aperire ſtuduit. In antica caput muliebre diadematum, et quibusdam fulcris radiorum inſtar cinctum: in poſtica duae aviculae in ſemetipſas transverſae, cum literis hinc ΘΥ, et inde ΤΣ. Protulit hunc numum primum Goltzius Tab. XXVI. n. 3. cum epigr. ΚΥΡΙΕΩΝ, quem Nonnius, in commentario, Curio Cypri oppido tribuit. Pluribus deinde ſingulari libro de eodem diſputavit Cl. Begerus, ubi monetam Cypro ereptam, ita Aetoliae adſcribit, ut caput ipſum provinciae effigiem, aves meleagrides eſſe contendat. Tres eiusmodi numos Ven. auctor ſe vidiſſe profitetur, unum in muſeo collegii academici, alterum ſuum, tertium, quem et hoc loco ex numophylacio Ilgneriano exhibet. Hinc Goltzii et Begeri ſententiis in dubium vocatis, ad numum a ſe exhibitum revertitur, in quo ſupra caudam unius aviculae diſtinctiſſime ΘΥ, aut ΟΥ, ſine praecedente litera alia; ſupra alterius autem ΤΕ, aut ΤΣ, legitur, nullo omnino aliarum, intra utrumque caput, aut in area, literarum veſtigio.

Et ſic ad finem huius libri delati, huic ſimul recenſioni finem imponimus, qua nos non tam brevitas operis, quam ipſa doctrina, et ſtili elegantia adiuvit, et inter legendum oblectavit. Cuicunque enim ipſius libelli pretium, et ſumma Khellii V. Cl. eruditio cognita eſt, is etiam iis, quae hic breviter diximus, eo libentius dabit adſenſum, quo planius ex ipſa ſane eruditi operis elegantia intelliget, pal-

tiam auctori meritiſſimo multo magnificentiorem eſſe tribuendam. Sed vero et nos doctiſſ. Viro ſalutem et incolumitatem diuturnam apprecamur, ut a virtute doctrinae eius, diu ſatisque cognitae, et huius libri monumentis denuo ſtabilitae, literae humaniores, totaque re-p. eruditorum, tanta et in poſterum capiat incrementa, quanta eius hucusque perfecta doctrina, rei litterariae multis modis proficua, et iam procuravit, et in reliquum tempus pollicetur.

IO. HENRICI WINKLERI, PHYS. IN ACAD. Lipſ. Prof. Publ. Ord. de Commercio Luminis Borealis cum acu Magnetica, commentatiuncula.

Explorandarum rerum naturalium ſtudio clari atque illuſtres viri, Academiae Scientiarum regiae Suecicae ornamenta, *Andreas Celſius*, *Olaus Petrus Hiorter*, et *Petrus Wargentin*, in Lumine Boreali acus magneticae declinationem viciſſitudines ſubire, per complures annos cognoverunt obſervationibus, quas expoſitas legimus in Academiae Commentariis, quos ex ſermone Suecico in Germanicum, amplificandae cognitionis phyſicae cauſſa, vertit Matheſeos et Phyſices ſcientiſſimus *Kaeſtnerus*. Ex his Commentariis igitur tradam hiſtoriam obſervationum, quae Luminis Borealis commercium cum Acu magnetica teſtantur.

Ad obſervandas declinationis magneticae viciſſitudines, *Celſius* et *Hiorterus* uſi ſunt acu priſmatica, unum pedem duasque lineas longa, dimidiam lineam lata, et tertiam lineae craſſa, facta Londini ab Organopoeo *Siſſone*, et *Grahami* cura ita conſtructa, ut frictione perparum in motu impediretur, atque extremitati meridionali applicata pinnula, huc illuc mobili, ſitum horizontalem naniſceretur. Incluſa fuit acus in ciſta lignea, quae fundo orichalceo inſtructa erat, et orbe vitreo ita arcte contecta, ut obſervatoris motu et reſpiratione nihil cieretur. Arcus, intra quem acus moveretur, diviſus fuit in gradus et minuta per lineas admodum ſubtiles,

quas

quo oculus per lentem convexam dignoſceret. Ciſta in menſa poſita fuit eo in loco, quo a ferramentis ianuarum et feneſtrarum conclavis aequaliter diſtaret acus, ne ferramentorum aliud fortius ageret altero in illam. *Celſius*, ne ipſe turbandae acus occaſionem praeberet, cum obſervaret, neque clavem ferream, neque aliud quicquam ferret ſibi adiutum habuit. Obſervatis primis mutationibus ſitus, admovit clavem ferream, cuius vicinia factum eſt, ut acus rediret in locum, quem ante factam ſitus mutationem habuerat. Hunc vero locum rurſus reliquit, clavi remota, in eumque reverſa eſt, quem nacta fuerat ſitus mutatione.*)

Haec acus Londinenſis, cuius declinationes *Celſius*, An. 1740. *Upſaliae* obſervavit, An. 1741. menſe Ianuario tradita eſt *Hiortero*, ut, cum habitaret in conclavi, in quo a nemine turbaretur acus, commotiones eius omni cura et cautione ſpecularetur. Hoc munere diligenter functus eſt Vir doctiſſ. et intra 46. hebdomadas 6638. obſervationes inſtituit maximam partem moleſtas, praeſertim cum iis vacaret noctu per hiemem in conclavi frigido, et acus adhibita lucerna ſpectanda eſſet per lentem efficaciorem. An. 1743. *Celſius* addidit 1500. obſervationes *Upſaliae*, in ſpecula aſtronomica. Obitu huius viri extitit obſervandi intercapedo, inprimis cum *Hiorterus* aliis negotiis implicaretur, quae moram produxerunt obſervationibus usque ad Anni 1746. menſem Octobrem. Hoc autem tempore reſumto ſtudio, amplius 1680. obſervationes peregit.

In viciſſitudinibus, quas amplius decem millia obſervationum in acus declinatione monſtrarunt, praecipuam admirationem excitarunt extraordinariae declinationes occidentales, quas acus magnetica ſubiit eo ipſo tempore, quo obſervatum eſt Lumen Boreale ad Zenith meridiem verſus progreſſum. Primam admirationem *Hiortero* An. 1741. primo menſis Martii movit exorta nox, qua caelum Lumine

*) Tomo II. *Commentarii Suecicarum*, ex Phyſ. Oecon. et Mechan. pag. 45. ſeqq.

Boreali corruſcare, et acum magneticam occaſum verſus 24 minuta prima declinare vidit. Rem ſignificavit *Celſio*, qui ſimile exemplum obſervaſſe ſe reſpondit, ſed tacuiſſe expectationis cauſſa, futurumne eſſet, ut in eandem obſervationem incideret *Hiorterus*. Certiores facti ſunt ambo, cum die 26. Martii poſt horam nocturnam duodecimam inſigniores adhuc declinationes acus, et Lumen Boreale viderent per caelum ita diffuſum, ut regionem meridionalem occuparet. Die quinto Aprilis acus magnetica poſt meridiem circa horam ſecundam turbari, et occaſum verſus moveri coepit, et circa horam quintam $1\frac{4}{5}$ gradus occidentalior facta eſt, quam circa horam decimam antemeridianam fuerat. Sed rediit ortum verſus, et 20 minuta gradus circiter orientalior facta eſt circa minutum decimum octavum horae ſextae; elapſisque horae minutis ſex rurſus facta eſt occidentalior per 18 minuta circuli. Ab hoc tempore usque ad horam octavam matutinam ſequentis diei cum perpetua inquiete conflictata eſt, donec recuperaret ſitum, quem ante ſibi aſſeruerat in conſuetis et quotidianis mutationibus.

Aliquot hebdomadibus ante *Celſius*, cognoſcendi avidus, num idem fieret in aliis longeque remotis terris, per litteras rogaverat *Grahamum*, ut *Londini* diurnam operam daret obſervationibus acus magneticae. Obtemperavit *Grahamus*, viditque *Londini* eodem tempore, quo *Celſius* et *Hiorterus Upſaliae*, aeque extraordinarias commotiones, easque tantas, ut nunquam tales vidiſſe ſe litteris die 16 Aprilis An. 1741. conſcriptis profiteretur. Maxime inſignem commotionem notavit die quinto Aprilis, cum circa horam meridianam obſervare coepiſſet. Caelum fuit ſerenum. In conclavi nullam factam eſſe mutationem ſcribit, in qua ratio quaeri deberet. Per totum hunc diem ſolus fuit in conclavi, omnemque curam adhibuit contemplandae acui, interiectis interdum vix duobus minutis primis, quibus non vacaret hiſce contemplationibus. Sed nullam in epiſtola facit mentionem viſi Luminis Borealis, inſuetus forſitan, quod *Hiortero* videtur, ad ſpectandum hoc lumen in eiusmodi caſibus

ſibus, aut quia caelum *Londinenſe* haud acceperit tantam Luminis claritatem, quantam caelum *Upſalienſe* magis ſeptentrionale.

Inſigniores *Upſaliae* notatas declinationes, quibus acus occidentem petiit, cum ſimul Lumen Boreale caelum illuſtraret, *Hiorterus* ſequenti tabula exhibet, in qua columna prima numerum dierum, ſecunda et tertia gradus et minuta prima declinationis ſignificant.

1741	Martii	1	0°	24′	1743	Apr.	2	0°	17′
		26	0	52½		Maii	3	0	20
	Aprilis	5	1	40		Aug.	15	0	28
	Julii	12	0	15		Sept.	20	0	9
		29	0	10			27	0	33½
		30	1	12		Oct.	14	0	14
	Aug.	2	0	7½	1746	Sept.	12	0	18
		9	0	34		Oct.	4	0	26
	Sept.	21	1	35			7	0	27
		27	0	22			8	0	14
		28	3	40			9	0	23
		29	0	32			14	0	21
	Octobr.	4	0	18			15	0	40
		8	0	40½		Nov.	5	0	33
		24	0	38			6	0	45
		31	0	23		Dec.	3	0	25½
	Nov.	1	0	26			16	0	14
		20	0	48			23	0	25
	Dec.	10	0	40			24	0	15
1742	Jan.	5	0	32			29	0	20
1743	Martii	8	0	45	1747	Jan.	2	0	10
		28	2	2			7	0	12
	Aprilis	1	0	19					

Die 20 Octobris An. 1746. totum caelum *Upſaliae* ſplenduit Lumine Boreali auſtrum verſus, pluribus in locis, inter horam matutinam quintam et ſextam, igneum ruborem

albo

gibo intermixtum ſpargente. Hoc ipſo tempore in acu magnetica declinationum immanem mutationem fieri vidit *Hiorterus* *).

Die 19. Octobr. veſperi acus ſpectavit		13°	17
Die 20 mane 5h	15′	14	30
	26	14	25
	34	14	25
	38	16	5
	41½	14	45
	45½	14	26
	48½	16	23
	52	12	15 NB
	54	14	0
	55½	15	0
	59½	16	25
6h	2½	15	56
	4½	16	19
	7½	15	42
	11	15	30
	21½	15	21
	32	15	16

Hoc Luminis Borealis cum acu magnetica commercium, *Wargentinus* novis obſervationibus confirmavit, uſus *Stockholmiae* acu duodecim digitos longa, *Celſique* acui omnino ſimili, aliquantum tamen mobiliori, opera et arte *Ekſtroemii* conſtructa, et in tabula lignea collocata. Haec acus, cum A. 1750. die 6. Februarii mane ſtylo impoſita eſſet, occaſum verſus declinavit extremitate ſeptentrionali ſeptimum gradum ſpectante. Per octo dies, quibus nullum apparuit Lumen Boreale, admodum quietam vidit acum, niſi quod quotidie conſuetas oſcillationes faceret. Sed die 15 Februarii, cum veſperi circa horam 10½ Lumen Boreale caelum colluſtraret, adſcenſu facto ad punctum Zenith, progreſſuque directo

*) Tomo IX. Commentatt. laudatarum, p. 30. ſq.

directo auſtrum verſus, acum vehementer agitari vidit *Wargentinus*, et intra decem minuta horae 20′ occaſum, et intra 10′ horae 37 minuta gradus ortum verſus, regredi. Poſthaec per integram horam ſtuduit repetere gradum ſeptimum. Interea vero etiam Lumen Boreale maximam partem deſerat. Poſtero die obſervationes continuavit. Veſperi in conſpectum prodiit Lumen Boreale praeclarum, et acus magnetica oppido turbata eſt. Obſervatarum ſitus viciſſitudinum epitomen ſiſtit Tomus XI. Commentariorum.

Tempus. Hora	Min.		Situs Acus. Gr.	m.	Tempus. Hora	Min.		Situs Acus. Gr.	m.
8	0	ante Merid.	7	0	11	0	poſt Merid.	6	46
10	0		7	4	11	6		6	25
12	0		7	10	11	10		5	51
2	0	poſt Merid.	7	15	11	19		6	43
4	0		7	11	11	22		6	26
8	0		7	2	11	26		6	48
9	0		6	50	11	37		5	23
10	0		6	8	11	45		5	0
10	5		5	31	11	58		4	35
10	8		5	47	12	0		5	0
10	15		5	29	12	15		6	30
10	30		6	0	12	27		6	22
10	46		7	26	12	35		6	55
10	56		7	1	12	43		7	14

Egregium vero atque praeclarum Lumen Boreale, modo occaſum, modo ortum verſus, meantibus et remeantibus grandibus columnis, diſperſisque ex puncto Zenith per caeli ſpatium corruſcantibus flammis, apparuit. Die 28. Februarii A. 1750. circa horam quintam poſt meridiem, acus intra aliquot horae minuta dimidium gradum occaſum verſus percurrit. Significat hoc *Wargentinus Ekſtroemio*, praedicitque oriundum inſtanti nocte Lumen Boreale. Reſpondit eventus. Primis tenebris prodiit Lumen iſtud, aeque

clarum ac prius, perque multam noctem continuatum. Acus vero magnetica complures itus et reditus fecit, in quibus gradus ſextus minutumque quinquageſimum, et gradus nonus minutumque primum, terminos conſtituerunt. Interiecto integro menſe Martio, die 2. Aprilis circa horam quartam poſt meridiem, rurſus inquietari coepit acus magnetica, turbateque agitata eſt usque ad horam ſextam veſpertinam quartae diei Aprilis. Sed ambas noctes notabiles reddidit Lumen Boreale per totum caelum, praecipue tamen auſtrum verſus diffuſum, maximeque ſplendidum. Quas acus magnetica per iſtud tempus habuerit praecipuas mutationes, monſtrat ſequens tabula, ex qua patet, acum intra unum diem declinationis variationem quinque graduum habuiſſe.

	Tempus.		Situs Acus.			Tempus.		Situs Acus.	
Dies.	H.	M.	Gr.	M.	Dies.	H.	M.	Gr.	M.
Apr. 2.	2 p. m.	40	7	7	Apr. 3.	5 p. m.	4	8	7
	3	40	7	3		5	11	8	38
	4	20	7	10		5	27	8	10
	5	22	7	21		5	37	8	37
	10	38	5	35		6	9	7	55
	11	34	6	27		7	8	7	22
	12	3	4	56		10	25	7	10
	12	18	6	34		10	43	8	29
	12	21	6	18		10	54	7	1
	12	28	6	37		11	10	7	32
	12	45	6	22	Apr. 4.	7 ante	14	6	29
Apr. 3.	7 ante	0	7	5		8 mer.	5	5	54
	10 mer.	15	6	48		9	50	7	22
	10	49	7	15		10	17	7	0
	12	0	7	0		2 p. m.	19	7	19
	3 p. m.	30	7	25		2	46	6	29
	4	43	8	55		4	50	7	16
	4	49	9	55		6	52	7	2

Enar-

Enarratis obſervationibus his, ſequitur, ut quaeramus de vi, qua Lumen Boreale acus magneticae commotiones efficiat. Quam diſquiſitionem alio tempore inſtituam.

IOHANN GEORGE SCHELHORNS ERGÖTZLICHkeiten aus der Kirchenhiſtorie und Litteratur etc.

id eſt

DELICIAE LITTERARIAE, EX HISTORIA LITterarum et Eccleſiae, quibus proponuntur libri rariores, chartae momentoſae, Epiſtolae notatu dignae, variae item aliae obſervationes, Auctore IO. GEORGIO SCHELHORNIO, Th. D. et in S. R. I. civitate Meminga Superintendente. VOL. II. Sectiones V. VI. VII. VIII. complexum.

Ulmae, apud Bartholomaeum, Alph. 2. plagg. 3. octonis.

Multa inſunt et huic Volumini, quae, niſi protuliſſet in apricum *Schelhornius* V. Cl. cuius de litterarum forulis augendis amplificandisque merita lectorum noſtrorum certe nemo ignorat, latuiſſent ſine dubio longiſſimo tempore, forte interiiſſent etiam. Igitur gratiae habendae ſunt maximae Viro, quod neque ſenectutis incommodis preſſus ceſſare voluit a vetere inſtituto, ornandi rempublicam litterariam, atque augendi. Sunt autem Volumine hoc altero iterum Sectiones quatuor propoſitae, e quibus, quae potiora viſa nobis ſunt, ſunt autem lectu digna omnia, indicabimus. Primum omnium eſt diſquiſitio exacta atque diligens, *de primo Indice librorum prohibitorum in Italia propoſito*, qui eſt *Ioannis della Caſa*, Papae ad Venetos Nuntii,

Venetiis 1549. vulgatus, eodemque anno, curante *Petro Paullo Vergerio*, veritatis teſte, addita criſi perpetua, recuſus. Plagulis conſtat viginti et una, in 4. Multa hic Schelhornius ex praefatione non ſolum, ſed et critica Vergerii, excerpſit, notatu omnino digna, quae tamen hic non repetimus. Subriſimus vero ad id, quod narrat Vergerius, Praefationem Lutheri in Epiſtolam ad Romanos, italico ſermone redditam, ſub nomine Cardinalis Fregoſi, vulgatam apud Italos prodiiſſe, fuiſſeque publice venditam, lectam, laudatamque ab omnibus. Totus Index Caſae exhibitus eſt deinceps Sect. VI. p. 359. ſeqq. Ad pag. 73. legitur obſervatiuncula *Chriſtiani Caroli am Ende*, de diverſis editionibus Proverbiorum *Ioannis Agricolae*, Islebienſis, qui fuit ex Architectis Formulae Interim. Agricolam hunc, primum proverbiorum germanicorum editorem plerique exiſtimant, ut olim Eraſmum latinorum: ſed quemadmodum iam biennio ante hunc, Polydorus Vergilius, anno nimirum 1498. Venetiis ſimile opuſculum ediderat, ipſi Eraſmo incognitum; ita profecto fuerunt ante Agricolam, qui theotiſcis proverbiis colligendis interpretandisque operam dederunt. Horum ſine dubio primus fuit *Henricus Bebelius*, in cuius opuſculis, (quorum editio princeps eſſe videtur anni 1507. in 4.) fere quinque plagulae inſunt, inſcriptae: proverbia germanica in latinitatem reducta. Redeamus ad Agricolam. Hic igitur anno 1528. duplicem proverbiorum theotiſcorum 300. editionem curavit, unam ſuperioris Germaniae, alteram inferioris, dialecto; quae repetitae et auctae ſaepenumero fuerunt, ſed et multis locis mutilatae; cuius rei cauſſae proponuntur Sect. VI. pag. 298. ſeqq. in quibus haec princeps fuiſſe videtur, quod multis locis Ulricum, Würtembergiae Ducem, petulantiſſime inſectatus eſt, alios item Principes aeque ac privatos, aculeatis dicteriis laceravit, unde illi magna aerumnarum copia provenit. Edidit quoque, Ulricum Ducem defenſurus, libellum peculiarem *Ludovicus de Paſſavant*, plenum in

Agri-

Agricolam invectivarum, nunc tamen rariſſime obvium. Non deſcribimus reliqua, in quibus enarrandis plus iuſto prolixior nobis A. videtur. Inde a pag. 127. e Cardinalis *Quiroga* Indice librorum expurgandorum, qui prodiit Madriti apud Alphonſ. Gomez, regium typographum, A. 1584. *quaternis*, apodyctice oſtenditur, Catalogum librorum prohibitorum Tridentini Concilii in Hiſpania non omnino probatum, quin potius libros multos, quos ille prohibuerat, vel truncandos, vel uti eſſent legendos omnibus permiſſos fuiſſe. Primum iſtius rei indicium fecit incomparabilis *Giannonius*, T. III. Hiſt. Neapolit. pag. 436. fruſtra negante perſonato *Gileſio Eutaidenſi* (P. Mariano Ruele,) in particula 23. Bibliothecae volantis, qua hiſt. Indicis expurgatorii Romani propoſuit. Pag. 136. legitur Epiſtola ad Pium IV. P. M. de continuando Tridentino concilio, *Friderici Staphyli* ſine dubio, (ingrati illius Lutheri et Melanchtonis diſcipuli,) edita e MSto. Digna lectu eſt: etſi enim multa habet in doctrinam Evangelicorum iniuria, mendacia item non pauca; tamen etiam Cleri Romani perverſitatem graphice deſcribit, Conciliumque Tridentinum oecumenici nomen nequaquam mereri libere fatetur. Pag. 164. eſt lepidiſſima narratiuncula, de miraculis, librorum a Pontifice prohibitorum lectionis comitibus. Nimirum, qui talia legiſſent, ſomnum amiſiſſe, febri fuiſſe correptos, et quae ſunt reliqua. Nemo eſt noſtra aetate tam hebes atque ſtupidus, ut credendis talibus immoretur, neque eſt ea fides horum miraculorum Architectis Ieſuitis, Creſollio, Clementi, aliis, ut quidquam praeter riſum excitent. Pag. 209. incipit Schelhornius Vir Cl. exponere de libris rarioribus Bibliothecae ſuae, quam et inſtructiſſimam eſſe, et praeclare utentem habere dominum, doctorum hominum neminem fugit. Non poſſumus a nobis impetrare, quin aliquorum hic titulos deſcribamus. Primo loco ſunt *Biblia latina*, litteris miſſalibus, Voll. II. in fol. mai. excuſa, ſine loci et anni indicio. Phoenix librorum eſt; omnium la-

tinorum Bibliorum prima editio, prima item quae litteris mobilibus, non fuſis, ſed ſcalptis, Moguntiae apud Guttenbergium impreſſa eſt. Ablegat Vir doctiſſimus litterariae rei curioſos ad Diatriben, Cardinali Paſſioneo a ſe olim dicatam, qua de rariſſimo hoc libro amplius expoſitum eſt. — *Io. Alb. Widmanſtadii* Novum Teſtam. Syriacum, Viennae Auſtr. apud Zimmermannum 1555. in 4. Primus Tomus Operum *Vergerii* adverſus Papatum, Tubingae 1563. in 4. Continuationem iſtorum Operum mors Vergerii intervertit, obiit enim biennio poſt. Magno uſui fuit Noſtro liber rariſſimus, cum Apologiam pro Vergerio adverſus calumniatorem eius Caſam conſcriberet. *Mini Celſi*, Senenſis, diſſertatio, in haereticis coercendis quatenus progredi liceat, ubi nominatim eos ultimo ſupplicio adfici non debere aperte demonſtratur, Chriſtlingae, 1577. 8. Peculiari diſputatiuncula iam olim evicit Schelhornius, verum hoc, non fictum auctoris nomen eſſe, neque adeo libellum vel Socino, vel Caſtalioni, tribui oportere. *Regulae Societatis Ieſu*, Romae 1590. 8. rariſſima omnium editionum Statutorum eius Societatis, quam e terris ſuis omnibus, dum haec ſcribimus, proſcripſere Rex Chriſtianiſſimus, Catholicus, Fideliſſimus. In fine libri legitur Epiſtola Ignatii Loiolae ad contribules ſuos in Luſitania, de obedientiae virtute. Exigit ab iis coecam obedientiam, monetque ſerio, ut Superiores ſuos Dei et Chriſti loco habeant, igitur ſine ulla reſiſtentia quidquid doceantur credant, quidquid iubeantur faciant. Adſcribimus ipſa Loiolae verba. Pag. 219. ait: *quocirca ſedulo vos in eam curam atque exercitationem incumbere cupio, ut Chriſtum Dominum in Superiore quolibet agnoſcere ſtudeatis, in eoque divinae Maieſtati reverentiam atque obedientiam ſumma cum religione praeſtare.* Pag. 226. — *non intueamini in perſona Superioris hominem obnoxium erroribus atque miſeriis, ſed Chriſtum ipſum, qui eſt Sapientia ſumma, bonitas immenſa, caritas infinita, qui nec decipi poteſt, nec vos vult ipſe decipere.* Horret animus plura deſcribere, quae iam olim in Epiſtola

ad

ad Innocentium X. deſtinatus eſt *Ioh. de Palafox*, Hiſpanus, Papam, de Ieſuitarum Ordine extinguendo, vel ſtricte reformando, graviter admonens, — *Anatomia Soc. Ieſu*, cui praeter caetera annexa ſunt divina oracula de Societatis exitu; ad excitandam Regum et Principum Catholicorum attentionem utiliſſima, 1633. 4. Auctor eſt *Caſpar Scioppius*, ex adoratore infenſiſſimus Societatis hoſtis. — *Alphonſi de Vargas* relatio ad Reges et Principes Chriſtianos, de ſtratagematis et ſophiſmatis politicis S. I. ad monarchiam orbis terrarum ſibi conficiendam, 1641. 12. — *Tuba Magna* — ad Clem. XI. — de neceſſitate longe maxima reformandi Soc. Ieſu — per Liberium Candidum, Argentinae, 1713. 8. Auctor eſt Carmelita Leodienſis, *Henricus de S. Ignatio*. Gallos et Luſitanos hic liber multa docuit. — *Tuba altera*, eiusdem auctoris, qui ſimul tubam maximam minatur, Argent. 1715. 12. — *Actio in Henr. Garnetum*, Soc. Ieſuit. in Anglia Superiorem, et caeteros, qui proditione longe immaniſſima, Ser. M. Brit. Regem, et regni Angliae Ordines, pulvere fulminali e medio tollere coniurarunt — ex Anglico verſa a Camdeno, Lond. 1607. 4. Hunc proditori Garneto Apologiam ſcripſit Andr. Eudaemon Ioannes, e Soc. Ieſu, typis deſcriptam Col. Agripp. 1610. 8. Homo iſte, inſula Creta oriundus, adeo omnem pudorem atque verecundiam exuit, ut non ſolum defenſorem agat Garneti, ſed eum in numerum etiam Martyrum referat. — Exponit deinceps Schelhornius pag. 239. *de fatis Eccleſiae Lutheranae in Comitatu Tirolenſi aeque ac in Bavaria*; quo loco Lectores intelligent monachorum malitiam et fraudes, quibus effecerunt, ut inveterata ſuperſtitio miſeris hominibus omni ſecuto tempore incumberet ut antea. Pag. 414 ſeqq. eſt diligentiſſima narratio *C. C. am Ende*, de primis duobus editionibus Commentariorum *Ioannis Sleidani*, quae prodierunt Argentorati 1555. in fol. Virum iſtum laudare, non eſt huius loci: laudavere iam olim integritatem, amorem veritatis, doctrinam, Car. V. Imp.

Imp. Paulus IV. P. M. Cardin. Bellaius, Aubineus, Bodinus, Thuanus, Sarpius, Courayer, Niceron, et centum alii; neque calumniae Gennepi, Gropperi, Surii, Maimburgii, Varillaſii, Latomi, Pontani, Poſſevini, et talium, quidquam potuerunt incomparabilis Sleidani laudibus detrahere. Iſtius Commentariorum, quatuor, uno eodemque anno, editiones, ex officina Rihelia Argentorati prodiere, quas tamen certum eſt neminem ſimul vidiſſe. Iſtarum editionum duae, forma integri folii, hic exactiſſime deſcribuntur; reliquae duae, forma octava excuſae, deinceps pag. 653. ſeqq. pari diligentia, variis lectionibus excerptis, proponuntur. Pag. 492. ſeqq. alter. Miſſus librorum rariorum Bibliothecae Schelhornianae ſiſtitur. Enotabimus iſtorum aliquot, ciendo guſtui. Alle Propheten nach hebräiſcher Sprach verteutſcht, 1527. fol. i. e. Prophetae omnes ex hebraico in theotiſcum ſermonem verſi. Prima editio rariſſimi libri, cuius auctor fuit *Ludovicus Hätzer*, Anabaptiſta, Biſchofzella Helvetus, (non Bavarus, ut Zeltnerus putabat in Epiſt. de Bibliis Wormatienſibus pag. 11.) qui Conſtantiae ao. 1529. propter adulteria capite truncatus eſt. Socium verſionis iſtius ipſe nominat, *Dengkium*, Anabaptiſtam. Reliqua apud Auctorem narrationis diligenter ſcriptae legi poterunt. *Le Soldat Suedois*, Rouen 1642. liber rariſſimus, Guſtavi Adolphi res trieennali bello geſtas exponit, Friderico Spanhemio tributus. *Io. Sachſii* Carmina, Voll. 5. in fol. 1558. Norib. 1560. 1588. 1578. Collectio conſummatiſſima operum verſificatoris Theotiſci, cuius vitam ante annos aliquot diligenter ſcripſit *Raniſchius*, nuper in Gymnaſio Altenburgenſi Profeſſor. *Conclave Ignatii*, ſive eius in nuperis inferni comitiis inthroniſatio, — ſine die et conſule, in 4. Accedit Apologia pro Ieſuitis, quam, quia libellus rariſſime occurrit, hic non inviti deſcribimus. Ita vero habet: „Tandem ad apologiam „pro Ieſuitis accedendum, i. e. de illis ſilendum. Favet „enim illis, quisquis de illis tacet. Nec certe cuiquam

„diutiſ-

„diutiſſime locuto, (etſi ei Oceanus clepſydra eſſet,) nun„quam deerit; quod de eorum flagitiis addere poſſit. Si „cui quid huic Apologiae ſubtexere viſum fuerit, per me „liceat: tribus quatuorve verſibus ſpatium relictum videt. „Paradoxo tali ſatis. Nec totum lungius, Scribanius, „Gretſerus, Richeomus, Cydonius, aliive apologiis aſſueti, „belloque quod aiunt defenſivo pene macerati, (modo ve„ra et bona de Ieſuitis dicant,) occuparent: nec ſe hoc „ſolamine tutentur, ipſum Catonem quadragies et quater „cauſam dixiſſe. Nam et toties abſolutus eſt; quod de Ie„ſuitis negant Parlamenta tam Anglica, quam Gallica. Cui „autem brevior, quam par eſt, haec videatur apologia, to„tum librum pro apologia interpretari poteſt, ex illa ipſo„rum regula; maximum innocentiae argumentum eſſe, ac„cuſari ab Evangelicis. Hac autem, dum adhuc alicubi „viribus ad nocendum polleant, gaudeant apologia. Fu„turum brevi, ut, cum quemadmodum a Venetis ſpoliati, „detruſi, in Galliis ventilati et exagitati fuerint, ita et a re„liquis Principibus deſerantur, ipſa eorum imbecillitas eis „fiat apologia, reddanturque neceſſario innocui; quodque „de curribus falcatis dixerat Vegetius, Ieſuitis accommo„detur, primo terrori fuiſſe, poſt deriſui" — Errorum typographicorum copiam ita Auctor excuſat: „Ieſuitarum „Daemonem credo operas inſediſſe, unde alias tot errata? „[illegible] autem hic corrigimus: ſed quando Ieſuitae ſua?" *[illegible] Latinii* Viterb. Epiſtolae, coniecturae, et obſervationes, ſacra profanaque eruditione ornatae; — Romae 1659. 4. cui acceſſit anno 1667. Tomus alter, cuius raritatem nemo ignorat. *Tertius Miſſus* rariorum librorum bibliothecae Schelhornianae, exhibet primum collectionem Iconum perquam ſcite ſculptarum 146. Virorum celeberrimorum, addito cuique epigrammate gallico. Adſcribimus illud, quo *Blaſii Paſcalis*, celebris Ianſeniſtae, memoriam, profecto non Ieſuita, ſed artifex cohoneſtavit:

Tout l' Univers, charmé de ſon rare génie,

A ſes productions ſ' empreſſoit d' applaudir:

 Les

Les honneurs le cherchoient; on le vit pour les fuir
Conſacrer à Dieu ſeul, et ſa plume, et ſa vie.

Sunt in his Iconibus, Lutetiae Pariſiorum ſculptis et publice venditis, Wiclefi, Huſſi, Hier. Pragenſis, Lutheri, Melanchtonis, Zuinglii, Calvini, Bezae, Bullingeri, Buceri, Petri Martyris, Oecolampadii, Zanchii, aliorum. Iſtud autem nequiſſime mentitus eſt artifex, quod Thomam Münzerum, hominem fanaticum, refragante hiſtoria, Vicarium Lutheri nominavit. — *Paſſional Chriſti und Antichriſti*, in 4. Sunt Icones XXVI. manu Lucae Kranachii ligno inciſae, quarum una aliquid e vita et paſſione Chriſti, altera ex oppoſito aliquid de Papa ſpectandum proponit. — Iſtoria dè ſuoi tempi de *Giovambatiſta Adriani*, Gentiluomo Fiorentino, diviſa in Libri ventidue — Firenze 1583. fol. rariſſima editio praeclari libri, quo et Thuanus uſus eſt. Varchium, Florentinar. rerum Scriptorem ingenuum atque diligentem Adrianus imitatus eſt, et poteſt dici hiſtoriam illius continuaviſſe potius, quam Guicciardini. — *Storia Fiorentina* di — *Varchi*, nella quale ſi contengono l'ultime Revoluzioni della republ. Fiorentina, e lo ſtabilimento del Principato nella Caſa de' Medici. In Colonia 1721. fol. Equiti Florentino, *Franciſco Settimani*, librum hunc incomparabilem debet respubl. litteraria. Hic enim, ne periret MSctus Codex, qui iam annos CC. latuerat, Auguſtam Vindelicor. profectus, in ea urbe ſuis ſumtibus hanc editionem curavit. Nam in Italia vel ea propter non e[illegible]pes ulla edendi libri, quod de Paulli III. P. R. filio, Petro Ludovico Farneſio, Varchius quaedam retulit non ſatis honorifica. Eſt vero etiam librorum prohibitorum Catalogo inſertus a. 1725. igitur ne omnino interiret, bene factum eſt, quod Batavi Theſauro Antiquitatum et Hiſtoriarum Italiae inſeruerunt. — *Storie Fiorentine* di Meſſer *Bernardo Segni*, Gentiluomo Fiorentino, dall' anno 1527. all 1555. colla vita del *Nicolo Capponi*, Gonfaloniere della republ. Fiorentina, deſcritta dal medeſimo Segni, ſuo Nipote. In Auguſta 1723. fol. Et hunc librum debemus Settimanio, qui tamen impedire non potuit, quo minus truncaretur; ſunt tamen exempla quaedam non

trun-

truncata, quale hoc eſt Schelhornii, inſignis raritatis. Mutilationis eius iterum cauſſa fuit Paulus III. P. M. — Ad *Photii Excerpta*, 1601. Aug. Vind. ad inſigne pinus curante Hoeſchelio, p. 638. adnotatum legimus, omnes iſtas editiones Auguſtanas, *ad inſigne Pinus*, rarioribus accenſeri, quod pleraeque ſunt editt. principes auctorum Graecorum. Mortuo Marco Welſero, officina illa, poſteaquam nonniſi 20. annos duraverat, ceſſavit. — Ad p. 721. ſeqq. exhibetur catalogus MStorum Codd. nonnullorum Bibliothecae Schelhornianae. De auctoribus illorum, pro ſua doctrina, multa hic Schelhornius diſſeruit. Nos Codices indicabimus: Epiſtolae Fratris *Nic. Ellenbogii* in 4. e Seculo XVI. medio: Opera quaedam inedita *Iacobi Ziegleri*, Landavo Bavari, fol. Hic ſe et *Lateranum* nominavit; eſtque inter eius Scripta vita Clementis VII. quam ipſe Schelhornius, Amoenit. Hiſt. eccleſ. et litter. P. II. p. 287. ſeqq. cum obſervationibus nonnullis iam olim edidit. *Narrationes iucundae et utiles*, ex praelectionibus Phil. Melanchtonis exceptae, etc. quarum nonnullas non ſine riſu legimus. Alia ex Viti Vinſemii praelectionibus ſunt. — Finem Volumini imponit *Mandatum Pii IV. P. M.* Nuntio ſuo Commendono, in Poloniam miſſo, datum 1563; quod e Cod. MS. qui olim fuit Cardinalis Stanislai Hoſii, protraxit in lucem Schelhornius.

Iam hic calamum ponimus, certo confiſi, litter. et eccleſ. hiſtoriae amatores, excerptis his lectis, legendi ipſius libri ingenti cupiditate flagraturos, modo legere poſſint atque intelligere. Debebat talis liber ſcribi ſermone eo, quem doctorum hominum quivis intelligere praeſumitur; non Germanico, ceteris neglecto. *Voluminis Tertii*, quod eſt ultimum, rationem alio tempore reddemus.

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE IN LOCA SElecta Sacri Codicis. Accedunt Emendationes in Dionem Chryſoſtomum et alios Scriptores graecos. Scripſit IO. BERNHARDUS KOEHLER, A. L. M. Soc. Teut. Goetting. Socius.

Lugduni Batavorum apud Io. le Mair, MDCCLXV. 8. pl. 8.

Proponimus hic collectionem ſelectiorum obſervationum in utriusque Foederis libros. *Auctor* a Veteri Teſtamento, ordine librorum probe obſervato, incipit, dum ad Novi Teſtamenti loca progrediatur. In V. T. locis interpretandis illuſtrandisque ſic verſatus eſt, ut ſummorum noſtrae aetatis Philologorum veſtigiis inſiſtens, e lingua arabica genuinae interpretationis ſubſidia petat, eiusque maximam utilitatem quamplurimis doceat exemplis. Inſtituti noſtri ratio non concedere videtur, de omnibus locis quaedam dicere, ſufficiet, ſi tantummodo exempli loco de uno alterove dicto noſtram ſententiam aperuerimus.

Primum ſtatim incidimus in Gen. XIX, 26. quo in loco verba: *et reſpexit uxor Loti poſt ſe.* explicat: *reverſa eſt uxor Loti*, collato cum Luc. XVII, 31. A partibus *Auct.* quidem libenter ſtamus, atque hanc explicationem prorſus egregiam eſſe exiſtimamus; verum in eo peccare nobis videtur, quod dicit, ſibi mirum videri, neminem interpretum animadvertiſſe, loci Moſaici explicationem dari ab ipſo Servatore l. c. Nuper enim lectis animadverſionibus in Gen. XIX. a Viro Cl. *Jeniſchenio Hamb.* 1760. vernacula lingua editis, eandem explicationem invenimus, quam, niſi omnia nos fallunt, etiam in *Heumanni* verſione N. T. legere eſt; memoria igitur lapſum eſſe *A.* credimus. Praeclare autem ſuam explicationem multis atque magnis argumentis confirmavit, quae ſimul luculentum de ſingulari *A.* in ipſa arte critica ſtudio teſtimonium perhibent. Communicavit etiam cum Lect. duplicem *Reimari de ſtatua uxoris Loti* coniecturam; verba enim, quae illuſtr. Michaelis per *monumentum ex ſale* vertenda cenſet, per *ſtationem in bitumine* explicare ſuadet, i. e. uxorem Loti in bitumine undique confluente immerſam, adeo [illegible] ut non ſupereſſet; aut, quod veritati propius ad hunc accedit, eam factam fuiſſe *mumiam Aegyptiacam* exiſtimat. Pauci[illegible] de unaquaque coniectura nobis videatur, exponemus. Primum ſi ſubſcribamus ſententiae, fingendum eſſet, vocem *Melach* ſignificationem [illegible] admittere; quod contra uſum linguae eſt, [illegible] in hac explicatione defendenda doctiſſ.

viri ingenium mirum in modum enituit; deinde, quomodo bituminí uxor Loti potuerit immergi, Loto ipſo illaeſo, cum non longe poſt eum ingreſſa ſit, non videmus: certe miraculo cuidam tribuendum eſſet, quae tamen non ſunt temere fingenda. Altera ſententia maiorem veri aſſequitur ſpeciem, ſi hanc materiam, ſecundum ſimilem *Diod. Sic.* XIX, 99. locum (εἰς τὰς ταριχείας) condiendis corporibus adhibitam fuiſſe credamus; ergo talis vis huic materiae etiam hoc loco tribui poſſet. Sed neque haec difficultatibus caret. Mallemus potius ita interpretari: Uxor Loti reverſa propter odoris gravitatem ita rigida facta eſt, ut ſtatuae ſalis perquam ſimillima eſſet. Hiſtoria hanc ſententiam confirmat. *Plinius* enim L. V. c. 17. de his regionibus narrat: *ab occidente littora Eſſeni fugiunt, usque qua nocent*; quocum conſentit *Tacitus* Hiſt. V. 6. *Lacus gravitate odoris accolis peſtifer*.

Ad alium venimus aeque difficilem locum, quem bene explicavit A. nempe Iob. XVII, 14. *Putorem appello patrem meum, vermesque matrem et ſorores.* Diſcedit a communi interpretum, de morte Iobi explicantium, cohorte, atque cum *Illuſtr. Michaelis* de *elephantiaſi* intelligit hanc loquendi formulam, exiſtimans, ſublimem et tragicum fieri orationis Iobaeae ſenſum, qui eſt: haec eſt familia mea, cuius conſuetudine quotidie utor. Quilibet videt, hanc explicationem et perſpicuitate, et facilitate, ſeſe maxime commendare.

Neque iniucunda nobis fuerunt, quae de *Cantici Salomonis ſenſu allegorico* in hoc ipſo libello legimus; libenterque cum A. conſentimus, genus ſcribendi molle (tenerum) venuſtum atque excellens in ipſo deprehendi, neque de divina eius libri dubitari poſſe auctoritate. Digna itaque ſunt lectione, quae ſuper hac re, etſi breviter, ab A. diſſeruntur. Ut autem conſtet, libello venuſto etiam venuſtam explicationem potiſſimum eſſe aptam, provocamus ad Cap. I. v. 6. verba: *nam ſol uſſit me.* Haec verſio duram ac languidam ſententiam facit, quae ab auctore Principe prorſus aliena eſſe videtur. Koehlerus igitur ſic eleganter vertit: *Sol me intentis oculis adſpexit, adamavit me*: quae interpretatio verſione LXX. et Symmachi confirmatur. Unde patet, verſiones antiquas eximia eſſe genuinae interpretationis praeſidia, maioraque afferre interpretibus commoda, quam dulcia quorundam Scriptorum Rabbinicorum ſomnia.

Antequam ad N. T. libros veniamus, ratio nobis reddenda eſt de modo vaticinia explicandi, quo A. uſus eſt. Nam et hic quoque fortuna fa-

gente ea ſcripta aggreſſus eſt; clariori enim luce quamplurima loca et ex genio linguae, Scriptoribus Arabicis, aeque ac graecis, illuſtravit. Sic verba Ieſ. XXVI, 19. ab *Ill. Michaelis* translata: *ros malvae eſt ros tuus*, reddit: ros matutinus eſt ros tuus. Roris enim promiſſio in Scripturis magnam innuit omnium fere bonorum copiam. Rorem certe magnum, praecipue in regionibus calidioribus, naturae eſſe beneficium, ex hiſtoria naturali et experientia optime poteſt cognoſci. Cum igitur oſſa beatorum rore ſpargi dicuntur, quilibet intelligit, hoc emblema ad mortuorum reſuſcitationem adumbrandam admodum eſſe aptum. Quemadmodum enim naturae, veſperi mortuae, mane per largum rorem vita reddi videtur; ſic quoque reſuſcitationi deſcribendae haec res optime inſervire potuit. *Pindarus* Pyth. Od. V. v. 132. ſq. eandem adhibet imaginem, ſed alia prorſus ratione; famam enim heroum poſt mortem etiam creſcentem ea loquendi formula indicat.

Habac. I, 10. *Ridet ille omnem arcem munitam, et concitato pulvere capit*, ex vulgari ſermone ita efferendum eſſe putat: *admoto exercitu capit*. Haec bella interpretatio innititur conſuetudini Poetarum Arabicorum, qui ſimpliciter ſaepe praelii loco *pulverem* dicere amant. Exemplis clariſſimis, ex *Motanabbio* deſumtis, hanc illuſtrat ſententiam, et ex *Horat. II. carm. I.* v. 20. probat, latinos quoque hanc imaginem amaſſe. Quali itaque ingenio ad V. T. libros explicandos uſus ſit, qualemque A. adhibuerit induſtriam, hic fuſius exponere, poſt ea, quae laudavimus, exempla, non eſt opus. Eandem quoque curam in Nov. Teſt. locis vindicandis adhibitam fuiſſe, iam docebimus.

Animadvertit ad Matth. VII, 28. *percellebatur populus*, verbi ἐκπλήττειν et ἐκπλήττεσθαι duplicem eſſe vim. Graeci enim, quod exemplis confirmat multis, non de ingrata modo et gravi animi adfectione, ſed et de ſuavi et iucunda uſurpant. Quare cum *Heumanno* vertere mavult, *adſtupebat populus*. Leniorem, verbisque I. C. magis accommodatam hanc priori eſſe interpretationem exiſtimamus; quia, ex conſuetudine Scriptorum orationis ſolutae, vocabuli *percellere* poteſtas non niſi cum ingrato ſenſu coniuncta adhibetur.

Scriptionem Ieſu Chriſti in terra, cuius Ioh. VIII, 8. in hiſtoria adulterae, quae olim quibusdam ſuſpecta atque ſuppoſita viſa eſt, fit mentio, egregie declaratam ab *A. doct.* legimus. Quamplurimi enim Interpretum, quotquot vidimus, aſſerunt, Ieſum ſcripſiſſe in terra,

quia

qua id moris fuerit. Verum enim vero, argumentandi illa ratio minime probari poteſt. Quare A. coniecturam prorſus novam, atque ad veritatem proxime accedentem, lubenti animo recipimus. Antiquitus moris fuiſſe ex *Diog. Laert.* L. II. Segm. 127. et *Libanii Antilocho*. Or. XI. p. 347. docet, ut, qui alteri aliquid ſignificare vellet, quod publice enunciare nollet, illud pulveri inſcriberet. Ex quo colligere licet, Chriſtum haec egiſſe, ut diſceſſio fieret. Nam hi homines timere poterant, ne Chriſtus flagitia eius pulveri inſcriberet, neve gravem et ſanctam aliquam Phariſaei perſonam cum puella ludentem pingeret. Cui opinioni eo lubentius noſtrum addimus calculum, quo magis ex C. II. ad Rom. et *Ioſephi* antiquitatibus, certiores facti ſumus, corruptiſſimos eo tempore mores iſtorum fuiſſe, ita ut et adulteria eſſent frequentia.

In critica arte exercenda qualem ſe geſſerit A. ex iis colligendum eſt, quae a nobis iam proferentur. Act. X, 36. verba, τὸν λόγον, ὃν ἀπέστειλε, ita emendat: τὸν λόγον, ὡς etc. et v. 38. ὃς διῆλθεν ita: ὡς διῆλθεν, ut proxime praeceſſerat ὡς ἔχρισεν etc. Argumenti robur ex eo petitur, quod Scriptores ſacri hac particula in narrando conſtanter utantur, et in primis Lucas. Unum adhuc addimus locum, videlicet 1 Cor. XI, 10. in quo admodum laborarunt Interpretes. Omnis quippe difficultas latet in verbis διὰ τοὺς ἀγγέλους; aliam igitur lectionem admittendam eſſe coniicit, conſilio Apoſtoli convenientiorem. Unde haec verba ſubſtituit, διὰ τοὺς διαβόλους; malos tamen *genios* nequaquam intelligit, ſed *calumniatores*. Ergo Apoſtolus hortari videtur feminas Chriſtianas, ut in veſtimentis etiam decorum ſemper obſervent, neque apertis capitibus ſine velamine in publicum prodeuntes, calumniandi anſam praebeant Iudaeis et gentibus. Largimur quidem, quod etiam eos non latet, qui codices manuſcriptos viderunt, facile a librariis has voces confundi potuiſſe; nihilo tamen ſecius ingenioſior eſſe videtur nobis haec interpretatio, quam verior.

Negligere non poſſumus Ebr. XI, 1. ſq. et Iac. II, 14. quibus planum ac facilem ſenſum reddidit, quem interpretes, falſis ſeducti perſuaſionibus, ne videre quidem potuerunt. Quid mirum, ſi unusquisque verba Apoſtoli pro lubitu ad ſuam detorſit ſententiam? Omnes enim errores graviſſimos commiſerunt in declaranda τῆς πίστεως vi; cogitantes tantum, omiſſa vera huius vocis, graecis ſcriptoribus ſatis cognita ſignificatione, de fide theologica. Ex totius orationis nexu apparet, πίστιν hic, more Graecorum,

torum, explicandum eſſe, ut in vita communi dicitur, pro certa futuri caſus exſpectatione, et quacunque fere firma animi fiducia, ita ut, ſignificatione paene τῷ τολμᾶν reſpondente, etiam ex certa ſpe boni eventus audere aliquid, vel in animum, ut facias, inducere, denotet. Hanc interpretationem cum conſilio Apoſt. convenire uberius explicatur. Cap. X, 9. excitaverat Apoſtolus ſuos lectores, ut in calamitatibus perferendis bonitati ac providentiae divinae confiderent; C. XI. autem praeſtantiam et virtutem talis fiduciae, et in primis fidei miraculoſae, celebrat, atque hac ratione fortitudinem Chriſtianam commendat. Iacobum vero ad Pauli verba reſpexiſſe, errorique obviam ire voluiſſe, quaſi mera fiducia in Deum, vel miraculoſa fides, ſufficeret cuique bono conſequendo. Hortatur itaque ad convenientem fidei chriſtianae vitam, cui uni tribuendum ſit, ſi votis precibusque noſtris reſpondeat eventus. Exempla praeterea ab Apoſtolis prolata luculenter oſtendunt, Scriptores S. de vera in Deum fiducia fuiſſe locutos.

Supereſt adhuc, ut Lectoribus conſtet, quo acumine ingenii A. ſit uſus in emendandis aliis Scriptoribus graecis. Quare haec addere lubet. Ad *Orat.* XII. *Dion. Chryſ.* p. 204. v. 13. notat, verba ΚΑΙ ΑΛΤΠΟΝ τρυφήν τινα κ. τ. λ. iam *Reiskio* ſuſpecta viſa eſſe; ſed coniecturae ipſius, qua ἄλυσον vel ἀμέλιτον reponit, ſubſcribere non vult. Cenſet potius καὶ delendum, διάλυτον ſcribendum, ac coniungendum eſſe τρυφήν τινα: δαίμονα πονηρὸν, διάλυτον τρυφήν τινα.

Monet ad Stratonis Epigr. XVI. Ὄυ πλεῦν δ' ἐςὶν ἐτῶν δύο καὶ δέκα νῦν ΑΜΦΙΛΕΚΤΟΙ, lectionem ἀμφίλεκτοι *Klotzium* habere auctorem, quam ſequi veretur, quoniam contra metrum ſit. Neque tamen ex codice Vinarienſi reſtituit ἀμφύλακτοι, ſed mutat in ἀφύλακτοι, quod orationis ſeriei convenientiſſimum videtur.

Poſſemus adhuc quasdam emendationes in *Ariſtaenetum*, *Artemidorum*, ac *Aelianum* addere, niſi, quae diximus, documento eſſe posſint, *Auctorem doctiſſimum*, in ſcholis ſummorum philologorum eruditum, doctrinam ſuam vario modo auctam locupletatamque his obſervationibus ita nobis ante oculos poſuiſſe, ut ei merito laus ab omnibus a partium ſtudio alienis, et in hoc doctrinae genere probe verſatis viris, ſit tribuenda. In primis ſuam ita nobis in reprehendendis erroribus doctiſſimorum virorum probavit modeſtiam, ut omnibus, qui litterarum virtutisque amore tenentur, egregium talis viri exemplum proponere non vereamur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Mart. et Apr. Anno MDCCLXVII.

ΟΡΦΕΩΣ ΑΠΑΝΤΑ.

ORPHEI ARGONAUTICA, HYMNI, LIBELLUS de Lapidibus, et Fragmenta, cum Notis H. STEPHANI et ANDR. CHRIST. ESCHENBACHII. Textum ad codd. MSS. et edd. vett. recenſuit, notas ſuas et indicem graecum adiecit, IOANNES MATTHIAS GESNERUS, curante GEORG. CHRIST. HAMBERGERO.

Lipſiae ſumtibus Caſpari Fritſch, 1764. 8. mai. Alph. 1. pl. 15.

Quod ſaepe numero libris, poſt auctorum mortem editis, aliquid auctoritatis detrahit, ſi multis in locis inchoatum opus agnoſcatur, cuius perfectionem praematura ſcriptorum mors impedierit, id ne de hac editione ullo iure dici poſſit, plane non veremur. Nam cum ipſe *Geſnerus* in prolegomenis, Societati Scientiarum Göttingenſi a. 1759. praelectis, fateatur, ſe, cum de navigationibus Phoenicum extra columnas Herculis ſcribere decreviſſet,

etiam ad Orphei Argonautica delatum eſſe: vel illo ipſo anno, vel paullo ante, parare hanc editionem coepit. Ac profecto ipſa res declarat, ab eo tempore, quidquid usquam legerit *Gesnerus*, id ad hunc poema illuſtrandum collatum eſſe. Fuere vero, quod nobis certo conſtat, typis omnia ſic parata, ut, ſi longior ei vita contigiſſet, non diu moraturus fuiſſe editionem videatur. Unum fructum mors intercepiſſe videtur. Nam cum ſaepius in notis lectores ad indicem ſciſceerit, tamen ibi ipſa quidem vocabula diligenter annotata, ſed paucisſima explicata vidimus; e quo intelligi fortaſſe poteſt, multo uberiorem obſervationibus eum futurum fuiſſe, ſi Gesnero longior vita contigiſſet. Videant, quibus tanti eſt, verba λύμακτα, ῥῖ, ὑπαιθρηκεμβεμόνες, (στιβάδεσσι. Verſantur autem adſperſae obſervationes non niſi in verborum ſignificatibus, cuique loco aptis. Hanc ergo partem editionis, ut inchoatam, et nos relinquemus, ut dereliquo Gesneri ſtudio, et ſumma diligentia dicere posſimus.

Sed operae pretium eſt, ipſius de Orpheo et his carminibus ſententiam audire, prolegomenis iis, de quibus paulo ante diximus, comprehenſam. Fuiſſe Argonautarum tempore Orpheum, cum alia veterum loca permulta declarant, quae omnia in dubium vocare temerarium fuerit; tum Pindari, Euripidis, Platonis, Herodoti, Ariſtophanis, qui ſic de Orpheo ſcripſerunt, ut indubitata res tunc fuiſſe videatur. Neque vero Onomacritus, quem Orphicorum carminum auctorem perhibent, nomine eius, qui non vixiſſet, uti potuiſſe videtur, niſi inter omnes conveniſſet, vixiſſe Orpheum, eiusque notas opiniones colligi ab Onomacrito, et aliquo modo immutari potuiſſe. Si quis Ariſtotelis auctoritatem opponat, quem Cicero (N. D. 1, 38.) dubitaſſe ait, an fuerit Orpheus, ignorantur tamen ipſius Ariſtotelis verba, quibus non conſultis, vix aliquid certo dici poteſt. Nec, quod Iemblichus (vit. Pyth. p. 34.) Doricam dialectum Orpheo tribult, id ita grave eſt ad dubitandum,

dum, ut reſponderi nequeat, cum Onomacritus, ſervatis rebus, immutare dialectum, et ea, quae nunc feruntur, inſtituere potuerit carmina. Quod denique pauca Orphei loca in veterum libris repetita occurrunt, is, qui myſteria tamdiu celata dixerit, donec chriſtiana religio ſuperſtitioni clandeſtinae vim omnem detraxerit, nihil ſentire videtur, quod a vero magnopere abhorreat. Et hoc magno antiquitatis argumento eſſe poteſt, quod nec linguae ratio, nec ipſae res, ab illa temporum vetuſtate usquam recedunt. Ceterum, de conſilio horum carminum, ipſa Gesneri verba e p. 24. huc retulimus: „Quae hodie exſtant ſub Orphei nomine opuſcula, ea commendare videntur caerimonias et myſteria, facere Orphea deorum amicum et interpretem, qui ab his edoctus, et morborum remedia, et expiatoria omnium prave factorum ſacra, et depulſoria periculorum, et portentoſa in rerum omnium deſperatione auxilia, vel depromſerit in ipſo actu, vel, unde petenda eſſent, etiam poſteris oſtenderit.“

Lubet hic e praefatione Hambergeri, cui Gesnerus editionem mandarat, repetere breviter, quibus codicibus et editionibus adiuta ſint Orphica carmina. Subiecit ergo Gesnerus paginae cuique varias lectiones e cod. Voſſiano, qui in bibl. Leidenſi aſſervatur; tum e Chivaceano; qui e Batavis in Göttingenſem bibliothecam venerat; denique eas, quas ab Ant. Askeuio, Anglo, acceperat. Unam reperimus ſiglam, PAIC, quae quid ſibi vellet nusquam indicatum eſt: ac mallemus omnino, de pretio codicum a Gesnero aliquid relictum eſſe; neque enim Cl. Hambergerus, niſi de nominibus eorum, dicere potuit, etſi vel ſic diligenti notarum lectione quaedam de pretio librorum colligere conatus eſt. Thrylitianus liber, ad hymnos ſaepe laudatus, eſt variarum lectionum e cod. Auguſtano collectio, Vitebergae a Thryllitio a. 1719. edita. Cum Stephaniana editione a. 1566, ad cuius exemplar, paucis ſubinde mu-

tatis, Gesneriana expreſſa eſt; contulerat Florentinam a. 1500. 4. a qua libellus de lapidibus abeſt, Aldinam, Venetiis a. 1517. curatam, Iuntinam a. 1519. quae iudice Gesnero Aldinae repetitio fuit, denique Baſileenſem a. 1523. His ergo praeſidiis ſic uſus eſt Gesnerus, ut nec negligeret, ſi qua minuta viderentur, nec nimis mutaret dubia et incerta, nec timide tamen ubique trepidaret, nec, ſi quam ipſi mutatio arriſiſſet, lectoribus eam obtruderet.

Ponamus exempla quarumdam mutationum, ad quas tamen tardiorem ſe eſſe Gesnerus ad Arg. 899. fatetur. Argon. v. 33. auctoritate Voſſiani codicis, comprobata eſt Ruhnkenii et Bernardi coniectura, οἴμας pro ὄρμας, quod cum ἀταρπὸς v. 35. confertur. Idem codex ibidem ſuaſerat, ἰδυίης pro ἰδυῖαν ſcribere, cum non tam diceretur quid didiciſſet Orpheus, quam quid Muſaeus eſſet edoctus. Inſertus eſt poſt 50. verſum ex illo ipſo libro hic verſus: Ἡρώων τε καὶ ἡμιθέων πρόμος ἐξεπέρησε, quamquam de eo nihil certi definitur. Mox v. 56. χειρὰς ὑπ' Α, cum antea ἐπ' ederetur, ex duobus libris ſcriptum eſt; et v. 577. πάλης pro πάγης, v. 801. εἰσέδρακεν pro εἰσέδρακον e Voſſiano; ſed v. 1233. λύθρῳ pro λύγρῳ e duobus libris. Fit expeditior ſententia, ſi poſt v. 1275. integer verſus, Ζεὺς ὑψιβρεμέτης καὶ πόντιος Ἐννοσίγαιος, addatur, ut Voſſiani libri auctoritate Gesnerus eum adiecit. V. 757. ἐπίηρον coniunctim edidit, quod Euſtath. ad Il. α, 676. et Od. γ, 353. κέρας τῷ ἱερῷ explicat, cum antea ἐπ' ἴηρον lectum eſſet. Auctoritate Ruhnkenii v. 1355. [illegible] recepit pro Κρανναίη. Et ex hymnis pauca adiecimus, ut 10, 1. νήριον e duobus codd. Bis in 70. hymno aliquid tentatum, v. 7. ἐκπροφανεῖσαι e cod. Voſſ. propter metrum pro ἐκπροφανεῖσαι, et v. 4. Πλουτῶν pro Πλούτων, ut ſit φευχθεὶς Πλούτωνος. In libello de lapidibus 7, 10. ἔνιδες [illegible], factum eſt ex [illegible], et 11, 3. initium alius deſcriptionis, adiecto titulo Ὀφίτης, quod valde veriſimile eſt, atque certum adeo propter Tzetzae locum, quem Gesnerus diligentiſſi-

mum

nem τοῦ ἀέθλου lectorem appellat. Ac ſi quis duos illos de Oſirite verſus legerit, finita videtur deſcriptio. Eodem in carmine v. 36. *Μαίης* loco *Φαίης* poſuit. Sed talia lectiones ipſius libri melius, quam e tenui indicio, cognoſcuntur.

Quo parcius autem Geſnerus textum immutavit, eo ſaepius et ſuas, et aliorum, Ruhnkenii nominatim, Lennepii, et *Pierſoni* coniecturas indicavit, confirmavit, aut examinavit. *Arg.* 10, 24. laborantem verſum fulciri poſſe putat inſerto καὶ inter τί et πλέον, mox autem melius legi φθέγξεαι: utrumque, e noſtra ſententia, bene. *Veriſſime* 15, 97. ſuadetur ἀντερχόμενος, cum Mercurius ſemper a ſuperis ad inferos commeet, et ſic apportare coralium potuerit. Vult 18, 96. μηδὲ παρέσχῃς legi, pro κομίσσῃς, *ne impertias* quidquam domum ferendum. Prooemium libelli de lapidibus, multis locis obſcurum aut corruptum, ſic fere illuſtratum eſt a Geſnero. V. 28. negat eſſe, quo κεράσαι referatur, ponendumque putat καλέσας. Sed nobis videbatur ἀντικρὺ χαρίζειν γυῖα χάλκεα iungendum, ut centies apud Homerum et alibi ἀντία ὅπλα φέρειν. Si v. 62. πρέσβυν δὲ legatur, correpta, ut fit nonnumquam, priore ſyllaba verbi πρέσβυν, ſtare poſſe verſum putat. V. 70—74 interpoſiti videntur ab aliquo, ideoque a Geſnero incluſi ſunt: eſſe enim, ſi non miſere corruptos, at indignos reliquo carmine: tum loqui in hoc prooemio Orphea, qui ſuam ipſe mortem deſcribere nullo modo potuerit: dubium item videri, an, qui multum cum ceteris verſatus ſit, recte πεπονημένος dicatur: praeterea *Orpheum* magiae, quae iam antiquiſſimis temporibus infamiam habuerit, auctorem appellari, ipſam tamen magiam interdum honeſte dictam eſſe. Si quaedam addere his licet, illud non negligendum videatur, quod v. 70. ὄλλυτε ad ξείνιον et σαοφρον v. 69. referretur, quo etſi pertinere propter ſenſum nequit, inepte tamen oratio, non nominato Orpheo, ad eum derepente tranſilit. Quidnam porro v. 73. illi πρωτὸς fiet, aut unde pendebit? Non aſſentimur Geſnero,

Arg. v. 801. εἰδ' ἄρα ſuadenti pro ἐν δ' ἄρα, nam ἐν δ' ἄρα, *in-que navi ſedentes*, plane eſt Homericum. Ibidem v. 782. ἀστέρα δαὶ ἑ αὖ, ſuſpicatur, ut δαὶ ſit συμπληρωτικόν, quod ab hoc loco alienum videtur: neque enim ſimilis eſt locus Apoll. Rh. 1, 267. οἳ δαί, cum hic relativum pronomen praecedat. Laborat Argon. v. 884. forte ſic mutandus: ταῦτα δὲ καὶ πόλλ' ἄλλα ἴσ. Illud certum, pro ἀκοῦσαι eſſe ἀκούσῃ (Voſſian. ἀκούσῃ) reſtituendum. Poſſis v. 893. ἐπεὶ ἐπ' in ἔτ' mutare: *praeter fluvium domus alia habet munimenta.* Sol et fixae ſtellae quoties in Orphicis ἀνταυγεῖς dicuntur, ut H. 6, 5, legi αὐταυγεῖς poterit, quamquam in libris nihil eſt praeſidii. Non poenituerit, H. 72, 1: μεγάλου ἡγήτορα cum Geſnero probare. Sed et hic ſubſiſtendum, ſunt enim notae eiusmodi coniecturis refertae.

Argumentum diſputatiunculae ad Arg. v. 490. breviter ſic explicari poteſt: Cum Homerus numquam ἀγκύρας dixerit, ſemper εὐνάς, easque e navi in mare demiſſas; praeterea Plinius H. N. 36, 14. et Arrianus Per. Pont. Eux. p. 120. Cyzici lapidem eſſe docuerit, quo Argonautae pro ancora uſi ſint; Homerus denique Od. ν, 77. λίθον τρητόν, a quo reſoluta ſit navis, et Apollon. Rh. 1, 955. εὐναίης λίθου memoraverit: videri εὐνάς veterum lapides perforatos fuiſſe, littori adfixos, ut ex iis religata navis quieſceret. Ceterum, cum in Orphico carmine verbum ἀγκύρας occurrat, videtur eo temporis intervallo ortum, quod inter Homerum et huius carminis auctorem effluxit. Laudatis ad H. 5, 4. doctorum virorum coniecturis, defenditur Leopardi opinio, ἠρικαπαῖον ſuadentis. Nam ἠρικαπαῖον, ut Orphicum numen, ridet Gregor. Nazianz. Orat. 3. et Nonnus exeg. hiſtor. p. 154. eumdem nominat. Sive igitur ἠρικεπ. ſive ἠρικαπ. legatur, ſignificari videtur hortorum *vernus cuſtos* et praeſes, ducto verbo e κῆπος. Nihil tamen a Geſnero definitum eſt. Ὅσε in eodem loco, quippe accommodatum illi ἄρχε παιάν, quod pro ἠρικαπαῖε huc usque editum erat,

pote-

poterit Geſnero indice in ὄντα mutari. Ut Orpheus Arg. 310. pepla tecta dona diis fert, ſic v. 955. πλάσματα ſub peplo fingit. Quid ergo, ſi res diis ſacras, propter τὰ μυστηριώδες, velamento tectas fuiſſe opinemur? Quid, ſi ritus ab Aegyptiis, adyta templorum peplo velantibus, profectus? Quid, ſi aromata et alia, una cum hymnis Orphicis, quibus et dei nomen, et λιβανὸς, ἀρώματα, θυμίαμα, vel ſimile quid praeſcriptum eſt, ſi denique ipſum de lapidibus libellum, myſteriorum partem cenſeamus, et hac de cauſa tam diu deliteſcere potuiſſe?

Iam qualem egerit interpretem Geſnerus, paucis exemplis videamus. Cum et Heſychius κανθὸν, quod Arg. 931. occurrit, τὸν τῶν ὀφθαλμῶν κύκλον interpretatus ſit, et alii Grammatici, velut ad Il. ε, 27. ferramenta rotis circumdata κανθοὺς, recte apud Orphea κανθοὺς ἑλίσσων, *oculos volvens*, appellatus eſt draco, aurei velleris cuſtos. Accedit Callimachi Fragm. 150. inter Bentleiana, ubi ἀπὸ κανθῶν ἐλάσαι ὕπνον legitur, *ab oculis excutere ſomnum*. Itaque non opus eſt ad illud confugere, canthos eſſe τὰ ἑκατέρωθεν τῶν βλεφάρων ἄκρα. Ad intelligendum v. 268. ſq. Geſnerus haec adſcripſit: „Navis impoſita erat pluribus palangis ſ. cylindris, quos carina ad angulos rectos decuſſabat. Palangae, ut aequabiliter pondus navis ſuſtinerent, ope lineae ſ. funis extenti, qui omnium ſummos arcus tangebat, aequatae erant. Iam ut quamque palangam reliquerat progreſſu navis, ita illa pondere liberata reſilit: ſic omnes ſparguntur, et directionem ordinemque amittunt.“ V. 892. ἐρυμνὸς ποταμὸς videtur eſſe munitus altis litoribus, aut operibus manu factis; et paulo ante v. 883. θυμὸς εὐήνωρ virginis, qui placere honeſto viro, eumque allicere ad matrimonium poteſt: de qua tamen interpretatione nos quidem vehementer dubitamus. Nam quae aperte ſunt Homerica, ea ex uſu Homerico neceſſario explicanda putamus. Ποτὶ κῶας ἀμείβων v. 929, fuerit forte ſerpens, *alternis ad vellus reſpiciens*:

ſed

ſed dura Gesnero ipſi, et exemplis deſtituta interpretatio videtur. Cum non appareat v. 819. unde *ἐλδομένοις* pendeat, poterit v. 818. *ὕμμιν* legi, et *ἐκ πόθεν*, velut parentheſi incluſum, ſignificare *unde*, hoc modo: *Quae vobis neceſſitas venit, et unde, ut velletis etc.* Sed hoc durum eſt. Erat v. 619, *ἐπὶ θώκοις κάθιζον*, ſimpliciter indicatum, *occupata eſſe transtra*; iam *βάντας ὑπὲρ θώκοιο* ſitum corporis deſcribit, *divaricatis pedibus velut equitabant in transtris*. Recepto *μέγα* pro *μετὰ* e cod. Voſſ. et coniectura Pierſoni v. 467. efficitur hic ſenſus: *Sacra haec* (omnino) *hominibus utilia eſſe*; *inprimis navigantibus*. Sed vix hoc modo illud *σφιν* intelligetur, quod nimis ſaepe abundare Gesnerus autumat: videndum enim, ne ad illam redundantiam propter aliorum inopiam confugiamus. Fagus, aureo vellere onuſta, quae v. 764. novo forte verbo *χαλαζάιη* appellatur, ita fortaſſe fertilis fuit, ut concuſſa velut grandinem glandium funderet. Coelum H. 3, 5. *οὐράνιον* et *χθόνιον*, quod nunc imminet capiti, mox terras ſubiturum. *Ὠμάδιος* dici potuit Bacchus 29, 5. quod humeris Silenorum et Satyrorum fertur. Si 30, 3. *κωφὰ ἴχνη* interpretere, quae non audiantur, ut ſurdos ictus Plinius dixerat, non opus erit de *κῦφος* cogitare. Exſtat in Herculanenſibus picturis triangularis lyra, cuius ſumma chorda, mento canentis proxima, longisſima, adeoque gravioris ſoni eſt; qua obſervatione H. 33. v. 16. illuſtratur a Gesnero. In tam uſitata vero apud veteres corporum coeleſtium et rei muſicae comparatione, mirum non eſt, ſi *hypate* hiemis imago ſit, *nete* aeſtatis, et *δώριος διάκοσμιος*, mollisſimus ille et temperatus, veri ſimilis. Sed ipſa animadverſio Gesneri longior, digna eſt quae legatur. Λιθ. 9, 21. de facili gemmarum ſculptura intelligit Gesnerus. Si eiusdem hymni verſu ultimo *τὸ ἄνες* de manſuetudine accipias, ut minora Homeri ſcholia ad Il. *ξ*, 670. *ἀνίειν*, prodibit haec ſententia: *Audendo aeque ac concedendo dii placantur*, ut et durae et molles gemmae imagines recipiunt. Ingenioſe profecto, modo vere, et ſatis e re praeſenti.

Quod

Quod autem animadverſiones, quibus hymni et λιθικὰ illuſtrantur, multo pauciores ſunt, quam quae ad Argonautica pertinent, eius rei non tam feſtinatio culpam habet, quam quod de hymnis ſaltem ſaepe fatetur Gesnerus, noluiſſe ſe myſtam aut myſtagogum agere. Tamen vel ſic ſatis multa de opinionibus ipſis adſperſa ſunt; etſi, quod ſolebat Gesnerus, pauciſſimis verbis, quibus ſi multae diſputatiunculae de fragmentis addantur, habere poterit harum rerum ſtudioſus, quod in poſterum ſequatur. Nam cum tota haec Orphica philoſophia varie in uſum vitamque communem veniſſe videatur, fortaſſe contra mentem myſtarum, at ut ſymbola tamen imaginibus exprimi inciperent, et placitorum non abditus quidem ſenſus veſtigaretur, ſed litera, ut aiunt, premeretur, non ſolum placitis ipſis diligentius excuſſis, vel hiſtorica, vel phyſica mythicorum origo cognoſci poſſet, verum lux etiam innumeris veterum Philoſophorum ac Poetarum locis accendi, foretque operae pretium, hymnos Orphicos cum reliquis Poetis comparare. Ad initia λιθικῶν p. 290. diſerte profitetur Gesnerus, ſe, ut in carmine, ita in hoc libello verſaturum, cuius magna ſit, pro ipſi argumenti tenuitate, vis poetica, ideoque neglecturum, ſi qua φιλολογήματα e Theophraſto, Plinio, et aliis, arceſſi poſſint.

Latina Argonauticorum interpretatio, metro ſoluta, Gesnerum habet auctorem; in qua plura loca, vel dubia, vel aperte corrupta, ſic expreſſit, ut locus ipſi conſtituendus videbatur; ideoque notas cum interpretatione perpetuo conferre neceſſarium eſt. Hymnorum autem difficilis illa verſio Scaligeriana, una cum eius notis, p. 284. adiectis, ſervata eſt, et Lithicorum verſio vulgaris permultis in locis ab editore correcta. Fragmenta inedita, et collationem Orphicorum carminum cum codd. regiis Pariſ. 2763. 2764. et 2765. Cel. Ruhnkenius ad Cl. Erneſtium transmiſerat, cuius ſuaſu in hanc editionem venerunt.

Oo Liben-

Libenter ea quoque attigiſſemus, quae de ſpiritu poetico, ſubinde velut erumpente, adnotata videramus, ut Arg. 252, 257, 294, et alibi: ſed cum haec rara ſint, et omnino nobis Argonautica potius narrationem metricam de itinere, cum pluribus epiſodiis, continere videantur, quam ad carminis vim magnopere accedere, ea omiſimus. Illud unum repetere liceat, quod ad totius operis deſcriptionem pertinet, videri carminis auctorem, ceteris fere neglectis, ea maxime ſecutum, quae Orpheus fecerat, ad quod conſilium Muſaei perſona, cui omnia enarrantur, perquam accommodate delecta eſt. Cum qua Gesneri obſervatione ad v. 856. ille alter locus cohaeret ad v. 521, quo Orpheus et Apollonius Rhodius breviter et vere comparantur. Ille ſumma capita attingit, et ea loca latius explicat, ubi velut deo ex machina Orpheo opus fuit; hic diverticula et amoenitates, rituumque origines perſequitur: ille Poeta μυθολογῶν; hic doctior grammaticus: hic rerum naturam; ille miraculis locum quaerit.

Reſtat, ut duarum diſputationum, Societati regiae Göttingenſi praelectarum, argumentum paucis indicemus; quae quidem huius editionis acceſſio tam utilis nobis videtur, ut, ſi quis haec attente legerit, permultorum veterum locorum intellectum facillime deprehendi poſſe cenſeamus. Quid enim ea diſputatione carius nobis eſſe debet, qua tempus fabuloſum illuſtratur, cuius obſcura initia detegere tanto magis neceſſarium eſt, quanto plus commodi omni hiſtoriae fabuloſae inde adiungitur, ne, quae multorum ſtultitia eſt, quidquid fabularum deprehenditur, id uno verbo inſolenti ad ridiculas et ἀδυνάτους fictiones abiiciatur. Placuit Gesnero, eas appellare *praelectiones de navigationibus Phoenicum extra columnas Herculis*. Herodoto auctore, Phoenices a rubro mari ad mediterraneum veniſſe conſtat; et e Strabone diſcitur, ab iis columnas Herculis ſuperatas eſſe. Eosdem circa totam Africam navigaſſe, credibile fit, ſi litus orien-

orientale Africae Phoenicum coloniis repletum fuiſſe cogitemus: tum Homero iam illas oras notas fuiſſe, apud quem Menelaus e Nilo per mediterraneum mare intra octo annos in Indiam veniſſe dicitur: denique e rubro mari profectam Salomonis claſſem, lecta Africae ora, Tyrum appuliſſe. Neque vero vel temporis diuturnitas, vel moleſtia itineris, vel ſtudium Phoenicum, pleraque augendo mirabilia reddens, narrationibus huiusmodi fidem detrahere poteſt; cum et auctis in maius narrationibus veritas ſubſit, et navigantes in oram Africae ſerendi metendique cauſa exſcenderint. De Argonautis nominatim haec tradit Geſnerus, cum redeuntes Propontidem traiicere potuiſſent, tamen, itinere ad Moeotidem paludem directo, eos partim in fluviis, ut Boryſthene, navigaſſe, partim navem per continentem portaſſe, (id quod in fabula Argonautarum et ſumitur a pleriſque, et Strabonis loco (2, p. 341.) de Heniochis, poſteris Argonautarum, confirmatur,) donec in Oceanum Germanicum delati, Hiberniamque praetervecti, per mare mediterraneum in Graeciam redierint. Altera praelectio coniunctas quasdam cum his Phoenicum navigationibus diſputationes tractat. In magna veterum de Inſulis beatorum diſſenſione, illud tamen conſtat, iucundam eſſe, ſed longe remotam regionem. Homeri locus Od. δ, 563. intelligi poteſt de quadam ora, ultra columnas Herculis remota, aut forte de inſula Oceani. Macrobii Orphici (Argon. 1106) quamdam aeternae felicitatis imaginem referre videntur. Poſt haec de Hyperboreis ſic agitur, ut variorum de ſedibus huius gentis opiniones indicentur, et cognatio cum Apolline explicetur. Non fuit illa una gens, quae eodem in loco habitaret, ut vel hinc diverſitas narrationum diiudicari poſſit. Extrema diſputatione de Praedonibus Francis exponitur, qui cum a Ponto Euxino, ad quem Probo Imperatore permittente conſederant, patriam repeterent, per mediterraneum mare, praeternavigatis Herculis columnis, dextrorſum in Oceanum Germanicum delati

ſunt. Cuius itineris permagna ſimilitudo cum iis, quae paulo ante de navigatione Argonautarum expoſita ſunt, ſponte apparet.

ORIGINES BOICAE DOMUS. TOMUS I. ET II.

Noribergae, apud Io. Georg. Lochnerum, 1764. Alph. 4. in 4to.

In Aula Boica verſabatur illuſtrisſimus Dominus *du Buat*, Chriſtianisſimi regis mandato, cum a Serenisſimo Boiorum Principe Scientiarum Academia, valituro ad poſteros praeclaro exemplo, inſtitueretur. Iſtius Academiae Sodalis, honoris cauſa, dictus, cogitare coepit de aliquo argumento ſcriptionis, quo dignum ſe ea praerogativa, ſed vero et gratum ſimul, declararet. Igitur in Conſeſſu Sodalium, qui primus omnium fuit Anno 1759. legit *de Luitpaldo Comite* libellum, (inſertum deinceps Commentariorum Tomo Primo pag. 61. ſequentibus.) Et hoc quidem libello infringere inveteratam opinionem ſtuduit, a Carolingorum domo in Francis, Baioaricam gentem, per Luitpaldum Comitem, deſcendere. Sedit nimirum ſtulta, fere ad Seculi praecedentis exitum, opinio, Genealogis plerisque, non poſſe illuſtri genti cuicunque originem illuſtriorem tribui, quam ſi a Caroli M. a Witekindi, aut ab Romani etiam herois alicuius proſapia, recta ut aiunt linea duceretur. Boicae genti idem accidit. Erat *Wilhelmus*, (cui ſe *Paliguesſus*, vero nomine *Spannagelius*, Bibliothecae Auguſtae Vindobonenſis olim Cuſtos primarius, deinceps oppoſuit,) qui a Carolingis Auguſtam gentem Boicam, quam ab indigena, quod iam *Buatus* ingenioſisſime atque verisſime praeſtitit, derivare magno conatu mallet.

Prima illa de Luitpaldo commentatio, ſurrepta auctori, ut ipſe queritur, a viro docto alias et litterato, occaſionem

nem huic praebuerat condendi ſyſtematis genealogici, quod Academiae etiam obtulit triennio poſt. Illuſtriſſ. igitur *Buatus*, partim ut ſua ſibi vindicaret, partim ut penitius explicaret mentem ſuam, revocavit opus ſub incudem, quod aliquantiſper ſepoſuerat, et, qua iam eſt facie, Boicarum Originum nomine prodire in publicum iuſſit. Dabimus praeclari Operis ſciagraphiam pleniorem, ut, quam lectu dignus liber ſit, Lectores noſtri omnino intelligant. Inprimis autem utemur eleganti *Praefatione* illuſtr. *Pfeffeli*, quam Auctoris rogatu Operi praemiſit.

Tributus eſt Liber in Tomos duos, quorum uterque habet Sectiones VII. quibus ſub finem accedunt, loco Appendicis, Monumenta nonnulla ex Tabulario Saliſburgenſis Eccleſiae prolata, quae cum Auctore communicavit Illuſtriſſ. *Ferdinandus Truchſeſſius*, e Comitibus *de Zeyl*, Baro in Waldburg, Eccleſiae Metropolit. Saliſburg. Decanus, Cathedralis Auguſtanae Canonicus. Cuique Sectioni annexa eſt Tabula genealogica, quibus in unam collectis, Origo domus Boicae, atque ſucceſſio, uno intuitu ob oculos ponitur.

Prima Sectione illuſtr. Auctor gentem *Hoſiorum*, quam Lex Baiuvariorum poſt Agilolfingos nobiliſſimam nuncupavit, ingenti molimine, et admiranda omnino in alienigena ſollicitudine, perſcrutatur; pagi *Usgove*, in quo ſita fuit Friſinga, quemque Hoſii incolebant, fines explorat; familias Hoſias, quotquot earum in coaevis monumentis reperire potuit, diligenter detegit; tandemque firmiſſimis argumentis adſtruit, *Luitpoldum I. Comitem*, qui ab A. 807. ad A. 837. pago gentilitio praefuit, *Hoſium fuiſſe*, *patruumque Ratoldi; filium vero*, ex eleganti et probabili coniectura, *Alprahti Comitis Hoſi*, circa annum 802. defuncti. Haec eſt Summa Capitum 5. iſtius Sectionis, quibus per occaſionem de familia Adalhareshuſana, ad Hoſios pertinente; de Schyrenſibus Principibus, a viro ortis, qui in Usgove avita praedia habuit; de ſucceſſione in Comitatus Baioariae ſal-

 tem

tem eatenus hereditaria, ſi non eſſet cauſa gravis filios aut excludendi, aut aliis poſtponendi, multa lectu digna legimus.

Sectione II. aut Libro potius, nam ita A. inſcripſit, de Marchionibus Baioariae orientalis Seculo IX. ſermo eſt. Primum *Adalbertus* quidam in ſcenam producitur, circa medium Seculum IX. celebris, isque non Hoſius ſolum, ſed etiam cohaeres Ratoldi, et ex praerogativa teſtandi, (nam in adhibendis teſtibus inprimis conſanguineorum rationem habitam fuiſſe oſtenditur,) eius etiam conſanguineus declaratur. Huic autem Adalberto, argumentis, ingenioſe pariter ac ſolerter, ex ſitu praediorum utriusque potisſimum conquiſitis, Patrem adſignat *Adalbertum I*, Hoſium et ipſum, et Limiti Baioariae orientalis, quam Auſtriam dixere, inde ab A. 819. usque ad A. 822. praefectum. Adelbertum denique primum, ex coniectura haud aſpernanda, fratrem fuiſſe contendit Luitpaldi Comitis, adeoque filium natu maiorem Alprahti Comitis. Anſam haec praebuerunt Auctori, in priſcos Auſtriae Marchiones curioſius inquirendi, quorum ſeriem ex monumentis coaevis egregie reſtituit atque adornat; quin et natales *Luitwindae*, quae amica fuit Carolomanni regis, et mater Arnulfi Imperatoris, explorans, illos veroſimillime refert ad Privinam, notisſimum illo aevo Moravorum Principem. Ad inſtitutum redux, Adelberto II. Adelberti I. Marchionis filio, Alphrati nepoti, filium adſcribit *Aribonem*, Marchionem orientalem apud Baioarios celeberrimum; hancque necesſitudinem non ex Comitatu ſolum, ſituque praediorum, ad Trunnam, et apud Hoſios, quae Aribo poſt Adelbertum tenuit, firmisſimis rationibus demonſtrat, verum etiam ex monumentis Salisburgenſibus, fere coaevis, teſtimonium producit, quo conſtat, Aribonem, latine *Haeres* dictum, Patrem ſalutaſſe Adelbertum II. Atque haec VI. capitibus diverſis A. explicuit, quorum quarto Marchiones orientalis Baioarie, quotquot fuerunt ab A. 799. usque ad A. 859. in medium attulit: *Cotheramnum*, *Werin-*

Werinherium, *Adalbertum*, *Gotefridum*, *Geroldum*, *Ratpotonem*; ſed et ob iter de Carinthia inter 3. Comites diviſa expoſuit. Quinto capite ſunt Marchionum iſtorum Succeſſores, fere ex coniectura: *Werinherius II. Willihelmus I. Willihelmus II.* cum fratre *Engilſcalco*, qui Marchiam tenuerunt ad annum fere 880. quorum filiis negata eſt patrum dignitas, tributa a Ludovico iuniore Ariboni, qui iam A. 876. Comes erat in Trungowe; unde ferale bellum tota regione exarſit.

Libro III. ad Ratoldum Auctor revertitur, probatque, eundem illum eſſe *Ratoldum*, cui anno 871. credita eſt Marchia contra Bohemos in Nortgovia, anno autem 873. additus Ducatus *limitis Sorabici*, ſeu Marchia Baioariae ſeptentrionalis. (Poteſt huc conferri commentatio egregia, *de Soraborum rebus geſtis*, quae exſtat in SCHOETTGENII et KREYSIGII *diplomatico Spicilegio hiſtoriae Saxoniae Superioris*, Tomo I. Parte II. num. 1. pag. potiſſimum 213. ſequ.) Filios ei, ex coniectura, cui difficulter aſſenſum deneges, *Popponem* et *Henricum*, tribuit; illum apud Ratisbonenſes notum, hunc celeberrimae familiae Babenbergenſis auctorem. Mirabere heic loci, Lector, induſtriam, quam in conferendis inter ſe monumentis Herbipolenſibus, Fuldenſibus, atque Friſingenſibus, Auctor adhibuit: certe parum abeſt quin plene probarit, pleroſque viros, qui provinciam, quam Franconiam dicimus, incoluerint, ex Baioaria illuc tranſmigraſſe; et Poppones, Adelbertos, etc. Nordgovienſes eosdem fuiſſe, qui apud Friſingenſes reperiuntur. Poſtremo coniectura aſſequi ſibi videtur, *Ellinratham*, Arnolfi Caeſaris concubinam, patrem habuiſſe Ratoldum, miniſtrum regalem, avumque Ratoldum ducem ſaepiuſcule laudatum. Expoſita ſunt haec quatuor capitibus; quorum altero *nummus* proponitur, inſcriptus: *Hratoldus Dux; Regina civitas*, quem optime Ratoldo ſuo congruere autumat. Ekardus etiam erroris arguitur, qui Poponem ducem a Comite Fuldenſis tractus, Poppone, derivat;

rivat; cum tamen Poppo Adalhareshuſanus idem cum Poppone illo fuerit.

Liber IV. totus eſt in eruenda et conſtituenda familia ex Ratoldo orta, igitur et de Marchionibus Auſtriae Babenbergenſis ſtirpis, (ab Adelberto Babenbergenſi, qui a. 908. obiit, repetenda,) quaeque A. 1246. extincta eſt, hic praecipitur, ut et de Burggraviis ſeu Comitibus Ratisbonenſibus. Origines Babenbergenſes ab *Henrico* Ratoldigena, praeclaro molimine repetuntur; fides *Aloldi*, (cuius excerpta ſunt in Faſtorum Campililienſium Tomo I. p. 1276. ſequ.) in tuto collocatur; *Ernesti I.* Auſtriaci, qui iure uxorio Ducatum Sueviae conſecutus eſt, itemque filii eius *Ernesti II.* cui *de Roſtal* cognomen dederunt, fata diligenter exponuntur, huicque *Irmgardis*, (quam Bruſchius male S. Cunigundae ſororem putat,) latifundiorum in Nortgovia heres, certisſimo connubio iungitur, unde ortus eſt *Hermannus*, ſator familiae Caſtellenſis. Tranſitu facto ad *Popponem*, Ratoldi Ducis primogenitum, *Burggraviorum Ratisbonenſium* ab eo procreatorum ſeriem, ab anno 904. usque ad A. 1159. quo clara et expedita ſunt omnia, producit Auctor, interque illos *Engildeonem* quendam nominat, Hildegardis Carolingicae maritum. De *Pabone Abuſino*, filiorum XXX. parente, nonnulla heic ſubiunguntur, Hundiusque, et recentiores alii, qui natales plerarumque familiarum Boicarum ad illum retulere, iure meritoque caſtigantur. Haec Summa eſt capitum quatuor libri iſtius, quorum tertio, occaſione Burggraviorum Ratisbonenſium, oſtenſum eſt, Ratoldum Ducem Reginae monetam cudi iusſiſſe, fuiſſeque patrem Engildeonis, Ratisbonenſis Comitis. Exeunti Sectioni quartae adiunctae ſunt tabulae genealogicae duae: altera ſiſtens ſtemma Burggraviorum Ratisbonenſium; altera ſtemma Ratoldinum plenius, nimirum ab A. 874. usque ad A. 1159. exhibens.

Libro V. integris octo capitibus, illuſtr. Auctor *Ariboneis* Marchionem, circa A. 900. mortuum, Adalberti II. filium,

filium, fratrem fuiſſe docet Luitpaldi Marchionis, quem ſatorem veneratur Auguſta gens Boico-Palatina. Aribonis deinceps poſteros Auctor ingenti ſtudio exponit, ad eos referens antiquos *Comites Salzburgenſes*, ex monumentis anecdotis notos, unde ſucceſſu temporis prodierint *Duces Carinthiae*, de ſtirpe Crayburgenſi, Comites *Burghuſani*, et *Ortenburgenſes*, *Comitesque Palatii Boici*, quotquot eorum ad A. usque 1050. in monumentis Boicis occurrunt. Palatinis iſtis Aribonigenis, ex coniectura planiſſima, accenſuit quoque illuſtr. Auctor *Cunonem de Rota*, Palatii Boici ab A. 1060. ad A. usque 1077. praefectum; patremque illius *Poponem de Rota*, ingenioſe detectum, natum fuiſſe arbitratur Hartwico II. Salisburgenſium Comite, et primo ex hac gente Palatina. Palmarium aſſerti argumentum illuc redit, quod Comitiva Palatii Boici omnino fuerit hereditaria, adeoque ſucceſſorem Aribonis V. eodem ſanguine natum dicere oportebat. At enim vero conſtat ex Legenda SS. Marini et Aniani, Volumine I. Boicorum monumentorum nuper vulgata, Poponis de Rota patrem, Cunonis Palatini avum, Poponem fuiſſe; et, uti quidem compertum eſt, illum Sundergoviae Comitem extitiſſe, in cuius Comitatum praedium Ruitanum reponunt Traditiones S. Emmeramnenſes. Quae cum ita ſint, uti ſunt omnino, alia quaerenda erit ratio, qua ad Cunonem Rotenſem Palatinatus Boicus devenerit. Planiſſimum foret, Utam, Cunonis Palatini coniugem, ſororem dicere Aribonis V. qui anno circiter 1055. in gratiam adfinis ſui, Palatinatu ſe Boico abdicaverit. — Ad eandem Aribonis propaginem Iacobos quoque, Archi-Advocatos Friſingenſes, pertinuiſſe, coniectura illuſtr. Auctoris eſt, ſi quae alia, veroſimillima. Inprimis autem capite quinto delectati ſumus, quo exploſam legimus Genealogiam fictitiam antiquae *domus Andechſenſis*, quae *in rerum natura* ante Saec. XII. non fuit, et in qua enarranda, *poſt* Hundium, et alii, cumque iis *Koelerus* quoque, diſſ. de *Ducibus Meraniae*, lapſi ſunt. Fabula nimirum eſt, Ra-

 toldum

ſoldum Nothum, Arnulfi Imperatoris filium, ſatorem iſtius domus Andechſenſis fuiſſe; eſtque mirum, neminem adhuc id laboris ſuſcepiſſe, ut oſtenderet, extitiſſe hanc gentem ante duodecimum Seculum.

Libro VI. quinque capitibus, Auctor, velut ex longo errore, hiſtoriae tamen et Genealogiae utiliſſimo, ad *Luitpaldum* Marchionem revertitur, totusque primum in eo eſt, ut oſtendat, *Arnolfum Ducem*, indubium Auguſtae Gentis ſatorem, *ab Imperatoribus Regibusque Carolingis deſcendiſſe omnino, ſed nonniſi per feminas.* Non poſſumus non heic loci vehementer probare viam quam iniit illuſtr. Bünatus. Luitpaldo Marchioni coniugem, Arnoldo Duci matrem, attribuit filiam Ludovici III. Regis Boioariae et Saxoniae, ſororemque Hildegardis, quam Luitpaldo amiciſſimam fuiſſe conſtat. Soluto ſic nodo, quem inextricabilem crediderat Wilhelmus, et adſtructa per feminas origine Carolingica Principum Boicorum, Comitatum praediaque Luitpoldi Marchiones inveſtigat Auctor, ipſique, praeter Aribonem, abunde notum, alium dat fratrem *Albericum*, patrem Alberici Comitis, quem patruelem Arnolfi Ducis nominant monumenta Salisburgenſia anecdota, in codice diplomatico ad Operis calcem producenda. (*Sed pace, Viri illuſtr. monere liceat, haec conſanguinitatis, apud Scriptt. et in chartis medii aevi, nomina, ut fratris, nepotis, ſororis, filiae, patruelis, et talia, immo et adfinitatis vocabula, late ſumi oportere, neque eo ſenſu quo nos hodie interpretamur: igitur leve eſt, e talibus, argumentum genealogicum; neque eſt huius loci, exemplis ex omni hiſtoria, quod facile poſſemus, oſtendere, fratres, ſorores, nepotes, filias, conſanguineas, patrueles, propinquas, dictos fuiſſe ſaepe numero, qui aut nulla eſſent tali cognatione iuncti; aut ſaltem non ea, quam uſurpatae voces noſtra aetate indigitant. Sed haec praefiſcine.*) Alberico II. ex iisdem monumentis adſeritur filius Heroldus, Archiepiſcopus Salisburgenſis. Quae capite III. Libri iſtius producuntur Diplomata, quibus Luitpaldus Marchio a Ludovico rege *propinquus* dicitur, nihil

habe-

habebunt, ſecundum ea quae paullo ante diximus, quo genealogicae Auctoris tabulae innitantur, niſi adſint argumenta alia, his potiora, atque certiora. Libro huic Sexto, qui Primi Tomi ultimus eſt, additum videmus Indicem nominum et rerum potiorum, Lectorum commodo; ſed et alium indicem ſphalmatum typographicorum, quae illi viro, qui Noribergae curam libri edendi habuit, nam latine doctum hominem fuiſſe vix credibile eſt, profecto ignominioſa ſunt.

Libri VII. qui Tomi II. quem de Poſteris Liutpaldi March. A. inſcripſit, primus eſt, poſtrema fata Luitpaldi Marchionis recenſentur quatuor capitibus, magna accuratione et diligentia. Arnolfum et Bertoldum, filios eius, Ducatui Boico coniunctim praefuiſſe, ex chartis Salisburgenſibus et Friſingenſibus oſtenditur, orbumque obiiſſe Bertoldum, ni coelibem malis, probatur. Arnolfo II. Arnolfi I. filio, profligatis Aventini erroribus, Hundii, ac recentiorum fere Scriptorum omnium, filius aſſignatur Bertoldus II. eumque gentem Auguſtam propagaſſe invictis argumentis demonſtratur. Etſi autem toto hoc Libro de Luitpaldi rebus geſtis admodum pauca dicta ſunt, propterea quod A. profitetur, ſe elementa hiſtoriae, non hiſtoriam ſcribere: tamen ſunt, invitante materia, propoſita nonnulla, quae praetermitti a nobis non poſſunt. Ita *capite I.* defenditur contra Hermannum contractum Luitpaldi pietas in Adelbertum Bambergenſem; *an Dux unquam fuerit*, ut Continuator Rheginonis, Otto Friſing. et alii, nominant, diſquiritur; addita epicriſi, multos eo aevo Duces adpellatos, qui nonniſi Marchiones fuerint: an Arnolfus, Luitpaldi filius, caſtrum *Schegren* fundaverit, dubium eſt, ab Arnolfo potius, Caeſare, exſtructum. *Capite III.* quatuor filios Arnolfo Duci, Eberhardum, Arnolf. II. Hermannum, Ludovicum, filiasque II. Auctor illuſtr. tribuit; quemadmodum *capite IV.* Bertoldum, Arnolfi II. filium, e tenebris protrahit, fide monumentorum, eumque auctorem gentis Auguſtae ſalutat.

 Iam

Iam deinceps ſub examen vocantur Aventini aſſerta, Advocatiam Friſingenſem, Comitatumque Palatii Boici, Schirenſibus Bertoldigenis, inde ab initio adſcribentis. *Libro* igitur *VIII.* adverſus eum probatur, Advocatiam Friſingenſem Seculo demum XI. eoque iam adulto, Schirenſi familiae ceſſiſſe. Utitur ea occaſione Auctor, ad ſeriem Advocatorum iſtorum, ab a. 830. repetitam, ad Udalſcalcum I. usque, qui a. 1020. floruit, operoſe pertexendam; confirmatque exemplis plurimis, Friſingenſem hanc Advocatiam hereditario iure deferri ſolitam, ipſis quoque feminis ſubinde contigiſſe. Udalſcalci I. deinceps connubio cum Wielipirga, Ebersbergenſium Comitum herede, egregie demonſtrato, neptem utriusque, et Advocatiae Friſingenſis heredem, ingenioſiſſime, nec ſine ſumma veriſimilitudine, nuncupat Hazagam, Ottonis I. Schirenſium Comitis coniugem, nulli Hiſtoricorum incognitam. Tria capita ſunt, quibus auctor haec uberius proſecutus eſt. Quae capite primo *de Succesſione in Advocatias* in univerſum propoſuit, ea hic a nobis deſcribi merentur. „Videor mihi deprehendiſſe, „ait, 1) quoties novus Epiſcopus creatus eſt, toties no„vum Advocatum ſummae rerum praefectum fuiſſe: 2) ad „unum forte ſpectaviſſe Advocati ſummi titulum, honores, „et emolumenta; ſed cum Advocato huiuscemodi ſummo, „ſeu principali, fratres eſſent, illos, quotquot fere erant, eius „aut vices ſuppleviſſe, aut Collegas fuiſſe; id ſaltem conti„giſſe videtur Schirenſibus: 3) ex una praeſertim, eadem„que familia, deſumi ſueviſſe Advocatos, niſi forte Epiſco„pus quisquam eum Advocatum retineret, quo uſus quis„que fuerat, antequam ferulam adipiſceretur. Tandem „4) illum olim nec Advocatum fuiſſe unquam, nec eſſe po„tuiſſe, ad cuius praefecturam vel quaeſturam pertineret „Eccleſia quae defendenda erat, vel res de quibus ageba„batur." Fallimur, aut haec hiſtoriae medii aevi omnino repugnant, certe de omnibus Advocatiis dici non poſſunt, tam diverſa illarum ratio fuit.

Liber IX. verſatur *circa hiſtoriam Comitatus Palatii Boici.* Primum exemplis undique conquiſitis probatur erraſſe Aventinum, et cum hoc omnes reliquos, quos ille induxit in errorem, qui ante medium Seculum XII. genti Schirenſi illum vindicarunt. Auctor hic eadem via procedit, quam ſecutus eſt ſuperiore Libro. Hiſtoriam Palatinatus Boici, inde a prima eius origine exorſus, poſt Aribonem IV. Seonenſem, memorat Hartwicos Aribonesque Salisburgenſium Comites, ac Palatii Boici praefectos. *Succeſſit* illis Cuno Rotenſis, huic Cuno Meglingenſis, Dynaſtae; utrique Rapoto II. ex Comitibus Taurenſibus ortus, annoque 1099. Ratisbonae extinctus. Hic vero deſtitutus omnino monumentis Auctor, coniecturis indulget, quae ſimiliores vero videbantur, atque Willitruden, Rapotonis II. ſororem, Bertoldo Greisbacenſi Comiti deſponſat, coenobium Bergenſe brevi poſt fundaturam. Firmato egregiis argumentis hoc aſſerto, autumat ill. Buatus, Palatinam dignitatem, cum Willitrude ad Greisbacenſes, indeque per aliam Matronam ad Ottones Schirenſem perveniſſe. Trium capitum haec Summa eſt, quorum altero *de Comitum Ortenburgenſium origine* quaedam legimus, quae ad Engilbertos Carinthiae duces refertur.

Libro X. quinque capitibus, de poſteris Arnolfi ducis, ad Fridericum usque, et initia Seculi XI. deque Lechsgemundanis, Kreylingenſibus, Tollenſteinenſibus, Neuburgenſibus, et Gruebanis, unde Faleyenſes, Comitibus, Schirenſium Agnatis, uberius diſſeritur. Bertoldo II. quem Satorem Auguſtae gentis Auctor veneratur, tribuitur filius Arnoldus III. Sundergoviae Comes: Arnoldo III. biga filiorum aſſignatur, Fridericus I. atque Arnoldus IV. de Rihlberishuſa; hic Andechſenſium Comitum, ille Schirenſium Sator. Haec aſſecutus Auctor, excutit monumenta Schirenſia, queis docemur, locum Uſenhofen, ubi monaſterium, quod hodieque Schirae floret, primitus fundatum fuerat, communem fuiſſe Ottoni Comiti Schirenſi cum Bertoldo quo-

ſam de Burgecka. Recte hinc collegerunt recentiores fere omnes, Bertoldum Burgeccenſem et ipſum Schirenſem fuiſſe, et Arnoldigenam. Iam vero oſtenditur, patrem ipſius Bertoldum de Greisbach dictum, cui ex coniectura, mox ulterius firmanda, frater adſcribitur Otto Comes, maritus Tuotae Neuburgenſis. Advertens dein Auctor, hereditatem opimam rami Burgeccenſis inter Lechsgemundanos et Kreglingenſes, ſive Eichſtetenſes Comites, fuiſſe diviſam, familiam hanc utramque ab Ottone, Tuotae marito, haud ignobili coniectura derivat; Comitesque Faleyenſes, olim de Gruba dictos, iisdem parentibus ortos eſſe contendit. Ingenti ſtudio conquiſita ſunt haec omnia, et ita ſane comparata, ut ex ingenio quisque ſuo facile ſuppleturus ſit, quidquid eorum deeſſe evidentiae poſſit videri.

Libro XI. refellit Auctor originem Andechſenſium Comitum a Ratoldo Notho repeti ſolitam, eosque potius a Schirenſibus deducit, ſuffultus potiſſimum auctoritate Viti Arenpeckii. Stemma illorum, ab Arnolfo, qui Saeculo XII. ineunte praeſes Hallenſis fuit, usque ad Bertoldum I. Meraniae ducem a. 1180. deducitur. Multa in rem hanc egregia Auctor hic propoſuit: nam eodem ſtudio errores vetuſtate paene conſecratos confutat, quo novas hypotheſes condit, quas vero quam proximas, ipſe Koelerus, ſi viveret, dixerit, etſi ſaepe hic notatus, atque emendatus. Sequuntur origines *Comitum Wolfratshuſanorum*, ad Fridericum Rochum Dieſſenſem relatae; tandemque ſubiunguntur, quae inſerviant hiſtoriae *Comitum de Bogen*, et, qui inde orti ſunt, *Arcuenſium*. Quinque capita ſunt Libri iſtius; quorum tertio accurata eſt de potentia atque divitiis Meranenſium ducum diſputatio, ſimul inquiritur in titulum, quo domus haec non Ducatum modo, ſed et Iſtriae Marchiam adquiſiverit.

Libro XII. qui ultimus eſt totius Operis, redit illuſtr. Auctor ad Gentem Auguſtam Schirenſem, quam ab Ottone I. usque ad Ottonem Magnum, Baioariae Ducem, producit.

docit. Friderico I. ex monumento Friſingenſi filium aſſignat Ottonem I. maritum Hayagae, Comitiſſae apud Schirenſes celeberrimae, cuius natales, per matrem Willipirlgam, ad Udalſcalcos, Friſingenſium Archiadvocatos, indeque ad Comites Ebersbergenſes, praeclare referuntur, exploſa ſimul recentiorum ſententia, qui illam Arragonenſem dixere. Ottoni et Hazagae tergemina proles contigit. *Ekkardus* I. qui gentem Auguſtam propagavit, quod extra omnem dubitationem ponitur, ex coniuge Richarda filios ſuſcepit duos, Ottonem II. qui primus dicitur ex hac gente Palatinus, et Arnoldum, Satorem rami Dachavienſis. Ottoni I. (II.) Palatino, quem Auctor ex mente Hundii a. 1131. obiiſſe exiſtimat, filii tribuuntur duo, Otto II. (III.) et Udalricus Praepoſitus Friſingenſis; ipſeque tandem Otto II. (III.) feliciſſimus genitor ſalutatur Ottonis M. Wittelſpacenſis Palatini, et poſtliminio Bavariae Ducis. In novem capita Liber hic ultimus tributus eſt. Primo eſt Anacephalaeoſis hiſtoriae Schirenſium Principum, eorumque Agnatorus, de quibus Auctor X. et XImo Libro praeceperat; quarto deinceps accurate demonſtratur, quod iam ſupra diximus, originem auguſtae domus Boicae ad Ekkardum I. Ottonis I. et Hazagae filium natu maximum referendam eſſe; ſeptimo Seriem legimus Palatinorum Comitum e gente Schirenſi, cui tres Ottones Auctor vindicat, quorum tertius Dux Baioariae factus eſt a. 1180; octavo expoſuit coniecturas ſuas de iure et titulo, quo Schirenſes adepti ſunt Comitatum Baioariae Palatinum.

Atque haec ſunt Operis praeclari, de Boicis originibus, praecipua capita. In univerſum negari non poteſt, ſagacitatem ab illuſtr. Bliato ſummam adhibitam fuiſſe, ad ea detegenda, quae vel reapſe detexit, vel tamen impoſterum detecturis multis modis facilitavit. Interſperſa ſunt, toto Opere, monumenta, ſaepenumero anecdota, quibus, quae a ſe propoſita eſſent, confirmare ſtuduit. Atque hoc ſtudio et accuratione effecit, ut multa nomina virorum illuſtrium,

luſtrium, origines item familiarum diverſarum, oblivioni eriperet, multaque videret in hiſtoria Boica, quae vidit ante eum nemo unus. Ubi documenta deeſſent, coniecturis utendum fuit, ut ipſe Auctor fatetur, quod ne ſeveriſſimi quidem iudices facile improbaverint: ſed iisdem coniecturis eo tandem pervenit, ut alta nocte preſſas origines luci exponere, multaque alia vero ſimillima conſtituere poſſet. In genealogiis texendis videntur eum nonnunquam, ut ſupra poſuimus, cognationis atque adfinitatis nomina, quae in chartis medii aevi reperias, decepiſſe; quod quale ſit, hic non repetimus, certe dubias genealogias efficit. Sunt alia minutula quaedam, quae aequus Lector facile condonaverit: opere enim in longo, fas eſt obrepere ſomnum. Tale eſt e. c. illud, quod Udalricum Praepoſitum Friſingenſem, patruum dixit Ottonis M. cum fratrem dicere oportuerit, teſte carta Rotenſi de A. 1179. Monumentor. Boicor. T. I. p. 365. Talia ſunt alia quaedam, quae ipſe correcturus ſine dubio fuerat, ſi Faſtos Undenſtorſenſes vidiſſet ante, quam Liber Originum prelo iam commiſſus eſſet. Debet igitur Bavaria, debet Germania omnis, Viro alienigenae, grates maximas, quod quem ratio muneris ad alia omnia vocaret, is illuſtrandis Boicae gentis Auguſtae originibus, tam diligentem navarit, tamque felicem operam, dederitque Bavariae doctis hominibus omnibus exemplum illuſtre, quod amplificandae patriae hiſtoriae, fabuliſque innumeris ex ea proſcribendis, imitentur. Multum eo valitura eſt illuſtris *Pfeffelii*, viri laude noſtra maioris, diligentia, quam edendis, auſpicio Academiae Scientiarum Boicae, *Boicis Monumentis*, quorum iam ſunt in manibus noſtris Novem Volumina, impendit.

IOANNIS HENRICI WINKLERI, PHYS. IN ACAD. Lipſienſi Profeſſ. Publici Ordinarii Commentatio, qua exponitur, qua ratione Ignis et Materia Electrica inter ſe differant.

Electri-

Electrica materia ignis eſſe videtur ex hoc, quod eius motu exiſtere novimus, quae, antequam cognita eſſet electrica vis, ſolius ignis efficaciae tribuebantur. Spiritus vini flammam concipit ex tactu et agitatione radiorum electricorum, qui propter hunc effectum ſcintillae electricae appellantur. Pari modo inflammatur ſemen lycopodii, quod alioqui flatu agitatum per flammam flumen inceníi ſulphuris exhibet. Aurum fulminans prunis impoſitum *ignis vi* cum fragore ſolvitur, et vas, in quo concluſum incaleſcit, violento impetu disrumpit. Parem vim in hoc pulvere excitat materia electrica, virtutis ſuae auctum nacta ex aqua in vaſis vitreis contenta. Valido igne opus eſſe ad liquanda metalla, conſtat. Nonne fieri obſervamus, ut tenues auri argentique lamellae, per quas concitatae materiae electricae vis incredibili pernicitate percurrit, e momento liqueſcant? Quae liquatio commode peragitur ſequenti methodo. Humore, qui ex electro confectus lacca vocatur, in ſuperficie tabulae aut cylindri vitrei linea ſeu ſtriga ducitur, eaque tenuiſſimis lamellis aureis vel argenteis tegitur. Quae aurata ſtriga, cum induruit, cultro diſſecatur hoc modo, ut parva parallelogramma exiſtant disiuncta ſectionibus ſubtiliſſimis. In hac ſtriga materiae electricae vi excitatum fulmen auri argentique lamellas rapido motu percurrit, earumque partes quamplurimas liquefacit. Tanta huius fulminis vis eſt, ut, ſi cylindrus vitreus, in cuius ſuperficie ſtriga aurata ducta eſt, corio inſiſtat valide appreſſus, corium perforet, atque in lateribus foraminis ſigna aduſtionis relinquat. In tabula metallica auri fulminantis parva portio cera circumvallatur, et pergamena obtegitur, ipſiusque huius tegminis ora itidem cera munitur, ut pulvis hic quaſi in vaſe concluſus lateat. Supra pergamenam ex filis ſericis pendet ſphaera metallica, quacum electrica vis communicatur. Ex hac ſphaera prorumpens fulmen electricum pergamenam perforat, atque incluſum pulverem diſſolvit, qui vi ſua ceram et pergame-

nam diſiicit, et fragorem edit, et in tenuem fumum vertitur. Haec certe phaenomena ſatis monſtrare videntur, materiae electricae ineſſe vim et indolem ignis.

Sed ſpectemus alia. Electrica materia, ſi ignis ſit, cur incendere haud valet igniaria et fomites ex fungis arborum inſolatis et linteaminibus obuſtis paratos? Aquae ingenium ab ignis natura prorſus abhorret. Aqua et oleum ignibus plenum inter ſe pugnant, et confuſa ſe invicem refugiunt. Extinguendae flammae in fluidis nihil aptius eſt, quam aqua. In ſubtiliſſimo vini ſpiritu, quem Alcohol nominant Chemici, aqua latet, quae vi deflagrantis ſpiritus ſub campana vitrea, in cuius parte ſuprema anguſtum orificium eſt, ita ſeparatur, ut per campanae latera humor decurrat, cuius ſapor aquam prodit; et per orificium ſupernum tenuis exhaletur vapor, qui adhibiti ſulphurati accenſi flammam aeque extinguit ac vapor exhalantis aquae. Vas ſtanneum oleo plenum et prunis impoſitum liqueſcit, ſed aqua repletum a fuſu defenditur. Si in aquam effunditur aes igne fuſum, ſummo cum periculo, et incredili cum fragore, aqua, aes, et vaſa diſiiciuntur. Aliquid aquae ſuperfuſum aeri ad ignem in vaſis liquefacto, teſte BOERHAVIO, a) uno impetu vicina omnia diſiicit, ferme promtiore impetus violentia, quam ſi pulvis pyrius adhiberetur. Haec vero aqua, quam inter et ignem tanta pugna eſt, tantam materiae electricae copiam et abundantiam complectitur, ut tres aut quatuor aquae librae in lagena vitrea contentae adeo vehementem excitari in ſe patiantur vim, cuius concuſſui ne robuſtiſſimum quidem hominis corpus reſiſtere valet. Aqua in glaciem abit, et vapores aquei in nivem vertuntur diſceſſu igniculorum, qui, quamdiu inter aquae et vaporum particulas verſantur, motu continuo impediunt, quo minus aqua et vapores concreſcant. At vero nix et glacies,

a) In Elementis Chemiae, de Aqua.

glacies, ſi, quae in iis hoſpitatur, materia electrica concitetur, radios electricos emittunt, qui ſpiritum vini pari modo inflammant, quo ii, qui ex aqua fluida erumpunt. Neque parva eſt copia igniculorum ex aqua gelaſcente exeuntium, ſi quidem aquae ferventis volumen, abitu igniculorum, quo fit ut gelaſcere incipiat, vigeſimam ſextam partem amittit *b*). An. 1744. frigori glaciali in vaſe ſtanneo aquam expoſui, exploraturus materiae electricae vim in aqua ſenſim frigeſcente, usque dum conglaciaretur. Continue rotari fricarique curavi ſphaeram vitream in Machina Electricitatis, cum vas ſtanneum in reti ſerico locum haberet, et baculus metallicus ab aqua in vaſe diſtaret per intervallum, in quo ex aqua et baculo proditura materia electrica in cylindrum lucidum colligeretur. Aqua ex loco calidiori allata pedetentim calorem amiſit, tandemque cruſta glaciali obducta eſt. Sed crepitans cylindrus electricus ex baculo et aqua continuo profluvio in conſpectum prodiit. Continuata eſt per longum tempus materiae electricae excitatio, magis magisque increſcente cruſtae glacialis craſſitudine. Non autem deſiit flumen crepitantis cylindri electrici. Hoc flumen, ſi ſit ignis, quid obſtat quo minus eo ſaltem loco, in quo generatur, congelationem impediat? Haec ſane phaenomena ſignificare videntur, igne vacuam eſſe materiam electricam.

In ambiguo itaque verſamur, habendane ſit materia electrica pro igne, an pro materia ab eo diverſa. Solvendae ambiguitatis facultatem dabit conſilium, quod rerum naturalium ſcientia illuſtris MVSCHENBROKIVS mecum communicavit, cum A. 1756. per litteras mihi ſignificaret animum, quo legiſſet, quae in Programmate de avertendi fulminis artificio, de incendiis pulveris Lycopodii et auri fulminantis, et methodo pulveres electricitate perfundendi, expo-

 ſui.

b) Nolletii Leçons de Phyſique expérimentale, Tom. IV. pag. 36. ſqq.

fuit. Electricitatem vocas, inquit, *ignem*, quia incendit corpora. An vero unquam obſervaſti calorem comitantem eiusmodi incendia? Poſſes dirigere in globum Thermometri Drebbeliani, et obſervare, utrum aër in globo concluſus rareſcat, an ſpiritus in aliis Thermometris: quia tam validam electricitatem excitare non poſſum, quam tu. Ideo rogo amiciſſime, ut hoc experimentum capias, meque de eventu moneas. Ex duobus locis, huius viri ſuaſu, in eodem conclavi, in quo ſolus verſabar, ſuſpendi duo thermometra concordantia, in quorum unum electricitatem in conclavi vicino excitatam derivabam, alterum vero electricitatis plane expers manebat. Excitavi electricitatem, tum vulgarem, tum eam, cuius inventio MVSCHENBROKIO debetur. Sed nullam expanſionem in mercuriali Thermometro obſervavi, quamvis per longum tempus utriusque electricitatis excitationem continuaverim. In loco ſuo, in quo ante excitatam electricitatem erat, mercurius immotus perſtitit, ſive ex catena tubo vitreo adiuncta ſcintillas, ſive ex tubi vitrei globo flumen electricum lenius et ſuſurrans elicerem, ſive vim ſuſcitatam ſibi relinquerem, nullo admoto corpore, inope electricitatis. Adhibui Thermometrum ſpirituale. Sed neque in hoc ullum adſcenſum ſpiritus vini obſervavi, continuatis quanquam diu iisdem experimentis, quae in Thermometro mercuriali inſtitueram. His novis experimentis contrarium eſt, quod in libello germanico, Gedanken von den Eigenſchaften, Wirkungen, und Urſachen der Electricität, §. 74. commemoravi. Sed hoc experimentum Anno 1743. minus circumſpecte tractavi, cum in eodem conclavi, in quo Thermometrum ſuſpenſum erat, Machinam Electricitatis ipſe agitarem. Quo factum eſt, ut hoc labore excitatus in ſanguine meo calor ad Thermometrum penetraret.

Cum itaque Thermometra nihil monſtrent caloris, quem agitatio et vis materiae electricae in iis efficiat: haud eſſe

eſſe intelligimus, cur eam nominemus ignem. Calor enim univerſe poſitus eſt in motu igniculorum, qui corpora et materias, in quibus cientur, expandunt et rarefaciunt. Haec rarefactio, certa et indubia nota eſt ignis praeſentis. Materia igitur, cuius vi et motu nulla in fluido facillime mobili rarefactio efficitur, cum nullum hoc ipſo ignis indicium prodat, pro igne haberi haud poteſt.

Si vero materia electrica non ſit ignis, qua ratione fit, ut motibus electricis exiſtant effecta, quae viribus ignis producuntur? Contemplemur ignis et materiae electricae naturam. In corporibus et materiis, quae inflammari et liquari poſſunt, latentes igniculi ex partibus, in quibus coërcentur, continuo moliuntur exitum. Itaque ſi accedat vis, quae clauſtra, in quibus concluſi igniculi hoſpitantur, aperit et reſerat, igniculi vi ſua elaſtica erumpunt, collectique corpora, in quibus latebant, dilatant et diſſolvunt. Huiusmodi vim continet materia electrica. Etenim ſi in vicinia ſphaerae vitreae, in cuius ſuperficie electrica materia tritu frictuque attenuatur, manus aut baculus metallicus locum habeat: ex manu et baculo metallico flumen electricum erumpit viſibile. Sique ad baculum metallicum ex filis ſericis ſuſpenſum, quocum electricitas communicatur, digitus accedat: ex hoc materia electrica baculum verſus, et ex baculo digitum verſus, effluit. Ex his autem profluviis ſatis apertum eſt, in materia electrica eſſe vim elaſticam ſtudiumque diffundendi ſe in continuum. Hoc ſtudio igitur, quando materia electrica ex ſpiritu vini, ex ſemine lycopodii erumpit, ſimul rumpuntur loculi, in quibus igniculi delitescunt. Egrediuntur igitur vi ſua elaſtica ex ruptis loculis ſuis igniculi, ſuaque coniunctione flammam efficiunt. Si autem fluidum aliquod, ut aqua, tantam igniculorum copiam non habeat, ut in flumen colligi poſſint: purum flumen electricum prodit, in quo igniculorum nihil ſentitur. Pariter in flumine electrico, quod inter duos cylindros metallicos

tallicos cernitur, tanta igniculorum paucitas eſt, ut tactum et viſum haud afficiant. Referta vero ſunt metalla ingenti igniculorum copia. Itaque ſi materia electrica, quae metallis ineſt, adeo vehementer excitatur, ut prorumpentes particulae electricae in minimis corporis metallici particulis loculos, in quibus igniculi coërcentur, uno actu aperiant: vinculum particularum, quibus corpus metallicum conflatum eſt, ſolvatur, adeoque liquatio exiſtat neceſſe eſt. Ex quo intelligitur, tenues lamellas metallicas, quae electricitatis ſubſidio liqueſcunt, iis ipſis igniculis, qui in earum poris continentur, liqueſcere, ipſos vero igniculos prorumpere, reſeratis vi electrica clauſtris, quibus concluduntur.

Planum itaque eſt, ſimiles inter ſe eſſe ignem et materiam electricam, quatenus in ambabus materiis ineſt elaſtica vis; differre autem inter ſe, quatenus igniculi rarefaciendi et calefaciendi virtutem habent, materia electrica vero eadem caret. Quia vero materia electrica cum igniculis commixta eſt, ſuaque vi elaſtica loculos igniculorum diffringere valet: conſequens eſſe videtur, ut Electricitatis ſubſidio corpora privari poſſint igniculis. Coni electrici, qui ex filorum metallicorum cuſpidibus et arborum foliis prodeunt, hanc certe vim habent, ut cutem admotae manus aut faciei flatu afficiant frigorifico. Quod ut exploratius cognoſcatur, operam dandam eſſe videmus novis tentaminibus.

ABHANDLUNGEN ÜBER WICHTIGE BEGEBENheiten aus der alten und neuern Geſchichte.

id eſt

COMMENTATIONUM DE REBUS GRAVIORIbus ex hiſtoria antiqua et recentiori. PARS II. Auctore IOANNE CONRADO FAESIO.

Tiguri,

Tiguri, apud Orellium, Geſnerum, et Soc. CIↃ IↃCCLXIV. 2 Alph. 9. pl. octonis.

Nuper primam harum commentationum partem, quam *Auctor*, nomine tamen in fronte libri non expreſſo, prelo commiſerat, commendavimus, eaque hiſtoriae antiquae et recentioris, vitae humanae ducis morumque magiſtrae, multa quam maxime illuſtrari capita docuimus: de parte altera, nomine auctoris inſignita, idem ſentimus. Ingenue igitur, pro more noſtro, quid *Faeſius*, vir doctiſſimus, praeſtiterit, interpoſito iudicio noſtro, profitebimur.

Ad primam commentationem, *de vita et imperio M. Aur. Antonini Phil.* quod attinet, ea et propter rei gravitatem, exempli excellentiam, et in narrando ordinem, lectu omnino digna eſt. Imaginem Imperatoris, quam omnis aetas omni tempore admirabitur, ad verum pulcherrime propoſuit. Turbulenta et calamitoſiſſima reipublicae tempora eum principem requirebant omnino, qui civitatem a tot periculis liberando, tam caram populo Romano libertatem ſervaret, quique adeo populi ſui Σωτὴρ dici mereretur. Philoſophiae ſtudio a teneris deditus, ita deinceps tota vita tenebatur, ut non ſolum tempus veritate cognoſcenda conſumeret, ſed etiam ad vitae uſum eximia philoſophorum placita transferret, et officiis hominis, quantum humana permittit fragilitas, rite ſatisfaceret. Sed non deſcribimus hic vitam Antonini, cognitam ſatis e ſcriptorum veterum libris. Auctor profecto nihil paene neglexit, quod ad commendationem laudesque Principis iſtius pertinere arbitraretur. Dixit de eius virtutibus ut principis; deinde vero etiam ut privati, hoc eſt hominis, inſertis ubique obſervationibus, e politica et morali doctrina repetitis.

Properamus potius ad commentationem alteram, quae huic ſuccedit, *hiſtoriam Burgundicae domus, e Galliae regum proſa-*

proſapia, ſiſtentem. Eſt haec ex medio aevo Burgundica hiſtoria, variis de cauſis memoria digniſſima: etenim incrementa eius celerrima, interiores regionum divitiae, mercaturae copia, urbium magnitudo et ſplendor, ducum maieſtas, foederum bellorumque cum finitimis hiſtoria, eam quam maxime commendant. Auctor, praemiſſis quibusdam obſervationibus hiſtorico politicis, hanc potiſſimum rem illuſtrantibus, hiſtoriam ipſam aggreditur. Ducum Burgundiae priorem familiam, a regibus Capetingis Galliae originem trahentem, ducis Philippi a. 1361. obitu deſiiſſe oſtendit. Rex quidem Galliae, Ioannes I. hoc feudum regiae poteſtati, utilitatis publicae cauſa, ſubiicere debuiſſet; ſed Ioannes filio ſuo Philippo, ipſum a. 1356. e mortis periculo in pugna Pictavienſi liberanti, debitas perſolvere grates hac ratione voluit, ut ducatum Burgundiae Carolus V. ſucceſſor fratri iuniori concederet. Morte igitur appropinquante, Ioannes, in captivitate Londinenſi, in quam cum Philippo ab Eduardo a. 1356. deductus erat, a. 1364. teſtamento facto voluntati ſuae confirmationem addidit. Mortuo itaque Ioanne Carolus V. teſtamento ita morem geſſit, ut Philippo fratre ſine poſteris virilis ſexus morituro, ducatus ad Galliam iterum rediret, Turonenſis vero provincia, quam vivo adhuc patre tenuerat Philippus, ſtatim ſub auſpiciis imperii Carolo redderetur. Philippus haec omnia rata habuit, et a. 1366. dux publice renunciatus eſt. Philippo Capetingico mortuo, familia ducis Navarrae, ſexus ſequioris cognatione cum Burgundica domo coniuncta, cauſas, quibus ſibi Burgundiam vindicaret, protulit; hae tamen regi minime probabantur. Dux de Monte Belligardo quidem vi armisque rem conficere tentavit, multasque urbes ope ſicariorum, Galliam tunc turbantium, occupavit: Philippus tamen, recens dux, hunc ducem ex obſeſſis profligavit urbibus, ſiccariosque regio edicto ex Gallia proſcripſit. Imperii dein fines, matrimonio cum Margaretha, filia et herede Ludovici Comitis Flandriae, et Philippi, prioris Burgundiae ducis,

ducis, vidua, amplificati ſunt: quamplurimas enim Margarethae haereditatis iure conceſſas provincias ſimul accepit. Sed illud matrimonium regi Galliae bello cum Anglis occaſionem praebuit; ſiquidem paullo ante, Pater Margarethae, filiam principi Angliae, Edmundo, deſponſare decreverat. Anno 1370. Carolo V. fratre praemutare mortuo, regno Galliae potitus dux, Caroli VI. amitini tutor declaratus eſt. Paucis, quid ſub eius imperio memoria dignum ſit, narrabimus. Flandriae praecipue ſtatus maximas ei moleſtias attulit. Gandavienſes nempe cives, olim iam adverſus Ludovicum tumultus excitaturi, cum Bruganis bellum inteſtinum geſſerant; et quamquam illi ſaepius eſſent profligati, tamen deinde Brugam occupaverunt, eamque omnibus calamitatum generibus affecerunt. Haec victoria Gandavenſium alteri malo procreando inſerviit: etenim dux Gandavenſium Philippus Artavillius, dominium affectans, luxui, ſuperbiae, atque pompae ita deditus fuit, ut patria maxima ſentiret incommoda. Sed cives haec parum curantes, (pauciſſimi enim civium ducis deſiderabant imperium,) diſſidiis ſuis bello amplius perſeverare voluerunt, omnesque praeter Audenardenſem civitatem adverſus Comitem conſpiraverunt, et bellarunt. Duci Burgundiae, in anguſtias redacto, rex Galliae ſuis copiis ſuccurrit, et Phil. Artav. profligavit. Auxilium quidem Anglorum Gandavenſibus praeſtitum contumaciam illorum auxit, ita ut de pace ne cogitarent quidem. Alia tamen rerum fuit paullo poſt facies. Ludovicus enim, dux Flandriae, his calamitoſiſſimis temporibus obiit. Succeſſor Philippus provincias pacavit, captisque maritimis civitatibus, quae Anglorum copias auxiliares receperant; cives ita in anguſtias redegit, ut per legatos, ob tumultum ſupplices fierent, foedus cum Anglis aliisque reſcinderent, profligatosque ab Artavillio cives revocarent. Quis eſt, qui mitem Philippi animum hac in re laudibus non celebret? Veniam non ſolum civitatibus conceſſit; verum etiam eius cura in ſalute provinciarum

promovenda prorſus ſingularis fuit. Forte magis felicitati omnium proſpexiſſet, niſi miſera regis Galliae Caroli VI. conditio ei adverſa fuiſſet. Carolus ille, inſania correptus, imperioque tenendo minime aptus, quodam reipublicae curatore indigebat. Ludovicus, Caroli frater, et Philippus, Burgundiae dux, patruus, e legibus imperii curam ſuſcipere tenebantur. Verum enim vero, creberrimae contentiones ducum illorum, frequentiores mulierum rixae, aliaque mala, rem ita turbarunt publicam, ut Proceres regni, omnium ſaluti proſpicientes, ſummam poteſtatem duci Burgundiae, eiusque fratri duci Berrio, committendam putarent, donec rex ad ſaniorem rediret mentem. Auctor proceres partium ſtudio abductos fuiſſe cenſet, atque addit varias viciſſitudines, quas ſucceſſu temporis paſſae ſunt provinciae. Tandem Philippus Burgundus, a. 1404. e vita diſcedens, tribus ſuis filiis diverſas terras ſuas teſtamento diſtribuit. Seniori igitur filio, Ioanni forti, provinciae Burgundicae, comitatus Flandriae et Arteſiae; Antonio Brabantia et Limburgum; Philippo comitatus Nivernius atque Rethelenſis ceſſerunt. Horum Principum vitam, resque geſtas obſervationibus lectiſſimis auctor doct. illuſtravit, ſimulque hiſtoriam Burgundicam, induſtria ſua prorſus ſingulari, accurate deſcribere ſtuduit.

Hanc Comment. excipit poſterior, *hiſtoriam familiae Burgundicae poſterioris e gente Valeſia, regum Galliae*, delineans, de qua pauca iam addimus. Philippus Benignus, dux Burgundiae, Caroli VI. auxilium adverſus Delphinum parricidam imploraverat. Profugo autem Delphino, a ſupremae curiae Iudicibus dies [illegible] dictus eſt, isque ob contumaciam ſuccedendi iure, regnoque Galliae proſcriptus. Huic ſententiae Carolus pater ſubſcripſit. Philippus contra vindictae ſtudio abreptus, Delphinum bello petiit, atque foedere cum rege Britanniae Henrico V. iunctus, adverſus eum pugnavit.

bit. Pater Carolus, a coniuge in filium concitatus, his duobus Principibus foedus obtulit; quare Trecis in Campania a. 1420. d. 2. Iun. convenerunt, et pace inter ſe mutuo ſancita, foedus pepigerunt. Summa foederis pacisque haec fuit: ut regi Britanniae, intuitu matrimonii cum principe Galliae Catharina, tamquam filio adoptitio, a Carolo VI. regia poteſtas concederetur, ita ut regis Galliae nomine, dum ille vixerit, abſtineret, ſalvis ceterum legibus utriusque regni. Haud levia incommoda ex iniquo hoc, legique Salicae adverſo foedere, Gallia ſenſit, immo ipſe Philippus eo foedere iuribus ſuis in Galliae regnum offecit. Accedit et belli cum Delphino geſti atrocitas, qua omnes capti trucidati ſunt. At Henrici V. obitu A. 1422. calamitates paululum mitigatae ſunt. Hic enim rex, morti proximus, fratri Ioanni, duci Bedfordiae, vices regni, donec Henricus filius ex ephebis excederet, commiſerat. Eodem etiam anno Carolus VI. R. G. defunctus eſt. Delphinus itaque, nomine Caroli VII. ſibi impoſito, regiam dignitatem in ſe tranſtulit, eo tempore, quo heres Britanniae, Henricus, Lutetiae Pariſiorum diademate ornatus, atque in omnibus urbibus, Britannorum ac ducis Burgundiae poteſtati ſubiectis, rex renunciatus eſt. Bellum inde enatum, poſt XV. annos deſaeviit, pace reſtituta; quanquam conditiones pacis, in conventu Atrebatenſi conſignatae, Carolo non admodum honorificae eſſent. Haec omnia imprudente Britanno geſta ſunt. Pacem nonnulli animi magnitudini Philippi tribuunt; ſed auctor firmis argumentis e vindictae propriique commodi ſtudio deduxit. Pacato itaque regno, Burgundia de felicitate ſua ſibi gratulari potuiſſet, niſi bella inteſtina Gandavenſium et Brugenſium de novo exorta, reipublicae funeſta fuiſſent. Neceſſitas adeo exigere videbatur, ut ſigno quodam rebelles a fidis diſtinguerentur civibus; quare Dux a. 1450, ut quaelibet domus, imo et veſtis civium eorum omnium, quibus patria, ut oportebat, cara eſſet, cruce Burgundica inſigniretur, edixit. Duraverunt

runt quidem per aliquod adhuc tempus illi tumultus; ſed ſupplicibus tandem civibus gratiam ſuam Philippus impertitus eſt. Mox deinceps luxuriei, pompae, variis ludorum generibus, et miniſtrorum numero, limites, legibus idcirco latis, poſuit. Amore litterarum etiam ita tenebatur, ut profugis e Graecia litteratis ſuum nequaquam praeſidium negaret. Imperii fines idem vario modo extendit. Philippo fratre, duce Brabantiae, a. 1429. mortuo, ducatus iſte, Limburgum, atque Lothierium ei ceſſerunt. Eodem anno comitatus Namurci et Zutphaniae a Theodorico, qui tamen ſibi titulum reſervabat, pro temporum illorum more, emit. A. 1443. ducatum Lucemburgenſem pari modo acquiſivit. Potentia Burgundiae ita aucta, Flandri, Hollandi, Selandi, bellum maritimum a. 1438. cum Hanſeaticis civitatibus, mercaturae cauſa, non ſine commodo geſſerunt. A quamplurimis Aſiae ac Europae Principibus per legatos a. 1458. ſollicitatus Dux eſt, ut cum iis in ſocietatem belli adverſus Turcas coiret; quod ille quidem ſpopondit, ſed promiſſo, morbo impeditus, non potuit, ut volebat, ſatisfacere. Denique ſenilibus annis appropinquantibus, filium in multis adverſum habuit; de qua re Auct. exacte tradidit; quod reliquum eſt, Ordinis aurei velleris A. 1430. conditorem fuiſſe, fuſe narratur.

Succeſſor illi fuit filius unicus Carolus, cognomine Audax, A. quidem 1467. Hic adverſus regem Galliae Ludovicum XI. iniquiorem ſe geſſit, quae res utrique admodum noxia fuit. Ludovicus enim Leodienſes ad rebellionem ſollicitavit, qui milites Burgundicos, ipſis praeſidio datos, maximis iniuriis affecerunt, eosque cum Epiſcopo et Imbercurtio ex urbe eiecerunt, variisque crudelitatis generibus erga omnes ſaevierunt. Carolus, ſentiens ſeditionis auctorem Ludovicum eſſe, eum in urbe Perona, in qua tunc ſimul commorabantur, prehendere et necare conſtituerat,

nisi

niſi miniſtri, pecunia corrupti, tale conſilium omnino ei diſſuaſiſſent. Libertas igitur Ludovico hac ratione conceſſa, ut pace recepta iureiurando aſſereret, ſe una cum Carolo Leodienſes bello petiturum eſſe. Conſenſit Ludovicus, belloque Leodium captum, diripitur atque funditus evertitur. Fines imperii ſui deinceps magis magisque extendere Carolus ſtuduit. Primum igitur ab Arnoldo duce Geldrenſi in filium male animato, ducatum parva pecunia emit. Mox regium axioma in ſe transferre conatus eſt, colloquio ea propter Auguſtae Trevirorum cum Imp. Friderico III. a. 1473. habito, et Maria, filia ſua, Imperatoris filio Maximiliano in matrimonium promiſſa: ſed exitus conatus iſtis deſtituit. Germaniam igitur invaſit, multosque excitavit motus, impietatis audaciaeque ubivis veſtigiis relictis. A. 1476. Bellum Helveticum coepit, quod quam funeſtum Carolo fuerit, nemo ignorat. Funeſtiſſimum, idque ultimum, nam cum interitu ducis coniunctum fuit, quod intulit Renato, Lotharingiae duci, ad cuius urbem Nanceium, cum vita Caroli totius Burgundicae domus ſtirps maſcula deſiit, ſola ſuperſtite Maria filia. Variis obſervationibus, hanc per ſe momentoſam hiſtoriam auctor amoeniorem reddidit, atque lecturis fructuoſam, ſiquidem velint hiſtoria legenda conſilium ſequi, quod Livius commendavit.

Quarta commentatio continet *hiſtoriam regni Perſici, ab initio huius Seculi usque ad obitum Schachi Nadirii 1747.* Auctor huius regni originem, variasque viciſſitudines, usque ad hoc Seculum breviter narrat, introductionisque loco animadverſiones quaedam hiſtorico politicas addit, quibus praemiſſis hiſtoriam ipſam aggreditur. Primo deſcribit imperium Schachi Huſſeinii a. 1694. qui virtuti ſuae regnum debuit. Et haec quidem virtus Huſſeinii maiora erat incrementa captura, niſi eunuchorum illecebris ille princeps in vitia maxima ruiſſet. Abbas I. eum ſequutus, prudentia clarus fuit, tamen reipublicae ſaluti,

dum imperium pravis hominibus committit, nequaquam conſuluit. Procuratores enim provinciarum cives oppreſſerunt, provinciaque Candahar, in regni Perſici regione ſeptentrionali ſita, inprimis paſſa eſt. His vexationibus ad aures regis delatis, cum ille aut nollet, aut non poſſet ſuccurrere, haec provincia duce Mir Veiſio arma cepit. Vir iſte fortiſſimus felici ſucceſſu a tyrannide Perſarum eam liberavit; quo inprimis urbis Candahar, forte exitio ſibi futurae, amicitiam ſibi conciliavit. Bellum quidem cum Satrapa Georgiae, Gurghin Chano, infauſtiſſimum Miro Veiſio propterea fuit, quod captivus Iſpahamum tamquam refractarius deductus eſt. Adverſa illa fortuna, et captivitas, ei tamen dein commodo fuit; nam non ita multo poſt magno honore affectus, et pro cive fidei probatae habitus eſt, provinciaeque ipſi ſubiectae manſerunt. A. 1715. obiit Vir iſte, cuius ſucceſſores rem ſemel coeptam fortiſſime proſecuti ſunt. Inter ea filius Miri Veiſii, Muhamedes, a patre ab imperio excluſus, ſucceſſori patris, Miro Abdallae, inſidias ſtruxit. Accuſavit patruum de foedere cum Perſis icto, occidit illum, ſeque coram primoribus Afghanorum accuſavit, defendit, et ſex menſibus interiectis rex Candaharenſium renunciatus eſt.

Muhamedes iſte dominationem domus Sophi ſuſtulit: imperio itaque Perſico potitus, non ſolum propter fortunam ſingularem, ſed etiam propter mortem cruentam, tota Europa inclaruit. Inter res eius geſtas bellum cum Huſſeinio eminet, quo Iſpahamum ab eo captum eſt, A. 1722. et Huſſeinius, qui antea oblatas pacis conditiones ſpreverat, ornamenta regia, ipſumque imperium tradere victori coactus. Hic finis fuit regni Sophidarum in Perſis, quod 223. annis duraverat. Muhamedes dein in Perſas ſaeviit, ſed magnas dedit iſtius ſaevitiae, biennio poſt, A. 1725. poenas. De ſede mentis deiectus, 27. annorum iuvenis, toto corpore computruit, interemtus ab Ashrafo, (Abdallae filio, quem ille ex inſidiis interemerat,) qui in eius locum ſuffectus eſt.

Aſrafus

Asrafus et ipſe crudelis fuit, eoque effecit, ut dominium Afghanorum in Perſas ceſſaret. Kuli-Chanus eum devicit. Tamaſhus ſecutus eſt, inter quem et Kulichanum maxima diſcordia fuit.

Abbas III. adhuc infans, cura imperii Kuli-Chano commiſſa, regiam dignitatem accepit. Kuli-Chanus regni incrementa promovit, mortuo vero rege a. 1737. ipſe nomine regio inſignitus, ſe Schach Nadirum dici voluit. Monumenta ſui nominis magnifica reliquit. Tandem, ultimis vitae temporibus, crudelitate et avaritia civibus inviſus, a coniuratis a. 1745. occiſus eſt. Plura ut addamus neceſſe non eſt, cum iam ex iis, quae diximus, appareat, Auctorem magno hiſtoriae amore teneri, adeoque curatiori ſtudio atque ſingulari diligentia in colligendis monumentis verſatum eſſe, ſuisque obſervationibus ſelectioribus hanc hiſtoriae partem pulchre illuſtraviſſe.

NOVA LITTERARIA.

Profeſſores Academiae Lugduno-Batavae, quibus cura Legati STOLPIANI demandata eſt, quum die XIII. Octobris de more in id conveniſſent, ut ſuffragia ferrent de Diſſertationibus a Viris doctis ad ſe miſſis, ad ſolvendam quaeſtionem anno ſuperiore propoſitam:

An ex idea entis neceſſarii, quod ante demonſtrata poſſidet attributa, illius exiſtentia a priori poſſit probari?

iudicarunt, numiſma aureum ducentorum et quinquaginta florenorum, victori deſtinatum, deberi IOANNI LEVINO GOEDENIO, Bremenſi, Auctori Diſſertationis latinae, ſub ſymbolo:

Indagatio rerum tum maximarum, tum etiam occultiſſimarum, habet oblectationem. Cicero.

Quum vero et alias ſuper eodem argumento acceperint Diſſertationes, publica luce dignas, cenſuerunt, tres, reliquis

ſiquis ſibi praeſtantiores viſas, iuxta illam, quam praemio coronarunt, typis evulgandas eſſe.

Humaniſſime itaque rogatos volunt Auctores Diſſertationis Belgicae, cuius ſymbolum eſt,

Nemo ſine Numine felix:

et alterius latinae, inſcriptae:

Γνῶθι σεαυτόν:

uti et tertiae Belgico idiomate conſcriptae, ſub Symbolo

Quae tenet aeternum propriis a viribus aevum,
Atque eſt idcirco, quia per ſe debuit eſſe,
Et non eſſe nequit; res illa, utcunque vocetur,
In ſe habeat totum eſſe, ac totum poſſe, neceſſe eſt.

ANTI-LVCR.

Ut ante proximi anni initium indicent, velint ne, apertis ſchedulis, ſua indagari nomina, atque edendis praemitti Diſſertationibus, an contra obſcura contenti eſſe malint diligentia? Sin hoc eligant, reſponſione opus non eſt, ſiquidem ipſorum ſchedula, uti eorum quorum Diſſertationes typis non mandantur, obſignata flammis ceſſura eſt.

Litterae autem poſthac inſcribentur P. HOLLEBEEK, Theologiae Profeſſori, qui h. t. Inſtituto Stolpiano ab Actis eſt.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Maii et Iunii Anno MDCCLXVII.

TRAITÉ DES DÉLITS ET DES PEINES.

Traduit de l'Italien. MDCCLXVI. in 8. pagg. omnino 239.

Periucundum nobis eſt, reipublicae litterarum ob oculos praeſtantiſſimum hoc opus ponere, quod inter primos, qui Seculo noſtro de rebus politicis ſcripti ſunt, libros, mereri locum videtur; neque ullo modo dubitamus, quin Auctor, Mediolanenſis, duodetriginta annorum iuvenis, per plura in patria adhuc edita ſcripta clarus, eo conſcribendo famam Monteſquii, hoc eſt veri atque humani Philoſophi, conſecutus ſit. Spirat omne opus animum ſcribentis humaniſſime affectum; ſpirat benevolentiam, ut in omnes homines, ita in eos praecipue, quos atrociſſima flagitia, legumque violatio enormis, contemtui et odio meliorum exponunt, nec raro crudelitati. Cauſam itaque huius generis miſerorum acturus, commendat vel in iis condemnandis humanitatem, inculcat iuſtitiam. Praeterea eius in ratiocinando ſubtilitas, ordo rerum et tractatio, cui etiam magis, conſentiente Auctore, conſuluit interpres francicus, rationum vis et robur, dictionis ſuavitas, et, quotieſcunque humanitatis affectus eam fundebat, efficacia: omnia haec, et

plura alia, quae veriſſime dicuntur, neque parum faciunt ad ſocietatis humanae commoda, pretium non vulgare operi huic conſtituunt. Nihil movet Auctorem pernicioſarum de civitatibus regendis opinionum multitudo, nihil antiquitas; audacter eas adgreditur, quicquid in iis falſitatis deprehendit, aut crudelitatis, id curioſe aperit, et omnino humanitati contra abſurda Iurecon ſultorum placita, falſamque magiſtratuum ſeveritatem, iura ſua vindicat. Qua de re Societas Bernenſis, de promovendo virtutis ſtudio huc usque optime merita, viginti Aureorum praemium Auctori publice adiudicavit, et, ut nomen ederet, oblatumque a ſe in documentum amoris et obſervantiae munus acciperet, rogitavit; cauſam addens, nemini id deberi magis, quam humanitatem tuenti adverſus erronea multitudinis iudicia civi. Quae quidem blandisſima, et ab omni partium ſtudio alieniſſima totius Societatis laus, integerrimo ſcriptoris probi animo non ſolum conſentanea eſt, ſed et multorum, qui ſe Politicos iactant, calumniis, et a ſuperſtitione profectis obtrectationibus refellendis, maxime idonea. Non defuerunt quidem magiſtratus, qui, ut civium ſuorum animos contra vim contentarum hoc libro rationum praemunirent, omnem, quam potuerunt, ei ſupprimendo operam navarent; ſed viderint illi, ne fruſtra fecerint. Nam quod aut inſigniter verum aut falſum eſt, non facile cedit legibus ſibi oppoſitis. Quin et nunc quoque per Germaniam, Franciam, et Helvetiam, emitur libellus, legitur, laudatur, et, ne quid diſſimulemus, ab imperitis devovetur. Nos iam ſatis lectoribus noſtris arbitramur facturos, ſi, quae hoc opere continentur, paullo accuratius delineaverimus, omiſſis, quae partim ad examinandas diligentius, partim ad tuendas contra Pſeudopoliticorum criminationes Auctoris opiniones, pertinent, diſputationibus.

Homines, inquit A. in introductione ad librum ſuum, graviſſimarum rerum curam vulgari tradere ſolent pruden-

tiae,

tiae, ſive arbitrio eorum, quorum, ut optimae quaeque leges et conſtitutiones intereant, maxime intereſt. Cuius traditae poteſtatis abuſus, ſicut eſt terribilis, fere non apparet, niſi quum longe lateque graſſatus in cives ferri amplius nequit. Docemur hiſtoria, leges, proprie hominum liberorum inter ſe pactiones, omni fere tempore explendis cupiditatibus inſerviiſſe; tantum abeſt, ut, quod ferendarum conſilium erat, maximam maximae hominum parti *felicitatem* diſtribuerint. Beneficium, pergit A. eſſe libertatis per typos ſcribendi, quod iam rectius de mutuis principum et ſubditorum erga ſe invicem iuribus et officiis ſentiatur; miraturque, noſtra aetate, qua tot perverſa ſuper multis rebus iudicia feliciter devicta ſint, neminem, qui ſuppliciorum irrogandorum morem vulgarem, inconvenientiamque, et crudelitatem poenarum, rationibus philoſophicis aggrederetur, adhuc extitiſſe, eaque de cauſa iſtam legum partem graviſſimam vel hodie rudem iacere atque incultam. Debuiſſe iam dudum tot miſerorum, qui quotidie ignorantiae iudicum atque inhumanitati ſacrificentur, gemitus, inutiliter adhibitas quaeſtiones, carcerum terrores, protractamque crudeliter ſupplicii expectationem, excitare philoſophos ad meditationem. Quod tamen quum intelligeret Auctor nunquam factum, ipſe convertit animum ad cauſae huius tractationem, alio, praeter gratam ſobrie philoſophantium mentem, laboris praemio neque expetito, neque expectato. Profuſas in prima laeti animi commotione lacrymas innocui alicuius, per hunc ſuum librum ſervati, odio et contemtui generis humani, aequo animo ferendis, ſibi ſuffecturas.

Cap. II. agit Auctor de poenarum origine, et, quo puniendi ius nitatur, fundamento. Doctrina morum politica, inquit, ſi ad utilitatem ſocietatis conſtanter facere debet, ipſo humani animi ſenſu nitatur neceſſe eſt. Igitur ad ipſum hominis animum referendum eſt fundamentum poenarum, et origo. Nemo noſtrum, niſi ratione ad bo-

ſum commune habita, privari libertate ſua velit, pactionibus, quibus alii obſtringantur, unusquisque eximi ſe facile patiatur. Neceſſitate coacti homines prima ſodalitia inierunt, quibus ut eſſet quod opponeretur, ſi res ita poſtularet, ſtatim alia exorta ſunt quampluríma. Coniunctionis vincula erant leges, neque ullus fuit coniunctorum, quin parte libertatis ſuae aliqua ultro careret, quo facilius, quod ex ea ſupereſſet, tueretur. Collata haec libertatis ſingulorum ſumma efficiebat ſupremam gentis alicuius poteſtatem, quae in unius principis manibus deponebatur. Quod depoſitum quo minus infeſtaretur a male ſentientibus, poenis cavebatur in legum violatores conſtitutis. In hac itaque libertatis ſumma, ad quam ſinguli de ſua aliquid conferrent, quaerendum iuris puniendi fundamentum eſt; et quaelibet ad conſervationem libertatis communis non neceſſaria poena iniuſta cenſenda. Ex his principiis, ait *Cap. III.* conſequi, leges ſolas definire poenas criminum, nec niſi penes legislatorem eſſe leges punitorias ſanciendi poteſtatem, excluſo iudicum arbitrio. Principem ſolum eiusmodi legibus, quae univerſe valeant, ferendis idoneum eſſe; neque tamen illi relinquendum iudicium, utrum privatus aliquis definitae legibus poenae reum ſe fecerit, nec ne, ſed proprium huic cauſae forum inſtituendum eſſe. Et ſi vel maxime neque humanitas, neque ſocietatis ſalus et conſilium condemnarent poenarum atrocitatem, debere tamen eas pro iniuſtis haberi ex eo, quod ſint inutiles. *Cap. IV.* negata iudicibus in cauſa capitali omni interpretandarum legum poteſtate ex eo, quod ipſi legislatores non ſint, non relinquitur iis niſi hoc, ut inquirant, feceritne quis contra legem, nec ne; ideoque omne eorum negotium comprehendi dicitur poſſe eiusmodi formula, cuius propoſitione maiori contineatur lex, minori factum legi aut conſentaneum, aut contrarium, unde tandem vi conſecutionis aut abſolutio rei, aut damnatio eliciatur. Nihil, inquit A. periculoſius eſt, quam quod in omnibus fere, ubi

cauſſae

cauſſae capitales aguntur, iudiciis, vulgo iactatur: interiorem legis ſenſum (Eſprit de la loi) valere. Qua quidem formula inani atque obſcura, ad dignitatem normae ſemel evecta, non poſſunt non inde provenire quamplurima, eaque graviſſima incommoda. Quae enim alia res hunc legis ſenſum definiat, niſi bene aut male ratiocinantis iudicis decretum? Cuius facilior aut difficilior concoctio, cupiditatum vehementia, varia item inter ipſum et reum ratio, aliaeque plures cauſſae levidenſes, ſenſum iſtum legis ita deformabunt, ut libertas civis, et vita, ſaepiſſime a male ingenioſi, aut oſcitanter rem agentis iudicis voluntate ſola, pendeant. Poenarum ſanctio ubi iuſta caruerit perſpicuitate et definitione, iudicique in reum praeter facti evolutionem plura licuerint, civis quisque, proprie, non erit niſi ſervus magiſtratus. In hoc vero eſt, quod moneamus. Videntur circumſcriptione digna, quae Auctor dicit de legum evidentia et perſpicuitate. Vix enim arbitramur fieri poſſe, ut ſingulae leges, ſingulis, iisque ſaepenumero ex cauſſis acceſſoriis mire diverſis criminibus, ita reſpondeant, ut nihil omnino quocunque modo male agi poſſit, quin diſertis legis alicuius verbis indicatum ſit. Quis autem propterea ambiguitatis, aut nimiae ſeveritatis arguere leges ſuſtineat? *Cap. V.* agitur de legum obſcuritate. Haec dicitur maxima, et damnum inde naſcens funeſtiſſimum eſſe tum, quum conſcriptae ſint leges mortua, ut aiunt, et incognita populo lingua. Quo notiores ſint leges, quoque maiori civium numero legantur illae et intelligantur, hoc certius diminui in civitate criminum multitudinem propterea, quod unusquisque, quae noxia aut proficua vitae ſuae et libertati conſequantur ex factis, intelligat. Quare vix apparere, unde vel hodie in plurimis, iisque politioribus Europae provinciis, leges habere ſermone peregrino et inuſitato ſolemne ſit. Ex hactenus dictis concluditur, nullam, in qua ars ſcribendi ignoretur, reipublicae adminiſtrationem liberam eſſe, nullam adeo duraturam. Hinc occaſionem nactus Auctor,

paucis, ſed, ut ſolet, egregie deſcribit, quanta humano generi nata ſint ex typographica arte commoda. Declament itaque homines moroſi et illepidi in deperditam noſtram aetatem, quantum volent, perluſtrata paullo accuratius hiſtoria, antiquis temporibus longe praeferenda eſſe noſtra nihilominus certum eſt. *Cap. VI.* pertinet ad poenas carcerum, eiusque praecipua momenta haec ſunt: Arbitrio iudicis, cui cura legum concredita ſit et exercitium, coniicere in vincula quem velit, propterea liberum eſſe non debere, quoniam ita adverſarium, qualicunque praetexta facto cauſa, privare libertate poſſit, eadem, vel contra evidentiſſima culpae indicia, clienti relicta. Carceris poenam omnium eſſe unam, quae cognitionem cauſſae, criminisque confeſſionem, praecedere quidem, neque tamen adhiberi, niſi luculenter lege aliqua ad eam damnatis, debeat. Legis itaque eſſe, non iudicis, declarare, quae criminis indicia tradendo alicui in cuſtodiam ſuffecerint. Conqueritur Auctor, neque, ut nobis videtur, immerito, de temporis noſtri ratione et moribus, qui ita ferant, ut in carcerem ob inſimulatum aliquod crimen coniectus homo, etſi excuſſa cauſſa innocens iudicatus, tamen famae ſuae diſpendium faciat apud cives; quibus Romani aequiores, eiusmodi temere accuſatos non raro ad ſummos in Republica honores extuliſſent. Cuius diverſitatis fundamentum dicit eſſe in eo, quod noſtra de cauſſis capitalibus doctrina violentiae magis notione nitatur, quam iuſtitiae, neque carceris tam ſit conſilium, ut aſſervetur, quam ut corporis aliquo ſupplicio afficiatur reus. *Cap. VII.* expenſis criminum indiciis et argumentis, agit Auctor de ſententiis iudicum, quales eſſe illae debeant. Indiciorum duplex eſt genus, alterum *perfectorum*, alterum *imperfectorum*. Illorum ſi qua adfuerint, reus non poteſt non pro noxio haberi; haec vero dubitationi ſaltem locum relinquunt. Ex priori claſſe vel unum ad rei damnationem ſufficit, cum ex poſteriori iuſtus eorum numerus requiratur ad conficiendum unum,

quod

quod par ſit perfecto, h. e. licet nullum eiusmodi indiciorum per ſe ad indubitatam accuſati convictionem ſufficiat, tamen plura coniunctim ſumta omnem excludant criminis dubitationem. Certitudo argumentorum moralis ſentiri facilius poteſt, quam definiri. Poſtulat Auctor, cognoſci iudicarique cauſam rei alicuius a iudicibus ſui ordinis et conditionis, quoniam, quum de ſalute civis agatur, omnibus a diſcrimine ordinis et fortunae ortis motibus internis imperandum ſit ſilentium. Quin et aequum eſſe, addit, reum poſſe ſuſpectos ſibi iudices repudiare, et a cauſſae ſuae cognitione excludere. Quod ad ſententias attinet, eas Auctor, ſicut criminis indicia, vult palam proferri, populique ſubiici notitiae, quo facilius violentiae Procerum, iudicumque cupiditatibus, ponatur obex. Placet hoc loco ὡς ἐν παρόδῳ annotare, omnem huius diſputationis vim et veritatem niti eo, quod Capite quarto dictum eſt, Iudici in cauſa capitali permitti non debere, niſi hoc, ut inquirat, ſitne crimen aliquod patratum, an non ſit. *Cap. VIII.* agitur de teſtibus. Quilibet utens ratione, h. e. cuius cogitationes cohaerent, animique motus motibus aliorum hominum reſpondent, teſtimonio dicendo par eſt: fides teſtimonii aeſtimatur commodis, quae allicere teſtem poſſunt vel ad dicendum, vel ad diſſimulandum verum. Contendit Auctor contra communia Iureconſultorum placita, unumquemque hominem, famoſum, damnatum, relegatum, foeminam quoque, teſtimonium exhibere tum poſſe, quum nihil eos veri diſſimulatione lucrari manifeſtum ſit. Amicitia et odium inter reum teſtemque faciunt, ut pro diverſo utriusque gradu diverſe valeat teſtimonium; neque contra reum negantem unus teſtis quidquam efficit, ſed quo atrocius eſt flagitium, quoque pertinacius negatur ab accuſato, hoc minus valet unius hominis teſtimonium. Quam praeclare haec omnia diſputata ſint ab Auctore, quamque eius eluceſcant ex hoc Cap. ſenſus humanitatis, et amor erga alios, intelliges ubi legeris, quae in contrariam diſputationi

huic

huic ICtorum ſententiam dicta ſunt, Codicis ſui, contra omnem humanitatis legem, ſtantium auctoritate. Pari evidentia refellitur et teſtimonium, quod criminis aſſeverandi cauſſa inter confabulandum ab aliquo elicitur. *Cap. IX.* clandeſtinas Auctor adgreditur criminum delationes, quae uti ex turpiſſimo libertatis profectae abuſu, ita uſitatae adhuc ſunt in nonnullis civitatibus. Mos iſte portentoſiſſimus, tranquillitatique ac ſecuritati privati cuiusque periculoſiſſimus, civitatem, in qua obtinet, perfidis adauget falſidicisque et improbis civibus. — Per totum hoc Caput regnat tam integer in genus humanum, tamque maſcula Auctoris facundia declaratus amor, ut non poſſis non animo commoveri intimo, quum explicatum legas, quanta ex clandeſtinis eiusmodi accuſationibus naſcantur mala, partim univerſae reipublicae, partim ſingulis in ea civibus. *Cap. X.* expendit A. rationes, quibus ICti ducti praecipiant, concipi quaeſtiones ad reum ita, ut non tam eius, quod in crimine ſingulare, quam quod univerſale ſit, habeatur ratio: cuius praecepti duplicem adfert cauſam, alteram, ne detur occaſio reſponſionibus ad ſalutem rei facturis; alteram, ne, quod naturae repugnet, reus accuſare ſe ipſe videatur. In utraque manifeſtum eſt, repugnare ſibi leges, quum eodem tempore, quo repudiantur directae ſigillatim ad factum aliquod quaeſtiones, permittantur et imperentur tormenta, quae, quod evitari volunt, efficiunt. In *Cap. XI.* inſunt egregiae in morem deferendi reo iurisiurandi animadverſiones. Leges, inquit Auctor, hac in re manifeſte adverſantur motibus animi naturalibus. Qua enim ratione iusiurandum adigere debet reum ad dicendum verum, quum maximo ſuo commodo intelligat ſe mentiturum. Quis eſt hominum, qui promovere exitium ſuum teneri ſe arbitretur? Religio, ſimul ac contra eam inſurgit utilitas, vim, quam in hominum animos habet, amittit, neque ullae eius rationes ſatis habebunt roboris ad debellandum amorem vitae, ſuppliciique metum. Quare igitur homo aut peccare

in

in Deum, aut acceſſere ſibi mortem cogitur? *Hac ratione* uſus iurjsiurandi redit ad meram ceremoniam, et debilitatur ſenſus religionis. Quaecunque leges genuinae hominis adverſantur naturae, ea ipſa re inutiles ſunt, et pernicioſae. *Cap. XII*, quod ex praeſtantiſſimis unum eſt, vivis quaſi coloribus deſcribuntur iniuſtitia et crudelitas tormentorum, facundeque pariter ac evidenter refelluntur rationes eae, quae adhibendis tormentis locum fecere. Quanto igitur honori foret humanitati, ſi, quae hoc capite tam vere, tam apte ornateque dicuntur, ab omnibus terrae iudicibus cognoſcerentur et ſentirentur ita, ut inhumana illa crudelitas, qua tot miſerorum tormenta diverſa non imperant ſolum, ſed placide etiam ipſi intuentur, ex animis ſaxo durioribus expelleretur. Nemo, ſcribit Auctor, pro noxio habendus eſt, neque communi civium tutela ante privandus, quam ultima iudicis ſententia lata, evidenterque demonſtratum ſit, violaſſe illum, quas Societas inter ſe inierit, pactiones. Delictum eſt vel certum, vel incertum: ſi certum, luenda eſt reo poena legibus definita, quorſum igitur tormenta? ſi incertum, torqueri non debet innocens, nam pro tali habendus reus eſt, usque dum criminis aperte convincatur. Repugnat naturae, flagitare, quemquam fieri ſui ipſius accuſatorem. Lex, quae imperat quaeſtionem per tormenta, mutatis verbis quaſi ſic imperat: „Diſcite, homines, reſiſtere doloribus; indidit veſtris animis natura quidem amorem vitae inſuperabilem, innatumque conſervandae illius ius impreſſit, ego vero motum in vobis excitabo illi plane contrarium, h. e. heroicum veſtri odium; volo ego et iubeo vos accuſare vosmet ipſos, et inter crudeliſſimam membrorum diſtractionem, in perniciem veſtram verum dicere." Ad detegenda flagitia nihil proſunt tormenta; ſi quid illa valent, erit in hoc, ut validis et robuſtis membris improbus per ea abſolvatur, innocens vero, qui imbecillior ſit, condemnetur. Conſequitur hoc manifeſte ex abſurdo iudicis ratiocinio, quod ita habet: „Debeo

beo ego iudex reperire, qui male fecerit; tu, qui viribus polles et nervis, ſuperaſti dolorem, quare ego te abſolvo; te vero, qui imbecillior es, neque abnegato ſenſu ſuſtinuiſti doloris vehementiam, hac de cauſa condemno. Equidem non ignoro, nihil extortam iſthanc tuam per tormenti dolores confeſſionem contra te efficere, quam tamen niſi denuo iam affirmaveris, retraheris in ſcalas." Huic loco nos fatemur intremuiſſe, praecipue quum inhumana huius generis ratiocinia non in Africa fieri, ſed in eleganti Europa, multisque in dies exemplis probari, conſtet. Si quaeritur per tormenta, neceſſario ſequitur, innocentis ſortem eſſe, quam noxii, deteriorem; ille enim quum poenam ſuſtinet immeritam, hic ſuperato dolore criminis abſolutionem lucrari poteſt. Nulla eſt aetas, nulla gens, cuius non hiſtoria exemplis horreat innocuorum, immani huic mori crudeliter ſacrificatorum. Fieri non raro ſolet, reum adhiberi tormentis hac ſola de cauſa, ut, quae in eius confeſſione prima ſint repugnantia, concilientur; quaſi vero per ſupplicii metum, imminentis damnationis terrorem, aliasque plures cauſas turbata eius mente, contradictiones eiusmodi non neceſſario oriantur. Porro repugnans eſt et iniuſtum, convictum delicti reum torqueri, partim ut alia a ſe alio forſan tempore commiſſa facinora, partim ut criminis ſocios aperiat. Quicunque ſe accuſare ipſum non dubitat, cur non et alios accuſet? Praeterea iniuſtiſſime ob flagitia aliena cruciatur homo. Deſcribenda nobis ſingula eſſent hujus Cap. momenta, ſi, quae in eo ſubtiliter diſputantur, omnia communicare cum lectoribus noſtris animus eſſet; ſufficiat annotaſſe, Angliam, Sueciam, Pruſſiam, per ſapientiſſimas leges, iam dudum tormentorum uſum ſuſtuliſſe e medio, Anthropophagis, quam Europae elegantia et humanitate digniorem. *Cap. XIII.* agit A. de eo, quantum temporis debeat inquirendae cauſſae capitali impendi, item de praeſcriptione. Facienda eſt reo copia, ſo, quoad fieri poteſt, defendendi; deſtinatum tamen defenſio-

ni

ut tempus nimium non debet protrahi, ne in detrimentum ſocietatis, membra eius per moram poenae a flagitiis impoſterum non arceantur. Legum eſt, definire, non iudicis, quantum ad inveſtiganda criminis argumenta temporis requiratur. Criminum ſunt omnino duae claſſes, quarum altera flagitia atrociora, v. c. homicidium; altera leviora, v. c. furtum, continet. Cauſſae, quae ad patrandum aliquod prioris claſſis crimen movent, non adeo multae ſunt; quae poſterioris delicta ſuadent et commendant, longe plures. Etenim difficilius exuitur humanitas, quam pactiones, quae utilitatem vetant ex alterius damno quaerere, violantur. Quapropter, quoniam atrociſſima flagitia ſunt eadem rariſſima, etiam tum inquiſitionis tempus contrahendum, praeſcriptionis contra prorogandum erit, quum innocentia accuſati maxime eſt probabilis; in levioribus vero delictis, ubi rei innocentia minus habet probabilitatis, inquiſitio criminis producenda, praeſcriptio contra arctioribus terminis erit circumſcribenda. His expoſitis Auctor, quam iniuſte in iudiciis noſtris contra graviſſima facinora vel merae opiniones valeant, egregie demonſtrat. *Cap. XIV.* exponitur de criminibus nondum perpetratis, eorumque ſociis. Quamvis lex nulla puniat pravum conſilium; nihilominus poena dignum cenſendum eſt crimen certo decretum, leviori tamen ea, quam lex deſtinavit criminibus patratis. Complices alicuius facinoris, quo minus illud adiuvant, hoc etiam minori, quam auctores, ſunt afficiendi poena: qua quidem poenarum diverſitate efficitur, ut quis crimen moliturus difficilius inveniat, qui patrando illi operam ſuam praebeant; licet recte diſceſſeris ab iſta regula, ſimul ac deſtinari a ſociis flagitii duci ſuo ſingulare praemium intelligitur. Comparat poſthaec Auctor inter ſe commoda et incommoda, quae oriri ſoleant ex eo, quod poena eximantur, qui grave aliquod decretum crimen, nominaque coniuratorum, deferunt ad magiſtratum. Plus arbitratur ex hoc apud omnes fere gentes uſitato more

damni quam commodi redundare in civitatem, ſiquidem eo timiditas et proditio, vitia, tam neceſſariae in republica fidei plane contraria, quaſi probentur et adiuventur. Nos vero, ne quid diſſimulemus, vehementer timemus, ut ſatis firma ſit haec ratio, propter quam in conſueto iſthoc more aliquid mutetur; nobis certe illa non fecit ſatis. Nam ut nihil dicamus de eo, quod aequitatis eſſe videtur, ut, qui bene mereatur de republica, officii aliquod praemium ferat, (et quid eſt praemium homini facinoroſo convenientius, quam culpae condonatio?) omnis ab Auctore allatae rationis vis latet in verbo invidioſo Proditionis. Proditionem, ait, probare videntur, qui poenis eximunt criminis participem delatorem. Qualis vero iſthaec, quaeſumus, proditio, qua tranquillitati et ſaluti reipublicae, contra nefarios ſceleſtorum hominum auſus, proſpicitur? Qua ſpecie, quove iure, in vitiis eam numeret Auctor, aliorum relinquimus iudicio: nobis, fatemur enim, mirum videtur, eum, qui per totum fere opus cauſae delinquentium patrocinetur, hoc uno loco lenitatis oblitum ſuae, punitos cupere vel eos, qui ad meliorem mentem reverſi, poenam commiſſorum criminum inſigni aliquo in rempublicam merito quaſi redimant. Neque apparet ratio, quare eiusmodi delatorem ad exilium proprie condemnatum velit. *Cap. XV.* agitur de lenitate poenarum; quarum, ſcribit Auctor, nullo modo eſſe oportet conſilium, male cruciatibus affici ſenſum hominis, ſed coërceri potius illis debere ſceleſtorum hominum voluntatem nocendi impoſterum, atque ita reipublicae membra a flagitiis abſterreri. Ut par ſit poenarum cum flagitiis ratio, crudeles eas eſſe non oportere; eius tamen modi, quae graviter conſtanterque afficiant omnium animos. In provinciis, ubi ſeveriſſima exerceantur ſupplicia, atrociſſima quoque perpetrari crimina, hiſtoriam docere; ſatis eſſe, ut conſilio poenae reſpondeat eventus, incommoda ex ea ſuperare commoda ex criminibus; atrocitatem poenarum plane adverſari earundem conſilio, neque ad coërcenda

flagitia

flagitia quidquam valere. Ex hactenus dictis ſequuntur duo: primum, non adeo facile eſſe definire, quae ſit inter crimen aliquod eiusque poenam ratio neceſſaria; alterum, ſeveritatem ſuppliciorum inferre impunitatem. *Cap. XVI.* tractat Auctor materiam de ſuppliciis, in qua ita verſatur, ut partim ſubtilitas eius in ratiocinando, qua praeiudicatas aggreditur opiniones atque debellat; partim animi integritas, quae occluſa quaſi humanitati pectora hominum aperit, naturamque in ea reducit, luculenter undique emineant. Leges, inquit, nihil aliud ſunt, niſi particularum libertatis ſumma, quibus ſinguli cives ultro ſe privarunt ad ſalutem et ſecuritatem publicam; nemo autem eorum, cum partem aliquam libertatis traderet, tradere ſimul voluit ius in vitam ſuam, neque, ſi vellet, potuit, cum ipſi in vitam ſuam nihil liceat. His monitis progreditur Auctor ad argumenta, quibus in republica bene ſapienterque inſtituta ſupplicium neque utile eſſe, neque neceſſarium, confirmetur. Unam tantum ſe noſſe ait cauſſam, cur recte, et cum commodo reipublicae, capite plectatur civis, quum nempe ingenti aliqua ſeditione periclitetur ſecuritas civitatis quoad in vivis ſit ſeditionis dux et caput: hiſtoriam omnium temporum, exempla Romanorum, feliciſſimam, imperante Eliſabetha, Ruſſiae conditionem, ſatis refutare perverſam illam et vulgarem opinionem, qua, reipublicae pernicioſam fore poenarum capitalium abrogationem, exiſtimetur; perennitatem poenae, non ſeveritatem, commovere maxime hominum animos. Avocare a criminibus non tam necem alicuius improbi, quam perpetuam illius ad viliſſimos iumentorum labores condemnationem; civium enim quemque, cum miſeram adſpiciat talis hominis conditionem, ſibi eandem imminere, ubi idem commiſerit, aut aequale crimen, ſecum cogitare, eaque ſola cogitatione magis animo commoveri, quam terroribus mortis, quam homines fere non intueri niſi ex longinquo ſoleant; vehementiores quidem commotiones conſternare animos et ſtupefacere, manere

 eae-

easdem nunquam. Eſſe vel miſericordiam, vel indignationem, quae, cum ad ſupplicium aliquem duci videant, maxime exagitent hominum mentes, non terrorem illum ſalutarem, lege quaeſitum. Omnia haec Auctor ita exponit, ut admodum facile ſit adſtipulari eius ſententiae; placuit in primis locus, ubi in perſona latronis locutus, eiusmodi hominis cupiditatum viciſſitudinem et vehementiam pingere videtur, non deſcribere. Supplicium, pergit, incommodi habere hoc in civitate, ut eo irrogando praebeatur exemplum crudelitatis, quae tamen legibus caveri, nullo modo excuſari debeat; abſurdum eſſe, leges, h. e. publicam totius civitatis voluntatem, imperare et committere caedem, ut a caede arceantur ſinguli. Obiectioni, quod omni fere tempore, omnesque apud gentes, in uſu fuerint ſupplicia, reſpondet, nihili eſſe obiectionem, quandoquidem nihil ea probet aliud, quam erroribus homines omni tempore impeditos perrare vidiſſe verum. Conſenſum enim hominum, ſi quidquam ille hac in cauſſa valeat, facile quoque probaturum ſacrificia humana, apud plurimas gentes quoque uſitata. An vero apud plurimas gentes, nos quidem dubitamus; certe in hiſtoria gentium politiorum, Athenienſium, Lacedaemoniorum, cum legibus Solonis et Lycurgi eorum adminiſtrarentur respublicae, tale quidquam nos legere non meminimus factum; neque apud Romanos, niſi trahere huc velis ſolemnes illorum in publica aliqua calamitate devotiones, id quod tamen ſatis apte fieri poſſe non cenſemus. Sub finem huius Cap. magnopere excitantur proceres terrae, ut abolendo ſuppliciorum more crudeli et inhumano, immortale ſibi nomen alicuius Titi, Antonini, Traiani, acquirant. Quae reliqua ſunt, percenſebimus forte alio tempore.

IN ALGEBRAM PHILOSOPHICAM CL. RICHERI breves adnotationes. Auctore I. H. LAMBERT.

Quod

Quod in ſecundo tomo *Miſcellaneorum Taurinenſium* edidit Cl. L. RICHER *algebrae philoſophicae*, *in uſum artis inveniendi*, *ſpecimen primum*, iam primo tomo in lucem prodire publicam debebat, niſi in characteribus illis, quibus pro deſignandis ideis ontologicis uſus eſt celebris hic Pedemontanus philoſophus, magici et nefaſti quid ineſſe ſuſpicatus fuiſſet egregius ille vir, ſaltem ob pietatem laudandus, qui Auguſtae Taurinorum tunc temporis munere admodum, uti videtur, reverendo, Vicarii generalis, vel Provicarii S. Officii fungebatur. Hanc enim cauſſam, iam inde ab aliquot annis, in novis literariis Goettingenſibus, vernacula lingua Göttingiſche Anzeigen dictis, ſi quidem probe memini, relatam legi. Etſi vero ſuſpicio iſta deinceps evanuit, ita ut absque ullo impedimento ſecundo tomo laudatorum Miſcellaneorum infereretur Richerianum ſpecimen; attamen aliae adfuiſſe, vel adhuedum adeſſe videntur cauſſae, quae obſtent, quo minus promiſſam primi huius ſpeciminis continuationem cum orbe litterato communicet Cl. Auctor. Prodiit enim tertium Miſcellaneorum Volumen, at ne veſtigium quidem continuati tentaminis in iſto repetire mihi licuit. Mihi vero literis a Pedemontii confiniis nuper acceptis relatum eſt, poenituiſſe RICHERVM facti periculi. Neſcio tamen, an primum illud ſpecimen minus benigne exceptum, vel alia quaedam cauſſa, eum a proſequendo incepto detinuerit, vel etiamnum detineat.

Dolendae tamen vel ideo videntur vices ſuppreſſi ſecundi ſpeciminis, quod in eo *algebrae philoſophicae theoriam omnem, eiusque adplicationes tentare* promiſerat, et *tum demum de arte inveniendi univerſaliſſima iudicium laturum ſe eſſe* pronunciaverat prudens ſagaxque philoſophus. Quodſi ergo quaedam eum deterruit quorundam lectorum minus amica deriſio, nimis utique haec fuiſſe videtur intempeſtiva. Specimen enim dedit Cl. RICHER, non tractationem completam, omnibusque abſolutam numeris. Et ſi retro feciſſet

pri-

primum hunc quem in re ardua fecit paſſum, paſſum nihilo minus fecit, vel hanc ob cauſſam laudandum, quod in magnis voluiſſe plerumque ſat eſt. Commune quoque hoc eſt celebratiſſimis inventis, ut adhucdum laterent, niſi fuiſſent, qui, dum ipſi aberrarent a meta, ipſam metam curatius cognoſcendi anſam dediſſent aliis.

Hanc fuiſſe ſortem algebrae philoſophicae Richerianae non auſim dicere. Scripta enim, ſi quae extant, in quibus ad examen revocetur, mihi quidem hactenus haud innotuerunt, etſi non me lateat, iam ante RICHERVM, quinimo ante LEIBNITIVM fuiſſe, qui in *deſignandis ideis ontologicis, iisque maxime univerſalibus*, Leibnitianae characteriſticae, vel artis combinatoriae, vel etiam linguae cuiusdam univerſalis, primum periculum primumque initium faciendum eſſe cenſerent. ARISTOTELES, ipſo RICHERO referente, categoriarum innuit combinationem. LVLLIVS, in famoſiſſima illa arte quae *Lulliana* dicitur, vix aliud quidquam fecit; et qui eum ſequutus eſt KIRCHERVS, in *arte magna ſciendi*, amplum dedit in Lullianam iſtam artem commentarium. Neque magis profecerunt reliqui huius artis commentatores. Ex recentioribus potiſſimum novi Cel. KRVGERVM, qui in libello, quem vernacula lingua Gedanken von der Algebra inſcripſit, de *characteriſtica ontologicis ideis adplicanda* diſertis verbis locutus eſt, adiiciendo, ſe huius rei feciſſe periculum; non quidem ex voto rem ceſſiſſe, hoc tamen ſe inde cepiſſe emolumenti, ut in pluribus ontologiae capitibus clarius cerneret, cur hac potius, quam vero quavis alia ratione pertractarentur. Ipſum autem facti periculi ſpecimen vel tentamen ita ſuppreſſit, ut in eo libelli loco, ubi haec narravit, ne veſtigium quidem relinqueret, e quo colligi poſſet, qua ratione rem iſtam adeo arduam, periculique vel maxime plenam, adgreſſus ſit.

Primus itaque, quantum ego quidem ſcio, eſt Cl. RICHER, qui non modo rem ſuſcepit, verum et primam ſaltem partem eorum, quae invenit, orbi erudito offerre auſus

ſit,

ſit, ſucceſſu, ut quidem videtur, minus exoptato, conatu tamen utique laudando. Quod enim facile praevidere vel ipſe poterat, plurimi Lectores, quid ſibi velit *Leibniziana characteriſtica* plane neſciunt. Reliqui, quibus arduum hoc problema haud ignotum eſt, facile eo delabuntur, ut niſi primo intuitu res omnis in oculos incurrit, vix eam vel levi attentione curatius expendere dignentur. Et ſi ipſum RICHERVM audiamus, ſecundum, quod pollicitus eſt, exſpectandum erit ſpecimen, antequam temere ex inſpecta parte de toto feramus ſententiam. Utinam vero, dum partem exhibuit, unguem oſtendiſſet, ex quo leonem ſuſpicari in proclivi fuiſſet.

Ego interea, haec nil moratus, vel hanc ob cauſſam, quod de re maximi momenti agitur, librum non ſtatim ac inſpexeram cenſui ſeponendum, potius eo meam converti attentionem, ut comparatis inter ſe characteribus Richerianis, viderem, quanam in re a vero characteriſtices ſcopo aberrarent. Quae ſeſe mihi obtulerunt, haec ea ratione hic exponere conſtitui, ut a proſequendo opere non modo non deterreatur Cl. RICHER, verum id, quod in excogitandis iſtis characteribus oſtendit ingenii acumen, ad rem ipſam magis expoliendam, quod rei dignitas requirit, maiori adhuc contentione animi convertat.


Defuiſſe acutiſſimo ceteroquin philoſopho, in excogitandis iſtis characteribus, notiones quasdam ex iis, quae directrices audiunt, facile primarias, vix mirer. Ita enim latere videntur, ut niſi ipſemet forte fortuna in eas inciderit, eas apud auctores, quos evolvit, reperire plane non potuerit. Evolvit vero, quod ex ipſo ſpecimine patet, auctores, qui de arte characteriſtica novi quid dixerunt, tantum non omnes, ut liquido pateat, haud inconſulto rem iſtam adgreſſum eſſe Cl. RICHERVM. Quidnam vero ſibi velint directrices iſtae notiones, ad rem ipſam propius accedendo, exemplis iam declarare propoſitum eſt.

Tab. I. Characteres vel ſigna, quibus in praefato ſpecimine uſus eſt Cl. RICHER, triginta ſunt numero. Horum viginti priora ſtatim initio tentaminis coacervavit, reliqua decem ipſi textui inſeruit. Quo vero uno velut obtutu inter ſe poſſint conferri, cuncta in tabella, aeri inciſa, ob oculos ponere lubet, quo ipſo et iis lectoribus conſultum erit, quibus Miſcellanea Taurinenſia ad manus non ſunt.

Facile patet intuenti, ſignorum iſtorum ductum admodum eſſe ſimplicem, *ſemicirculis* quippe et *punctis* ſingula componuntur. Quodſi ergo ipſi *ſemicirculo*, ipſique *puncto*, ſuus conſtaret ſignificatus, ipſaque utriusque huius ſigni varia *poſitio* ad definitam quandam normam eſſet efficta, utique cuncta ad genuinas characteriſtices leges fuiſſent adcommodata. Hoc quidem ſtatim obvium eſt, propoſitum fuiſſe Cl. RICHERO, ideas ſibi invicem oppoſitas oppoſita quoque ratione denotare. Porro ſigna illa, quibus effertur *ratio*, *rationatum*, *latisſime primitiva* eſſe ait ex ◡, quo denotatur *aliquid*. Sic et ſigna, quibus *connexa* ipſamque *connexionem*, *concatenationem* etc. denotarit, ex modo dictis derivata eſſe perhibet. Ut adeo pateat, de componendis atque derivandis ſignis aliis ex aliis revera cogitaſſe Cl. RICHERUM. Patet quoque ubivis *punctum inferius poſitum* vel *negationem*, vel *oppoſitum* deſignare, *ſuperius poſitum ideam genericam* indicare, cuius ſpeciem *poſitivam* punctum antrorſum, *negativam* punctum retrorſum collocatum, exhibeat. Contra ea mera puncti omiſſio in ſignis S et ( ) haud ſibi videtur conſtare. Ponas enim licet ſignum ( ) rite denotare id quod *indeterminatum* eſt, ipſa analogia ſuadebit, ſignum S denotare debere id quod *immutatum* eſt. At vero ipſum *determinatum* exprimere hoc ſigno Cl. Auctori magis placuit.

Porro, etſi idearum variam oppoſitionem denotare potiſſimum curae cordique habuit Cl. RICHER, haud tamen

prae-



nexa ſunt, denotantur, ſimul et minus videtur eſſe naturalis, et minus ſcientificus. Etenim per ⌒ deſignatum vides ipſum *nihil*, unde ſervata *analogia*, ſignum illud, quo *inconnexa* denotantur, potius *connexa nihila*, id eſt abſonum quid et impoſſibile, exprimit. Rectius itaque *inconnexa* per meram iuxta ſe poſitionem ſignorum, quibus effertur *aliquid*, poſſent deſignari, uti v. gr.



Porro, retento eodem lunulae ſignificatu, ſignum illud, quo *ratio* vel *rationatum* effertur, quodammodo *derivativum* eſt, ſi ipſius compoſitionis modo debitus tribuatur ſignificatus. Conſtat enim utrumque hoc ſignum lunula lunulae impoſita. Quodſi ergo eam, quae inferior eſt, ceu *baſin* ſive *fundamentum* ſpectes, cui altera innititur, facile patet, per rem ipſam poſſe lunulam inferiorem pro ſigno *rationis*, impoſitam vero pro ſigno *rationati* haberi, atque eatenus quidem perinde eſſe, anteriori vel poſteriori lunulae cornui altera ſit impoſita.

Simili modo, retento ſigno $\smile$, quo *aliquid* exprimitur, ſignum $\overset{\cdot}{\smile}$ quo denotatur *ens*, rite ſe habebit, ſimul ac *punctum* illud, quo poſterius hoc ſignum a priori differt, ideam *exiſtentiae*, vel ſaltem *poſſibilitatem exiſtendi* indicet. Hanc enim ſpecialiorem determinationem ideam *entis* involvere, docent metaphyſici. Quodſi vero hunc ipſius *puncti* ſignificatum retineamus, vix opus erit *exiſtentiam* ſigno $\odot$ denotare, cum *punctum* deſignandae huic ideae ſufficere videatur. Contra ex ſignum $\underset{\cdot}{\frown}$, quo exprimitur *non ens*, recte ſe habet, ſi per $\frown$ intelligatur *nihilum*. Etenim hoc modo $\underset{\cdot}{\frown}$ dicit *nihilum exiſtens*, vel *nihilum exiſtentiae capax*, id eſt *non ens*.

Combinando iam ſigna, quibus effertur *ens*, *ratio*, et *rationatum*, facile liquet, utrique illi formulae, qua *rationem* et *rationatum* efferri poſſe ſupra vidimus, *punctum* eſſe inſcribendum, quo *cauſſam* et *cauſſatum* denotent. *Cauſſa* enim ceu *exiſtens* ſpectanda eſt, quo *ratio* eſſe *exiſtentis cauſſati* queat.

At vero ſervato ſignificatu, quem ipſi *puncto* tribuimus, immutanda iam erunt reliqua ſigna, quibus *punctum* adſcripſit Cl. RICHER. Suum enim cuique ſigno conſtare debere ſignificatum, veri nominis characteriſtica requirit.

Pona-

Ponamus v. gr. recte ſe habere ſignum ( ) quo *indeterminatum* expreſſit Cl. RICHER. Quoniam ſignum hoc duabus conſtat lunulis, ideoque compoſitum eſt, per rem ipſam licebit aſſumere, harum lunularum altera denotari *determinabile*, altera vero *determinans*. Iunctis ergo his lunulis, ut circulum O efficiant, hoc ſigno id quod *determinatum* eſt, exprimi poſſe res ipſa ſuadet; quippe niſi ipſi *determinabili* iungatur *determinans*, ipſum *determinatum* obtineri nequit. Quodſi denique *circulo* iſti *punctum* inſcribatur, prodit ⊙, quo ſigno *determinatum exiſtens*, vel *exiſtentiae capax*, id eſt *individuum*, denotabitur, quo ipſo cuivis ſigno ſuus conſtat ſignificatus.

At vero, ſi dicendum quod res eſt, ſignum illud ⌒, quo *nihilum* denotavit Cl. RICHER, minus iam videtur eſſe commodum quam ſupra viſum eſt. Iuncto enim hoc ſigno cum ſigno ⌣, quo denotatur *aliquid*, prodibit itidem O, quo *determinatum* exprimi poſſe vidimus. Nemo vero affirmatum ibit, iungendo *nihilum et aliquid* prodire *determinatum*. Unde alio modo ipſum *nihilum* deſignare conveniet. Quoniam vero duplex eſt huius vocis ſignificatus, quippe meram *privationem* aeque ac *contradictorium* denotat, utique duplex quoque requiritur ſignandi modus. Et quidem quod ipſum *nihilum privativum* attinet, hoc ubivis occurrit, ubi id quod adeſſe poterat haud adeſt, vel id quod aderat tollitur. Unde *nihilum privativum* commodiſſime exprimetur ſigno plane nullo.

Contra ex *nihilum negativum*, quo exprimitur omne id quod eſſe nequit, quodque vel hanc ob cauſſam neceſſario *nihilum* eſt, ſignari non poterit, niſi prius ſignetur *poſſibile* et *impoſſibile*. Quoniam porro et ipſum *neceſſarium* oppoſiti impoſſibilitatem involuit, patet, et hanc ob cauſſam requiri ſignum *impoſſibilitatis* magis *ſcientificum* eo, quo uſus eſt Cl. RICHER; patetque inſuper, requiri ſignum, vel etiam

ſignandi modum, quo *oppoſitum*, vel ipſa *oppoſitio* denotetur.


Mea quidem ſententia vel maxime expedit, *totum poſſibilitatum complexum* inſtar *campi* ſpectare, quem haud incongrue *campum poſſibilium* vocaveris. Infinitum eſſe hunc campum, ex infinito poſſibilium numero facile liquet. Dari tamen *poſſibilitatis limites* vel inde patet, quod dantur contradictoria, ſomnia, chimaerae etc. Hos vero *poſſibilitatis limites*, ductu lineae, *campum poſſibilium* circumſcribentis, denotare haud inconſultum erit. Porro ipſi *campo poſſibilium* alius inſcribi poterit longe minor, qui *campus exiſtentium* audiet. Hac ergo ratione ſingulae illae quaeſtiones, quae vel *poſſibilitatem*, vel *exiſtentiam* ſpectant, ad *limites* iſtos referuntur, quibus uterque hic *campus* circumſcribitur.

Ita v. gr. quaecunque ſigna, quae in utrovis hoc *campo* collocata *reale* quid denotant, quod vel eſt, vel eſſe poteſt, ſignificatum mutant, atque *contradictorium*, *imaginarium*, *ſomnium*, *chimaeram*, *impoſſibile* indicabunt, quoties vel per *aſſumtam hypotheſin* extra campum poſſibilium locantur, vel per *conſtructionem* extra hunc campum cadunt.

Ponamus iam utramque lunulam ⌣ ⌢ aeque denotare *aliquid*, vel *poſſibile*, ita ut eius varia poſitio ſignificatum non mutet, *oppoſitio* ipſa utriusque lunulae oppoſitione exprimi poterit, uti v. gr.





Quodſi vero plura occurrant ſibi invicem opponenda, quod accidit in diviſionibus multimembribus, plures quoque lunulae inſtar laterum polygoni ſibi invicem opponentur. Ita v. gr. in diviſionibus quadrimembribus fiet.





His

His ita aſſumtis, iam ſua ſponte innoteſcit modus ille, quo denotabitur id quod *neceſſarium* eſt. Quoniam enim neceſſarium involuit *oppoſiti impoſſibilitatem*, lunula altera in campo poſſibilitatis erit locanda, dum ea quae ipſi opponitur, vel eae quae opponuntur, extra hunc campum cadunt. Ita v. gr. campum poſſibilium, cuius figura hoc quidem reſpectu perinde eſt, quadrato denotando, fiet


 vel  vel etc.

Sic et, retento modo, quo *indeterminatum* expreſſit Cl. RICHER, haud difficile erit ipſum *indeterminabile* deſignare. Erit enim hoc, altera lunula extra *campum poſſibilitatis* poſita.

 vel 

Simili porro modo facile deſignabitur *ratio*, vel *cauſſa* ea, quae in ſerie rationum vel cauſſarum omnium *prima* eſt. Haec enim cum infima ſit, limitem campi *continget*, ut quae inferior eſſe deberet extra hunc campum cadat, adeoque imaginaria evadat.

Eodem porro modo, ſi denotandus ſit *nexus imaginarius*, hic vel ideo imaginarius eſt, quod reapſe *inconnexa* ſunt duo plurave poſſibilia, unde ſimpliciter inſtar *inconnexorum* deſignantur, uti v. gr.



Vel

Vel ſi imaginarius ſit nexus, propterea quod alterutrum connexorum impoſſibile eſt, indicabitur iſtiusmodi nexus, lunulas ita ponendo, ut altera extra *campum poſſibilium* cadat, ſive alteram in limite campi contingat, ſive plane non contingat.

Porro et hoc meminiſſe iuvabit, poſſe in *campo poſſibilium* quemcunque minorem definiri atque circumſcribi *campum determinatae cuiusdam poſſibilitatis*, quatenus haec ad *hypotheſin* quandam eſt referenda. Quo facto vel ſua ſponte patet, qua ratione ea ſint deſignanda, quae *hypothetice* ſunt *indeterminabilia, prima, ultima, impoſſibilia, neceſſaria etc.* Sic et in *campo exiſtentium* ab invicem diſtingui poterunt ea quae vel *ſimultanea* ſunt, vel *ſucceſſiva*, quod fiet, ſi ea quae ut *ſucceſſiva* ſpectantur in directione horizontali, *ſimultanea* vero in directione verticali, iuxta ſe ponantur. Quae *ſucceſſiva* dicuntur, ſunt vel eiusdem *entis ſyſtematisque ſtatus ſucceſſivi*, quatenus a cauſſis agentibus temporis ſucceſſu mutatur, vel *ſeries entium ſyſtematumque diverſorum*, ſe certo quodam reſpectu ſubſequentium.

Quoniam porro huiuscemodi *ſeries* cogitari poſſunt vel *creſcentes*, vel *decreſcentes*, vel *divergentes*, vel ad certum quendam *finem convergentes etc.* vel tales, quae etſi convergunt, convergunt ad finem imaginarium, ſive extra poſſibilitatis vel exiſtentiae campum collocandum, facile patet, innumera hic occurrere mutationum phaenomena, ſuo quaeque modo deſignanda. At vero ſingulis his finibus vix ſufficere videntur lunulae iſtae, quibus ſecundum Cl. RICHERI hypotheſin hactenus uſi ſumus; etſi eatenus recte adhibitae ſint.

IOAN-

IOANNIS FRANCISCI FINETTI DE PRINCIPIIS *iuris naturae et gentium, adverſus Hobbeſium, Puſendorfium, Thomaſium, Wolfium, et alios, Libri XII.* TOMUS I. et II.

Venetiis, 1765. 4 Alph. quaternis.

En horrendum hominis paene inſipidi, et ad riſum usque indocti monſtrum! Tua ſcilicet, Finetti, indigebat opera iurisprudentia naturalis, a tot viris celeberrimis, ingenio et doctrina inſtructis, terſamque ingreſsis philoſophandi viam, ſumma cum laude tractata, et ad ſua redacta principia! Sed habuiſti ſane multas atque graviſsimas cauſſas, quibus commotus tam arduum negotium adgreſſus es. Nos, quia remotis nunc ſeriis laboribus placet paulliſper ridere, eas cum noſtris lectoribus, ut ipſi ſuper illis iudicent, communicabimus. Expoſitas namque in praefamine operis offendimus. Non potuit nimirum vir bonus diutius ferre morem ſuorum popularium, ex libris, quos a Grotii temporibus *Proteſtantes*, praeſertim Germani, de iure naturae ac gentium inſcriptos emiſiſſent in lucem, atque *indeſinenter* emittant, praecepta iuris naturalis adoptandi; quod et noxius eſſet, et dedecus afferat Italis, nationi ingenio Germanos, ut ipſi quidem videtur, multum omnino ſuperanti. Indignatus igitur, eos, *qui eo mentis acumine polleant, quo ſi uti vellent docere alios facile poſſent, tamen ſe Germanorum Proteſtantium diſcipulos profiteri malle*, et *in re morali e borealibus proteſtanticisque* (euge! quam elegans es homo!) *regionibus ſibi magiſtros accerſere*, ſibi *inflammari animum ſenſit, deſiderio conſcribendi aliquid in iuvenum utilitatem et gratiam.* Cumque *lectioni eorum, qui in hoc genere principes habentur*, ſe addixiſſet, *neque firma principia, neque ſolidum ratioci-*

tiocinium, *neque delectum ſententiarum*, *neque ſublimitatem novitatemve doctrinae in illis deprehendit*; *non ordinem concinnum*, *non ſtylum perſpicuum*, *non ornatum dicendi genus*: (ſcilicet in his omnibus te impoſterum egregium ſequemur magiſtrum;) *vidit autem errores quamplures*, *praeiudicia vaniſſima*, *multum temeritatis*, *bonae fidei parum*. Neque, quamvis illum *ex parte retraherent tenuitas ingenii*, ſibi *ſatis perſpecta*, (vellemus retractum non dimiſiſſet,) *aetas iam ingraveſcens*, *fractae adverſa valetudine vires*, tamen, *ut primum ipſi per valetudinem licuit*, *manum operi admovit* — et *perfecit opus iſtud*, *in quo praecipuos gravioresque Proteſtantium errores*, *ad ius naturae et gentium generatim acceptum pertinentes*, *impugnare*, *ac pro viribus profligare ſibi propoſuit*, ſperans ſane, *ſe a propoſita meta non procul admodum aberraſſe*; *praeſertim cum viri doctiſſimi*, *et ab omni aſſentationis ſtudio prorſus alieni*, *quos ipſe hac de re non ſemel conſuluit*, *iudicaverint*, *eum ſatis contriviſſe errores*, *quos in hoc opere impugnandos ſuſcepit*. Atque, ne mendacem forſan Finettum, aliquis credat calumniator, ipſa haec elogia, quibus viri doctiſſimi, amici eius, datis ad eum litteris, opus ornarunt, praefigi curavit. Quis non obſtupeſcat, et maxima Finetti rapiatur veneratione, cum viderit vel audierit, magnum hoc Italiae decus a viris ſummis, eique ſimillimis, *Luchio*, *Ganaſſone Caſinate*, *Gazzaniga*, *Adamo*, atque *Guadagnio*, omnibus maximam partem piis Patribus et Theologiae Profeſſoribus, divinis celebrari laudibus? Horum teſtimoniis fidem denegare piaculum eſto! Nec rideat tamen, qui in epiſtola a *P. Petro Maria Gazzaniga*, *S. Theologiae Magiſtro*, *ac Publico in Academia Vindobonenſi Profeſſore*, ad noſtrum perſcripta p. XXI. haec legerit. *Nunc gaudeo*, *me tibi poſſe ſcripto confirmare*, *quod aliis ore iam affirmavi*: *opus nimirum hoc tuum mihi vehementer probari*; *primo quidem ob ſtyli rationem*, *qui* nitidus, *brevis*, *et didacticus mihi videtur etc.* Tali omnino indigebas praecone, Finetti! Sed haec de cauſſis huius conſilii. Iam ad ipſum praeſtantiſſimum opus, libris

bris comprehenſum duodecim, venerabundi accedimus. *Libro* quidem *primo*, quem noſter pro ea, quae in ipſo eſt, elegantia *protheoreticum* inſcripſit, de varia ratione tradendi ius naturae variisque principum huius diſciplinae auctorum cognominibus, iudicia profert, qualia ab eius ingenio expectari poſſunt; quibus cognitis ut riſum teneant lectores, etiam atque etiam rogamus. Initium autem capit auſpicatiſſimum ab eo ſapientum, ſi diis placet, grege, qui amabili Scholaſticorum nomine appellatur. Hos nempe a primariis iuris naturalis ſcriptoribus, *Pufendorfio* inprimis atque *Thomaſio*, tamquam huius rei ignaros, iusque univerſale cum iure poſitivo ac revelato confundentes, *ſumma iniuria* traduci, cap. I. contendit. Nam ignaros illos non fuiſſe iurisprudentiae naturalis, ex *Grotio* demonſtrat, qui non ſolum ſcribat, (*de I. B. et P. Proleg. §. 52.*) *Scholaſticos ingenio valere, et ubi in re morum conſentiant, vix eſſe ut errent:* ſed ad *Molinam*, *Suarezium*, aliosque praecipuos doctores Scholaſticos, ſaepius provocet. Sapienter profecto noſter ita: *Sunt tamen, fatebor, ne ex omni parte falſa ſit proteſtantium iuriſtarum* (quam belle!) *iactantia, quae catholici illi doctores in iure naturae ignoraverunt, nempe multi pernicioſique errores, quos ipſi proteſtantes in naturae ius intulerunt: quam ſane ob cauſſam tam vere eos iuris naturalis corruptores quis dixerit, quam falſo ſeſe inſtauratores et vindices eſſe gloriantur.* Haec ideo adſcripſimus, ne deſit aliquid, ex quo de felici V. Cl. ingenio lectoribus conſtare posſit. Deinde, quod confuſa omnia principia apud eos deprehenduntur, id in laude potius ponit, quam vituperatione dignum cenſet Finettus. His rationibus quis eſt qui non capiatur? Cumque animadverteret, ipſis eccleſiae Patribus antiquisſimis praeſtantisſimisque, iuris naturalis inſcitiam plerumque, a Barbeyraco praeſertim atque Thomaſio, tribui, maior ipſi viſa eſt, (ſunt eius verba;) haec audacia, quam ut tolerari pacato animo posſit. Itaque cap. II. eiusdem ponderis argumentis, ac antea uſus fuerat, eam refellit. Frontem cap. III. hic ornat titulus: *Vana*

 eſt

eſt Proteſtantium Iuriſtarum inventio, de inſtaurata illuſtrataque et ad perfectionem perducta a ſe iuris naturalis doctrina. Nam, ait, *ſi ita res eſt*, (nempe, demum a Grotii temporibus iuriſprudentiam naturalem illuſtrari coepiſſe,) *cur*, *divina providentia, cur, quaeſo, tot annos, et ſecula, paſſa eſt in rei tam neceſſariae ignorantia tenebriſque iacere? — Sed quid de divina providentia conqueror? ridenda potius ſpernendaque illorum iactantia eſt, qui demum poſt plurima ſecula ſe morum magiſtros veluti e coelo delapſos eſſe gloriantur, aliiſque perſuadere pro viribus adnituntur*. Nimirum non cogitarunt hi homines, extiturum aliquando eſſe *Finettum* V. Cl. *Ad me, pergit ille,* quod *attinet, legi quidem perlegique eorum volumina; ſed praeter multos errores, vix ac ne vix quidem quidpiam frugis alicuius inveni, quod ex auctoribus noſtris non antea didiciſſem.* Vera eſſe haec omnia, quis audeat negare? Nam dixit Finettus, homo a viris doctiſſimis laudatus, licet exemplis oracula ſua confirmare operae pretium haud duxerit. Capite IV. auctor propius accedit ad modum docendi iuriſprudentiam naturalem a noſtris ſervatum, ubi mox probat, eam tanquam ſeparatam a reliquis diſciplinam tractari; mox eos valde reprehendit, quod omnem auctoritatem, praeſertim vero divinam, ab ea removendam cenſeant. Hoc nempe eſt, ad iuſta ſeparataque principia doctrinam redigere, quum leges ſanae rationis cum praeceptis Scripturae ſacrae miſcentur. Quis non videt, iuriſprudentiam naturalem et ius divinum revelatum ipſis interdum regulis differre, etſi hoc illam ſuppleat? An igitur haec iuri naturali tribuenda, quae demum a revelata Dei voluntate profecta ſunt? Iam ad ſingulos auctores primarios, qui de hac doctrina expoſuerunt, Auctor progreſſus, primum de *Hugone Grotio* Cap. V. ſententiam dicit, quem *reſtauratoris iuris naturalis* elogio quidem defraudat, at non omni tamen laude privandum exiſtimat. *Seldenum* erraſſe vehementer, ſequenti Cap. agnoſcit. *Hobbeſium* Atheum fuiſſe ex Cap. VII. diſcimus. *Puſendorfius* non admodum bene meritus de iure naturae cenſendus

tus eſt. Sic iubet noſter Cap. VIII. *Chriſtianum Thomaſium*, ſi non brutum, (nam ex ſingulari gratia humanam formam Finettus ei reliquit,) certe Epicureum fuiſſe, Cap. IX. auctor pie docet. Vae quoque *Wolfio!* cuius ſyſtema, quod de iurisprudentia naturali contexuit, humanae reipublicae magis obeſſe, quam prodeſſe, et magnam cum Epicureiſmo habere cognationem, quid? ipſis Atheis ac ſceleſtis hominibus patrocinari, verboſa oratione, Cap. X. ille diſputat. Qua in re Langii, viri hebetis ingenii, et ludimagiſtri provinciae, quam theologiae profeſſoris muneri aptioris, ſcriptis egregiis multum adiutus eſt. His praemiſſis, iam ipſum templum ſapientiae, a Finetto apertum, liceat intrare. Ille quidem de ipſis iurisprudentiae naturalis principiis expoſiturus, *ideam iuris naturae* libro II. pertractat, ubi, poſtquam quinque prioribus capitibus integris, de origine grammatica et diverſa ſignificatione vocis *iuris* multa compilavit; ſexto tandem capite varias variorum de iure naturali conceptas notiones proponit: quibus reprehenſis, ſuam ſuper hac re ſententiam ſane ſapientisſimam cum lectoribus communicat. *Ius naturale eſſe legem ſeu plurium legum complexionem: legem hanc vel ipſam eſſe legem Dei aeternam, vel eius effectum et participationem, eamque naturali lumine nobis innoteſcere, adeoque nos naturaliter adſtringi, ut actiones noſtras liberas eidem accommodemus.* Hac ratione, Finetti, totam potius morum doctrinam, quae praeter iurisprudentiam naturalem, etiam virtutis atque prudentiae praecepta continet, quam ſolum ius naturae, tua deſcriptione complexus es. Tum de *primario iuris naturalis fonte, nempe Deo*, libro tertio praecipit. Quod argumentum tribus abſolvit partibus, ita, ut primo Cap. non ſolum Deum eſſe, ſed ab aeterno, neceſſario, et tamquam ſui ipſius cauſſam, (*exſeitatem* noſter digniſſimus Scholaſticorum diſcipulus hanc virtutem Dei vocat,) eundem exiſtere, ex ſerie cauſſarum demonſtraret; deinde altero Cap. eiusdem providam rerum naturalium curam, contra negantium argumenta defenderet; ultimo deni-

que Cap. imperium et leges hominibus ferendi poteſtatem legitimam Deo vindicaret. Quod quidem ius, neque ex ſola Dei potentia, cui reſiſti nequeat, ut vult *Hobbeſius*; neque ex praecellentia naturae, ut nonnullis placuit; neque ex collatis beneficiis, quod *Puſendorſius* cenſet; neque ad *Barbeyraci* mentem ex ſola creatione, ſed, (qua in re lubenter cum eo conſentimus, quamvis non novam eſſe hanc ſententiam recordemur,) ex creatione, cum ſumma potentia, ſapientia, et bonitate coniuncta, deduxit. Sequenti autem libro *ſecundarium et proximum iuris naturalis fontem* proponit, quem *humanam naturam* eſſe ait. Summo iure naturam humanam fontem iuris naturalis auctor dixerit, modo voluntatis divinae, tamquam primi fontis, cum illa convenientiam accurate demonſtraſſet. At hoc argumento, quod difficilius forte ipſi viſum eſt, quam ut ab eo tractaretur, plane intacto relicto, in ſola naturae humanae indole deſcribenda occupatus fuit. Tractat igitur res pervulgatas, non ſine rarae doctrinae ſpecie, et, dum alios erroris accuſat, largam praebet ridendi materiam. Docet enim prioribus duobus Capitibus inauditam antea veritatem, hominem non ſolo corpore, ſed etiam animo conſtare, huncque animum non materiam, ſed ſpiritum, atque immortalem eſſe. Quis haec in opere, quod de iure naturae inſcribitur, legendi ſpem unquam habuit? Tanto maior igitur omnium voluptas et admiratio eſſe debet, qui ultra octo et decem folia his rebus auctorem impendiſſe cognoverint. Sic te oportebat, Finetti, ad divini ingenii, atque incomparabilis et nullius fere diſciplinae limitibus incluſae eruditionis gloriam pervenire! Porro, hominem vera praeditum eſſe agendi libertate, Cap. III. oſtendit. Placuit nobis pulcerrima libertatis definitio: *Libertatis*, inquit, *nomine, hoc loco intelligimus facultatem agendi et non agendi, immunem ab omni neceſſitate*: Quid clarius his verbis? Iam nemo ignorat, libertatem eſſe coactionis abſentiam! Deinde valde mirati ſumus artem auctoris, more Hiſpani Equitis, adverſarios ſibi fingendi,

quos

quos non habet. Tales enim ſibi hac in re eſſe, *ex Proteſtantibus iuris naturae Scriptoribus Thomaſium, Cocceium, aliosque non paucos*, qui *humanas omnes actiones neceſſarias eſſe* ſtatuant, lectoribus perſuadere cupit. Scilicet actiones *liberas*, ab iis, quae *indifferentes* vocantur, (de quibus poſtremis ſolis *Thomaſium* et *Cocceium* loqui, ex libris eorum, ad quos ille provocat, palam eſt, ac clarisſimis ibi verbis expreſſum,) ſeparatas eſſe ignorat. Qui talia neſcit, eum prima dialectices atque philoſophiae, quae de moribus praecipit, diſcere elementa oportet. Hac tandem de libertate actionum humanarum diſputatione finita, ad *imputationem*, vel, ſi cum auctore fas eſt loqui, *imputabilitatem*, Cap. IV. progreditur: huius natura ac indoles, quamvis omnibus ſubtilis, atque multis implicita difficultatibus viſa ſit, noſtro tam facilis fuit perſpectu, ut de ea, tamquam de re valde trita, diſſerere plane ſuperſederit, ſola Puſendorfii reprehenſione contentus, quem ideo increpat, quod actiones metu extortas imputari poſſe negaverit. Ex quo quidem exemplo facile eſt ad colligendum, quid a Finetto in imputationis regulis definiendis expectari debeat. Cap. V. *rectam rationem* in homine eſſe, ait, et multa inania adverſus Hobbeſium profert, cuius de recta ratione ſententiam ſe non perſpexiſſe ſatis prodit, ipſe tamen, in quo ea poſita ſit, non definit. Sequenti capite multa de conſtante voluntatis humanae appetitu, (*obiectum eſſentiale ac integrum voluntatis humanae* appellavit,) qui ad *bonum* adipiſcendum ſemper tendat, absque delectu ac ordine corraſa deprehendimus. Vltimo denique capite magnas in *Puſendorfium* et *Thomaſium* profert querelas, quod ad naturam humanam non ſatis attenderint, eosque leges naturales ſolius propriae utilitatis terminis circumſcripſiſſe, ſuis perſuadere ſtudet lectoribus. Sequitur *libro quinto* de *ſtatu hominis naturali* diſputatio, in qua quatuor ſibi inprimis auctor elegit adverſarios, quos doctisſima ſua reprehenſione dignos iudicaret, inque rectam reduceret viam, *Hobbeſium*, *Puſendorfium*, *Thomaſium*, atque *Ruſſellum*

(Rouſ-

(*Rouſſeau*). Ac *Hobbeſii* quidem, aſſerentis, naturalem hominis ſtatum eſſe bellum omnium in omnes, abſurdam ſententiam, abſurdis argumentis, Cap. I, evertere conatur; quae omnia ex naturali hominum ad pacem atque ſocietatem propenſione, et, ne exempla deeſſent, Americae gentium humanitate, ducta, tantam nobis attulerunt voluptatem, ut riſum excitarent. Veniebat enim in mentem, quid hae nugae ad Hobbeſium? cuius eo redit doctrina, homines in ſtatu naturali, ſine pactis viventes, nulla invicem ad pacem ſervandam teneri obligatione, ſed pactis demum obſtringi. Fasne eſt credere, ſolum appetitum, et Americae gentium exemplum, ius facere et obligationem? Debebat potius *Finettus* id, quod veriſſimum eſt, ex rectae rationis dictamine monſtrare, ipſum finem primarium, quem Deus hominibus, dum agunt, propoſitum eſſe voluit, ſalutem nempe ipſorum atque felicitatem, hoc vel maxime deſiderare, ut etiam citra pacta pacem ſervent, et nonniſi aliorum iniuriis laceſſiti ad arma veniant. Non minoris profecto ſtuporis eſt aſſerere, hominibus a natura perpetui ac mutui belli ius propterea non competere, quod omnes a natura pacem cupere videantur; quam ſi quis ex epiſtolis amicorum Finetti, huic operi praefixis, comprobari poſſe credat, eum eſſe hominem doctum, atque philoſophum ſubtiliſſimum, fatebimur. Haec quidem ridicula. Quae autem V. Cl. Cap. II. de *Thomaſii* opinione profert, commiſeratione magis, quam riſu digna exiſtimes, adeo inſipida ſunt omnia. Nam quod *Thomaſius* (*Fundam. Iur. Nat. et G. lib. X. c. 3.*) dixit, *ſtatum naturalem hominum omnium nec ſtatum belli eſſe, nec ſtatum pacis, ſed confuſum chaos ex utroque, plus tamen participantem de ſtatu belli, quam de ſtatu pacis*, ut indicaret, omnibus in ſtatu naturali verſantibus, quippe nullius, niſi Dei, imperio obnoxiis, licere facilius iniuriam ab aliis ſibi illatam propria perſequi vindicta, quam in republica, ubi omnia a principis iudicio, et iudicum ſententiis pendeant; deinde in hoc ſtatu libero effraenatas hominum libidines interdum latius

vaga-

negari, (etſi iure id fieri nolit *Thomaſius*,) quam in imperio civili, ubi externa vi maiore eae fortius reprimuntur: id ille ſic explicat; *Thomaſium* affirmaſſe, ſtatum libertatis eſſe ſua natura bellicum, et tantum ex cauſſis contingentibus fieri pacificum. Quis non perſpicit hominis in iudicando imperitiam? Mox redit ad *Hobbeſium*, cuius errorem, in ſtatu naturali fuiſſe unicuique ius in omnia, Cap. III. explodit. Eodem iure, (nec mirum, Finettum victoriam reportare, dum errores adeo craſſos et abſurdos, quos vel puer detegat, impugnat,) *Ruſſellum* Cap. IV. ridet, hunc ſtatum tamquam *hominis ſilveſtris*, *ac ſolitarii*, *belluinoque more viventis*, conditionem deſcribentem. Caveat tamen, ne ipſe rideatur, dum ſcribit, *Puſendorfii* verba: (*de I. N. et G. lib. II. cap. II. §. 2.*) *Ut ſtatus naturalis faciem animo concipiamus, fingendus nobis eſt homo undecunque in huncce mundum proiectus, ac ſibi ſoli plane relictus*, convenire cum *Ruſſelli* figmento, nec ſolitarium, ſed domeſticum potius et ſocialem hunc ſtatum dicendum eſſe. Ignoravit enim, ſtatum naturalem, qui civili opponitur, eſſe vel *abſolutum*, ut aiunt, et *primitivum*, ubi homo tamquam ſibi ſoli relictus concipi debet, quemque *Puſendorfius* hoc loco explicavit; vel *hypotheticum*, qui conditionem diverſam hominum, extra imperii civilis iugum quidem viventium, at ſocietatis tamen vinculo coniunctorum, complectitur, quem ſolum auctor in mente habuit. Quo factum eſt, ut non ſolum hic, ſed etiam ſequenti capite V. ubi hunc ſtatum ut meris compoſitum ſocietatibus aequalibus propoſuit, vehementer erraverit. Ceterum, hunc ſtatum naturalem civili mox praeferendum, mox poſtponendum eſſe, comparatione inſtituta, non plane contemnendis rationibus, Cap. VI. declarat. Tandem quaerit Cap. VII. num ſtatus naturalis aliquando extiterit, et num adhuc deprehendatur? Reſpondet, fuiſſe omnino, eumque

inter barbaros quosdam populos, v. c. Groenlandos, adhuc vigere. In qua quidem re cum eo lubenter conſentimus. Libri VI. argumentum in *exiſtentia iuris naturalis* demonſtranda poſitum eſt, et quinque abſolvitur capitibus, quorum *primo* et *ſecundo* A. docet, eſſe homini a Deo naturae ope leges praeſcriptas, ad quas ille actiones ſuas componat, quasque *iuris naturalis* nomine comprehendit. Quae quidem vaga *iuris naturalis* notio, quae totam potius morum philoſophiam, cuius partem eſſe iurisprudentiam naturalem nemo negaverit, quam ſolam hanc, quam auctor tractare promiſit, doctrinam ſignificat, non potuit non noſtro ad innumeros errores viam parare, et facilem confuſioni occaſionem praebere. *Tertio*, has leges divinas naturales vere ac proprie leges dicendas eſſe, contendit. *Quarto*, quod auctoris ignorantiae certiſſimum eſſe poteſt indicium, affirmat, legum naturalium ſanctionem eſſe *imperfectam*, ſufficientem vero demum ex futurae retributionis poſt mortem, ac vitae aeternae cogitatione, oriri. *Quinto*, contra *Thomaſium*, eiusque diſcipulum *Fleiſcherum*, ficulneis pugnat rationibus, fumumque vendit, dum eos leges naturales pro meris conſiliis habuiſſe nugatur. Progreditur libro VII. ad *primum iuris naturae principium* ſtabiliendum. Primum ipſi res eſt cum *Alberto*, *Hobbeſio*, *Pufendorfio*, *Thomaſio*, atque *Wolfio*, quorum de prima naturae lege opiniones, pro more ſuo, hoc eſt inepte, Cap. I. usque ad V. perſtringit. Nam pleraque, quae diſputat, non ſunt ferenda; pauca, quae bona, ex aliis compilata. Deinde, ne in poſterum homines in demonſtrandis iuris naturalis regulis amplius tam turpiter fallantur,

lantur, virum ſapientisſimus Finettus ſuper hac re iudicium Cap. VI. interponit, fontem, unde omnia iuris naturalis praecepta deriventur, hanc regulam commendans: *Ordo naturalis ſervandus eſt.* Equidem valde te veneror, Finetti, ob ſingularem, quam in te eſſe, inveniendae veritatis artem, denuo hoc exemplo perſpexi: at haeret mihi tamen aqua. Fateor enim, hanc eſſe ingenii mei imbecillitatem, ut, lecta hac regula atque relecta, non magis tamen quam antea, quid in ſingulis cauſſis praecipiat, aut prohibeat ius naturae, intelligam; ita docte, (obſcuritatem enim eruditionis notam eſſe aiunt,) locutus es. Dic igitur, quid ſit *ordo naturalis?* quid ſit *ordinem naturalem ſervare?* Sed video te iam adeſſe, qui hoc mihi explices. Nam: *Quibus verbis,* inquis, *ſignificare id unum velim, quod omnes affectus actusque noſtros ita moderari debeamus, ut ordo, qui naturaliter ineſt ſive rebus, ſive perſonis, circa quas verſamur, integer inviolatusque ſervetur.* Omnia nunc intelligo. Cum *ordinem,* qui ineſt *rebus,* agendo obſervari iubes, innumera officia hominibus praeter ea, quae ipſi ſibi invicem debent, etiam erga beſtias, quid? erga ipſas res inanimatas, impoſita eſſe animadverto. Cavebo igitur impoſterum vehementer, ne aves, piſces, aliorumque animalium carnem edendo, aut veſtes ſupellectilemque uſu atterendo et corrumpendo, naturalis iuſtitiae leges transgrediar, nec ordinem, qui his rebus naturaliter ineſt, ut partim vivant, partim integrae exiſtant, turbare ſuſtinebo. Sic vereor profecto, ne laeſae iuſtitiae reus tu ſis, qui conſcribendo hoc grandi volumine tot pennas miſere trucidaſti. Plaudite! Haec autem, quae de primo iuris naturae principio Auctor expoſuerat, mox ipſe ſequenti capite in dubium vocat, ubi *ne-*

eſſe non eſſe, ait, *imo forte minus expedire*, *unicum in hac diſciplina ſtatuere officiorum omnium principium.* Iam *de fundamento et fine iuris naturalis* libro *octavo* exponit. Omnia hic riſum movent. Nos, ne lectores iniuriam Finetto fieri putent, (vix enim credibile eſt, hominem tantas ineptias ſcribere poſſe,) ipſos ſingulorum capitum titulos deſcribimus. Cap. I. *Qui utilitatem propriam conſtituunt pro fundamento iuris naturae, ius ipſum a fundamentis evertunt. A quo quidem errore graviſſimo Proteſtantes plerique non ſatis recedunt.* Cap. II. *Fundamentum iuris naturae merito ponitur in cognitione ordinis aeterni et incommutabilis, cui actiones noſtrae conformari posſint ac debeant.* Cap. III. *Pufendorfius de iure naturae peſſime meritus eſt, dum eius finem ambitu praeſentis vitae concludi docuit.* Cap. IV. *Abſurda eſt, et ad Epicureiſmum vergens ſententia Wolfii, docentis, ita per legem, ſeu per ius naturale, felicitatem noſtram tanquam finem intendi, ut ad illam ſervandam non obligemur, niſi quia eius cuſtodia felicitatem conſequimur, nec ſine eadem eandem conſequi datur.* Cap. V. *Proximus intimusque iuris naturae finis eſt cuſtodia recti ordinis, proindeque vita ad rationis normam exacta. Finis autem mediatus, eadem communis, ſed etiam propria cuiusque felicitas, quam adipiſci propriis actionibus quis poteſt. Finis ultimus atque perfectus eſt felicitas vitae futurae, et, quae inde conſurgit, ſupremi Conditoris et Proviſoris gloria.* Barbarae aetatis monachi nugas te hic legere credas. Porro, *obiectum iuris naturae* quale eſſe cenſeat, libro *nono* declarat. Omnes ſcilicet omnino actiones hominis liberas huc referre non dubitat. Nec poterat aliter, qui totum philoſophiae moralis ambitum, et Ethices, artis politicae, atque Theologiae naturalis praecepta, a iurisprudentiae naturalis finibus ſecernere haud novit. Neque ab hoc loco recedit, niſi novo eoque inſigni impudentiae dicam, an ſtultitiae? documento edito, dum *Thomaſium* iis adnumerat, qui actionibus humanis libertatem denegantes, eas neceſſarias eſſe affirmarunt. Quod quam falſum ſit, quilibet diligens librorum

horum *Thomaſii* lector, quales omnes philoſophos aeque ac ICtos eſſe oportet, facile intelligit. Liber *decimus* naturam *obligationis* complectitur, quam Auctor, copioſa, et haud raro ridicula, contra varias obligationis definitiones, imprimis eam, quam cum Wolfio plurimi optimo iure receperunt, diſputatione praemiſſa, ait eſſe *impoſſibilitatem contrariam agendi, vel actionem omittendi, ſalvo debito obſequio erga naturae auctorem ac ſupremum legiſlatorem.* Quis quaeſo non videt, eadem, mutatis tantum verbis, dici ab auctore, quae *Wolfius* aliique permulti dixerunt, obligationem eſſe *neceſſitatem agendi moralem?* At Finettum non pudet iactare, ſe novam veritatem manibus quaſi prehendiſſe, ſuamque mentem multum diſtare a *Wolfii* ſententia. Certe eo, quo *Finettus* excellit, ingenii acumine pollere illum oportet, qui ullum diſcrimen inter has duas deſcriptiones eruere valeat. Poſt de variis, quae iuris naturae legibus recte tribuuntur, virtutibus, nempe *aeternitate*, *neceſſitate*, *immutabilitate*, *univerſalitate*, *certitudine*, *et claritate,* libro *undecimo* agitur. Hic liber, ſi cum reliquis comparetur, pauciſſimos continet errores, plurima bona, et ad rem accommodata, non *Finetti* quidem doctrinae, ſed melioris notae ſcriptoribus, ex quibus hauſit, tribuenda. Sane, quae de conditione morali actionum Dei voluntatem antecedente, adverſus *Puffendorfium*, de figmento legis divinae poſitivae univerſalis, deque certitudine praeceptorum naturalium citra revelationem divinam, diſputat, ea non ſolum non contemnenda ducimus, ſed nobis maximam partem probari lubenter fatemur. Videtur omnino auctor hunc librum, paullulum ad ſanitatem reverſus, demum exaraſſe. Finem operi imponit *de iuris gentium notione* tractatio, libro *duodecimo* propoſita. Auctor ius gentium definit *complexionem legum omnium poſitivarum et arbitrariarum, morumque et conſuetudinum, quae vigent apud pleraſque gentes, aut ſaltem apud gentes cultiores, ſive illae verſentur circa materiam iuris naturae ſpectantem, ſive non, dummodo conſentaneae ſint rectae rationi, aut ſaltem eidem nullatenus adverſentur.* Vnde

patet, illum in eorum haereſi eſſe, qui omne ius gentium ſolis moribus adſcribunt. Sed certe iam ſatis eſt. Haec quidem omnia, quae auctor hoc volumine propoſuit, nonniſi προλεγόμενα iuris naturalis ſiſtunt. Ipſa vero huius diſciplinae elementa atque principia alio Opere perſequiminatur, quod ut nunquam prodeat, non tam iurisprudentiae naturalis (huic enim *Finettus* ſuis nugis haud nociturus eſt,) quam librarii cauſſa, vehementer optamus.

CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII VINDICIAE Q. Horatii Flacci: accedit Commentarius in carmina poetae.

Bremae, ſumtibus G. L. Foerſteri, 1764. 8.
Plag. 28o.

Floruit iam diu inter nos *Klotzius*, olim noſter, cuius temporis gratiſſima nobis memoria eſt, dein in Halenſi Fridericiana poeſeos et eloquentiae Profeſſor celeberrimus, Regi Boruſſorum a conſiliis intimis, Vir multa eruditione, mira ingenii ubertate et acumine conſpicuus, quem ipſae in ſua ſacraria Muſae receperunt, ut, omnibus artibus et litteris elegantioribus initiatum et imbutum, nobis delicias ac ornamentum redderent, de quo apud exteros gloriari liceat. Edidit Vir doctiſſimus alia ſermone patrio, alia latino, eodem, quod ex Romanorum fontibus haurire poſſis, ſcribendi genere, quibus illius nomen, vel ultra Germaniae fines ſatis celebratum, nec minus ad ultimam poſteritatem ſua cum laude tranſiturum, arbitramur. Cuius quam ſplendida extent in orbem litterarium merita, ex illius, quam nunc ordimur, ſcriptorum commemoratione, facile eluceſcet. Primo igitur loco ſint *Vindiciae Horatia-*

riſianae, ex quibus perſpicitur, quanto ſtudio poetam, quem prae aliis diligit, quemque ſibi ſumſit defendendum, legerit, quantaque rerum antiquarum cognitione et ingenii vi interpretetur. Occupatus eſt Vir doctisſimus in confutando *Iohanne Harduino*, clarae famae olim Ieſuita, quem tum crediſſe, certe credere voluiſſe videri, tum aliis perſuadere conatum, nullam antiquis ſcriptoribus fidem atque auctoritatem habendam; quaecunque ab iis narrentur, ea eſſe inepta, et ab Seculi XI. monachis efficta, ſatis inter eruditos conſtat. Multas quidem in hoc homine fuiſſe litteras, non negat illuſtris *Klotzius*; ingenium eius ex contrariis et inter ſe pugnantibus ſtudiis conflatum conſiderat; praeterea temerarium, rerum novarum cupidum, ad excogitanda non modo, ſed confirmanda etiam incredibilia, pronum fuiſſe accuſat; neque veteres ſcriptores, niſi horribilium ſententiarum extorquendarum gratia, perluſtraſſe. Sunt qui hic putent, et iis fere aſſentitur *Klotzius*, maius aliquod et peſtilentius conſilium latuiſſe, et Harduinum molitum eſſe, ut ſenſim omnem hiſtoriarum monumentis fidem detraheret, et hanc ſibi viam ad tollendam ſacrorum librorum auctoritatem ſterneret; quo, quae de ſacris ore tradita dicuntur, et oracula ab Ignatianis ſodalibus edita atque edenda, facilius ſtabiliret. Hinc ineptas illius opiniones ortas eſſe K. colligit. Comprobantur, quae aſſerit, teſtimoniis copioſe et accurate prolatis. Ex hac ingenii et conſilii Harduini explicatione ut non obſcure apparet, unde tam ridicula et inaudita emanaverint ſomnia; ita maximum *Klotzii* ſtudium in iis perlegendis et diiudicandis, quae ad cauſſam ſuam facere videbantur, omnium admiratione dignum eſt. Male ſibi conſuluit, qui litteris et religioni male conſulere auſus eſt, Harduinus; refutatus eſt atque deriſus, a viris doctrina et perſpicaci ingenio praeditis, inter quos iam multum eminet *Klotzius*. Sed hunc ipſum legere iuvabit. Selectae ſane ſunt, et acutae, illius ad

Hora-

Horatium animadverſiones, quibus explicationes et illuſtrationes potioribus poetae locis adduntur. Hae autem quoniam per totum librum diffuſae, nec una ſerie continuantes, difficilius ordine repetuntur, ad eas perluſtrandas, quicunque Horatii carmina, illorumque accuratam curent interpretationem, invitamus atque allicimus. Reſtant plura, et gravioris forte momenti, ſcripta *Klotziana*, in quibus recenſendis erimus longiores.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iulii et Aug. Anno MDCCLXVII.

SARDINIA SACRA, SEU DE EPISCOPIS SARDIS Hiſtoria, nunc primo contexta a F. ANTONIO FELICE MATTHAEIO, Minorita Conventuali, Sacrae Theol. Magiſtro, Piſanique coenobii Alumno. Praecedit eiusdem Auctoris diſſertatio de Sardinia, et illius eccleſiis.

Romae, MDCCLXI. Sumpt. Ven. Monaldini, Bibliop. in via curſus. Ex Typogr. Ioh. Zempel, prope Mont. Iordanum. Superiorum permiſſu, pagg. 324. in fol.

Digna omnino, in qua Eruditorum verſetur induſtria, ea eſt hiſtoriae ſacrorum pars, quae agit de Epiſcopatibus. Verum haec non ſoli Epiſcoporum, nominum, ac ſedium conſcriptione efficitur, ſed iuſta rerum memorabilium narratione, quae ad eccleſiam in aliqua terrarum regione inſtituendam et confirmandam fecerunt, atque augendam, accurataque Antiſtitum ipſius cogitandi et agendi rationis diſquiſitione, doctrinae et meritorum, quorum laude praeſules inclaruere, fatorum ac calamitatum, quibus ſaepe fuerunt oppreſſi, eorumque, quae religionis hiſtoriae lumen aliquod affundere videntur. Sunt ſane, multi ingenii et eruditionis viri, qui in enarrandis Epiſcoporum vitis et actis prae-

praeclare operam adhibuere, nec inde parum ad ipſam, quae de ſacris tractat, hiſtoriam luculentius perſpiciendam appoſuerunt. Saepe ex virtutibus, ſaepius ex vitiis Epiſcoporum, veritatis et religionis dignoſcitur aut propagatio, aut oppreſſio. Neque minus ſcire iuvat, quomodo variis temporibus et locis eccleſia fuerit inſtituta, quomodo gubernata. Quibus quidem de cauſſis utile ac periucundum ſuſcepit negotium Vir reverendus atque doctiſſimus, *Mattheius*, in conſcribenda de Epiſcopis Sardis hiſtoria. Haec etſi iam ſaepe ab aliis viris fuit et incepta, et exſpectata: tamen eos, tam operis difficultates, quam gravioris momenti rationes, a perficienda amoverunt. Inter hos, qui hiſtoriae de Sardiniae ſacris conficiendae conſilium ceperant, eminent Vghellius et Nurra, quorum ex monumentis ad rem ſuam congeſtis multum Noſter ſe profeciſſe fatetur. Miramur praeſertim huius viri non modo inſignem in plurimis variique generis perlectis hiſtoriis diligentiam ac induſtriam; ſed animum etiam a partium ſtudio, et a praeconceptis opinionibus alienum, quo ubique expiſcatus eſt veritatem, et vel ad eccleſiarum Proteſtantium Scriptores tranſire non abhorruit. Sed iam ad ipſam *Sardiniam ſacram*. Hanc praecedit de Sardinia, eiusque eccleſiis diſſertatio, in quinque capita diviſa. Primum Inſulae ſitus, nominis, amplitudinis, ac fertilitatis continet deſcriptionem; ſecundum pluribus verbis variam narrat Sardiniae fortunam, a Chriſto nato usque ad hoc tempus. Multa quidem docte profert Vir Cl. ſed in rerum enarratione, quae ad profanam magis, quam ad ſacram ſpectant hiſtoriam, iuſto longior nobis videtur. Monet primum, Sardiniam ſub religionis Chriſtianae exordia in Romanorum, quibus a Carthaginenſibus tradita erat, poteſtate fuiſſe, ſimulque cum Corſica unam conflaſſe inſulam. At ineunte Saeculo eccleſiae ſecundo disiunctae fuerunt, poſteaque ſeparatim adminiſtratae. Cum dein Saeculo V. in Africam penetraſſent Vandali, inſulas quoque proximas, in quarum numero fuit Sardinia, de-

bella-

vallarunt. Eodem Saeculo Vandalis ex Africa a Iuſtiniano Imperatore pulſis, Sardinia Beliſarii ope recuperata eſt. Poſtea a Gothis fuit ſubacta; ſed extincto quoque in Italia Gothorum regno, cum aliis inſulis attributa eſt Imperio orientali, cui plures annos ſubiecta fuit, donec nimirum Saraceni illam Saeculo octavo medio invaderent, eique everſionem inferrent atque depopulationem. Hic variae virorum doctorum de Saracenis ſententiae diſcutiuntur. Tandem Iohannes XVIII. aegro ferens animo, Sardiniam ſub gravi Saracenorum iugo detineri, annum circiter MIV. diploma emiſit, quo eandem inſulam, quicunque a Maurorum immanitate liberaſſet, concedebat. Pontificis munificentia allecti Piſani, Sardiniam ingenti claſſe invaſerunt, et brevi tempore, barbarorum copiis disiectis, tota regione, quam petierant, potiti ſunt. Expugnatam Piſani Sardiniam in quatuor Dynaſtias diviſerunt, Calaritanam, Arborenſem, Turritanam, et Gallurienſem, quarum cuique peculiaris datus eſt Iudex, qui rex ſubinde vocatus fuit. Comprobatur litteris Gregorii VII. Rom. Pontif. Orzaco Iudici Calaritano datis, praeter eccleſiam Romanam et Iudices, neminem alium ius aut ſupremum, aut ab altero dependens, habuiſſe in Sardinia. Sed quo Romani Pontifices maiorem dabant operam, ut eccleſiae ſervarent memoratam inſulam, hoc magis Piſani non ceſſabant omnia movere, ut eidem ipſam eriperent, multumque fuit dimicatum. Varia haec certamina commemorantur copioſe. Iam de Iudicibus ſeu Regibus Calaritanis occurrit narratio, quam quidem Vir doctiſſimus non omnibus numeris abſolutam, nec integra ſerie cohaerentem, ſatis ingenue fatetur. In his ſunt Guillelmus, Hugo, Torquitor, Orzoccor, Arzo, Conſtantinus I. Turbinus, Marianus, Conſtantinus II, Petrus, Gulielmus, Benedicta, Chianus, Gulielmus, de quibus, quae quisque memoria digna egit, quoad ex obſcuris rerum monumentis colligi poterant, breviter exponuntur. Eodem ordine novendecim Iudicum ſeu regum Arborenſium nomina enumeran-

merantur, in quibus eminet Bariſon, de quo nuper ſcripſit Collega noſter, *Carolus Andreas Belius*, Iuris Doctor et Poeſeos in Academia Lipſienſi Profeſſor Publ. Ord. Sequuntur regum Turritanorum nomina, tredecim; Gallurienſium denique totidem, de quibus parum praeclari aſſeri certe poteſt. Caput tertium agit de tempore, quo Sardi colere inſtituta religionis Chriſtianae coeperunt, a quo ea edocti ſint, atque de ſtatu doctrinae catholicae in Sardinia usque ad Saeculum praeſens. Quanta in Viro Cl. ſit diiudicandi vis, quantumque a credulitate et ſuperſtitione remotum veri ſtudium, vel ex his, quae ſequuntur, ipſius verbis perſpicitur: „Verum (de ſuſpecta nimirum ſermo eſt
„inſcriptione, ex qua Bonifacium, Chriſti diſcipulum, pri-
„mum in Sardinia Evangelium praedicaſſe nonnulli volue-
„runt demonſtrare,) non immerito de hac, aliisque huius
„generis inſcriptionibus, quibus Sardi multa impleverunt
„volumina, ambigitur. Ego laudatam inſcriptionem nec
„refellere, nec probare audeo. Non refellere, ſiquidem nec
„litterarum forma, quam non vidi; nec verba, quae in ea
„expreſſa ſunt, certum mihi exhibent argumentum, per
„quod illam inter aniles fabellas, ignarorumque hominum
„impoſturas, optimo iure numerare queam: non probare,
„nam haud me fugit, quam nonnullis ſolemne ſit, inſcriptio-
„nes, et alia monumenta confingere, praeſertim ad pro-
„priae patriae et *eccleſiae antiquitatem oſtentandam, aut pro-*
„*priae nationis numerum Sanctorum augendum.*" Quis haec a coenobii Alumno, in Italia commorante, dicta, quis ſcripta, et Romae in lucem edita putet? Neque minus eſt viri prudentis, ac hiſtoriae ſcriptoris, ubi veri aut falſi non ſatis clara apparent veſtigia, iudicium habere in ſuſpenſo. Quoniam non ſatis ex hiſtoriae monumentis conſpicitur, quo tempore Chriſtiana apud Sardos religio initium ſumſerit, Vir rever. vagis non aſſenſus opinionibus, rem reliquit indeciſam. Catholicam tamen fidem ab antiquis temporibus in Sardinia fuiſſe diſſeminatam, fatetur lubenter. Sub

Impe-

Imperatoribus Idolorum cultoribus plures, qui Christo ſerviebant, iam fuiſſe in Inſula, ex multis colligit Martyribus ibidem crudeliter interfectis, antequam Conſtantinus M. pacem redderet eccleſiae. Hinc de Martyribus Sardis oritur diſſertatio, quam Theologorum ſubiectam volumus examini; neque minus quam probabilem putat Vir doct. conjecturam, religionem Chriſtianam ſub Saeculi primi finem illatam eſſe in Sardiniam. Quo ſtatu fuerint ibidem res eccleſiae poſt medium Saeculum V., ubi a Vandalis inſula fuit occupata, difficile eſt explicatu; quoniam, quae hoc indicare poſſent, monumenta, aut litteris conſignata non fuerunt, aut a vetuſtate confecta ſunt. Veruntamen aſſerere ſibi poſſe videtur Vir rev. res Chriſtianorum tunc temporis fuiſſe miſerrimas, et religionem ferme proſtratam. Saeculo VI. fides Chriſt. magis in Sardinia propagata eſt, ſimulque ibi etiam monaſtica coepit florere diſciplina. Primo Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, hortante praeſertim Gregorio Magno, et poſt eum alii, conſtruxerunt multa tum virorum, tum mulierum monaſteria. De Sardorum ſacris plura commemorat Vir doct. in primis cum eſſent ſub Saracenorum iugo. Sub finem Capitis III. queritur, Saeculo XIII. peſtifera Haereticorum lue vexatam Italiam. „Pontifices (inquit) quibus usque curae fuit tam horrendum „monſtrum non coercere ſolum, et reprimere, ſed con„vellere prorſus et extirpare, atque hoc pacto Italiam in „antiquum ſtatum reſtituere, non humano conſilio, ſed di„vinitus, ſanctae inquiſitionis officium inſtituere.“ Plane non videmus, qua ratione homo in litterarum et religionis ſacrariis nutritus, inſtitutum iſtud, quod non ad errores refutandos, ſed ad errantes miſere cruciandos ac necandos fuit excogitatum, non ſolum probare potuerit, verum etiam quaſi divinitus ortum praedicare. Quartum Caput numerum eccleſiarum Sardiniae deſignat; quintum denique, quot fuerint in Sardinia Metropolitae ante Saeculum X, enarrat, ſimulque disquirit, quando haec inſula Metropoli-

 tam

tam primum adepta ſit, et in quas ille eccleſias extenderit iu-riſdictionem. Finita de Sardinia eiusque eccleſiis diſſertatione, ſpecialem de quavis eccleſia, illiusque epiſcopis, ſermonem inſtituit doctisſimus Mattheius; Primo loco poſita eccleſia *Calaritana*, cuius deſcriptioni praemiſſa eſt narratio de oppido Calaris, omnium in Sardinia nobilisſimo, ac antiquiſſimo; de praeclaris viris, inibi natis; de civium numero, de aedificiis, et monaſteriis. Recenſentur ab initio quidam Epiſcopi et Martyres, quos quidem dubios et commentitios putat Vir rever. omnino tamen omittere noluit, relinquens Lectoribus quodcunque de iis ferre libuerit iudicium. De quo certi aliquid conſtat, primus eccleſiae Calaritanae Epiſcopus fuit Quintaſius, qui anno CCCXIV. interfuit Concilio Arelatenſi I. adverſus Donatiſtas celebrato. Hunc excipit Protogenes, qui in Nicaena Synodo fuit, ut illius Acta indicant. Iam, qui in Calaritana floruerunt eccleſia Archiepiſcopi, continenti ordine ſiſtuntur, et quidquid in vitis illorum praeclari conſpicitur, modo paucis, modo pluribus exponitur verbis. Sunt primarii eccleſ. Calaritanae Antiſtites Lucifer I. acerrimus religionis adverſus Arianos defenſor, legatus pro cauſſa Athanaſii ad Conſtantinum Imperatorem, quatuor exilia paſſus; Lucifer II, de quo parum certi poteſt aſſeri; Primaſius, qui doctrina et egregio concionandi dono excellebat; Thomas I. cuius nonniſi nominis non facit mentionem hiſtoria; Ianuarius, quo familiarisſime uſus eſt Gregorius M. quem dein ob morum levitatem anathemate petere voluit Pontifex, ſed ſeni pepercit; Deus dedit, quaſi a Deo datus eccleſiae vir multa vitae ſanctitate clarus; Iuſtinus, de quo nihil memoria dignum praedicatur; Citonatus, qui Concilio Conſtantinopolitano II. interfuit; Thomas II. qui commentitius putatur; Iacobus I. qui paſcere barbam in deliciis habuit, ideoque Gregorii VII. Pont. Rom. iram et reprehenſionem in ſe excitavit; Lambertus, qui praeter aliquod Anathema, quod firmavit, nihil egit; Hugo I. Gualfredus;

Felis, Guillelmus, Petrus I. Bonitus; qui diverſo in Monachos fuerunt animo; Rieus, qui plurimae fuit ſagacitatis ac prudentiae in pertractandis negotiis, ideoque ab Innocentio III. Rom. Pont. ad multa diſſidia componenda delectus; Leonardus, Dominicus I. Hugo II. Gallus, Princivallis, Iacobus II. Gundiſalvus, Petrus II. quorum fere nulla occurrit notitia; Iohannes I. Iohannes II. Bernardus I. Didacus, Antonius I. Petrus III. Iohannes III. Franciſcus I. Ludovicus, Antonius II. Gabriel, Petrus IV. Iohannes IV. Hieronymus a Villa-Nova, Dominicus II. Balthaſar de Eredia, Antonius III. Angelus, Franciſcus II. Caſpar Novella, Franciſcus III. de Valle, Ildephonſus Laſſus Sedenus, quorum aut obſcura, aut exigua eſt memoria; Franciſcus IV. qui Seminarium pro adoleſcentibus Clericis conſtruxit, et (verbis Matthaeii) ſanctiſſimae Societati Ieſu gubernandum commiſit; Ambroſius Machinus, qui magna doctrina praeditus fuit, nonnulleque ſcripta reliquit; Bernardinus de la Caſra, invictus iuris eccleſiaſtici defenſor; Petrus V. Didacus II. Antonius IV. Ludovicus II. Franciſcus de Sobrecaſas, Bernardus II. Falletti, et Iul. Caeſ. Gondolfi, qui Archiepiſcoporum Calarit. agmen claudit, natus an. MDCCXI. Sequitur eccleſiae *Dolienſis*, eiusque Epiſcoporum, deſcriptio. Vbi olim civitas Dolienſis ſita erat, cuius vix ruinae ſuperſtites exiſtunt, nunc appellatur Sanctus Pantaleo, quod huic Martyri ſacra fuerat eccleſia Cathedralis. Gubernarunt Epiſcopi octodecim Dolienſem eccleſiam, quorum quidem hic nomina repetere non lubet. Deſcribuntur porro eccleſia *Foro-Traianenſis*, cuius duo fuere Epiſcopi; eccleſ. *Phauſinienſis*, quae totidem habuit Antiſtites; eccleſ. *Sullenſis* cuius novem Epiſcopi recenſentur. Floruit *Sulcitana* eccl. quibusdam Martyribus, et XXV. Epiſcopis, quorum acta narrantur copioſius. Praemittuntur quaedam lectu digna ex eccleſiae *Turritanae* hiſtoria, quinque Epiſcopis, et qui eos excipiunt, LXIII. Archiepiſcopis celebrata. In eccl. *Algarienſi*, poſt civitatis deſcriptionem, occurrunt XXXVI.

Epiſco-

Epiſcoporum nomina et acta. *Ampurienſi* eccleſiae XLVIII praefuerunt Epiſcopi; *Boſanenſi* LXVIII; *Coſtrenſi*, XX; *Giracienſi* XVII; *Othonenſi* XVI; *Ploaacenſi* XV; *Sorrenſi* XVII; *Arborenſi* Archiepiſcopi LVIII; *Sanctae Iuſtae* Epiſcopi XVII; *Terralbenſi* XVIII; *Uſellenſi* XLIV; *Civitatenſi* XIV; *Galtellinenſi* XIV. Diſputat denique Vir doctiſſimus Matthaeius de quinque Epiſcopis Sardis, quorum ignorantur ſedes. Accedit appendix Monumentorum, et index Sardiniae Regum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, et rerum praecipuarum. Sane habemus, cur Sardiniae rever. Virum Matthaeium, tam doctum, indefeſſum, et acutum rerum ſacrarum ſcriptorem nactae, gratulemur. Neque minus aliorum locorum litterati homines, multum Viro doctiſſimo deberi gratiarum, lubenti fatebuntur animo.

THEOCRITI RELIQUIAE UTROQUE SERMONE, cum Scholiis graecis et Commentariis integris HENR. STEPHANI, IOS. SCALIGERI, et IS. CASAUBONI. Curavit hanc editionem, graeca ad optimos codices emendavit, libros tres animadverſionum, indicesque verborum Theocriticorum addidit, IO. IACOBUS REISKE.

Viennae et Lipſiae, ſumtibus Io. Frid. Iahn. TOM. I. 1765. 4 Alph. 15 pl. TOM. II. 1766. 3 Alph. 11 pl. in 4.

Et Doricus poeta, et Theocritus nominatim, dignus erat, qui aliquando nancisceretur interpretem, cuius opera, ſuper criſin et interpretationem diviſa, et certam redderet lectionem, et intelligendi facilitate multorum ſtudia ſublevaret. Nam ſive unicum in aliquo genere exemplar mirari, ſive imitatorum conatus ad illud exigere velis, Theocritum adeundum eſt, ſimplex, ſuavis, et doctiſſimi poetae, divino quodam

quodam impetu, ad paſtoritia carmina delatus, a paucis denique felici imitatione expreſſus. Ac illis quidem interpretis partibus, quae criſi continentur, cumulate ſatisfactum eſt a Reiskio, ut iam conſtet de origine et immutationibus cuiusque lectionis, non neglecta tamen verborum explicatione; ſed parcius ad hanc, quam ad lectionis varietatem notandam, ſe dedit. Nec mirum, cum vel ſic feſtinandum fuiſſe ſaepenumero fateatur, et praeſidia quaedam lectionum conſtituendarum ſerius acceperit, quaedam vero tum demum detecta ſint, cum aliqua pars operis iam abſoluta eſſet. Sed ut de occaſione, conſilio, adiumentis, et effectione rei iudicari recte poſſit, indicandum eſt, quid de his omnibus in longa prioris tomi praefatione expoſuerit.

Numquam antea de edendo Theocrito cogitarat Reiskius, cum bibliopola, qui repetere Londinenſem a. 1729. editionem conſtituerat, eum rogavit, ut imprimendo operi praeeſſet. Suſcepto ſemel negotio, coepit ea, quae recens impreſſa erant, cum Romana editione conferre, animadverſaque non levi diſſenſione, de qua ad Id. 1, 102. infra dicemus, omnino vetuſtas editiones conſulere, hoc eſt, eas, quae Stephaniana principum gr. poetarum collectione priores eſſent. Conſuluit ergo Aldinam a. 1495, quae p. 6. praef. deſcripta eſt. In ea viderat quaedam bis poſita, alia omiſſa, multas etiam mendas, tum Cl. Schierium in editione Bionis et Moſchi ea ex Aldino libro laudaſſe, quae Reiskiano exemplo deeſſent. Communicata hac dubitatione cum Cl. Erneſtio, poſtquam imprimendo iam ad p. 223. ventum erat, mutuam accepit ab eo Aldinam, quae, etſi eundem cum Reiskiana annum inſcriptum haberet, mirifice tamen ab ea diſcreparet; cuius diſſenſionis multa et indubitata documenta p. 8. 9. praef. collecta ſunt. Eo magis deliberandum erat, utra prior eſſet, quis mutationum auctor, cur utriusque eadem praefatio. Quae cum definiri non poſſent, ambae editiones a Reiskio uſurpatae

ſunt. Romana, apud Zach. Calliergum a. 1515. curata, cum ceterarum omnium origines contineat, et ipſa a pag. 12. ad 15. praef. diligentiſsime deſcripta eſt. Vſus eſt praeterea duabus Venetis, quarum prior, eademque Salamandrina, a. 1539. edita, ſcholia habet, quibus poſterior anni 1543. quam et Farreanam dicunt, caret. Ambae Romanam ſequuntur, prorſus ſibi ſimiles, poſterior tamen mendoſior, et, Reiskio iudice, omnium Theocriti editionum vitioſiſsima. Xylandrinam ſ. Francofurtenſem a. 1558. ſatis probabilem eſſe tractando cognovit. Stephanus, qui principibus poetis graecis Theocritum inſeruit, cum nunquam laudarit ſcriptos libros, et, id quod exemplis firmat Reiskius, carmina interpolarit, ex Ald. Rom. et Florent. repetiit textum, neque ergo auctoritatem illa editio meretur. Bucolicos graecos, ab eodem Stephano a. 1579. editos, Reiskius non vidit. Ex Heinſianis editionibus, quae an e codicibus ductae aut conſtitutae ſint, non adparet, eam comparavit, quae a. 1603. octonis prodiit: lectiones Heinſii Theocriteas, nempe ſtramineas et ſtomacho ciendo comparatas, (p. 25. praef.) plane abiecit. Florentinam ac Iuntinam indagare non potuit. Relinquitur ergo, inter omnes eas, quae Reiskio in curanda hac editione ad manus fuerint, tantum Aldinam et Romanam ad criſin prodeſſe. Camerarianam editionem negat ſe vidiſſe, de qua, cum ſit inter libros noſtros, pauca adſpergemus. Eſt autem mere graeca, et, quantum e graeca praefatione ad Georgium Heltum intelligi poteſt, ſine ullo codice curata; quare veniam rogat Camerarius, ſi quid in tali dubitatione et obſcuritate expediri non potuerit. Margini coniecturae adſcriptae ſunt, quae nobis quidem videntur interdum potius veterum editionum variae lectiones eſſe. Inter ipſos verſus, etſi raro, aliquid interpretationis interpoſitum eſt. Lucanum in fine idyllii 24 et initio 25 Camerarius ex ingenio explevit: adſcripſit enim idyllio 24, Τὰ ἐλλείποντα ἀνεπλήρωσεν Ἰωαχεῖμος ἐν τούτοις, et praemiſsis 36 verſibus

idyllio

idyllio 25, poſuit, ταυτα Ἰωαχείμου. Sunt autem illi ipſi verſus, quos Scaliger in emendationibus Theocriteis tantopere contemſit. Editus eſt hic Theocritus Haganoae apud Io. Secerium a. 1531. menſe Februario.

Reliqua adiumenta Reiskii haec fuere: Chartaceus codex e bibliotheca Senatus Lipſienſis, qui priora octo idyllia continet: Variae lectiones, ex Andr. Schotti obſervationibus c. 46. et 48. Alia lectionis varietas, ad marginem Stephanianae ab aliquo notata, plerumque ex Ald. aut Romana, ſaepe tamen diverſa; ſed unde fluxerit, ignoratur: Varietas quatuor codicum Mediceorum, ab Abr. Gronovio communicata cum Reiskio: Epiſtola Valkenarii, quae Virgilio Vrſiniano cum Graecis collato acceſſit. Si quid praeterea a quopiam utiliter ad Theocritum intelligendum et conſtituendum ſcriptum eſt, id omne adhibuit: Niclaſium nominatim, Lüneburgenſis ſcholae Conrectorem, qui Theocriti edendi ſpecimen propoſuit, hortatur, ut animadverſiones ſeparatim edat, neque tamen integrum poetam repeti curet. Dolet denique, et nos ipſi vehementer cum eo dolemus, Dorvillii morte nobis editionem ab eo inſtitutam ereptam videri, niſi, quae fama fertur, doctiſſimi viri opera ab interitu vindicetur.

De mutationibus textus Theocritei, quae in hac editione occurrunt, p. 29. praef. haec ſcripta ſunt: „Lectio vulgaris a me multis locis ex Aldina et Romana reſtaurata; interdum quoque, quamquam hoc quidem parce timideque, ex ingenio meo mutata eſt. Nam Doriſmos, quos in exemplo Heinſiano inveni, reliqui; nullos novos invexi, niſi e codicum mſtt. auctoritate.“ Sequitur index trium et ſexaginta locorum, in quibus Reiskius aliquid mutavit.

Latina verſio, etſi ſaepe vitioſa, et a locis, in hac editione aliter conſtitutis, abhorrens, intacta tamen manſit,

qualis eſt in editione Londinenſi. Liber animadverſionum, verſioni corrigendae deſtinatus, et p. 93. praef. promiſſus, tamen non conſcriptus eſt. Adibunt ergo, qui latinum Theocritum volent, Helii Eobani Heſſi interpretationem metro adſtrictam, quae Haganoae a. 1530. prodiit.

Scholia ad editionem Rom. exacta, et ſubinde emendata ſunt; ſed, ut ipſe Reiskius fatetur, indiligenter.

Tomus prior continet Idyllia, quorum decimo octavo e Calliergi editione adiecta ſunt ſcholia, inde ab Heinſiana editione omiſſa: tum epigrammata, nono quatuor verſibus aucto e Graevii Lectt. Heſiodeis, uno nunc demum addito ex Athenaeo l. 7. p. 284. Ala, Securis, et quaedam alia, conſulto omiſſa ſunt, nam his nugis, una cum Stratonis Eroticis, Batrachomyomachia et hymnis Homericis, facile nos carere poſſe pronunciat.

Veniendum eſt ad alterum tomum, cuius praefatio docet, quem Reiskius in notis Vimarienſem annotatorem appellet. Acceperat autem Vimaria editionem Commeliui, cuius margini lectiones e duobus codicibus, quorum alter Nicolai Stopii fuit, et e Florentina adſcriptae erant, cum coniecturis quibusdam et annotationibus. Poſt vulgaria illa de Theocrito, et genere carminis quo uſus eſt, notitia codicum Theocriti e bibl. Monteſalconii, ſcholia Xylandri et Vimarienſis libri, Stephani, Scaligeri, et Caſauboni nobiliſſimae animadverſiones inſertae ſunt, quas a p. 145. ad 332. Reiskianae ſequuntur. Nos iam eas perſequemur, quae ad primum et ſeptimum decimum Idyllium pertinent.

Idyllium omnino eſſe putat commentatiunculam quamcumque ſcitam, ingenioſam, et quidquid artificioſe, ſubtiliter, lepide, ſeu factum manibus, ſeu mente excogitatum, ſeu calamo exaratum et verbis conceptum ſit. Cauſam

non

non ſatis idoneam illam, ut nobis videtur, indicavit, quoniam εὔβωλις ſit *ſciens, peritus*. Comparent, quibus placet, Gesneri ſententiam ad Claudiani idyll. primum. Statim in initio idyllii primi malit ἁδύ τι τοι legi, *etiam illa pinus — tibi ſuſurrat*, cum ſequatur, *ſed et tu dulce canis*. Verum τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς per illud καὶ ita arcte iunguntur, ut particula aliorſum trahi nequeat; ut taceamus, ἁδύ τι μὰν ſcribendum fuiſſe, ſi ad ἁδὺ δὲ referendum videretur. Ad v. 7. cum Lamb. Boſio, a quo, iudice Reiskio, multum ſperare Theocritus potuiſſet, καταχὲς *perquam ſonorum* interpretatur. V. 11. ſuadet, αἴξει vel αἴξῃ ſecunda perſona legere; ac profecto v. 9. poeta ipſe ἄγωμαι in medio poſuerat. Poſſis ἃ τοι μορῖται v. 13, et κεισύβιον v. 22. ſuſpicari; nam ibi diphthongus, hic media anceps eſt: de metro autem paulo liberius ſtatuit Reiskius. Ceterum κισσύβιον in quibusdam libris repererat. Κεκονισμένος, ſive, ut eſt in Lipſ. codice, κεκονιμένος, ſignificat v. 30. incruſtatum κονίᾳ, tectorio, quali parietes a caementariis incruſtantur, et helichryſum cum Niclaſio de auripigmento poterit intelligi. Illud nobis plane probatur, quod ὧδε pro αἱ δὲ v. 45. e quibusdam libris reſtitutum eſt: *adeo tument venae*. V. 51. poſt ἐπὶ ξηροῖς intelligit σιναρίοις ſeu ἰδιώμασι. Sed quod etiam intellecto verbo λίθοις ſic poſſe ſententiam expleri arbitratur, *in loco duro et incommodo collocare*, id vulpem nimis ſubtiliter ratiocinantem inducere videtur; ac ne apparet quidem ſatis dilucide, quam vim hoc in illa ſententiarum ſerie habeat. Si Mediceorum codd. varietatem citius accepiſſet, τῶ pro τὺ v. 57. e duorum auctoritate poſuiſſet, ut v. 66. εὖθ', h. e. ἦτε, pro ἦσθ' ex Ald. et Lipſ. MSto recepit. Quodſi v. 63. αἰ ἄγαν εἰς malis, quae Reiskii coniectura eſt, in verbis αν et εις extrema cum primis coaleſcent. Ζατεῦσα δόατρας v. 85. ſcripſit, ſuadente Lipſ. et Aldina, et ſequenti verſu, propter multorum librorum conſenſum, μὲν pro μὰν, nam Heinſius demum μὰν invexerat. Aldinae debemus, quod v. 96. Βαρὺν, i. e. βαρύνοντ' ſ. βαρέα edidit:

edidit: erat enim in illa *βαρήν*. Cum in omnibus antiquis editionibus v. 102. *ἄλιος* et *δεδύκει* reperiſſet, pro quo *ἅλιον δεδύκειν* in recentiores venerat, ſed de diſtinguendo laborari ſciret, locum ſic conſtituit: *Κύπρι - - - ἅλιος ἄμμι δεδύκει*, *morti proximus ſum*: tum includit verba, *ἤδη γὰρ φράσδει πάνθ'*, *nam omnia loquuntur* ſc. vicinam mortem. Et Cameraria habet *ἄλιος* ac *δεδύκει*, quamquam adiecta ibi interpretatio non placet, quae *ἤδη γὰρ φράσδει πάνθ' ἅλιος* ad detectos a Sole amores Veneris et Martis refert, toto loco ſic accepto: *Κύπρι — — ἄλιος. ἄμμιν δεδύκει Δάφνις, κεῖν — —* Mox *ἄλγος ἔρωτος*, non *ἔρωτι*, eſt *ulcus Cupidinis*, i. e. res eum excrucians. Tribus verſibus poſt, ubi in omnibus *λέγεται* ſcribitur, ponendum tamen cenſet aut *λέχεται*, *lecto accipit*, aut *δέχεται*, *hoſpitio excipit*; ſed nulla mutandi cauſa indicata eſt. Scholiaſtes locum recte intellexit. Neque porro, quare *ἄντας* cum *αὖτις* v. 112. mutandum ſit, nos quidem videmus. Cum *φέρε* v. 128. ſit, *aufer*, ideoque medium ponendum, mutari poſſe *φέρ' εὐπάκτοιο* in *φέρεν πακτοῖο* arbitratur. Denique, cum et nobis hiare ſententia v. 140. videatur, probamus coniecturam, quae *ἔκλυσε* in *ὧ* (i. e. *οὗ*) *κλύσε* mutat, *cuius rivi vortex eum obruit*.

Dicemus de carmine ſeptimo decimo, quod plane ex alio genere eſt. Vix probet aliquis v. 8. *ὕμμες* ex Aldina, quo loco nunc *ὕμνοι* legitur, etſi Reiskius illud defendi poſſe putat, ſi de Muſis accipiatur: Vos, Muſae — Sed deſierat iam Theocritus de Muſis dicere, veneratque ad poetas: Ergo *ὑμνήσαιμι* et *ὕμνοι* nimis arcte cohaerent, quam ut alterum loco moveri poſſit. Difficilis eſt locus, cum ad interpungendum, tum ad explicandum, qui v. 12. occurrit. Reiskius, finita verſu 11. ſententia, non docet quidem, quid ſit *ἐκ πατέρων*, nec quorſum *μὲν* poſt *πατέρων* referatur; ſed *οἷος τελέσαι ἔργον* et *οἷος νοῆσαι* oppoſita iudicat. Ergo hoc videtur velle: *Et perficere et excogitare poterat*, inde debebat *ἂν ὐκ ἄλλος ἀνὴρ* includere commatibus, et repetere intelligen-

telligendo ἐγκαταθέντα. Si enim haec: *Quod nemo alius excogitare poteſt*, uno nexu iunguntur, quo modo poterunt οἷος τελέσαι et οἷος νοῆσαι oppoſita dici? Nobis etiam finiri ſententia verſu 11. videtur, ἐκ πατέρων autem ſic dictum: *Quod ad parentes eius attinet*, ſeu, *ut a parentibus incipiam*. Reliqua ſic procedent: Qualis tandem Ptolemaeus erat! atque ad hoc referetur v. 34. Quam autem Berenice eminuit! Οἷος ἔην Πτολεμαῖος. Οἵα δ' ἔπρεπε Βερενίκα. Atque hanc ipſam ob cauſam malimus cum Florent. et Steph. v. 12. Ἐκ πατέρων οἷος μὲν ἔην — pro quo Aldinae lectionem Ἐκ πατέρων μὲν, οἷος ἔην — Reiskius revocavit. V. 19. e coniectura Caſauboni, et veſtigiis τοῦ αἰολομίτρας, edidit αἰολομίτρας, et ἄγουσα γεννήτου v. 39. Quare v. 50. ἑὰς τιμὰς pluralis eſſe debeat, quare item, ſi genitivus eſſet, pluralis poſtularetur, cauſam non commemoravit; ſed edidit ἑὰς τιμάς. Non probat v. 52. ποθέοντι, ſed aut προπιτνόντι vult, *prolapſo in genua*, aut ποτέοντι, i. e. προσιόντι, eſſe enim ἔειν idem quod ἰέναι, et ἔοντα ſimile τῷ ἰόντα, ac utrumque de adoratione intelligit. Nos tenuerimus ποθέοντα, quod ita molliſſimo cum ſenſu ἤπιος deſcribitur, quae deſiderio adamati commotis, i. e. ardentibus et ſollicito amoris timore plenis, leves curas dat, demta anxietate, ut iucunda cura reſideat, quales ſunt *lenes amantium curae*, apud Horatium, ni fallimur. Sed quid tandem eſt, quod v. 69. καὶ Ῥηναῖαν ferre nequeat, et Κυρηναῖαν ſcribendum ſuſpicetur? Aut quid negat conſtare, Rhenaeam Apollini caram fuiſſe? Non poterat ignorare, Rhenaeam, Delo adhaerentem (Thucyd. 3, 104.), ſacram Apollini fuiſſe. Ergo Apollo Delius vicinam Rhenaeam ἐφίλησε, h. e. ἐτίμησε. V. 72. ὑπαὶ putat mutari poſſe in ὑπέκ. ibidem eſt e libris μέλοντι αἰδοῖοι βασιλῆες reſtitutum, quod haud dubie verum eſt. Χθαμαλῆς Αἰγύπτω indicare videbatur Medicei quarti ſcriptura: itaque poſitum eſt in textu v. 79, etſi vulgata non damnatur. In enumeratione urbium v. 82. ſqq. eſſe quidem πόλιν locum, quemcumque, in quo ſocietate iuncti quidam vivant, docet Reis-

kius;

kius; ſed vel ſic numerum immenſum eſſe. Nos etiam ſemper haeſimus hoc loco, inprimisque illud epiphonema, Τῶν πάντων Πτολεμαῖος ἀγάνως ἐμβασιλεύει, ferre non potuimus. Ἑταῖροι v. 111. ſunt milites cum imperatoribus, omninoque qui regum amici dicuntur. V. 121. ſq. hoc modo edidit: Μούνοις δὲ προτέρων τοκέων, ὧν θερμὰ κονία στειβομένα καθύπερθε ποδῶν ἐκμάσσεται ἴχνη, — Itaque ὧν poſuit ante θερμὰ, pro ἔτι, quod ab Aldina abeſt, ſed μούνοις non recepit, etſi ſic legendum putat, et certo ſcit, Theocritum ſic ſcripſiſſe, cum in fine ſyllaba οις anceps ſit. Verba autem ſic ordinat: Πτολεμαῖος εἵσατο ναοὺς ματρὶ καὶ πατρὶ, μόνοις πάντων τῶν προτέρων τοκέων (omnino maiores intelligit), ὧν κονία στειβομένη ἐκμάσσεται τὰ τῶν ποδῶν ἴχνη, i. e. quorum cinis veſtigia calida hominum ſuper ſe ambulantium impreſſa accipit. Atque hac ultima formula loquendi loco circuitionis uſum eſſe poëtam, cum *mortuos parentes* dicere voluiſſet.

Index aequat integrum tomum primum plagularum numero, quo modo certe ſine ulla cauſa, aut utilitatis ſpe, pretium libri mire auctum eſt. Nec ſatis efficax eſt ad excuſationem, quod, cum is, cui eius colligendi negotium impoſuerat Reiskius, male ſedulus fuiſſet, editorem piguit inutilia reſecare. Facillimum erat, ea tollere. Sed nimis aperte fatetur Reiskius, contra quam voluerat haec eveniſſe, quam ut reprehendi magnopere poſſit.

Tertius animadverſionum liber, quem, ut pag. 34. praef. To. prioris dicit, ſcholiis decreverat, non ſcriptus eſt. Itaque cum et alter, quo verſionem tractare conſtituerat, non abſolutus ſit, in titulo poſterioris tomi tantum *librum* animadverſionum indicavit. Vtriusque omiſſio feſtinationi tribuenda eſt, quam permultis in locis excuſavit.

ABUL-

ABULFEDAE TABULA SYRIAE CUM EXCERpto Geographico ex Ibn Ol Wardii Geographia et Hiſtoria naturali, Arabice nunc primum edidit, latine vertit, notis explanavit, IO. BERN. KOELER. Acceſſere IO. IAC. REISKII animadverſiones ad Abulfedam, et Prodidagmata ad Hiſt. et Geographiam orientalem.

Lipſiae literis Schoenermarkii 1766.
Recenſionis pars altera.

Ad celebriores urbes (pag. 16.) pertinet quoque Merg Rahet. Auctor libri, qui al Moſchtarech inſcribitur, docet, ſitam eam eſſe in Ghutha Damaſcena verſus orientem. Praelio ibi congreſſos a. H. 64. dimicaſſe Iemanitas cum Kaiſitis; quo illis quidem ſub duce Merwano, filio al Hakemi, vincentibus, his in fugam datis, conſtitiſſe ſummam poteſtatem illi Merwano. Multi ſunt poetae in depraedicando hoc proelio, et urbe Merg Rahet. Koehlerus V. Cl. quae eſt ingenii eius excellentia, in annotatione 73 ſcribit: ي videri delendum eſſe, et vertendum, in proelio *apud* Merg Rahet. Eandem elegantiae laudem meretur coniectura annotationi 75 adiecta. Deſcriptionem montis Libani (p. 18.) omittimus. Aazaz, (pag. 23.) arx et praefectura celebris, ſita eſt in ſeptentrionem Chalebi, cum inclinatione ad occidentem. Agrum ſuburbanum eſſe pulchrum, ſalubrem, ut nullum alium fertilem, tradit Ibn Said, ipſamque eſſe ex amoeniſſimis tractus huius urbibus. Legimus in al Lobabo: Aazaz eſt ex praefecturis Chalebenſibus et arx Chalebo vicina, de qua canit poeta: cor meum eſt Thel Aazazae cum dorcade (puella) maxime agili. Chonaſarat (p. 24.) erat ſedes regia Omari, filii Abdi 'l Azizi, Chaliſae ex gente Ommidatum. Dicit Abulfeda, (p. 35.) Ierichuntis mentionem fieri in libris Iſraelita-

 rum.

rum, eamque eſſe urbem antiquam, expugnatam olim a Ioſua filio Nun. Ex nomis Syriae eſt etiam, qui quatuor millia orientem verſus ab hac urbe diſtat, fluvius Iordanes. Tradunt Chriſtiani, in eo baptizatum eſſe Mesſiam. Prope Ierichuntem ſunt quoque fodinae ſulphureae, neque alibi uspiam tota Palaeſtina fodinae ſunt ullae. Seritur ibi glaſtum, unde Annil, ſuccus vulgo Indicus, conficitur. Sequitur inde a pag. 37. ſextum clima geographicum, quae eſt terra Syriae. In quo quidem enarrando non verſabimur, relicturi Geographo, Matheſeos maxime gnaro, perlegendum illud, et diſcutiendum, et aliis commendandum. Invenies enim in eo nomina locorum, de quibus in deſcriptionibus et narrationibus generalibus uberius dicetur; nomina eorum, qui de his civitatibus expoſuerunt; gradus et minuta tam longitudinis, quam latitudinis; clima naturale et geographicum. Progredimur potius ad deſcriptiones et narrationes illas generales, a pag. 75 - 144. Ghazzae, (p. 77.) auctore Ibn Chaukel, ſepultus eſt Haſchem, filius Abd Menaf, natus eſt as Schafei, et captus Oomar Ibn al Chhattab ante Islamismum. Erat enim haec urbs tum recens occupata ab Chegiazenſibus. Eſt ea mediocris magnitudinis, cincta hortis, ſita in littore. Aliquantulum palmarum ibi eſt; vineae ſunt laetae. Dirimitur a mari tumulis arenaceis, qui porriguntur verſus linguam (portum) eius, muniturque arce parva. Ex hac poſteriori phraſi iam in novis litterariis anni 1766. illuſtravimus Ioſuae XV, 2. Recte editor clariſſ. duplicem Gazam conſtituit, alteram palaeo Gazam Aegyptiacam, Rhinocoluram inter et Peluſium ſitam, de qua intelligendum eſt illud, quod Lucae VIII, 6. αὕτη ἐστὶν ἔρημος; alteram Syriacam, Neogazam, ſeu ſimpliciter Gazam dictam, affertque K. ſcriptores, qui de utraque locuti ſint. Idem eleganter ad Abulfedae de Aſcalone narrationem annotat, ſponſam Syriae fuiſſe eam olim vocatam, (quod iam Golius et Schultenſius viderunt,) cauſamque huius ſplendidi tituli, urbi dati, quod eſſet validiſſimum

mum et inſuperabile, quaſi non vitiatum: eſſe porro eandem imaginem frequentem Hebraeis vatibus, qui et rempublicam ab hoſtibus vexatam, et everſam, feminae proſtitutae comparare ſoleant. Iaſa (p. 80) eſt urbs parvo circuitu, maritima, quae portubus celebrioribus accenſetur. Fuit olim arx inſignis, gaudens mercatibus olim copioſiſſimis, plena procuratoribus mercatorum, inſtructa portu ingenti, ſtatione navium Palaeſtinam contendentium, et inde omnes alias regiones petentium. De Aacca nonnulla habet Abulfeda (p. 81.) notatu digna: iam, inquit, deſolata iacet, ex quo Moslemi illam Francis eripuerunt, quod factum eſt anno 690. Ipſe huic expugnationi interfui, meruique hac militia palmam defenſoris fidei. Quae idem ille de Samaritanismo orto in medium protulit, melius quidem ab aliis, praeſertim a Ven. Carpzovio, in Critica ſacra veteris teſtamenti, dicta ſunt, nec vero cognitu indigna. Scilicet de Neapoli, (p. 85.) quae minime eadem eſt cum Samaria, ſed potius Sichemi locum tenet, bene obſervante Koehlero, locutus, haec addidit: Al Azizi narrat, Ierobeamum, quum fretus auxilio decem tribuum inſurgeret contra liberos Salomonis, filii Davidis, ibi conſediſſe, templumque ingens in monte Neapolitano exſtruxiſſe. Abrogatis enim Davide ac Salomone, aliisque prophetis Iſraelitarum, acquievit in auctoritate Moſis atque Aaronis et Ioſuae. Praeſcripſit vero Samaritis formulam ſacrorum, prohibuitque eos ab itinere ſacro Hieroſolymam, ne cognoſcerent dignitatem gentis Salomoneae, ex eoque animis abalienarentur a Ieroboamo. Ex hoc tempore exſtitit lex Samaritica, quae antea nulla fuerat, cui dediti proceſſionem religioſam transtulerunt ad montem Neapoli ſuburbanum. Boſzrae mentio fit p. 99. ut urbis praefecturae Chauran antiquiſſimae, et conſtructae ſaxo nigro et contectae, habentis arcem firmiſſimae ſubſtructionis, aedificatam ad inſtar arcis Damaſcenae. In nota huic paginae adiecta, triplicem Boſzram commemorari in libris Arabum, animadvertit

tit editor. Etenim alia eſt Africae urbs, alia Chaldaeae, haec vero Boſzra, quae et ſcriptura ab his diſtinguitur, eſt Boſzra veterum, metropolis olim Arabiae, quam Relandus in Palaeſtina eandem putat cum בעשתרת, Beeſtera Scripturae. Ghuthat, (p. 100.) ſive vallis Damaſcena, inter quatuor illa tempe refertur, quae praeferuntur omnibus reliquis ab amoenitate celebribus terrae locis. Ad ſeptentrionem eius eſt mons Kaſiun, apud quem Cain dicitur Abelem fratrem occidiſſe. Baalbekh (p. 103.) urbs eſt antiqua, muris cincta, cum arce munita et ampla; gaudet arboribus, rivis, fontibus, et copia rerum bonarum omnium. Eſt illa, ait al Aazizi, urbs inſignis, vetuſta, cum templo paganae ſuperſtitionis, quod Sabii dicunt a ſe eſſe exſtructum, et in maximo honore habent. In aunotatione 136. editor dicit, ſe ſaepius animadvertiſſe, Arabes perinde ac Hebraeos, in enarrandis familiarum originibus, membra intermedia omittere ſolere. Chamat (p. 108.) civitas eſt antiqua, cuius mentio in libris Iſraelitarum inilcitur. Accenſetur amoeniſſimis Syriae urbibus. Orontes ambit urbis longe maximam partem, a latere orientali ac ſeptentrionali. Gaudet arce pulchre ſtructa, et excelſa. Intra ipſum oppidum multae ſunt molae aquariae, et machinae, quibus aqua e rivis in canalem attollitur, unde maxima pars hortorum rigatur, et rivi in plurimas domos derivantur. Al Aariwi, in libro quem Analecta inſcripſit, urbem eam appellat antiquam, cuius mentio fiat in Pentateucho. Hoc oppidum, una cum Schaizara, hac peculiari nota inſignitum eſt, ut prae caeteris Syriae urbibus abundet machinis aquariis. Eſſe vero hanc حماة Scripturae חמת, Abulfeda haud perſuaſit editori, qui potius Harenbergio in Amoſo propheta illuſtrato ad c. VI, 2. p. 334 ſq. aſſentitur, clare oſtendenti, illam nec Antiochiam, nec Epiphaniam putari poſſe, ſed eſſe eam, quam Graeci deinde Heliopolin vocarint, hodiernam Baalbekh. Antiochia (p. 115.) urbs eſt magna, praedita fontibus, ingentibusque moenibus cincta, complectens ambitu ſuo ſeptem

montes

montes, et arcem. Sub urbe decurrit Orontes, et fluvius al Aſwad, qui ibi coeunt. Ibidem ſepulcrum eſt Chabibi'n Nagiari, i. e. fabri lignarii. Antiochiam docet Ibn Chaukel eſſe ex amoeniſſimis Syriae urbibus poſt Damaſcum, quam, una cum monte ei imminente, moenia ex ſaxo vivo amplectantur, et aquam, qua oppidani utantur, derivari in domos, ſemitas, ac Baſilicam. Habere Antiochiam villas et vicos tractusque uberrimos. Ambitum moenium narrat al Azizi eſſe duodecim milliarium. Iacet in via media, quae a Maarra ad Chalebum tendit. Charem (p. 116.) eſt urbs exigua, arce munita, arboribus gaudens et fontibus atque amne parvo. Ibn Said ait eſſe locum uberem et divitem annonae, abundantemque inprimis proventu quodam proprio malorum granatorum, ex eo genere, quod ita pellucidum eſt, ut meditullium vel pomo integro perſpici poſſit, quod genus careat granis, et ſucco abundet. Aintab, (p. 121.) quae, quantum ex ſitu vrbi ab Abulfeda tributo colligere licet, veterum Antiochia ad Taurum eſt, urbs eſt pulchra et magna, cum arce in ſaxo vivo exciſa, et munitiſſima. Aquis hortisque abundat, eſtque metropolis ſui tractus. Nundinae ſunt ibi inſignes, quare aditur a mercatoribus et peregrinantibus. Tharſus, princeps olim Ciliciae civitas, Pauli apoſtoli patria, p. 133. deſcribitur. Sequuntur inde a pag. 145. Supplementa tabulae, ex prolegomenis Geographiae Abulfedinae petita, quae tribus abſolvuntur capitibus, ſed brevibus. Eorum primum agit de fluviis Syriae pag. 147. ſecundum de lacubus eius p. 155. tertium de illius montibus p. 163-166. In fluviis habentur Iordanes, Orontes, in quem multi alii defluunt, al Gialhan, qui magnitudine ad Euphratem prope accedit, et Saihan. Fluvius Hamatae (p. 149.) et Orontes audit, et fluvius inverſus, quod ab auſtro in ſeptentrionem fluit, et rebellis, quod cum pleraque flumina ſine illo machinarum genere, quod Daulab vocant, alioque quod Naur appellant, terras rigent, adeoque per ſe in campos exundent, ipſe

 agros

agros rigare, niſi ope machinarum illarum, recuſat. Non poſſumus, quin annotationem Cl. editoris hic ex parte deſcribamus. Habemus hic, inquit, notabilem de machinis, quae in Oriente ad extrahendam e fluvio aquam, inque agros effundendam, adhiberi ſolent, narrationem, (quae tamen vox incuria omiſſa eſt,) de quibus etiam Arabiam felicem petentes monuit illuſtr. Michaelis, quaeſt. 41. p. 132. Harum iam mentio fit in Ammiano Marcellino l. 24. c. 11. ſub cataractarum nomine, quae vocabuli ſignificatio vulgo minus nota eſt. Citantur alii auctores has machinas copioſius depingentes. Itaque illa quaeſtio, ut plures aliae, ſupervacanea non fuit. Lacubus Syriae annumerantur al Bakai, Banias, Tiberiadis lacus, Zogar, Damaſcenus in orientali Guthae parte, Cadas, qui idem eſt cum lacu Emeſſeno, Apameenſis, et lacus Antiochiae. In lacum Zogar, (pag. 156.) alias foetidum dictum, infunditur Iordanes, neque rurſus exit, ſubſidentibus ibi fluvii undis. Vniverſe nihil rivorum ex eo lacu rurſus exit, ſed ibi diſpereunt omnes illae aquae. Neque animantium ibi quicquam eſt, neque avium, neque piſcium. Quae quidem omnia ſatis nota, iucundum eſt ab Abulfeda confirmata legere. Iam de montibus tacemus. Progredimur ad excerptum geographicum, de Terra Syriae exponens, ex Ibn ol Wardii Geographia et Hiſtoria naturali. Damaſcus (p. 171.) inter caeteras Syriae civitates in primis nobilem locum tenet, pulcherrimisque ſplendet ſubſtructionibus, coeli utitur temperie benigna, et aquis abundat. Eſt vero urbs illa princeps Syriae, gaudens al Ghutha ſeu valle, qua pulchrior fere non reperitur. Excelſis etiam arcibus munitur regio Damaſcena, et vicos habet ſimiles urbibus. In ipſa quidem urbe templum eſt, quod nomen traxit a filiis Ommiat, cuius ſimile in mundo non invenitur. Exſtruxit illud al Walid, filius Aabd al Malekhi, qui in opus hoc multum profudit ſumtuum. Etenim omnem impenſam, quam in illud fecit, accepimus fuiſſe 400. ciſtarum auri, quarum

rum unaquaeque comprehenderit 1400. denarios ſ. ſolidos aureos. Conquiſivit autem undique, ad templum marmore veſtiendum, 12000. hominum. Ita vero ornatum illud eſt variis gemmis ſcalptis ac limatis, marmoribusque levigatis, et concha veneris perpolita. Illas quidem, quae ſub cuppula aquilae conſpiciuntur, duas columnas, 1500. denariis emiſſe dicitur al Walid. Sunt vero diſtinctae ſtriis rubris, neque facile habent ſui ſimiles. In Mechrabo, ſeu adyto templi, duae ſunt columnae parvae, quae dicuntur olim fuiſſe in threno Balkiſae, reginae Sabaeorum. In Menaram templi orientalem deſcenſurum aliquando dicunt Meſſiam. Iuxta hanc quoque fruſtum lapidis eſt illius, quem Moſes feriiſſe dicitur, unde etiam nunc prorumpant ex eo duodecim fontes, etc. Ad hoc poſterius recte annotat Cl. editor: habemus igitur et noſtrum hiſtorielae huius teſtem, quanquam non magni ponderis, et in eo ab aliis diſſentientem, quod duodecim illos fontes manantes facit. Dividitur (p. 176.) Syria in quinque praefecturas, quarum unicuique nomine proprio nomen Syriae commune datur. Ita enim legimus in Ketabh al Aakd. *Syriam primam* efficiunt Ghazzat, ar Ramlat, Palaeſtina, Aſcalon, Bait al Makdes; inter urbes eius maxime excellit magnitudine Palaeſtina. De Palaeſtina urbe editori multae ſunt tenebrae, dicenti, nihil ſupereſſe, quam ut uſurpetur vetus illa formula, non liquet. *Syria ſecunda* complectitur tractum Iordaniticum, Thabriat, al Ghaur, al Iarmukh, Baiſan. Vrbs eius maior eſt Thabriat. *Syriam tertiam* conſtituunt al Ghutha et Damaſcus, huiusque urbis tractus littoralis. Vrbs princeps eius eſt Damaſcus. *Quartam* dein *Syriam efficiunt* Emeſſa, Chamat, Khafarthab, Kinnasrin, Chaleb. *Quintam* denique Antiochia, al Aawaſem, Meſſiſzat. Nablus (p. 178.) eſt urbs Samaritarum. In illa puteus eſt, quem fodit Iacobus, idem ille in quo detentus eſt Ioſephus, et apud quem conſedit Meſſias, petiitque a muliere, ut ipſi daret aquam ad bibendum. Ibi nunc eſt templum Chriſtianorum

norum religionibus celebratum. Bethlehemi (p. 183.) eſt eccleſia pulchre ſtructa, magno admodum artificio elaborata. Hic ille locus, in quo Meſſias natus eſt, diſtans Hieroſolymis tria milliaria. In medio viae, quae inter has urbes porrigitur, eſt ſepulcrum Rachelis, matris Ioſephi, a quo non longe abeſt Moſchea al Chalili, Abrahami. Eſt haec villa porrecta, in qua monumenta ſunt Abrahami, Iſaaci, Iacobi, ita ut e regione cuiusvis ſit monumentum uxoris. Sita eſt in valle, inter duos montes protenſa, multa arbore frugifera veſtita. Reiskius V. C. pro قرية in textu poſito, atque a Koehlero *villa* verſo, legere mavult قرية torbat, quod κοιμητήριον eſt, valdeque arridet. Emeſſa (p. 186.) urbs pulchra, ſita in planitie, ſolide ſtructa eſt, et multi ad eam ex omnibus terrarum partibus contendunt. Incolae abundant copia rerum omnium, mollemque ac delicatam vitam vivunt. Feminae eximia ſunt pulchritudine, quae lunae etiam antecedit. Olim fuit ex maximis urbibus. Incantamentis eam accepimus eſſe munitam, ita ut neque ſerpentes, neque ſcorpiones eam ingredi poſſint, et ſi quando deveniant ad portas urbis, confeſtim pereant. Deportari ſolet terra Emeſſena in alias regiones, quae illita loco a ſerpente percuſſo medetur. Librarius codicis Lugd. has voces القمر فايقه يفوق omiſerat, forte, ut editor putat, quia non ſatis aſſequebatur mentem imaginis, frequenti licet uſu poetis in primis Arabum tritae. Cui coniecturae etiamſi aſſenſum tuum deneges, habes tamen et e ſcriptore proſaico exemplum, imagini illi explicandae aptum, quod adſcribere iis locis poſſis, quae Koehlerus V. Cl. in obſervationibus philologicis in loca ſelecta ſacri codicis p. 48. ad Cant. VI. 10. e Motanabbio, poeta arabum celebri, iam adduxit, ut phraſin eam interpretaretur. Sequuntur Io. Iac. Reiske animadverſiones ad Abulfedae tabulam Syriae p. 193-214. e quibus aliquas ſeligemus. De lapidibus ſignatis, inquit, vide *Rauchwolf* itinerarium P. 3.

c. 22.

-c. 22. init. ubi de cicere arietino. Vniverſe videtur huius viri, egregii botaniſtae, et diligentis rerum in itinere oblatarum obſervatoris, Itinerarium, ad illuſtrandam geographiam Syriae atque Meſopotamiae inprimis fructuoſum eſſe, ut miremur, illud a tam paucis tractari, et ad teſtimonium evocari. Poſſent ex eo, ſi id ageremus, infinita ad illuſtrandas et confirmandas Abulfedae traditiones afferri. Sed ſufficit nobis, digitum ad fontem intendiſſe. Nam veſtigia haec perſequi, ea qua par eſt ſedulitate, non vacat. Pag. 196. Sowaida et Sowaidia diverſae ſunt urbes: poſterior, de qua Abulfeda pág. 27. loquitur, eſt Seleucia ad Orontem, cum prior ſit urbs Meſopotamiae, ultra Euphratem, in agro Amideno; quod ex plurimis annalium Moslemicorum locis patet, quorum praecipuum adducit p. 202. Cl. Reiskius, cui et gratias agimus, quod (p. 208.) carmen quoddam Motanabbii adiecerit, interpretatione et illuſtratione donatum. Neque minus omnes, qui litteraturam arabicam vere aeſtimare norunt, prodidagmata optimi huius viri ad Hagji Chalifae librum memorialem rerum a Muhammedanis geſtarum, exhibentia, introductionem generalem in hiſtoriam ſic dictam orientalem, operi Koehleriano a pag. 215 - 240. adiuncta, atque finem quaſi imponentia, merita laude proſequentur. Quae quidem ipſa fuſius pertractare nunc inſtituti noſtri non eſt, ſed eorum conſpectum dabimus, cenſentes, eruditos ad opus ipſum magna cum diligentia legendum ſeſe accincturos eſſe. Loquatur paululum auctor ipſe. Ante quam accedamus ad ſtudium hiſtoriae, vulgo orientalis dictae, ſed quam appellari Muhammedanam mallim, quia res tradit a Muhammedanis, non in oriente tantum, ſed etiam in Europa et Africa geſtas, tria rerum capita nobis exponenda et diligenter cognoſcenda ſunt. *Gentes* nimirum illae, dynaſtiaeque, quarum geſtas illa res et caſus recenſet: deinde *terrae*, in quibus, quae hic narrantur, acciderunt: *Auctores* tandem, e quorum maxime ſcriptis harum rerum notitiam, tamquam e fontibus, optimam

 et

et puriſſimam haurimus. De gentibus agitur a pag. 215-221. de terris a p. 221-227. de auctoribus p. 227-240. Et gentes quidem illae, quarum fata exponit hiſtoria Muhammedana, ſunt hae maxime quinque. 1) Arabes. 2) Perſae. 3) Turcae et Turcomani. 4) Mogolo-Tatari. 5) Barbari et Mauritani. In cognoſcendis vero terris, quas iſtae gentes et dynaſtiae obtinuerunt, quoniam terrae faciem et nomina mutant, pariter atque populi nomina mutant et ſedes, adeoque geographia recentior haud parum ab illa medii aevi, et haec ab illa vetuſtiore graeca et latina, plurimum diſcrepat, dux eligendus eſt mediae auctor geographiae, i. e. non nimis vetuſtus, ſed neque ille recentiſſimus. Quis vero melior Abulfeda? cuius opus geographicum admodum quidem celebre, ſed nondum, ut par erat, notum et familiare, tamquam in tabula vel in nuce proponit, et breviſſimis excerpta eius contenta exhibet Reiskius. Quae quidem agendi ratio profecto plurimis placebit. De Scriptoribus, qui res in oriente, et in univerſum a Muhammedanis geſtas, litterarum monumentis tradiderunt, et ab oblivione vindicarunt, ita agit, ut primo ab iis ordiatur, quos ipſe poſſidet, tam impresſis, quam manu ſcriptis, deinde vero eos addat, quibus caret. Quae omnia qui legerit, neceſſe eſt ut miretur Cl. Reiskii doctrinae, ingenii, iudiciique praeſtantiam. Plura de eo, deque Koehlero adderemus, niſi animus abhorreret ea repetere, quae a nobis alio loco iamiam in medium prolata ſunt, ad quae lectores ablegamus. Qui aliquas a Cl. Koehlero excogitatas felices coniecturas deſiderat, comparet p. 50. n. 73. cum pag. 97. n. 98. cumque addendis pag. 4. plagul. k. (Loco enim abulfedini الثنية poſuit البثنية. Nempe, ignotum Abulfedae fuiſſe videtur vetus provinciae nomen Batanea, quod eius tempore iam in deſuetudinem abierat. Itaque, quid ex Azizio ſuo exſcriberet, ipſe non intellexiſſe videtur. Et ſane, qui inſpexerit codicem autographum Leidenſem, videbit, quantum in hoc

loco

loco [illegible]moraverit bonus Abulfeda:) legatque p. 151. n. 12. 174. n. 32. 176. n. 38. Ceterum, editor Cl. [illegible] ad nos corrigenda quaedam et addenda, in Epilogo omiſſa, optavitque, ut illa his Actis insereremus. Cui deſiderio eo minus obloquimur, quo magis perſuaſum nobis eſt, utilia lectori et iucunda fore haec additamenta, quae cum eo communicamus. Sunt autem haec:

In Praef. B. 1. v. 21. 22 [illegible] L. 22 [illegible]

— — — v. 23. 56 [illegible] L. 56 [illegible] per tria.

— — — 3. v. 13. وبلاد الشرب et Bilad as Scharb L. وبلاد السرب et Bilad as Serb.

— — C. 1. v. 24. Neque vero - commendaverim. L. Enimvero nec ego, tametſi pleraque omnia, quae hucusque de poſitionibus urbium Orientis ſcimus ex veteribus arabicisque Scriptoribus, ab hac parte uſum Geographiae Abulfedinae magnopere commendaverim.

— — F. 1. in fine notae, poſt digeſſerit adde: Huius *Ibn Giazlae*, qui Medicus Bagdadi Chriſtianus fuit, ipſiusque libri tabulis diſtincti, quem Takwim al abdan inſcripſit, meminit *Abulfaragius* Hiſt. Dynaſt. p. 366. Notitiam libri dat *Herbelotus* Bibl. Or. p. 837. B. *Tacouim al abdan fi ted bir al enſan, Livre de Medecine, diſtribué par Tables, dans lequel les membres du corps humain, leurs maladies, leurs remedes, avec leurs qualités et leurs échanges, ſont rangés par Tables. Cet ouvrage a eté compoſé par Iahia Ben Iſſa, Ben Giazlah, ſurnommé al Kateb, l'Ecrivain, et eſt dedié au Khalife Moctadhi Abbaſide. Il eſt dans la Bibliothèque du Roi num. 876.*

— — — 3. v. 3. gaudensque arboribus montanis et valle fonte diſtincta atque arboribus, L. gaudensque arboribus, montanis, et valle fonte diſtincta, atque arboribus.

— — — v. 11. لو L. لد.

— — — H. 2. v. ult. quod nomen apud veteres mediique aevi ſcriptores Abulfedae memoratum eſſet, L. quod nomen loci Geographici apud veteres mediique aevi ſcriptores occurrens Abulfedae memoratum eſſet.

 In

In Add. L. 2. v. 4. السوس الاقصر L. السوس الاقصى et dele, quae ſequuntur: f. transpoſitis verbis ſcrib. بالمغرب الاقصى قرب السوس. Conſtat enim et ex *Herbeloti* B. O. p. 829. B. Suſam Africae urbem, quae auctore *Abulfeda* eadem eſt cum Tarudanto, ab Arabum geographis cognomine τῆς الاقصى, id eſt extremae, appellari. Pudet profecto, talia excidiſſe mihi in Praefatione maxime et Addendis, quae nimis feſtinanter effudi, et in ſumma librorum penuria, quum libros meos plerosque et praecipuos, ex itinere literario modo redux, in Gallia reliquiſſem, nec alienis in hac ἐρημίᾳ uti liceret. Id vero nuper humaniſſ. literis me docuit praeclariſſimus *Reiskius*, مصرت vertendum fuiſſe *metropolis facta eſt*, vel *iuribus et praerogativa urbis primariae donata eſt*. Ita vero et pro وهي احدى العراقين legendum ego crediderim وهي احدى العراقين, *haec eſt una ex duabus illis celebratis urbibus*. Altera nempe eſt Cufa, quam cum al Baſrah noſtra, Chaldaeae urbe, κατ' ἐξοχὴν Arabibus المصران vocari, auctor eſt *Golius* Lex. Arab. p. 2235.

— — — N. 3. v. 14. inciſus, L. inviſus. In hoc modo peccavi (niſi et hoc operarum eſt peccatum), quod verti ac ſi legeretur فانما كره, *namque inviſus eſt ille piſtis*, pro *namque inviſus erat illi piſcis*.

TRAITE DES DELITS ET DES PEINES.

Traduit de l'Italien.

MDCCLXVI. in 8. pagg. omnino 239.

Recenſionis Pars altera.

Cum nolimus fraudare Lectores noſtros exacta praeclari huius Operis idea, in recenſendo eo, ut fidem nuper

dedi,

dedimus, pergimus. *Cap. igitur XVII.* agit A. de proſcriptione, bonorumque publicatione. Illius Auctor poenam exerceri tantum vult in his, qui, contracta alicuius criminis ſuſpicione maxima, convictionem tamen eluſerunt, quique adeo cives, aut metuere ſe, aut iniuſte agere, coegerunt. — Multo graviores requiruntur rationes, ut proſcribatur civis, quam ut peregrinus. — Quam optaremus, Auctorem, quae brevius ſuper hac re diſputavit, paullo fuſius declaraſſe, praeſertim cum in re tam gravi melius verſaturum eo ſciamus neminem. Bonorum proſcripti publicatio improbatur ex eo, quod non ſit neceſſaria, quodque puniantur ſimul ea exercenda et innocentes, qui, quum nulla ſua culpa ad paupertatem redactos ſe videant, inde et ipſi cauſſas criminum repetant. Quod niſi eſſet, tamen exponi per eam homines inferioris conditionis maiorum inſectationibus; horum enim fere eſſe, quae aliis auferantur, bona. *Cap. XVIII.* praemiſſa Infamiae, de qua poena agitur, definitione, Auctor eam, niſi irrita futura ſit, debere neque praeceptis morum univerſis, neque ſingularibus alicuius Reipubl. conſtitutionibus repugnare, oſtendit. Notatis enim ea quibuslibet actionibus, etiam indifferentibus, ſequi, actiones vere inhoneſtas pro talibus amplius non haberi, propter paritatem poenae. In aliis bene obſervat Auctor, Fanaticismum poenis corporalibus cohibendum non eſſe; contemtu eum notare, aut infamia, plus valere, quam dolores corporis, ad eius extirpationem. Deinde nota infamiae, ut, quod per eam quaeratur, teneatur, neque ſaepius utendum eſſe, neque in plures eodem tempore. *Cap. XIX.* Auctor poenas dicit oportere crimina ſtatim ſequi, illis convenire, et publicas eſſe. Quam crudeliter et iniuſte rei poena protrahatur, ipſe vero diuturni carceris terroribus permittatur, praeclare hoc loco oſtenditur, adeo, ut Auctoris animus tener et humanus undique eluceat. Habet poenae acceleratio utilitatis etiam hoc, quod coniungendis criminis et poenae notionibus eo magis

 afficiant

afficiuntur hominum animi, quo minus inter commiſſum flagitium et ſubſequentem poenam intercedit temporis. Igitur res eſt magni momenti, maturari criminum poenas, ſi earum cogitatione extingui ſtatim velis in animis hominum ſpeciem cogitati alicuius ſceleris utilioris. Convenire autem crimini debet poena, h. e. debet omnem ex perverſa et abblandiente ſceleris cogitatione conceptam ſpem commodi adimere. Quod ſolemne eſt quibusdam gentibus, punire leviora crimina vel perpetuo carcere, vel deportatione condemnatorum in regiones exteras, id dicitur abſurdum eſſe, poenarumque conſilio plane contrarium, ſi quidem ita utriusque poenae pereat exemplum in terra, ubi patratum ſit crimen; quo fiat, ut minus avocentur membra civitatis a flagitiis, quorum poenae ab oculis eorum removeantur. *Cap. XX.* praecipit de poenis, quod certae eſſe debeant, et eiusmodi, quae nullo modo evitari poſſint; item de culpae condonatione. Caventur maxime crimina poenarum certitudine, non aſperitate. Certo enim eventuris malis, etiam minimis, magis hominum animi terrentur, quam quibus, licet maximis, declinandis, tamen aliquo modo non omnis omnino ſpes adempta eſt. — Si legum fundamentum, et Codicis cuiusque pars praecipua, eſſent, ſicut eſſe deberent, in lenitate et clementia, ſequeretur, venia poenarum, ſententiarumque mitigatione, quae nunc impetrantur a principe, facile nos cariturοs; quare principum condonandae damnatis culpae poteſtatem, Auctor vitium principale cenſet in Iure criminali, quippe quae tacite leges quaſi improbet, atque ita ſpem impunitatis in hominibus facinoroſis ſubinde alat. *Cap. XXI.* diſputatur ſuper Aſylis; a quibus, poſtquam Auctor nullum eſſe debere in toto cuiusque reipublicae ambitu locum, quin a legibus pendeat, declaravit, quae proficiſcantur incommoda, breviter, ſed maxima cum evidentia demonſtrat. Poſthaec agitat quaeſtionem de conventionibus civitatum, utrum ſit utile, tradi ſibi invicem maleficos in po-

teſta-

utilitatem: concedit quidem, obviam ea re iri criminibus, quippe quibus omnis locus ſecuritatis praecludatur; improbat vero hunc morem ex eo, quod adhuc obverſentur in iure criminali quampluri mae imperfectiones. *Cap. XXII.* expenditur mos ille vulgaris, quo praemium interfectoro aliquem maleficum proponitur. Auctor in tractatione hac verſatur ita, ut huius moris non ſolum partem eam, quae ad diſciplinam civilem, ſed et quae ad mores ſpectat, conſideret, detrimentumque ab utraque in rempubl. redundans oſtendat, uti nobis videtur, ſatis luculenter; quare et hoc Cap. inprimis commendamus legentibus. *Cap. XXIII.* pertinet ad rationem, quae poenas inter et crimina ſit ſtabilienda. Quo magis criminum aliquod genus adverſatur bono communi, eo gravior illi ſtatui debet poena. Namque ſi diverſae noxae criminibus eadem proponatur poena, ſequitur inde incommodi hoc, ut quis crimen gravius aeque facile committat atque levius, niſi maiores illi quam huic perpetrando difficultates obſtare deprehenderit. Si, qui cervum aut phaſianum occiderit, pari afficiatur poena cum eo, qui hominem; mox ceſſabit in mentibus hominum cogitatio, diverſa ea eſſe crimina, atque ita paullatim ſenſus boni et mali delebitur. Qualemcunque animo conceperis criminum diverſae gravitatis ſeriem, graviſſimum deprehendes ſemper eſſe id, quod ad totius ſocietatis tendat exitium, leviſſimum vero, quod ſingulos tantum quam leviſſime laedat cives. *Cap. XXIV.* proponitur norma, ad quam iudicanda ſit criminum gravitas. Tanto gravius et atrocius eſt crimen, quanto gravius eo committendo infertur damnum ſocietati. Quae veriſſima regula, tyrannide armataque cupiditate procerum per multa ſecula oppreſſa et quaſi obſcurata, noſtra demum aetate in lucem coepit protrahi. Refellit hoc loco Auctor primum eos, qui ex perpetrantis conſilio, tum, qui ex dignitate laeſi, iudicari volunt criminis gravitatem; et denique iis, qui magnitudinem mali moralis, et grave aliquod pecca-

tum

tum in Deum, ad diriſſima facinora referant, ſe opponit, di- cens, hoc revera eſſe vindicare hominibus, quae iuſtitiae divi- nae unice relinquere oporteat. *Cap. XXV.* continetur divi- ſio criminum, quorum Auctor tres claſſes conſtituit. Ad pri- mam, ait, pertinere omnia ea, quae ſimpliciter et directe ad perniciem ſocietatis, ſive eorum qui perſonam ſocieta- tis gerunt, tendant; ad alteram, quae civis vel vitam, vel bona, vel exiſtimationem laedant; ad tertiam denique, quae- cunque iis, quae leges ad ſalutem publicam vel facienda vel omittenda proponunt, adverſentur. Quaecunque actio harum claſſium nulla contineatur, eam pro crimine haben- dam non eſſe; eſſe vero ignorationem horum finium, qua fiat, ut doctrina morum ſaepenumero legibus, immo nec raro hae ipſae, ſibi repugnent. Opinionem, qua quisque civis ſibi licere putet, quaecunque legibus non ſint contra- ria, digniſſimam eſſe quae ab omnibus gentibus recipia- tur, a magiſtratibus inculcetur, et legum ſancta auctorita- te ſtabiliatur et confirmetur. *Cap. XXVI.* agitur de crimine laeſae Maieſtatis. Pro talibus habenda non ſunt niſi ea, quae ſpectant ad excidium vel ſocietatis, vel huius partes ſuſtinentium; effecerunt tamen tyrannis et inſcitia, ut et plane diverſae naturae criminibus appellatio haec tri- bueretur. *Cap. XXVII.* eſt de criminibus, quae privatorum ſecuritatem tollunt, et primum de violentia. Pertinet ad graviſſima crimina omnis vis, quae aut vitam civis, aut libertatem invadit, neque homicidia ſolum et fur- ta ab hominibus de plebe commiſſa huc referenda, ſed et omnis huius generis violentia a magnatibus et magiſtratibus profecta, quae tanto gravius crimen cenſeri debet, quanto maiorem ea habet vim moralem in hominum animos. Poe- nam hiſce criminibus Auctor vult ſtatui corporalem, pecu- nia a potentioribus atque ditioribus nullo modo redimen- dam, quia ſic divitiae alere et augere tyrannidem videantur. Dices, hoc pacto poenam nobilis fore quam plebeii homi- nis graviorem: ſed reſpondet Auctor, poenam ſemper me-

tiendam

tiendam eſſe damno, ſocietati per aliquod crimen illato; ceterum Principem, exhibendis ſuae in innocentem familiam benevolentiae documentis publicis, notam eius facile deleturum. Quod tamen poſterius nobis vix videtur eventurum, niſi antea omnis praeiudicatarum opinionum vis infirmetur, et, ſi fieri poſſit, e medio tollatur. Iam *Cap. XXVIII.* diſputatur ſuper illata alicui iniuria. Sequi iſtud crimen poenae loco Auctor vult iacturam exiſtimationis, ſive Infamiam; eſſe inter civitatis leges et famae non leve diſcrimen, ſiquidem illae ad conſervandum cuiusque privati corpus et bona ſpectent, hae vero contra frandes opinionis eum defendant. — Famae ideam non eſſe ſimplicem, ſed ex pluribus tum ſimplicibus, tum compoſitis ortam, cuius ſit origo in primis ſocietatum cauſſis quaerenda. Videtur hac in re Auctor nimis argutatus, modo ut haberet, que ſuperſtrueret ſequens Caput, fundamento. Iſtud igitur *Cap. XXIX.* inſcribitur: de Certamine ſingulari. Exiſtimationis (hanc enim Auctor Cap. praeced. dixerat neceſſarium principium reipublicae,) neceſſitati debetur horum certaminum origo, infirmitati vero et anarchiae legum obfirmatio. Extirpandis iis Auctor putat remedium unum eſſe hoc, ut qui alterum ad certamen provocaverit, ſolus puniatur, ſalvo provocato. Facile apparet, Auctorem; cum ſit ipſe nobili genere, cum omni ſua ſubtilitate philoſophica, animoque humaniſsime adfecto, non potuiſſe a ſe impetrare hoc, ut iniquam hanc exueret opinionem, quae praeter tot funeſtiſſima ſingulis gentibus illata damna, reipublicae etiam univerſae ſaepenumero pernicioſiſſima fuit. Tantae difficultatis res eſt, quas a prima pueritia imbiberis, deponere opiniones In *Cap. XXX.* agitur de furtis. Pro furto ſine violentia facto multam pendere, convenientiſſimum videretur, niſi qui furta faciunt plerumque eſſent pauperes, quorum familias innocentes privare arcta, quae illis eſt, re domeſtica, foret durius, eoque ipſo aliis ſubinde furtis cauſſa praebe-

retur.

retur. Igitur maxime huic crimini convenit, condemnare furem ad ſervitutem eam, quae ſubiiciat ſocietatis poteſtati et ipſum, et labores eius, quo fiet, ut, quam iniuſte invaſerit aliena bona, hoc magis ſentiat; ſin vero furtum coniunctum fuerit cum violentia, ad poenam ſervitutis accedere etiam debent poenae corporis. Mox *Cap. XXXI.* diſſeritur de mercibus vetitis, quarum negotium quidem verum eſt crimen, et in principem, et in populum ipſum; neque tamen illud infamiae poena propterea afficiendum, quia vel ſecundum vulgi opinionem talis negotiater pro inhoneſto non habetur. Crimina enim, ſocietatis membris non per ſe et directe noxia, carent ea gravitate, quae ad publicam indignationem ſuffecerit; quin et ex legibus ipſis originem hoc crimen ducit, cum, quo moleſtiora ſint mercibus imperata vectigalia, eo maiorem habeat utilitatem negotium earum clandeſtinum. Poena carceris mitioris, negotiatori clandeſtino videtur maxime idonea ex hoc, quod ita labore ſuo compenſare poterit, quod fiſco inferre damnum conatus eſt. Mox *Cap. XXXII.* dicitur de iis, qui fidem fallunt creditoribus. Fides, ut in omnibus pactionibus, ita maxime neceſſaria ad ſecuritatem eſt in iis, quae ad mercaturam ſpectant; qua de cauſſa legislatoris eſt, curare, ut copia fiat creditoribus ſervandi crediti. — Diſtinguendum tamen eſt inter eos, qui, ſalva et integra honeſtate ad fallendum compulſi ſunt, et qui fraudibus uſi. Hi quum puniendi ſint eadem aſperitate, qua monetas adulterinas ſupponens, in illos levior animadverſio ſuffecerit. Durius enim videtur, ad carcerem condemnari, et libertate privari, qui alienis fraudibus impediti fidem non exſolvunt; magis conſentaneum foret, videre, ne, invitis creditoribus, homines eiusmodi patria emigrent, atque ita ſtudium et labores, qui aliquando ad

ſolven-

ſolvendum facere poſſent, ad alienas terras convertant. Adnotandum eſt hoc loco, in prioribus huius operis editionibus, Auctorem etiam in eos ſervitutis poenam pronuntiaſſe, qui, citra ſuam culpam, fide non ſteterint; quam ſententiam duriorem nunc retractat, miratus, neminem, cum in hoc manifeſte violarit iura humanitatis, ſibi illud exprobraſſe, cum aliis de cauſſis culpatus ſit immerito. Sub finem Capitis oſtenditur, qua ratione hoc genus perfidiae per prudentem legislatorem caveri poſſit. Subinde *Cap. XXXIII.* de criminibus, quae turbant pacem et tranquillitatem publicam, cuius generis ſunt congreſſiones manibus aut fuſtibus ſe petentium, ſermocinationes fanaticae ſuper religione in publico diſputantium etc. quibus coercendis Auctor ſuadet leges civiles, neque tamen eas arbitrarias, ſed Codice aliquo comprehenſas, unde quisque de ſocietate haurire poſſit earum notitiam et admonitionem. Succedit *Cap. XXXIV.* de Otio politico, cuius deſcriptionem non illepidam ipſius Auctoris verbis lubet adponere. „Communicat, inquit, illud otium cum ſocie„tate reliqua ſuos neque labores, neque opes, colligit „ſemper, nunquam de ſuo amittit, mirabili valet gratia „apud populum, licet prudentiori cuique ſit contemtui; „grave illud argumentum, quod vel ſolum ſufficit ad com„mendationem ſtudii et laboris apud ceteros homines, h. „e. iucunditatis vitae comparandae, et conſervandae neceſ„ſitas, nullam in eo vim habet, ſed cupiditatibus ab opi„nione natis totus patet.“ Quae deſcriptio, huius vitii naturam, uti nobis videtur, praeclare pingit. Iam deinceps *Cap. XXXV.* de Autochiria diſputatur. Conſiderat Auctor hoc crimen tantum quoad pertinet ad diſciplinam civilem, nullamque

[illegible] poenam ideo, quod vel corpus inanimatum afflictura ea ſit, vel ad innoxios viros redundatura: quorum prius aeque inutile ſit, ac ſi verberibus male habeas ſtatuam; poſterius vero iniuſte fiat et crudeliter, quum poena infligatur immerentibus. — Poſthaec, qui manus ipſe ſibi infert, dicitur levius committere in ſocietatem crimen, quam qui, relicta patria, in alienis terris ſedes figat. Hinc occaſionem nactus Auctor, late diſputat ſuper eo, utilene ſit, an noxium reipublicae, relinquere civibus arbitrium emigrandi e patria? Quam quaeſtionem ita dirimit, ut dicat, de civitate carcerem faciendum non eſſe, legemque, ſi qua huc ſpectet, inutilem eſſe, iniuſtam, atque abſurdam, adminiſtrationem vero reipublicae eam, quae nulla alia ratione ſciat retinere in patria cives, niſi metu, facile peſſimam; certiſſime enim inhiberi civium emigrationem benefaciendo, augendaque eorum proſperitate mutua. His expoſitis, revertitur Auctor ad Autochiriam, et legem cenſet, quae poenis propoſitis eam coercere velit, pariter eſſe futilem atque iniuſtam, ac ſi poenis retinere velis emigrantes in alienam terram cives. Caedes, inquit, ſui ipſius, crimen eſt in Deum, ab eo ſolo poſt mortem corporis puniendum, non ab hominibus: partim, quia per talem caedem in homines non peccatur; partim, quia humana poena cadit non in maleficum, ſed in malefici innoxiam familiam. Neque valet hic vis exempli quidquam; niſi enim graviſſimae rationes, a religione petitae, a tam nefario facinore abſterreant hominem, quo tandem modo id efficiat metus poenarum in exanime corpus? *Cap. XXXVI.* exponit de criminibus quibusdam, quorum

eſt

eſt difficilior convictio. Ad horum cenſum refert Auctor adulterium, puerorum amorem illegitimum, et infanticidium. Naſcuntur adulteria binis maxime de cauſſis; primum ex malis legibus; deinde ex impotenti illo impetu, quo ſexus alter fertur in alterum. Spectatur vero hic criminis huius tantum pars ea, quae ad diſciplinam politicam pertinet. Quanto maior in republica eſt numerus eorum, qui, patria poteſtate non impediti, matrimonia ad voluntatem ineunt, tanto magis confirmatur fides mutua inter coniuges. — Ad amorem in mares quod attinet, illius origo non tam in neceſſitatibus naturalibus hominis liberi et ſolitarii, quam in cupiditatibus eorum quaerenda eſt, qui, quum ad ſodalitium facti ſunt, tamen conſuetudine aliorum ſervilem in modum excluduntur; quare et crimen iſtud regnare potiſſimum in clauſtris et monaſteriis deprehenditur. Quae Auctor de veris cauſſis infanticidii iudicat, ea recte ſe habent omnia. Ad finem huius Cap. annexa eſt lex communis haec: nullam alicuius criminis poenam iuſtam dicendam eſſe, aut proprie neceſſariam, niſi legibus antea praeſtitum fuerit, quidquid in hoc vel illo populo avertendi criminis cauſſa praeſtari poſſet. Videtur hoc magiſtratibus inprimis commendandum eſſe. *Cap. XXXVII.* agit A. de genere aliquo criminum ſingulari; intelligit autem haereſin, cuius tamen explicationem uberiorem, tanquam ab inſtituto ſuo alienam, conſulto ille non adgreditur. *Cap. XXXVIII.* indicantur fontes quidam univerſi, unde iniquitas erroresque plurimi manent in leges. Primo loco eſt falſa notio utilitatis, qua legislatores non raro decipi demonſtratur eximie. Exempli loco adducere lubet hoc, quod Auctor,

 eum,

eum, ait, hac ratione decipi, tollendo incommodo aliquo leviſſimo, vel etiam interdum extra mentem legislatoris nullo, ſimul tollat innumera alia et veriſſima commoda, ut qui auferri e vita velit ignem, quia incendia pariat, aquam, quia homines ibi mergantur, quique adeo malum removere a rebus absque everſione rerum ipſa non poſſit. *Cap. XXXIX.* agitur de gentium ſingularum indole et conditione, unde, tanquam ex fonte altero, plurimos legum errores Auctor derivat. Vel ſagaciſsimis, inquit, in republica viris, interdum crudelitas aliaque legum vitia probata ſunt ex eo, quod civitatem pro familia magis haberent, quam pro ſocietate inter ſe coniunctorum civium, quum, inſtituta comparatione utriusque, quod Auctor fecit, quanta ſit unius ab altera diverſitas facile appareat. Leges et conſtitutiones gentium ſingularium manifeſte repugnant iis, quae ad fundamentum reipublicae univerſae pertinent; unde et conſequitur hoc, quod doctrina morum publica in civitate, et privata in gentibus ſingularibus, tam diverſe praecipiant. Haec enim, inquit Auctor, ſubiectionem et timorem, illa docet fiduciam et libertatem: privata commendat homini beneficentiam erga paucos, quorum eligendorum ne arbitrium quidem ipſi permittitur; publica contra praecipit benevolentiam erga omnes omnino homines: illa flagitat oblationes perpetuas, incolumitati gentis, uti adpellant, tanquam idolo, dedicandas; haec civem ſaepenumero eo perducit, ut pro ſalute publica ſe ipſe devoveat, praemio fortitudinis ex ſuaviſſimo, quo eum adficit, animi ſenſu, iam ante capto. *Cap. XL.* tertium explicat legum vitium, cuius natura in eo eſt, quod nimium in irrogandis poenis reſpicitur ad utilitatem et incrementa fiſci. Tempus fuit, cum pecunia multarentur quicunque criminis aliquid commiſiſſent; ex quo fiebat, ut patrimonium princeps ſuum conficeret ex privatorum criminibus, vis vero in ſecuritatem publicam frequentius facta locupletiorum nutriret faſtum et inſolentiam. Haec ita diſpu-

diſputavit Auctor, ut, quorum ratio in ferendis legibus in primis habeatur, nobis digniſſima videantur. Sequitur *Cap. XLI.* quod eſt de iis, quae potiſſimum valent ad cavenda crimina. Crimina caveri, quam puniri, ſatius eſt; illud enim proprie eſt conſilium legum ſaniorum omnium, quae propterea ſanciuntur, ut per eas adducantur homines ad felicitatem maximam, aut certe ad minimam, quae cogitari poſſit, infelicitatem. Vetare quamplurima, quae innoxie fiunt, non eſt inhibere vitia, quae ex illis naſci poſſint, ſed producere potius nova, virtutisque et vitii notiones, pro aeternis et immutabilibus communiter habitas, permutare pro arbitrio. Fraenum ſi inicere velis vitiis et criminibus, leges oportet eſſe ſimplices et evidentes, cuilibet civitatis ordini, immo ſingulis civibus accommodatas, et ſalutares, ab univerſis vero ſancte habitas et reformidatas. Porro, ut vitiis proſpiciatur, neceſſarium eſt coniungi in populo cum libertate intelligentiam et conſilium; nam qui a prudentiori et bonis litteris inſtructo viro deſpicitur, temerarius impoſtor, is ab inſcio et rudi vulgo ſaepiſſime adeo adoratur. Haec copiam fecerunt Auctori, multa docte diſſerendi de commodis, quae litterae civitati, in qua florent, adferre ſolent. Refellit potiſſimum quosdam illepidos, qui bonas litteras obfuiſſe fere rebus humanis iactitant, et in ſua iſthac opinione ſibi mire placent. Nam ſi vel maxime aliquid mali fecerunt litterae, id certe fuit eiusmodi, quod evitari non poſſet. Duas potiſſimum Auctor figit epochas, quibus ad tempus oportuerit obeſſe litteras: unam quae confinis ſit aetati, qua ſocietates fundari coeptae ſint ampliores; alteram, ex quo tempore a tenebris ad lucem, h. e. ab erroribus ad veritatem fiat tranſitus. Ex hoc diverticulo Auctor in viam regreſſus, commemorat alia, quae vitiis praecavendis apta ſint: nempe videndum eſſe, collegia iudicum, quibus concredita ſit cura legum, plus habere utilitatis ex eo, quod leges ſerventur, quam ſi earum violationem impune dimittant, muneribus corrupta; deinde

nec

nec parum huc valere virtutis remunerationem; optimum vero, quo via praecludatur vitiis, et vero etiam difficillimum, eſſe in educatione liberorum, ſi naevis ea magis magisque purgetur. Tandem *Cap. XLII.* ex his omnibus, quae hactenus diſputata ſunt, conficit Auctor propoſitionem univerſalem hanc: ut poena non ſit violentia unius vel plurium in cives, ea debet publica, prompta, neceſſaria, minima, quae pro diverſitate cauſſarum fieri poſſit, crimini conveniens, et legibus definita eſſe.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Sept. et Octobr. Anno MDCCLXVII.

HISTORIA INSITIONIS VARIOLARUM IN Suecia ad noviſſimum tempus producta. Auctore IOANN. ANDR. MURRAY, D. Medic. Prof. Gotting.

Goettingae, Impenſis Viduae Abrah. Vandenhoeck. 12. plagg. in 8.

Momenti non adeo parvi res eſſe videtur, morborum variorum, in primis epidemicorum, crudeliter ſaepe ſaevientium, cognoviſſe hiſtoriam. Ex his enim non ſolum eorum exortum, progreſſum, et varias mutationes perſpicere; ſed etiam quibus auxiliis vel mitiores redditi, vel prorſus profligati fuerint, Medici percipere, et ſic in utilitatem aliorum aegrotorum convertere poſſunt. Qua de re prae reliquis omnibus hoc de variolis eſſet optandum, utpote quae olim in borealibus regionibus ignotae, nunc tantas inter earum incolas edunt ſtrages. His ex cauſis iure promeretur laudem clariſſimus Murray, quod hoc libello, prouti ex inſcriptione patet, inſitionis variolarum in Suecia dedit hiſtoriam. Cum enim huius clariſſ. Viri patria ſit Suecia, ipſe igitur, quae ad eius hiſtoriam naturalem pertinent, et quae ad populares ſuos ſpectant, bene noſcat; praeterea

 vero

vero ei quoque cum praeſtantisſimis Sueciae medicis ſit commercium: fieri facile potuit, ut ſatis completa ex ſuis aliorumque tentaminibus et obſervationibus huius rei enaſceretur hiſtoria, prouti ex proemio apparet.

Ita vero rem ſuam peregit Cl. Auctor, ut non tantum de variolarum inſitione, ut ex inſcriptione expectari poterat, verum etiam de variolis ipſis, earumque exortu in Suecia, plura ſcitu digna proferat. Haec enim bina ipſi occaſionem dediſſe videntur, ut tractationem ſuam in duas partes divideret, quarum altera delineationem variolarum ſponte in Suecia graſſantium, altera narrationem de origine, progreſſu, et hodierna inſitionis variolarum in Suecia conditione, ita tradit, ut hanc in duas ſectiones iterum diſtingueret, et primo ipſius inſitionis in Suecia exercitium deſcriberet, deinde ipſa ſcripta recenſeret, quae de inſitione in Suecia prodiſſent.

Itaque, quod primum ad variolarum in Suecia exortum attinet, de illo quidem nihil certi conſtat, cum in univerſum earum antiquitas in Europae regionibus demonſtrari nequeat; progreſſum vero, quem ipſum vetuſtioribus temporibus tantum coniectura aſſequi poſſumus, ex Libro a Regum Sueciae, Erici XIV, et Ioannis III. medico, Benedicto Olao, 1578. edito, eruit. Nihilo minus in nonnullis Sueciae provinciis illum adhuc admodum incertum eſſe demonſtrat, et notatu dignum cenſet, in Savolaxiae et Careliae parte plures ſenes a variolis immunes reperiri. Poſtquam vero recentioribus temporibus variolae magis fuerant conſideratae, nullo tempore eas in Suecia plane defuiſſe, ex catalogis naſcentium et morientium patet. Ex quibus etiam non minus, quam ex aliis monumentis, auctor refert, quo modo variolae Holmiae, Aboae, aliisque locis, per varios annos, varia ratione ſint graſſatae, et quo modo aliquando ex loco in locum, iter, vel ſimul cum homini-

bus

bus traducentibus, vel epiſtolae ope, fecerint, atque inter homines diſperſae fuerint. Homines iis affecti plerique ſunt iuniores, ita ut quoque exemplum referatur infantis recens cum cruſtis et cicatricibus editi a matre, quae curam habuerat filii natu maximi; is infans deinceps immunis manſit a variolis. Neque tamen vel aetate provectiores ſunt contra eas muniti, quin ſenes decrepiti 84. annorum eas feliciter ſuperaverunt, et quamvis alii alius temporibus immunes manſerunt, tamen paulo poſt eodem morbo impetiti ſunt. Bis vero corripi poſſe homines veris variolis, haud concedere vult auctor, potius cum Meadio, Werſhofio, aliisque aſſerit, veras vix eſſe variolas, quae rurſus a contagio, ut in nutricibus, accedunt, quod febris adſit nulla, neque illas inſitione excitare potuerint. Pari ratione indagatu arduam cenſet illam quaeſtionem, an quis omnino a variolis liber in Suecia maneat? eam A. negat, quoniam vel adeo levis interdum earum impetus, aut febris obſervetur, ut a peritis quoque non ſatis attendatur. Ipſae autem variolae febribus intermittentibus plerumque ſunt contrariae: nam febres hae ſaepiſſime variolis accedentibus vel prorſus evanuerunt, vel per aliquot paroxyſmos ſiluerunt, iterumque redierunt; quid? quod ipſis variolis intermittens febris ſe ſociavit, cortice Peruviano autem iterum depulſa eſt. Variolarum hinc conſiderat A. indolem, quae, licet terris ſub frigidiori coelo ſitis mitior adiudicetur, tamen interdum maligniorem evadere, ex computatione per totam Sueciam facta, patet, ſiquidem 9000 circiter hominum per Sueciam morbillis et variolis per annum vita decedere, in primis vero Fennis admodum funeſtas eſſe, ex variis plurimorum locorum relationibus per plures annos apparet. Funeſtae huius rei cauſae in aeris vitio quidem ſunt quaerendae, ſed vitium illud eſt occultum, neque ſatis determinari poteſt, cum ſaepius in principio variolae admodum malignae, in fine mitiores reddantur; ſic quoque frigus hyemale miaſma varioloſum enervare haud valet, prouti ex variis hic

additis obſervationibus Suecorum medicorum eluceſcit. Simul autem plurimae cauſae in vitiis, partim in diaeta, partim in vitae genere incolarum, partim in variis remediis et medendi ratione perverſa, erant quaerendae, quas et ipſi medici Sueci corrigere, et aliis auxiliis vel variolas mitiores reddere, vel prorſus avertere tentaverunt. Ad haec pertinent infuſum picis liquidae, et pilulae ill. a Roſenſtein, ex pice liquida et herba Conii confectae, quibus multum, et ante morbi exortum, et ipſo iam praeſente, tribuitur. Magis vero virtus pilularum praeſervantium huius illuſtris medici laudatur, quae ex Calomelano, Camphora, Aloes extracto, et Guaiaci gumni componuntur. Veruntamen et his aliisque remediis morbum avertere haud potuerunt, ideoque iure de antidoto contra variolas remedio deſperant, neque exſtirpationem huius mali, a nonnullis medicis propoſitam, unquam fieri poſſe, vel expectari, putant. Hinc alia et in Suecia erant auxilia quaerenda, quibus morbus et mitior, neque adeo periculoſus redderetur. Hoc perfectum fuit inſitione, cuius hiſtoriam pars ſecunda huius libri continet. Tardius vero in Suecia adhibita fuit inſitio, ſiquidem Aboae primum 1757. die 19. Novembris ab Haartmanno cum ſucceſſu fuit tentata, poſtea aliquo tempore intermiſſam ille iterum feliciter adminiſtravit. Eodem anno Upſaliae Aurivillius eam felici eventu praeſtitit. Deinde inſitio laetiora cepit incrementa, quia ex iuſſu regiae Maieſtatis illam adminiſtrare nemini quam Medicis promotis fuit permiſſum, illudque acceſſit, quod Cl. Schulzius, ex itinere in Angliam inſitionis cauſſa ſuſcepto redux, Stockholmiam reverteretur, et variis in locis, praecipue autem in Oſtrobothnia, Cl. Haſt eam feliciſſime adminiſtrans, regia munificentia ad frequentius exercitium fuit excitatus. Cum porro proceres regni et purpurati inſitionem ſingulari proſequerentur favore, aliter fieri non potuit, quin inde et inter populum magis divulgaretur: ipſi etiam ſacri ordinis viri, per ſuum aſſenſum, non parum ad eius

incre-

incrementum contulerunt, in primis cum nonnulli propria manu ad aliorum exemplum in filiis ſuis inſitionem ſuſciperent; quam rem poſtea medici ipſi magis vel ſcriptis ſuis, vel exercitio perfecerunt, dum variis noſocomiis in oppidis maioribus adornata, variolarum inſitionem et faciliorem, et magis comprobatam redderent, ita ut quoque in defectu eorum, in aedibus, quibus infantes publicis ſumtibus ſuſtentantur, vel aegrorum cura habetur, medicis inſitionem exercendi daretur venia. Hinc quoque factum eſt, ut duo nummi, etſi non publica auctoritate, in artis honorem cuderentur. Etſi vero ea adeo felicia capiebat in Suecia incrementa, variae tamen cauſae eius progreſſum ulteriorem impediebant. Alii enim ſibi vanum conſcientiae ſcrupulum movebant; alii metu periculi et morborum poſtea ſubſequentium ab ea abhorrebant; alii inter plebem expenſis paucis, quibus opus eſſet, retinebantur; alii tandem ob timorem illum inanem, illos, qui huic arti ſe ſubmiſerint, ultra 30 vel 40 annum vitam ſuam non protrahere, eam ſpernebant. Haec tamen impedimenta, vel uſu noſocomiorum, vel praemiis ruricolis conſtitutis, fuerunt ſuperata. Ut vero pateat, quanto cum ſucceſſu variis in locis Sueciae a nonnullis medicis variolae fuerint inſitae, auctor tabulam de numero eorum, qui uſi ſunt inſitionis beneficio, adiunxit, ubi tamen monet, completam ſiſtere haud potuiſſe, quoniam medicorum haud pauci, de ſuo hac in re ſtudio ſileant, igitur ab anno 1754. usque ad annum 1756. numerat tantum 621. His ita relatis, ad ipſum in Suecia inſitionis exercitium propius accedens Auctor, primum de praeparatione agit, quam quidem pro variorum medicorum Suecorum methodis tradit, ſimul tamen praeter regimen diaeteticum efficaciora remedia, ut infuſum picis liquidae, mercurialia, antimonialia, emetica, purgantia, roborantia, et talia proponit; quibus tamen medicum pro corporum varia conſtitutione uti cum iudicio vult. Anni quoque tempora ipſa non ſunt negligenda, idque inprimis in Suecia, ubi

 aeſta-

aeſtate ſiccus aer, urensque calor gravet; hieme frigus fibras nimium ſtringat, humoresque condenſet: hinc, ſi fieri poteſt, ver et autumnum ſeligunt, caeterum et aliis temporibus, ut Iunio, Auguſto, atque Decembri et Ianuario, variolas fuiſſe inſitas, medici tradunt, ubi res poſtulavit. Licet enim variolis epidemice graſſantibus, illi, ob peculiarem vitioſamque aeris indolem, quae tunc dominatur, et ob maius infectionis naturalis periculum, aegrius ad iſtius exercitium accedunt: neceſſitate tamen coacti illud cum ſucceſſu ſunt aggreſſi. Praeterea clariſſ. Acrel in binis exemplis obſervavit, ex connubio utriusque infectionis nihil eſſe timendum, neque etiam a copia, ſive doſi varioloſi miasmatis, aliquid pendere, ſiquidem et bis inſitio fuit repetita ſine noxa. Magis inſitionem adhibere dubitant, cum alia lues, ut morbilli, ſeſe exſerit, ſiquidem horum characterem eis admiſceri, et ſic peiores reddi, ex optimis conſtat ſcriptoribus. De aetate contra non adeo ſolliciti ſunt medici Sueci: et licet Cl. Schulzius, intra tertium annum et decimum tertium plerumque coerceat, plura tamen exempla iuniorum infantum referuntur, adultiorum autem nullum. Quod ad varios morbos corpora afficientes pertinet, illi, niſi ſint maioris momenti, vix detinere ſolent ab inſitione medicos; potius ill. a Roſenſtein putat, ſi aegroti hi non niſi aegre inſitionis ope ſervari queant, vix mortis faucibus ſe ſurrepturos conſueta via infectos. Itaque infantum ulcere, ophthalmia, tinea, ſcabie, aliisque morbis afflictorum exempla referuntur, in quibus inſitio variolarum non ſolum bene ceſſit, ſed et ipſos infantes multo ſaniores reddidit. Plures dein variolas excitandi vias in Suecia refert Auctor. Primam, putat, eſſe emtionem, quae ibidem non minus, quam in Germaniae provinciis plurimis, familiaris, ſatis accurate hoc modo traditur: Infans variolis inficiendus ad hominem benigno genere affectum adducitur, variolas emturus. Imponuntur tum 5 vel 7 oboli, de quorum numero antea conventum, maturis, ſed ruptis puſtulis, deinde infantis inficiendi

pedi-

pedibus alligantur. Altera via eſt inciſio, qua, ad Anglorum nuperrimam methodum, in alterutro brachio lanceola plaga efficitur. Unicum enim vulnus ſufficere videtur, quum copia miaſmatis effectum non mutet, et vulneris unius inciſio facilius perfici poſſit. Sic etiam brachium ſiniſtrum dextro praeferendum eſt, quoniam eius rarior uſus eſt altero. Plaga ipſa paulo longior et profundior nihil incommodi afſert, modo ſanguis ante effluat, quam fila immittantur. Ad plagam efficiendam varia ſcriptores indicant inſtrumenta, quae a Cl. Schulzio binis fuerunt aucta, quorum alterum magis laudatur. Hoc lanceolam conſtituit, cuius manubriis, rotundato margine, tantum conditur, ut apicis modo exigua pars promineat; ne vero acies vacillet, filo manubria circumligat, vel argenteo circulo firmat. Alii loco brachii in crure locum ſeligunt, qui inter genu et ſuram introrſum medius eſt, et cui ſubligacula crurum in feminis circumvolvi ſolent; hoc modo maiorem variolarum numerum ad inferiorem corporis partem allici, ophthalmiasque averti putant. Alii veſicatorii ope, tenellis, cuticula ſeparata filum contagio imbutum applicuerunt. Verum ulcera late in brachio ſerpentia inde fuerunt enata. Alius pus varioloſum recens, vel cruſtas ſibi transmiſſas, unguento digeſtivo et cantharidum pulvere optimo cum ſucceſſu commiſcuit. Alius ſolo pure recente ſcabiei puſtulis in brachio infantis inuncto morbum ſuſcitavit benignioris indolis. Alius filio ſuo, dum vulnus forte in brachio ſibi infligeret, filum goſſypinum pure varioloſo imbutum impoſuit, et variolas mites excitavit. Tandem et ope ipſius lanceolae, qua puſtulae varioloſae ad fila inſitioni commoda paranda apertae fuere, et qua vena hominis variolis correpti inciſa fuerat, contagium in alios transferri poſſe, fuit cognitum. His conſideratis, modus fila ſervandi et transferendi proponitur, qui in eo poſitus eſt, ut vel vitris obturatis, vel ligneis ſcatulis, vel chartae involutae includantur. Nec illum efficaciae diſpendium, vel exſiccatione, vel ex diverſo

ſervati-

ſervandi modo fuit obſervatum. Pus ipſum ex mitioris generis variolis eligitur; exemplum tamen refertur, ubi pus ex confluentibus hauſtum variolas mitiores excitavit; pus vero ex artificialibus variolis vim ſuam citius amittit. Vetuſtatis vero filorum pure infectorum quoque habenda eſt ratio, quia, quo vetuſtiora illa ſunt, eo tardius febris et exanthemata proveniunt, uti exemplis illuſtratur. Aſt neque vetuſta, neque recentia fila, in nonnullis provocare potuerunt variolas, in aliis autem iterata modo inſitio efficax fuit. Itaque, ut certior haec res evaderet, conſilium iniit Cl. Schulzius, tria vel quatuor fila immittendi, ſed neque hoc ſemper vim exanthemata provocandi habuit. Diſpoſitioni corporum hanc rem adſcribunt, atque exemplis nonnullis illuſtrant; ſimul tamen et aliae cauſae, vel in plaga, vel in ſanguine profluente, et pus diluente, ſunt quaerendae. Caeterum notatu eſt dignum, febriles motus acceſſiſſe, ſed ſine ſubſequente variolarum eruptione. Haec enim plerumque ſexto die poſt inſitionem oritur, nono autem exanthemata prorumpunt, Cl. Schulzio obſervante. Neque tamen hoc ſemper ita fieri ſolet, ſiquidem ex quibusdam exemplis apparet, morbum vel citius, vel tardius ſe manifeſtaſſe. Ipſe vero morbus arte excitatus levioribus ſymptomatibus fuit vix non ſemper ſtipatus, ita ut pauciſſimis caſibus exceptis, conſueta iſta in variolis naturalibus ſymptomata non ſolum admodum mitia fuerint, ſed et numerus puſtularum valde exiguus obſervatus ſit. Quid? quod febris, aliaque ſigna morbi invaleſcentis, una cum vulneris inflammatione et ſuppuratione acceſſere, ſine ulla tamen ſubſequente eruptione morbus fuit abſolutus. At enim vero, quam leves huius inſitionis in aliis fuerunt progreſſus, tam gravia interdum eam exceperunt ſymptomata, ſiquidem plura exempla variolarum nigricantium, confluentium, cum graviore febre, convulſionibus, et ſuppuratione peiore coniunctarum, obvenerunt; quae medicorum curam poſtea eo magis poſtulavere, quo graviora aegrotos affecerunt; inde etiam nullus

nullus eis fuit peremtus. Neque ullus alius morbus cum variolis ſimul immiſſus a medicis eſt obſervatus; alia vero mala ipſis variolis acceſſere, ut dentitio, purpurae, petechiae, atque tusſis; morbilli rarius quidem ſimul cum variolis obſervantur, referuntur tamen nonulla exempla, ubi morbilli cum variis phaenomenis in ipſa inſitione ſe oſtenderunt. Quemadmodum autem alii morbi cum variolis inſeri vix ſolent, ita nec alia mala, ut ſequelae variolarum, vel reliquiae, fuerunt animadverſae, et ſi quae leviora obvenerunt, certe aliis cauſis erant adſcribenda, contra phthiſica labes, aliaque incommoda, variolarum inſitione evaſerunt mitiora. Tandem binae obiectiones removentur: altera, quae reditum naturalium variolarum poſt artificiales tangit; altera, qua variolae artificiales magis diſpergi, et epidemiam excitare poſſe dicuntur. Aſt cognitu eſt facile, illam locum habere non poſſe, ſi, quae in antecedentibus ſunt propoſita, cum veritate conveniunt. Quodſi enim rite fuit adminiſtrata inſitio, febris iuſta accesſit, et variolae verae adfuerunt, tunc ſane rarisſime, ſi unquam, variolae verae revertuntur; ſed ſi quaedam accedunt, vel ſunt ſpuriae, vel fiunt puſtulae ſine ullo alio morbi indicio. Quod denique ad alterum, de variolarum per inſitionem propagatione, attinet, primo quidem intuitu, aliquid omnino miasma, cui poteſtas variolas ſpargendi denegari haud poterit, ratione propagationis efficere poſſe videtur; cum vero hoc caveri posſit attenta infectionis adminiſtratione, et hominum nondum variolas perpeſſorum vetita ad infectos admiſſione. Praeterea vero, cum et virus variolarum artificialium non ita malignum ſit, ut naturalium, facile patet, propagationem variolarum per inſitionem vel epidemiam vix timendam eſſe, quoniam praecipue ad epidemiam earum excitandam aeris quoque conſenſu opus ſit, hoc enim deficiente, variolarum virus ſponte ſuffocatur. His conſideratis, Sectione altera huius partis, de ſcriptis, quae de inſitione in Suecia prodierunt, Cl. Auctor diſſerit, eaque ad tem-

poris ordinem, quo fuerunt edita, ita proponit, ut prima eorum inſcriptionem, et poſtea rerum praecipuarum momenta, adſcribat.

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII EPISTOLae Homericae.

Altenburgi, ex offic. Richteria, 1764. pl. 28½.

Muſis Gratiisque cariſsimi Klotzii ſcriptorum ante aliquod tempus fecimus mentionem, recenſendique initium. Iam ad Viri ingenioſisſimi *Epiſtolas Homericas* progredimur, quibus poetarum principem amantibus, (et quis non amet?) nihil accidere potuit optatius, nihil iucundius. Eodem ingenii acumine, tenerrimo eodem ſenſu, qui, quaecunque bene pulchreque cogitata et eleganter expreſſa, obſervat et explicat, multa eadem rerum hominisque cognitione, quibus nuper interpretatus eſt Horatii carmina, Homerum perluſtravit. Huius quae ſit inſtituti ratio, ex ipſis VI. epiſt. ad virum gener. et bonar. litter. intelligentiſſ. *de Breitenbauch*, Equitem Thuring. ſcriptis, perſpicere licet. Epiſtola prima narrat, quae Klotzium cum Breitenbauchio iunxit, amicitiam, litterarumque, qua uterque ſummo tenetur, amorem. Laudat ille amici expreſſum carminibus, ex quibus plurimum perceperit voluptatis, ingenium, vitamque, quam ruri agit, beatam. Quam vere hoc loco, quamque eleganter, depingit vitae ruſticae amoenitatem, et, qui ea fruitur, felicitatem amici! „Quanquam (ita Klotzius) quid ego verſuum „tuorum elegantiam miror? ipſe ille receſſus amoeniſſi„mus, ubi ita domicilium poſuiſti, ut exemtus neceſſitate „quotidie aliquid contra animum faciendi, tibi muſisque vi„veres, clamores et ſtrepitum aulae forique fugeres, alios„que ſpe, timore, rumoribus ſollicitari, et frigidis rebus „dies abſumere iuberes, ingenii praeſtantiam alit, auget, et „excitat, ſublimemque animum et ſpiritum beatiorem pa-

„raro

„rare videtur. Illos liquidos fontes, purius coelum, avium „concentum, nemorum iucundum frigus, aliaque, quae „nobis tantum in poetarum carminibus mirari et amare li„cet, quis non credit animo illum vigorem dare, quem, qui „in urbe vivimus, ſaepe fruſtra precamur? Quem non de„lectet illa lata, arboribus ſilvisque conſita, et rivis diſtincta „planities, cincta eadem, ut vallis imaginem, non ſolum „nomen habeat, montibus, unde amoeniſſimum regionis „ſitum proſpicias, quamque largiſſime ſibi natura indulſerit, „mireris; unde amoeniſſimam late circumſpiciendi liberta„tem nactus, contempleris complurium villarum tecta, ve„teresque aliquot, avorum memoria clariſſimorum loco„rum ingentes ruinas, ubi et ſuperſtitio, et pia ſimplicitas, „et ſtupor, et pigritia, et probitas etiam cucullo tecta, late„brisque abſcondita, olim habitavit; ubi ſemper nova rerum „varietas oculis occurrit, eosque paſcit, nunquam explet et „ſatiat? Quis non in umbroſo littore Unſtruthi amnis, qui „quaſi invitatus retentusque adiacentium villarum horto„rumque amoenitate, lentius profluit, libenter iaceat, et mo„do gratam, quamque ſoli poetae intelligunt, rivi loquaci„tatem audiat, modo arbores, quibus ripa conveſtita, fruti„cesque, aquam viridi imagine reddere cernat? Apes vero „levi ſuſurro murmurantes, novosque flores legentes, ſoluta „et libera armenta, taurum vomerem collo trahentem, mu„gientes vaccas, et vitulam pugnam meditantem, aut de „alta rupe pendentes capellas, quis intueri poteſt quin in„timis ſenſibus afficiatur? Quam beatum igitur te, non ſo„lum ſapientem, vir nobiliſſime, praedicem, qui cum facil„limo negotio theatrum nanciſci poſſis, in quo excellentes „tuae plurimaeque virtutes ab omnibus conſpiciantur, re„motus ab iis negotiis, quae avocant animum, fatigant, et „comminuunt, te in alto illo et pingui ſeceſſu ſtudiis aſſe„ras, et vel pulcherrimarum artium ſtudio ingenium ani„mumque paſcas, et ſcribas, quibus tuum nomen ſumma „cum laude coniunctum ab omni interitu hominumque obli-

 vione

„vione vindices?“ Quis hanc vitae ruſticae amoenitatum deſcriptionem non ab optimo aetatis optimae ſcriptore factam exiſtimet? Pergit Vir doctiſſimus in enarranda vitae ab ineptiis turbisque, quibus omnia redundant, remotae, litterisque conſecratae beatitudine, aſſeritque, ſe nunquam dediſſe ambitioni ſacramentum, nec, quae hominum vulgus miretur, ea moleſtis precibus a diis flagitaſſe, ſed animi tranquillitatem aliunde, quam ab honorum opumque ſplendore, exiſtimare petendam. „Saepius etiam ſecum: quan-„do mihi licebit ad arbitrium meum omnia facere? quan-„do me magis atque magis otio involvere? quando in re-„ceſſu mecum tantum et cum libellis loqui, et quodcunque „contraxi moleſtiarum deponere?“ Tandem otium illud iam diu petitum, quod in litteris collocare iuvet, atque inter muſas conſumere, nactum ſe eſſe, ſibique vivere gaudet. „Ubi, inquit, urbis taedet, in ſuburbanum hortulum „fugio, ibique aut lego aliquid, aut ſcribo, neſcio quid nu-„garum meditans, et in illis totus. Nihil vero me magis „reficit conſuetudine maximorum elegantiſſimorumque „omnis aevi hominum, qui me ubique comitantur, ſemper „incredibiliter delectant. Ploro cum Sophocle, et cum „Euripide moereo: amo et ludo cum Anacreonte: ruſti-„cor cum Theocrito: terra relicta coelum cum Pindaro „peto: proelium ineo cum Homero: rideo cum Flacco „et Iuvenale, atque mores hominum obſervo cum Teren-„tio. Horum opera legenti quae mihi in mentem vene-„runt, in commentarios retuli, in quibus nihil eſt magna „induſtria elaboratum, aut multo librorum auctorumque „numero confirmatum, quodque non ingenioſus quivis aut „iam ſciat, aut facile reperiat: quaedam tamen non pervul-„gata ſatis, immo, niſi valde erro, nondum ab aliis dicta. „Quemadmodum vero poetae ab Iove principium faciunt, „ita ego ab Homero. Cuius de laude quia ſaepe a me „dictum eſt, et dicetur alias, eo facilius me a te veniam im-„petraturum eſſe ſpero, ſi illum in quibusdam reprehen-

„dere

„dere ausus fuerim. Ubi lubenter tamen me ex eorum „numero eximes, qui inepto auſu, maioreque audacia quam „doctrina inſtructi, illorum operum praeſtantiae detrahe„re conentur, quibus a bis mille annis ſummam praeſtan„tiae laudem, una et conſentiens ſapientiſſimorum hominum „vox, et totus, qua patet, litterarum orbis tribuit. Nemo „fortaſſe me vehementius antiquos ſcriptores admiratur et „amat, eorumque libros maiore animi cum voluptate legit. „*Ingenii humani ſummam vim et quaſi menſuram in iis con„ſtitiſſe et eluxiſſe puto*; immo Homeri cogitatione quaſi „ad divinitatis occurſum commoveor, adſurgo illius magni„tudini, inflammari me ſentio, et immortalitatis ardore accen„di. Idem tamen, eosdem magnos viros homines fuiſſe „exiſtimo, neque immunes iis, quae hominum propria „ſunt. Quorum quid eſt aliud tam proprium, quam erra„re et labi.“ Ipſam Viri acutiſſimi orationem referendam duximus, et quod nihil ea ornatius eſt, et quod, quae in his epiſtolis maxime de Homero diſputabuntur, explicat. Hinc quaedam de ſcriptorum vitiis diſſerere incipit, et ſi optio detur, eligendum putat magni ingenii auctorem, licet ſaepiſſime peccet in artis praecepta, eum vero reiiciendum, qui nihil peccat, quique eo contentus, quod non offendat, nihil praeterea curat, nec, quomodo delectet, cogitat. Probatur haec ſententia Shakeſpearii exemplo, quo nullus unquam magis neglexit ea, quae artis ſunt, quaeque de fabulae diſpoſitione praeceperunt critici: hic, licet per aliquot annos extendat actionem, tamen ſummi ingenii famam aſſecutus eſt, et appellatur divinus. Neque minus, ut Cornelii tabulam, quae Cid dicitur, non ad regulas artis compoſitam eſſe oſtenderent, multi fruſtra laboraverunt; placuit ingenioſis, et a partium ſtudio remotis. Nunquam peccaſſe dicitur Apollonius; quis tamen non multo libentius Homeri famam ingeniumque, cum omnibus vitiis, quam Apollonii timidam et ieiunam tenuitatem, habere velit? „Haec igitur„ (ita Klotzius V. Clar.) aliaque

„cogitare debebant, qui patrum memoria de praeſtantia ve-„terum ſcriptorum, maiore clamore, quam ſapientia, diſ-„putaverunt: cum illi, qui, ſi in pulchro corpore naevum „offenderent, incredibiles turbas excitarent, tum hi, qui „nefas cenſerent, humanae imbecillitatis veſtigia in antiquis „monimentis quaerere et invenire. Placebit Homerus, „laudabitur, admiratione dignus cenſebitur, licet illum dor-„mitaſſe aliquoties appareat." Hoc Vir doctiſſ. ex iis po-tiſſimum locis patere exiſtimat, ubi ad ea deſcendit Home-rus, quae epici carminis gravitatem et dignitatem minime decere putantur. Dum riſum lectorum captare voluit poe-ta, non levibus carmen divinum maculis adſperſit, quae illi non exiguam deformitatem, lectorique moleſtiam con-cilient. Huc referri poſſunt, cum in Odyſſea Iri cum Ulyſ-ſe concertatio, tum in libro Iliados primo is locus, ubi deum Vulcanum hiſtrionem agere iubet. Sed aliud, et magis perſpicuum profertur ex altero libro exemplum. Ma-gnis nimirum iris inter duces ortis, et ſummis in exercitu turbis, conatur Ulyſſes Graecos iam domum abituros retine-re; populus concurrit; reliqui omnes taciti ſedent; ſed ſolus Therſites aliquis loquacitate ſua moleſtus eſt. Hunc garrire et rixari iubet Homerus, turpiſſimum forma depin-git, verberatum ab Ulyſſe, inde lacrymantem, ceteris ſua-viter ridentibus. Collegit quidem omnia, quae foedum hominem, et ridiculum adſpectu, facerent; ſed nihil ſecun-dum Quintilianum poteſt placere, quod non decet. In ſa-tyra ſi hic homo compareret, non parum delectaret; in epico autem carmine non eſt illi locus. Apto quaeque loco ponenda ſunt; hinc praeclarae Virgilii Taſſique de-ſcriptiones noctis, (Aen. IV. 522. Gierus: liber: Cant. II.) ſuo loco adhibitae, laudantur. Pluribus evincit acutiſſimus Klotzius, Therſitem, ubi ab Homero collocatus eſt, epici carminis maieſtatem, et rei gravitatem offendere. Qua de cauſſa quae proferuntur longius, ut legantur et relegan-tur, digniſſima ſunt. Similis Homero eſt Miltonus, qui

face-

facetus eſt et iocoſus, ubi gravis eſſe debebat; et huc pertinent Gabrielis cum malo ex inferis genio altercatio (lib. IV.) Satanae iocus (lib. IV.) aliaque in divino carmine loca. Recentioris adhuc aevi poeta eodem modo, quo Homerus, peccaſſe oſtenditur; hinc poetae et artifices inter ſe comparantur, clariſſimorumque pictorum nomina ac tabulae proferuntur, ubi gravibus levia, et ſeveris miſcentur ridicula. Sub epiſtolae ſecundae initium quaedam adhuc de *Therſite* monentur; mox de vero veterum ſcriptorum amore diſſeritur, adiectis quibusdam animadverſionibus, quae in noſtram aetatem cadunt potiſſimum, quasque repetere, omniumque oculis ſubiicere iuvabit. „Nos aeterna illa „monimenta, a Graecis Latinisque relicta, non ideo venerabimur, quoniam priſcis temporibus compoſita fuerunt; ſed „illis temporibus ideo laudem et honorem habebimus, quoniam ex iis ea opera ad nos pervenerunt, quae in tantum „recentioribus praeſtantiora ſunt, in quantum aliquid alio „melius eſſe poſſe intelligitur. Non, quia Graeco Latinoque ſermone uſi ſunt Homerus, Theocritus, Virgilius, „Horatius, eorum verſus admirabimur; ſed quoniam tanta „ingenia, graecis latinisque litteris, quaecunque pulchre cogitaverunt et eleganter, conſignarunt, addiſcemus eas, „exiſtimabimusque, aliis etiam linguis et ſapientiam, et „eloquentiam, et poeſin, uti poſſe. Legemus libros veteres „ita, ut auctorum divina ingenia admiremur, conemurque, „quam illi tritam nobis reliquerunt, ad veram gloriam et „immortalem laudem viam, inire: ſemper autem honeſtam „et ingenuo homine dignam examinandi omnia accurate, et „quoties opus fuerit vituperandi diſſentiendique, libertatem „retinebimus. Iſtos vero praeclaros, ſi Dis placet, humanitatis doctores, cur miramur aliter iudicare? nempe, conſumta tota vita in ſyllabis numerandis, verbis expungendis, antiquis ritibus formulisque ediſcendis, in angulis ſcholae, aut cathedra umbrae conſenuerunt. Neſciunt plane „illam coeleſtem animorum inflammationem, afflatumque furo-

„furoris, quo poetarum animus excitatur et accenditur; „ignorant illud os magna ſonaturum, illudque omni hominum imbecillitate maius, et coelo cognatum ingenium. „Quae igitur eſt illa ſcientia, qua turgidi tam magnifice „incedunt, tam alte ſupercilia tollunt, et quaſi omnem noſtrarum litterarum vim atque materiam ſcientiae cogitatione comprehenderint, reliquos ex alto deſpiciunt et ſpernunt? Quae verba aureae, quae argenteae aetatis ſint, tenent: ſciunt, quae voces in Antibarbaro Cellarii, aut Noltenii indice, ſi ita dicere licet, expurgatorio, notatae ſint: „ſimiles collegae olim ſui, Pomponii Marcelli, ſoloecismum „in advocatione factum tanquam crimen in adverſario arguentis, de antiquo ritu obſcura diligentia libellos quosdam „diobolares conſcripſerunt; ab actorum diurnorum ſcriptoribus laudes pretio humilique adulatione, ſed magis „nummulo aureo, (nam dea Moneta parum eis favere dicitur,) venales acceperunt. Quotus quisque autem eorum „tum non hac ſuavi perſuaſione fruitur, ut, ſi ante ſummos „viros non numeret ſe, at plane poſt Caſaubonos, Heinſios, Hemſterhuſios.“ Pergit Vir acutisſimus in iis vituperandis, qui, dum in veterum monimentis curant leviſſima, et graviora omittunt, inſano faſtu turgent, magnamque ſe adeptos eruditionem vane gloriantur. Vult, et quis eum ita velle aegre ferat, ut, qui poetarum arbiter eſſe haberique cupiat, ipſe poeta ſit; aut, ſi in hac re naturam non habuerit fautricem, ingenio certe poetico inſtructus, quod et venuſtatem amet, et facile incaleſcat, et abſentium rerum imagines bene capiat, ſibique res, voces, actus, ſecundum verum optime fingat; pectus vero habeat molle, quodque ſicut mollisſimam ceram ad noſtrum arbitrium fingimus et formamus, facile omnes, quos poeta excitare vult, in ſe motus accipiat. Placebit ſane, quem illacrymantem fatis Oedipi, Didonis, Priami, offenderis; cui ſereno et hilari vultu Theocritum aut Anacreontem legenti ſuperveneris; quem aliquid altum ſpirantem ab Homeri et Miltoni lectione

redire

ſedire videris. — — Saepius variis agitata contentionibus, ſed parum illuſtrata eſt ea quaeſtio: an liceat nobis profanorum hominum de Deo rebusque divinis opiniones in carmine adoptare? Ad eam igitur magis explicandam animum induxit doctiſſimus Klotzius. Primum recte monet, aliorum animos oppresſiſſe ſuperſtitionem quamdam, eorumque occupaſſe imbecillitatem; alios non ſatis idoneos iudices de verſuum elegantia fuiſſe; omnes, qui ſuper hac re aliquid in litteras retulerint, praeteriiſſe pictores et ſtatuarios, quorum in hac re ratio habenda ſit. Iam ad quaeſtionem propoſitam. Duplex nimirum eſt ſcriptorum genus, qui profanorum doctrinam de diis uſurpant: alii argumentum ſacrum tractant, aliorum verſus nulla cum Chriſtianorum doctrina cognatione coniuncti ſunt. Prodeant igitur primum illi, qui res ſacras canendas ſibi ſumunt. Hi vero in Mythologia et invenient plurima profanae doctrinae propria, et quaedam animadvertent omnium religionum communia. Ad ea refert V. Doct. multitudinem deorum dearumque, munera eorum, vitia, et ſcelera; porro doctrinam de regnis inferis, de poenis praemiisque hominum poſt mortem, et plura alia. Haec igitur plane abeſſe vult a carmine, cuius argumentum e religione Chriſtiana petitum ſit. Impium alii eſſe hoc dicent, nec ſine ratione dicent. Ego, (ita Klotzius,) qui mitior in omnibus iudex ſum, ineptum eſſe dico, vera falſis hoc modo miſcere: non decere, humilitatem profanorum deorum maieſtati illius doctrinae addere, quae ſuis ornamentis, proprioque ſplendore, ſatis nitet, alienis non opus habet: ridiculum fere eſſe, modo veriſſima praedicare, modo vana ſomnia et inanes ſpecies proferre: immo fieri non poſſe, ut in uno argumento, res ipſa ſua natura diverſae, quarumque altera abhorret ab altera quam longisſime, coniungantur: videri potius eas invicem ſe obſcurare et tollere. Peccarunt tamen hac parte complures recentiorum poetarum, quorum exempla adduntur. Antiquior reliquis eſt Nonnus in Metaphraſi in Iohannem, qui ſaepe ſatis inepte

ſacra profanis miſcuit. Ubi Iohannes ſimpliciter Lazarum a morte reſuſcitatum eſſe memorat, interpres fruſtra addit, Plutonem apud Lethen mortuum elapſum inveſtigaſſe. Hunc excipit Actius Sincerus Sannazarius, cuius de carmine, quod de partu Virginis conſcripſit, libere fert ſententiam doctiſſ. Klotzius, poetamque Virgilio, quem depraedatus eſt, ſimilem, ſed ut ſimiam homini, eſſe oſtendit. Quaedam exempla, quibus hic poeta peccavit, adferuntur p. 59-62. Poſt hunc Claudianus, cui proprium eſt hoc vitium, Mythologiam ubique oſtentare, vituperatur. Eadem de cauſſa referuntur quaedam ex clari nominis poetarum carminibus deſumta loca, quae multa cum cura collegit Vir Doct. additis et pictorum exemplis, quae apud ipſum Auctorem a p. 62. usque ad p. 86. variis animadverſionibus illuſtrata, leguntur, nec ſine multa voluptate leguntur. Venit ad alteram Mythologiae partem A. qua ea comprehendit, quae non tam inepta, ridicula, falſa, impia, uno verbo ſuperſtitionis propria ſunt, quin a veri Dei cultoribus uſurpari poſſint. Huc refert pulcherrimas deſcriptiones divinae ſapientiae potentiaeque, ſublimes divinae maieſtatis imagines, praeclaraſque de rebus coeleſtibus ſententias; quarum eſt ſaepe ea praeſtantia, ea ſublimitas, ut vix in mortalium, qui a veri Dei cultu alieni ſunt, animos cadere potuiſſe videantur, quibusque apta imitatione exprimendis, ſummum carmini decus poeta conciliaverit. Quid poteſt maius, ſublimius, digniusque numine divino dici illis Homericis: Iovem annuiſſe nigris ſuperciliis, concuſſiſſe divinam caeſariem capitis immortalis regem hominum atque deorum, et totum tremefeciſſe Olympum. Vere optimus pictorum ab antiquis Homerus appellatus eſt, certatimque illius verſus imitati ſunt veteres poetae. Recte arbitratur doct. Klotzius, nihil eſſe in hac imagine, quod indignum ſit vero et immortali Deo, immo illius maieſtatem, mortali ab imbecillitate, non melius poſſe fingi et concipi. Transtulerunt igitur bene Chriſtiani poetae Homericos de Iove verſus ad verum Deum. Exempla adiiciuntur ex Hier. Vida, Taſſo, Miltono, Voltario,

tario, et Klopſtockio deſumta. Iam ad ea progreditur Vir eruditiſſimus, quae de ſtatuariis et pictoribus dicere conſtituit, quosque quamplurima arbitratur ex antiquis monimentis repetere poſſe, quae digna ſint religionis noſtrae veritate. Quarum rerum non modo gnarum, verum iudicem etiam ingenioſiſſimum Klotzium V. Cl. videmus, et admiramur. „Inter omnia, ait, animalia, quae in orbe no„ſtro verſantur, nullius eſt forma praeclarior humana, ſive „erectam illam ad cognatum coelum faciem, ſive membro„rum compoſitionem et pulchritudinem ſpectemus. Neque „igitur hac alia erit ſpecies dignior Dei maieſtate, quam „etſi exhaurire mortali non datum ſit, certe ita adumbrare „decet, ut, quod omnium rerum humanarum maximum ſit, „ſi quid eſt in hoc orbe magnum, adhibeat. Ipſe Deus „ſibi manus tribuit, dorſum, naſum, pedes, in ſacris litte„ris, atque cum ipſe, tum e coeleſtibus geniis, humana for„ma induti non ſemel apparuerunt quidam. Quae cum ita „ſint, ſequitur, ut artifices talem animo concipiant atque „exprimant figuram, quae ſit omnium perfectiſſima, non „ſingulos homines imitentur, ſed quid perfectiſſimum cogi„tari poſſit ſibi proponant. Non iis, quae ante oculos „ſunt, artifex contentus erit; ſed ad altiſſimum pulcherri„mae formae gradum aſcendet. Mortali forma adſumta Ve„nus apparet Aeneae quidem (Aen. I. 331.): ſed habet ta„men ſpeciem mortali ſanguine maiorem. Ita igitur arti„fex, ipſa natura quodammodo ſuperior, ſummam effinget in „animo formae praeſtantiam, et in opere ſuo exprimet. „Atque hoc eſt, quod ab iis, quorum artem antiqua aetas „admirata eſt, factum eſſe conſtat.“ Haec compluribus exemplis iudiciisque ingenioſis a pag. 100 — ad p. 122. illuſtrantur, ubi videre eſt, quam copioſa eorum, quae ad Artes ſpectant, cognitio, et quod pluris eſt, quam acuta bene de his iudicandi vis, ſit in Klotzio. Denique ad ea progreditur, quae in cuiusvis alius argumenti, quam religioſi, carmine, poetae concedenda eſſe exiſtimat. Atque primum quidem conſiderata ſumma religionis, imperii, mo-

rum, vitae, aliarumque rerum diverſitate, ita ſtatuit, ſe nullam videre cauſſam, cur ea retineri debeant, quae omnino ab aetate noſtra abhorreant; quidquid etiam Boelaeus pro fabulis dicat (L'art poétique Ch. III.), qui in vitam ſpiritumque carminis contineri putat, male tamen varia illarum genera commiſcet, et ſacra cum profanis confundit. Neque enim, ſi quaeras, cur Neptuno tribuatur imperium maris, aliarumque fabularum ſi cauſſam interroges, aliud quidquam reſponderi poteſt, quam hoc ideo fieri, quia a Graecis et Romanis factum ſit. Nempe, cum ſub ea tempora, quibus amiſſus bonis litteris honor reſtituebatur, recteque a viris doctis praeciperetur, eſſe ex antiquorum ſcriptorum libris eleganter cogitandi, politeque dicendi et ſcribendi artem hauriendam, etiam hac parte ſe illis ſimiles eſſe debere crediderunt. Quod cum a multis fieret, et claris viris, res facile auctoritatem obtinuit, pluresque invenit amatores. Quomodo vero per tot annos hic mos retineri potuerit, non videt Vir doctiſſ. cum, ſi verum dicere velimus, nullo alio fundamento nitatur, quam errore et ſuperſtitione veterum. Qui cum ex legibus religionis ſuae illa deſerent, reprehendi non debent: hanc reprehenſionem illi tamen non effugient, qui, re ipſa amiſſa, nomina tantum inanemque ſonum retinent. Tantam rerum, quae hodie eſt, facies, ſententiarum novarum et imaginum copiam praebet, ut homini ingenioſo numquam deeſſe poſſint, quibus exornet carmina. Cogitemus, quam multa de natura rerum nunc hominum ſtudio explicita ſint, quae olim aut ignota, aut certe obſcura ſatis eſſent; conſideremus, eſſe orbem terrarum recentiori tempore quaſi auctum acceſſione, terris olim ignotis, nunc cognitis, et perpendamus, quantam haec omnia poetae ſilvam ornamentorum dare poſſint, multo meliora iſtis nominibus Iunonis, Plutonis, ceterorum. Laudatur praeſtantiſſimus carminis de morte Chriſti auctor, cuius omnes fere comparationes novitatis gratiam habent. Concedit tamen Vir doct. eſſe in altero Mythologiae genere, quae imitari poſſit poeta. Nam cum et virtutes et vitia in

deo-

deorum numerum adſcriberentur, eumque et his, et aliis animi affectibus, vultus corporaque darentur: inveniat, cum in monetis gemmisque antiquis, tum in carminibus, quibus commode utatur. Pudicitia, Fides, Iuſtitia, et quamplurima alia, in antiquis monimentis occurrunt, et ad poetae ingenium tum alendum, tum acuendum, variisque imaginibus locupletandum faciunt. In his igitur, ſimilibusque exemplis, quid deceat, videbit: removebit ea, quorum nullus eſt nunc uſus; quae cuiusque poetici ingenii, et omnium populorum communia, ea adhibebit. Ad Epiſtolae huius finem, quaedam de artificibus, in primis de pictoribus monentur, quae certe digna ſunt ingenio Klotzii, atque eruditione. In tertia Epiſtola defendit Homerum a quorundam reprehenſionibus, ubi pro conſuetudine ſua omittit, quae ab aliis ſatis iam explicata ſunt, ab iisdem autem praeterita exponit. Poetae laudes brevibus attingit, et quosdam potioris elegantiae locos tanquam praeteriens admiratur. Nunc ad Homerum venit contra eos defendendum, qui ſe offendi queruntur verſibus quibusdam, qui nullo verbo, nulla ſyllaba mutata, eadem ſaepius facie, eodem habitu occurrunt. Sunt enim eiusmodi complures, qui non eadem, qua reliqui, cura elaborati eſſe videntur, quosque poeta, quaſi indignos, quibus variandis divino ingenio immoraretur, abiecisse videtur. Tales ſunt: Illi vero reſpondit prudens Ulyſſes; ita dicebat, et ego reſpondebam; aliique, quorum magnus numerus in Homero occurrit, a Klotzio notatus. Qua in re a compluribus vituperatus eſt Homerus, in primis a Martiale et Rapino. Primum in iis refutandis verſatur V. Eruditiſſ. qui in minutis rebus haerent, magnamque curam oſtendunt; quorum inane ſtudium multis illuſtrat exemplis, a ſtatuariis potiſſimum et pictoribus petitis. Porro comparat ſtatuariorum veterum opera cum Homeri carminibus. Quemadmodum illi in ipſo opere omnes ingenii diligentiaeque nervos contenderunt, eaque monimenta reliquerunt, quae tanquam optima exempla, quo quisque ſtudioſior eſt famae aetisque

eo diligentius contemplatur imitaturque; reliqua autem, quae acciderunt, nobili quadam libertate neglexerunt, qua ipſa negligentia operis praeſtantia eo magis enitebat, ſpectatorumque attentio, a complurium contemplatione retenta, in una illa figebatur; ita etiam Homerus in magno opere verſatus eſt, quod, Minerva ipſoque Apolline opem ferentibus, perfecit. Ut in magnis tabulis non ea diligentia omnia elaborata eſſe debent, cum longius ab oculis noſtris abſint, quae propius conſpiciendam parvam tabulam decent; ita etiam in Iliade et Odyſſea, non ea ſummo ſtudio obſervata ornamenta quaerenda, quae in Aeneide a Virgilio non negligenda erant. Admirabilis eſt Homerus in totius carminis ordine et diſpoſitione; ſummas ubique ingenii et eruditionis divitias oſtendit; varius pro argumenti natura. Quae vero indigna cenſuit, quae ſplenderent, quaeque ab ipſo lectore negligi voluit, ea quoque non digna exiſtimavit, in quibus multum laboraret, ſed abieciſſe potius, quam ſtudioſe feciſſe videri voluit. Nam non potuiſſe eum in his varietatem adhibere orationis, quis credat? Quare potius non minus neceſſariam eſſe exiſtimamus eam negligentiam in Iliade, quam umbram in pictura, qua fieri videmus, ut reliquae tabulae partes eo magis eniteſcant. Adiiciuntur Horatii Lucianique ſententiae, quibus ingenioſa haec Homeri defenſio, et Epiſtola III. ad finem perducuntur. Epiſtola IV. tractat de quibusdam lectu digniſſimis praeceptis, quae in examinandis magni ingenii monimentis obſervanda ſunt. Non ſolum in iis, quae πάρεργα dicuntur, aliquam negligentiam placere exiſtimat doctiſſ. Klotzius, ſed in toto etiam opere interdum talem apparere. Qua de re ei fortaſſe alius commodiorque erit dicendi locus. Nunc autem prius propoſitum proſequitur. Nam in univerſum illud obſervandum putat homini, qui ſua ſcripta placere, laudari, legique etiam ab iis, qui poſt nos erunt, voluerit, non eſſe optimos foetus, qui difficillime partu edantur; atque licet nihil peius ſit, quam vitiis ſuis indulgere, aut parum diligenter in ſcribendo verſari, eſſe tamen hoc ita temperandum,

ut

ut ne opus, quod ſplendeſcere debeat, lima atteratur. Quemadmodum vero infelices eos eſſe credit, qui ſibi ipſis numquam ſatisfaciant, nec contenti iis, quae fecerint, iterum iterumque ſua corrigant et emendent, et demum, ubi ſatis ſudoris profuderint, plurimumque in mutando et expungendo temporis ſtudiique conſumſerint, magis etiam quam antea diſpliceant: ita etiam hanc acerbitatem valde nocere ſcriptoris cupiditati, lectores delectandi, ſed etiam famae, exiſtimat. Eorum vero multa, cum antiqua, tum noſtra aetas exempla vidit, quorum indicem Bailletus contexuit, (Jugemens des Savans T. I.) Neque inter artifices defuerunt, qui neſcirent manum de tabula tollere. Quorum quaedam exempla proferuntur. Cur nimia diligentia credatur noxia, dein exponitur. Primum eſt ea natura elegantiae, venuſtatisque indoles, ut, ſi quaeramus eam ſtudioſius in ſcribendo, raro inveniamus. Sponte ſeſe offerunt praeclarae ſententiae, atque iis in mentem veniunt, qui patienter illius temporis opportunitatem exſpectant. Quicunque ſuae naturae vim inferat, qui ingenium quaſi cogat, ut aliquid pulchri ſuggerat, non obtinebit quae cupiet, certe frigida proferet, aut omnino ridicula. Deinde ea ipſa, quae nimio ſtudio elaborata ſunt, ſcriptaque, raro aut nunquam placebunt. Haec copioſe et docte explicantur, optimisque et animadverſionibus et exemplis illuſtrantur, repetitis cum ab artificibus, tum a ſcriptoribus. Adduntur denique praecepta in corrigendis carminibus a quovis obſervanda, qui famae habeat curam et immortalitatis. Epiſtolae V. initium diem aliquam ſerenam, naturaeque amoenitatem depingit, qua multa laetitia perfuſus eſt Vir praeſtantisſimus. Omnia dum ipſi arridere, omnia dum ad laetitiam invitare viſa ſunt, ſecum habuit perpetuos comites candidisſimosque ſodales ſuos, quorum honos et ſumma laus, quamdiu ſteterit aut Latinae linguae potentia, aut Graecae gratia, aut Italicae mollitudo, aut Francicae venuſtas, vigebit. Hos inter ſe committere, et certamen aliquod ſplendidum ingeniorum inſtituere, viſum eſt. Nihil enim lubentius facit,

quam

quam ut comparet inter ſe ſummorum hominum virtutes, eorumque opera ita examinet ſaepiſſime, ut quomodo Homerus, Virgilius, Taſſus, reliqui, in una eademque re commemoranda verſati ſint, videat. Quod dum facit, non ſolum cenſuram praeclariſſimorum ſcriptorum agere, ſed etiam quaſi hiſtoriam humani ingenii contexere ſibi videtur. „Admiror, inquit, feliciſſimam Ciceronis ubertatem, au„reum orationis flumen, quod illius proprium eſſe videtur, „quod nunquam areſcit, quod quaſi limpidiſſimam et beatiſ„ſimam copiam aquarum alit, quod omnia occupat, me de„lectat. Sed cum horrore aliquo audio videoque Demo„ſthenem, in copioſa orationis brevitate, et uberrima verbo„rum parſimonia, non perſuadentem, ſed cogentem, non di„centem, ſed iubentem, non loquentem, ſed tonantem cum „deorum maieſtate fulgurantemque. Placent paſtores „Theocriti, nullis aliis rebus ornati, quam quas rura prae„bent, nihil loquentes agentesque, quod non faciem ruſti„cae vitae deceat, quod non ex animi ſententia dictum eſſe „videatur; video aperta, nullisque vitiis contacta pectora; „agnoſco ſine candoris ruborisque medicamentis formo„ſum, elegantiaeque modo et munditia placentem vultum; „capit me hic veritatis ſine ullo fuco color, et innocentia „illa, nudaque ſimplicitas, coniuncta cum animo, amoeniſſi„mis imaginibus, quae ruri viventibus obſervantur, pleno; „ipſa ea grata negligentia delectat, quae, neſcio quomodo, „antiquis illis temporibus optime convenit, illud aureum et „criminum inops ſeculum decet.“ Comparat doct. Klotzius Theocriti paſtores cum Virgilianis. „Quoties (addit) „nobis non homines rure natos, educatosque, ſed in aula „Auguſti, in elegantiſſima urbe verſatos, audire videbamur. „Acuti ſunt boni viri, ſunt ingenioſi, doctrinam etiam oſten„tant, ſententias, ſi diis placet, loquuntur, uno verbo, tan„tum ab illa, quam ſermone referre debebant, ſimplicitate „abſunt, quantum a Theocriti aetate Virgilius, — — Non poteſt ſatis Vir Eruditiſſ. maieſtatem Pindari admirari, illamque vim ingenii, qua elatus terram relinquit, et coelum

lumbisque, ut aquila, petere videtur. Homerum vero complectitur et amat, eoque arcte vult et familiariter uti. — — Homerus primus invenit, ſimpliciterque expoſuit; et politius limatiusque Virgilius explicuit; quem deinde optimos recentiorum poetarum ita ſecutos eſſe videmus, ut alia addiderint, mutaverint alia, nonnulli reſcinderent. — — Notatur et illuſtratur is locus, ubi Diſcordiae imaginem exhibet Homerus; defenditur poeta, doctis copioſisque animadverſionibus. Profertur Ovidii deſcriptio Famae, comparanturque cum eadem variae imagines, quae apud Virgilium, Raſſarium, Voltariumque, inveniuntur. Exponuntur porro Homericorum locorum quidam, qui maxime ad animum commovendum videntur idonei; quibus additur deſcriptio, ubi Dantes interitum Comitis Ugolini narrat, quam ex Italico in verſus latinos convertit Klotzius, cum qua nihil magis, quam Laocoontis ſtatuam, comparandum eſſe exiſtimat. Epiſtola VI. laudat in primis librum Iliados ſextum, quo nullum perfectiorem pulchrioremque eſſe iudicat doct. Klotzius, ſimul potioris elegantiae locos aliquot explicat, ac pro more ſuo ſelectisſimis animadverſionibus illuſtrat. „Me, (ita in Epiſt. VI. fine) quandocunque fatalis, et meus „dies venerit, me non triſtem, nec querentem, ſed, ut con„vivam ſaturum, contentum exacto vitae tempore, meque „beatum vixiſſe fatentem, receſſurum exceperit; me igitur „haec tantum comitetur fama, aut ſequatur: Klotzium vi„rum bonum fuiſſe." Fuiſſe omnino Klotzium non modo virum bonum, ſed Germaniae etiam delicias, totiusque orbis litterarii decus, haec certe eum fama comitabitur, et ſequetur nullo non tempore. Tarda ſit illa dies —

DE NOVIS DIOPTRICAE AUGMENTIS Auctore IOANNE ERNESTO ZEIHER, Phil. et Med. D. Mathem. Infer. Prof. Ord. Acad. Imper. Scientiar. Petropolit. Membro, Societatibus Oeconomicae et Libe-

 ralis

ſalium artium Lipſienſibus, nec non Teutonicae Erlangenſi adſcripto.

Quae directionem luminis cauſſae mutare ſolent, corporum nimirum, quo eius radii reflectuntur, opacorum occurſus, et radiorum, ex medio quodam diaphano in aliud, vel denſius, vel tenuius quoddam, tranſitus, qua refractio oritur, obliquus, duae tantum, centum abhinc annis, in Optice erant cognitae, quum P. GRIMALDVS eandem novis, quae a. 1666. ſingulari *de lumine, coloribus, et iride* libello annuntiabat, inventis locupletaret. Nam diligens hic naturae ſcrutator, radium luminis, in cameram obſcuram per foraminulum valde exiguum illabentem, capilli, aut alius interpoſiti corpuſculi umbram inſolitam proiicere, non ſine maxima admiratione animadverterat. Videlicet umbra multo maior, quam debuiſſet, evaſit, ſi radii corpuſculorum margines contingentes in lineis rectis viam ſuam continuaſſent; quod deinde tam ex umbrae magnitudine, quam ex diſtantia foraminuli ab obiecto, manifeſte cognovit; ſimulque aream a radiorum, qui per foramen laminae metallicae valde exiguum ingrediebantur, penicillo illuminatam, prorſus maiorem eſſe, quam ſola radiorum divergentia pateretur, obſervavit. Phaenomenon hoc a GRIMALDO *diffractio* nuncupatur, et illa plane radiorum eſt modificatio, quam *inflexionis* nomine celebrem adeo fecit NEWTONVS, quum experientiis antea adductis, inſigni acumine et varietate repetitis, leges tandem, ſecundum quas mutationem hanc radii luminis paterentur, exploraret feliciter.

Idem ille GRIMALDVS, penicilli, prisma tranſeuntis luminoſi, dilatationem primus detexit, quamvis diverſam radiorum refrangibilitatem haud perſpectam habuiſſe videtur; quoniam phaenomenon hoc diſperſioni cuidam irregulari a partibus prismatis ortae heterogeneis attribuit. Itaque ſagacitati NEWTONI reſervatum fuit, huic rei, adeo usque tenebris obductae, lumen accendere; quum licet priſmatis phaenomena antiquiore tempore nota quidem eſſent, ante

NEW-

NEWTONVM, huius qui mirandae ſuper luminis mutationis cauſſam ſerio inveſtigaſſet, et praeter opiniones precario aſſumtas, aliquid veri in lucem protuliſſet, certiſſimum ſit fuiſſe neminem.

NEWTONVS, experimentis phyſicis haud ſine ſummo geometriae uſus acumine, ipſe experimenta commentarat, quibus opinionem de diverſa radiorum refrangibilitate ſtatim initio ab ſe conceptam veram eſſe, luculenter apparuit. Luminis radium per foramen minimum in cameram obſcuram illabentem priſmate intercipiens, ſumma, ut fatetur, cum admiratione, imaginem in pariete oppoſito plus quinquies longiorem, quam latam, nitidiſſimisque iridis tinctam coloribus vidit: quum e contrario imago ſecundum notas refractionis leges foraminis figurae ſimilis, rotunda, non autem oblonga eſſet expectanda. Variis autem experientiis et ratiociniis, diſperſionem hanc proprietatis cuiusdam immutabilis neceſſarium quendam effectum eſſe, brevi convincebatur, et partes radium luminis conſtituentes aequalem omnes refractionem neutiquam pati debere recte iudicabat. Et tum quidem inſignis Vir de radiorum luminis diverſa refrangibilitate ſemel perſuaſus, facili negotio experimentis poterat determinare, quinam radii maximam, quinamve patiantur minimam refractionem: radii nimirum partem, quae colorem rubrum conſtituebat, inferioremque imaginis marginem occupabat, minimam; partem vero, violaceum quae efficiebat, maximam ſubire deviationem, mox conſpiciebat. Poſt hanc primam experientiam lumen ſolare e ſeptem coloribus primitivis, ſeu radiis totidem diverſa refrangibilitate praeditis, ac ſenſationem de iridis coloribus in nobis excitantibus conſtare cognovit, eo quidem modo, ut, priſmatis angulo deorſum verſo, rubrum colorem infimum locum occupantem ſequatur aurantius, hunc flavus, viridis, caeruleus, azureus, et tandem violaceus; hos vero ſeptem colores eſſe primitivos, non ulterius diviſibiles, ſed immutabiles, multa et ingenioſiſſima a NEWTONO poſt-

medium inſtituta experimenta docuerunt; quae, quum illis notiſſima, ſilentio praeterire licebit.

Ex his autem, lentes obiectivas teleſcopicas non unico, ſed duplici vitio, geminis nimirum radiorum aberrationibus, laborare, mox colligebat NEWTONVS, quorum utrumque eſſentialiter cum vitri natura et ſphaerica eiusdem figura, eo quidem modo eſſet coniunctum, ut a lentibus nullo modo ſeparari poſſet. Alterum enim vitium, uti quidem iam pridem eſt obſervatum, a figura ſphaerica oritur, atque efficit, ut a radiis extremis alia, atque a mediis, imago efformetur, eoque maior, pro maiore lentis apertura, confuſio in imaginem redundet. Alterum autem vitium, quo radii diverſorum colorum inaequali refractione per vitrum transmittuntur, adeoque diſperguntur, pari modo lentes afficit; dum imagines a diverſis coloribus formatae, eo magis a ſe invicem divelluntur, quo maior earum a lente fuerit diſtantia. Fruſtraneam igitur operam impenderemus, ſi, relicto hoc aberrationis genere, in illo vitium multo minus tollere ſtuderemus, quum NEWTONVS, aberrationem a ſphaericitate ortam bis ſex ſaltem centies inferiorem eſſe altera, computo demonſtravit. Atque Vir hic perſpicaciſſimus, poſtquam huius, quae a colorum ſeparatione oriebatur, confuſionis avertendae ſpem omnem abieciſſet, reflexionem, quam confuſionis a refrangibilitate diverſa ortae expertem eſſe noverat, in refractionis locum ſubſtituit; eoque modo primam excellentiſſimo ſuo invento, teleſcopio nimirum reflectenti, ſeu ex ſpeculis metallicis conſtructo, dedit originem. Quoniam enim conſtat, in ſpeculis illam imaginis confuſionem, quae tranſitum luminis, per media refringentia neceſſario concomitatur, locum non habere, atque diſtinctionis defectus a figura ſphaerica ortos, illa colorum aberratione multo minores eſſe, uti ſupra iam dictum eſt, prorſus ſequitur, ut ſpeculis concavis, in lentis obiectivae locum adhibitis, ſine diſtinctionis detrimento multo maior dari apertura poſſit. Non minus porro liquet, iſtorum inſtrumentorum obiecta augendi vim ab areae, in quam lu-

minis incidunt radii, magnitudine pendere, niſi illam ad obiecta dignoſcenda neceſſariam perdere claritatem malimus. Quam ob cauſam ſpecula ſphaerica, poſitis focis aequalibus, primas prae lentibus obiectivis ſibi partes vindicant, per conſequens teleſcopia reflectentia multo maiorem effectum quam refringentia, quae ex lentibus obiectivis ſimplicibus, de quibus ſolis iam ſermo eſt, componuntur, praeſtare debere in dubium vocari nequit. Id enim experientia ſatis ſuperque docuit, quum illuſtris HADLEIVS, huius eximii inventi reſtaurator, rem denuo ſuſcepit, et in ea adeo usque progreſſus eſt, ut teleſcopium confecerit, quod, non quidem ultra quinque pedes cum parte quarta longum, tubo Hugeniano 123 pedum nequaquam ceſſit; quodque magnus tandem rerum opticarum antiſtes, IACOBVS SHORTVS, ad ſummum fere, quo pervenire poſſe videtur, perfectionis gradum perduxit.

Magni huius quidem commodi cauſa teleſcopia e ſpeculis compoſita, ut multo breviora, vi amplificandi mirum in modum praedita, tubos dioptricos penitus forſitan de poſſeſſione depuliſſent, niſi eorum pretium, maxima difficultas in elaborandis iisdem, incommodior micrometri applicatio cet. obſtitiſſent. Interim tamen, cum NEWTONVS, refrangibilitatem diverſam a refractione unquam ſeparari, ideoque colorum aberrationem in lentibus teleſcopicis ullo modo deſtrui poſſe deſperaret, perfectio tuborum e vitris compoſitorum ab HVGENII et CAMPANI inde temporibus quaſi ſtationaria fuit, usque ad annum 1747, ex quo rerum mathematicarum ſummus arbiter, EVLERVS, Diopricae ſcientiae novam poſuit epocham, utramque aberrationem, mediantibus duobus vitris eo modo coniunctis, ut ſpatium intra cavitatis eorundem contentum aqua repleretur, corrigi poſſe, ingenioſiſſime computavit a). Hoc eximium inventum, etſi artificum pericula, in conſtruendis talibus len-

 tibus

a) Vid. Mémoires de l'Acad. Royale de Berlin de l'Année 1747.

illus obiectivis ex ſententia non ſucceſſerunt, tamen vera fons et origo illius emendationis eſt Dollondianae, quam poſteritas ſemper admirabitur, de qua mox plura dicentur.

Quod quum NEWTONVS iam tunc temporis obſervavit, videlicet ſpecula metallica minorem multo radiorum quantitatem, quam vitra aequalium ſuperficierum tranſmittunt, reflectere, id hodie teſtatur experientia; qua duce Cel. EVLERVS non ſine veri fundamento, vitra ab refrangibilitate diverſa immunia multum antecellere ſpeculis debere, et mediantibus iisdem res ſtupendas, quae oculorum aciem fugiunt, detegi poſſe, aſſerit. Quaenam vero meditationes perſpicaciſſimum hunc Mathematicum ad ideam allegatae emendationis perduxerint, ex § XI. ſupra citatae diſſertationis hanc in ſententiam explicat: *Mr. Newton a déja ſoupçonné, que des objectifs compoſés de deux verres, dont l'eſpace entre deux fut rempli d'eau, pourroient ſervir à perfectionner les lunettes par rapport à l'aberration des rayons, qu'ils ſouffrent à cauſe de la figure ſphérique des verres b). Mais il ne paroit pas, qu'il eût l'idée, que par ce même moyen il ſeroit poſſible de rétrécir l'eſpace par lequel les foyers des divers rayons ſe trouvent diſperſés. Or, il m'a d'abord paru très probable, qu'une certaine combinaiſon de quelques differens corps tranſparens pourroit être capable de remedier à cet inconvenient; et je ſuis perſuadé, que dans nos yeux les diverſes humeurs s'y trouvent arrangées en ſorte qu'il n'en réſulte aucune diffuſion du foyer. C'eſt à mon avis un ſujet tout nouveau d'admirer la ſtructure de l'oeil; car s'il n'avoit été queſtion que de repréſenter les images des objets, un ſeul corps tranſparent y auroit été ſuffiſant, pourvu qu'il ait eu la figure convenable; mais pour ren-*

dre

b) Vid. eiusd. Opticae tract. Edit. Gall. Amſtel. 1720. p. 132. ubi eius verba ſic habent: *Sans cette differente refrangibilité des rayons, on pourroit rendre les Teleſcopes plus parfaits que ceux que nous avons décrits juſqu'ici, avec des objectifs compoſez de deux Verres dont l'entredeux ſeroit rempli d'eau.*

de l'œil organe tout accompli, il y faut emploier plusieurs differens corps tranſparens, leur donner la juſte figure, et les joindre ſelon les regles de la plus ſublime Géometrie, pour que la diverſe refrangibilité des rayons ne troublât point les repréſentations. Quum porro luminis radii oculum intrantes, quatuor patiantur refractiones, non impoſſibilem videri quatuor ſuperficierum refringentium talem diſpoſitionem, ut diverſi generis radiorum foci in unicum colligantur punctum, quaecunque demum obiecti diſtantia ſit, EVLERVS iudicat. Cui autem rei ut ſatisfieret, eandem ad calculos revocavit, atque ex formulis analyticis generalibus regulas praxi adcommodatas deduxit, et in hunc uſum, pro datis lentium obiectivarum focis principalibus, tabulas conſtruxit.

Theoria autem refractionis, cui lentium aqua repletarum compoſitionem ſuperſtruxit Cel. EVLERVS, NEWTONIANAE, in qua, diſperſionem colorum, quotcunque etiam diverſa media refringentia adhibeantur, diminui nullo quidem modo poſſe, precario aſſumitur, penitus adverſatur. Precario inquam; nam NEWTONVS hoc principium nusquam demonſtrationibus confirmaverat. Hoc modo ſententia NEWTONI argumentis ſummus EVLERVS quum peteret, adverſarium nactus eſt Anglum, IOANNEM DOLLONDVM, pereximium quondam Opticum, qui de ſuis contra theoriam Eulerianam obiectionibus et argumentis, ante quam in publicum ederentur, ad SHORTVM litteras perſcripſit. Hic, poſtquam eas cum EVLERO communicaverat, factum eſt, ut reſponſio EVLERI una cum litteris DOLLONDI Transactionum Volum. XLV. insereretur. Interim autem, quum Cel. EVLERVS theoriam ſuam experientiis certiſſimis corroborare non potuiſſet, quia diverſae ſatis refrangibilitatis media tunc temporis eſſent ignota, non mirum eſt, ſi poſtmodum ei, qui experimentis deſtitutus theoriam conderet, experimenta ipſa contradicerent, ad quae inſtituenda rerum opticarum emendatores theoria EVLERIANA certo ſunt excitati. Quam ob rationem pro vera habetur cauſſa, unde teleſco-

piis

pilla Dollondiana, ſeu achromaticis, usque traditur. Quantum vero magno EVLERO in hac re debeamus, Mathematicorum praeſtantiſſimus CLAIRAVT recte iudicavit, dum in altera ſua diſſertatione, de Teleſcopiis lentium e vitris diverſis compoſitarum remedio emendandis, inquit: c) Cette hypothèſe, que j'ai examinée par la théorie dans mon précédent Mémoire, en 1756. pag. 403, eſt detruite ici par l'experience, (experientia nimirum DOLLONDI,) mais ſi ce qu'elle renferme de précaire meritoit d'etre relevé, comme l'a fait M. DOLLOND, il n'eſt pas moins vrais, que cet habile Opticien auroit du (dans ſon Mém. des Tranſ. ph.) rendre à M. EVLER la juſtice qu'il meritoit, ſur l'ingénieuſe idée de corriger les differences de refrangibilité des rayons colorés par l'emploi de deux matières diverſement refringentes. Cette idée eſt vraiment la ſource de la découverte de M. DOLLOND, qui de ſon coté eſt tombé ſur un fait bien heureux, en s'appercevant de l'extrème difference, qui eſt entre le cryſtal d'Angleterre et le verre ordinaire, par rapport aux couleurs de l'iris.

Poſtquam autem EVLERI defenſio, prouti certiſſimum mihi videtur, prima dubia contra principium Newtonianum in Angli artificis animo excitaverat, principium illud experimentis explorare ſtatim cepit conſilium, et mox binis priſmatibus, altero vitreo, altero aqueo, coniunctis deprehendit, opinionem NEWTONI ſubſiſtere non poſſe, ſimulac, ſublata refractione, diſperſionem colorum, ac vice verſa, non tolli expertus erat. Iam varias vitri ſpecies, mediantibus cuneis e vitro politis, ac eo modo, ut refractiones fierent contrariae, ſibi invicem impoſitis, examini ſubiecit, atque diſperſionem colorum a refractionis quantitate non pendere, ideoque diverſas vitri ſpecies diverſa vi colo-

res

c) Vid. Mém. de l'Acad. de Paris pour l'Ann. 1757, Mém. pag. 524 ſqq.

res diſpergendi eſſe praeditas, animadvertit a). Ex quo deinde facile erat iudicatu, binarum lentium, ex diverſis vitri ſpeciebus factarum, coniunctione, utique fieri poſſe, ut colorum diſſipatio penitus tollatur; quem in finem neceſſe erat, alteram concavam, alteram convexam confici, ita ut convexitas ad concavitatem datam, et a diverſa refrangibilitatis vi determinatam, haberet rationem.

Quoniam praecipuum DOLLONDI erat propoſitum, huiusmodi vitri ſpecies detegere, quarum diſperſionis differentia eſſet maxima, hanc illi notiſſima Anglorum vitra CROWNGLASS, et album cryſtallinum ſ. FLINTGLASS, ſuppeditabant. Itaque poliendis huiusmodi cuneis vitreis ſecundum angulos diverſos omnem dedit operam, dum tales prorſus obtineret, qui, quum ſibi invicem ita, ut luminis radios ſecundum directiones refringerent contrarios, imponerentur, lumen refractum penitus a coloribus liberum transmittebant; quo facto, quum refractionem cunei cuiuslibet metiebatur, eam, a vitro albo effectam, duas partes circiter tertias illius, vitri nempe viridis, deprehendebat, perſpiciebatque, quo modo talis e concava et convexa parte compoſita lens luminis radios in focum poſitivum, ſive actualem, colligere, eosque ſimul ſine diſperſione transmittere poſſit. Ut enim diverſae refrangibilitatis effectus annihiletur, lentium ex duabus vitri ſpeciebus compoſitarum foci in ratione inverſa angulorum cuneorum diſtent neceſſe eſt, poſitis iam refractionibus mediis circiter aequalibus, hinc focum lentis e vitro cryſtallino confectae negativum ſeſquialterum foci poſitivi lentis e vitro communi paratae eſſe debere conſtat. Ita enim fiet, ut radii a differentia, ſi-

ve

a) Experimenta haec, a DOLLONDO in hunc finem inſtituta, in Transact. Angl. Vol. L. P. II. p. 733. ſeqq. et in Diſſert. mea de vitris vi lumen diſpergendi diverſa praeditis, Petropoli 1763. impreſſa, enarrantur et fuſius deſcripta reperiuntur.

ve reſiduo refractionis, quod poſitivum nuncupare licet, inter utramque lentis partem exſtante, per vitrum compoſitum transeuntes, ſine coloribus in focum convergant poſitivum. Idem illud generalioribus uſus terminis effari ſic poſſum: cuiuslibet paris tangentium; quae ad incidentiae in quavis vitrorum ſuperficie ab axe aeque diſtans punctum ductae concipiuntur, inclinationes, ſeu anguli, ſint in ratione virium diſperſionis inverſa, quamcunque demum diametri ſphaerarum, ſecundum quas vitrorum ſuperficies ſunt politae, quantitatem habeant reſpectivam; ita ut, refractionum mediarum diverſitate omiſſa, atque iisdem poſitis aequalibus, foci duorum vitrorum lentem conſtituentium ſint inverſi, uti vires ſeparandi colores; namque hac ratione quilibet radius, hoc vitrum compoſitum permeans, per refractionum contrariarum differentiam in proportione requiſita conſtanter refringitur, ac refrangibilitas luminis diverſa penitus evaneſcit.

Verum enim vero ſingulorum vitrorum lentem componentium radii quum longe minores eſſe debeant, quam radii lentem ſimplicem aequali foco determinantes: notabiliores ſphaericitatis aberrationes, imaginis diſtinctionem valde perturbantes, oriri poſſunt. Id quod peritiſſimus DOLLONDVS, exactis non adeo multis tentaminibus, tam in vitrorum diverſa ſpecie, quam in earundem cum aqua combinatione, mox expertus eſt. Cui identidem lentium ſuperficies innumeras, remanente foco eodem, variationes pati, ac mediantibus hiſce variationibus earum aberrationes a ſphaericitate ortas pro lubitu vel augeri vel minui poſſe, quum compertum eſſet, multis tandem ac inſignibus difficultatibus ſuperatis, eo pervenit, ut teleſcopia refringentia perfectionis eo, qui omne id, quod hac in re praeſtitum hactenus eſt, longe ſuperat, gradu conficeret, quem dignus filius, PETRVS DOLLONDVS, ſucceſſu iam ſequitur feliciſſimo.

Interea

Interea temporis, quo DOLLONDVS regulas ſuas practicas caute celabat, quo theoriae huius novae veſtigium nec ab artifice ipſo, nec ab alio, in lucem ullum prodibat, quo denique tam Flintglaſs et Crownglaſs ſpecies, quam earum compoſitio, totam Europam, Anglia excepta, latebant; Academia Scient. Imperialis Petropolitana in ann. 1762. quaeſtionem, ut inter omnes conſtat, propoſuit ſequentem: *Quantum imperfectiones tuborum opticorum et microſcopiorum, ex diverſa refrangibilitate radiorum ac figura vitrorum ſphaerica ortae, per combinationes plurium lentium corrigi aut imminui queant?* ſimul exigens, *ut theoria praxi adaptata per experimenta comprobetur.* Huius quaeſtionis ſolutio, a perſpicaciſſimo Mathematico KLINGENSTIERNA data *e*), praemio ab Academia Imperiali affecta fuit; quae etiam diſſertationem a Celeberr. EVLERO hac occaſione ipſi traditam, atque Summi Viri ſubtilitati conſentaneam, publici fecit iuris *f*). Sub idem fere tempus vir magni nominis, CLAIRAVT, rem hanc aggreſſus eſt, omnique, qua praeditus fuit, geometriae accuratione, in emendanda

e) Titulus eſt: Tentamen de definiendis et corrigendis aberrationibus radiorum luminis in lentibus ſphaericis refracti, et de perficiendo teleſcopio dioptrico. *Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem.* Diſſertatio ab Imperiali Academia Scientiarum Petropolitana praemio affecta, Petropoli 1762.

f) Sub titulo: Conſtructio lentium obiectivarum ex duplici vitro, quae neque confuſionem a figura ſphaerica oriundam, neque diſperſionem colorum pariant. Diſſertatio, occaſione quaeſtionis de perfectione Teleſcopiorum ab Imp. Acad. Scient. Petr. pro praemio propoſitae conſcripta, Petropoli 1762.

teleſcopia dioptrica inquirens, diſſertationem primam de remediis teleſcopia e vitris confecta emendandi, in Conventu Academiae Regiae Scientiarum Pariſinae d. 8. Aprilis 1761 publico praelegit *g*). Elapſo circiter anno, inſtitutis tentaminibus cum cryſtallo Anglica Flintglaſs dicta, nec hoc, nec alterum illud vitrum Crownglaſs obtinere potuit, (de quo in poſteriori diſſertatione ipſe conqueritur,) et vitro gallico, anglicum Crownglaſs aemulante, probe ſub examen revocato, atque geminis viribus, refringendi et diſſipandi, determinatis, alteram diſſertationem menſe Iun. ann. 1761. Academiae tradidit *h*). Hac in diſſertatione rationem refractionis mediae in cryſtallo Anglica, id eſt, rationem ſinus anguli incidentiae ad ſinum refractionis pro mediis luminis radiis, ex aere in vitrum tranſeuntibus, per numeros 16 ad 10. admodum accurate exprimi aſſerit. Ad vitrum quod attinet commune, eius rationem refractionis mediae eandem eſſe, quam plurimi Phyſici, praeſertim NEWTONVS, ſtatuerunt, nimirum ut 31. ad 20. propemodum, ſeu ut 155 ad 100. multis reperit experimentis; ſicuti rationem 154. ad 100. in radiis rubris, et 156. ad 100 in violaceis, locum habere edoctus eſt. Praeterea tentaminibus his ultro perductis, rationem refrangibilitatis inter cryſtallum Anglicam et vitrum commune Gallicum, itidem cum DOLLONDO, uti 3 ad 2 compertus eſt, ex quibus omnibus rationes in cryſtallo Anglica pro radiis viola-

ceis

g) Huius egregiae diſſert. tit. eſt: Mémoire ſur les moyens de perfectionner les lunettes d'approche par l'uſage d'objectifs compoſés de pluſieurs matières differremment refringentes. Vid. Mém. de Paris ad ann. 1756. pag. 380 ſqq.

h) Second Mémoire ſur les moyens de perfectionner les lunettes etc. Vid. Mém. de P. ad ann. 1767. pag. 524.

dis uti 1, 629 ad 1, et pro rubris uti 1, 585 ad 1 vir perſpicaciſſimus definivit. Poſt illas in formulis generalibus ſubſtituit valores inventos, regulas pro ſingulis caſibus deduxit, atque theoriam ſuam ingenioſiſſime ad praxin applicavit, eo quidem modo, ut quilibet artifex peritus, ſi pro quolibet caſu regulae eidem darentur, haud difficili negotio, iisdem ducibus, lentes obiectivas achromaticas polire poſſet. Brevi poſt eiusdem viri celeberrimi tertia diſſertatio de tubis emendandis, Academiae Scientiarum Pariſinae Memoriis inſerta eſt i), qua diſquiſitionis ope ulterioris in formulas ad caſus diverſos ſpeciales applicavit, et conſtructiones pro praxi maxime utiles calculo erutas tradidit.

Haud inutile negotium ſuſcipere me credo, ſi de ſucceſſibus, quos Gallorum artifices in lentibus poliendis achromaticis iam fecerunt, nonnulla ſubiunxero. Inter hos ingenioſiſſimus praeſertim ANTHEAVME eminet, qui, duce CLAIRAVTIO, tubum achromaticum ſeptem pedes longum atque adeo perfectum confecit, ut anglico DOLLONDI, decem pedes longo, merito comparetur. Huius rei cauſſa epiſtolam Dni. MESSIER ad SANCHESIVM, virum ill. Imperatoriae Maieſtati Ruſſicae a Conſiliis Status, Eiusdemque Medicum quondam primarium, libet allegare; ex qua, quum, quod ſciam, nunquam ſit in vulgus edita, ſequentia depromere conſultum duco.

Paris, Collège R. de France le 15. Dec. 1763.

Il y a quelques jours, que j'ai fait l'eſſai d'une nouvelle lunette, qui l'emporte pour la bonté et pour la commodité ſur les lunettes ordinaires; elle eſt même préférable aux teleſcopes. Cette lunette eſt de l'invention de Dollond, dont la con-

i) Vid. Mém. de Sciences de Paris pour l'An. 1762. pag. 578 ſeqq.

ſtruction eſt déja connue; elle eſt compoſée de deux objectifs, auprès l' un de l' autre, et de deux oculaires plan-convexes. Ie ne puis Monſ. me diſpenſer de vous faire part de l' excellence de ce nouveau inſtrument. C' eſt Monſ. ANTHEAVME, connu par ſes ouvrages (ſur l' Aimant et ſur l' Aether), et amateur pour les ſciences, qui vient de conſtruire une de ſes lunettes ſur les principes qu' en a donné Mr. Clairaut. Elle n' a que ſept piés deux pouces de foier; le premier oculaire 9. lignes, et le ſecond trois. Ie n' ai jamais eté plus ſurpris, qu' en voiant l' effet de cette lunette, qui égale à une lunette ordinaire de 35. piés. Elle groſſit le diamètre des objets de 120. à 130. fois, les rends clairs et bien terminés. J' ai vû Jupiter et Saturne d' une beauté ſurprénante: ce qui eſt encore d' avantageux à cette lunette, c' eſt qu' elle a un champ d' environ quarante minutes; l' objectif porte trente cinq à trente ſix lignes d' ouverture. Cette lunette approche beaucoup de l' effet que fait une lunette de 10. piés de la même conſtruction, que s' eſt procuré Monſ. Wargentin, Aſtronome à Stockholm: voici ce qu' il m' a écrit.

„Pendant l' année paſſée (1761.) j' ai obſervé, dit il, les eclipſes des Satellites de Jupiter avec une lunette de 10. piés de la „nouvelle invention de Dollond; en y applicant l' oculaire 1. elle „aggrandit les objets à peu près de nonante fois: mais l' oculai„re 2. les repréſente au moins 140. fois plus gros, ſans rien per„dre de la clarté et de la netteté de l' objet: avec l' oculaire 3. „cette lunette fait l' effet quant à l' aggrandiſſement d' une lu„nette ordinaire de 100 piés; mais les objets en deviennent ob„ſcurs et ſombres, particulièrement ſi le ciel n' étoit pas parfaite„ment ſerein et tranquil. A l' aide de cette lunette j' ai vû deux

fois

„*ſoir les cinq Satellites de Saturne. On peut juger de l' excel-*
„*lence de cette lunette par cette épreuve, qui eſt incomparable aux*
„*autres, et très commode dans l' uſage.*"

Mr. ANTHEAVME aſſûre, que l' on peut encore aller plus loin. Il travaille actuellement à une de 9 piés, qui ſera finie à la fin de ce mois, il eſpére d' y reuſſir, et qu' elle fera l' effet d' une lunette de 80 piés, pouvant ſouffrir quatre pouces d' ouverture.

Pars lentis obiectivae extrorſum verſa, e materia Flintglaſs dicta, altera vero e vitro communi gallico eſt polita. Superficies prioris vitri convexa, radium 7. pedes regios cum dimidio, vel 90. pollices, longum habet, ſuperficies vero interior concava e ſphaerae ſemidiametro, 18 pollices adaequante, eſt polita. Alterius partis utrinque convexae, ex quibus lens obiectiva eſt compoſita, ſemidiametri ſuperficierum ſunt $17\frac{1}{4}$ poll. ſeu 1. ped. 5. poll. 3. lin. et 7. ped. 6. poll. 8. lin. illud nempe de ſuperficie, quae cavitati anterioris adiacet, hoc de ſuperficie oculo obverſa valet. Peritiſſimus ANTHEAVME geminatam lentem ocularem iunxit huic obiectivo, ut, manente vi amplificandi eadem, viſionis campum redderet ampliorem. Focus maioris vitri ocularis, quod propius eſt obiectivo, 18 gaudet lineis; radius eius convexitatis vitro obiectivo obverſae $11\frac{6}{10}$ lineas adaequat; altera vero convexitas oculo obverſa radio 7 poll. $1\frac{0}{10}$ lin. eſt praedita. Minor lens, quae meniſcus eſt, focum 5. linearum, ſuperficies convexa obiecto obverſa radium $2\frac{1}{4}$ linear. concavitas autem 8. linear. radium habet. Cetera haec lens 9 lineas a priori diſtat *k*).

Celeberr. CLAIRAVT in tertia diſſertatione *l*) mentionem fecit tuborum, quos Dn. DE L'ESTANG, vir in rebus

k) Vid. de la Lande Aſtronom. T. II. p. 840. §. 1822.
l) Vid. Mém. de Sc. de Paris pour l' an. 1762. p. 614. §. 7.

rebus opticis inſignem nactus famam, noviſſime elaboravit. Peritiſſimus hic artifex, principiis CLAIRAVTII aſſuetus, teleſcopia dioptrica foco circiter 27. poll. 3. lin. conſtruxit, in quibus radii ſuperficierum vitri communis 17. poll. 4. lin. et 5. poll. 4. lin. lentis autem cryſtallinae 5. poll. 5. lin. et 4. ped. ſunt. Porro idem (l. c. p. 618.) Dnos. de L'ESTANG et GEORGE multas lentes obiectivas ratione 5. ad 1, videlicet quarum meniſci cryſtallini curvatura interior et concava ſemidiametro gaudet quinquies minore, quam convexitatis exterioris ſemidiameter, et lens utrinque convexa, ex vitro communi parata, iisdem ſemidiametris cum priori eſt praedita, non ſine ſucceſſu poliviſſe narrat.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Nov. et Decembr. Anno MDCCLXVII.

HENR. IO. ARNTZENII, ICTI, MISCELLANEOrum liber. Acc. eiusdem Diſſ. de L. 2. D. de in ius voc.

Traiecti ad Rhenum, ap. Guil. Henr. Kroon, 1765. 1 Alph. octonis.

Quod Belgis inprimis proprium eſſe videtur, bonas literas, atque iurisprudentiam, criticis obſervationibus in unum collectis, (quibus de rebus variis, iisque minutis, et ab aliis grandiorum voluminum ſcriptoribus fere neglectis, docte et ſubtiliter diſputatur,) illuſtrandi ſtudium, Cl. *Arntzenius*, gymnaſii Zutphanienſis Rector, hoc libro imitatus eſt. Pleraque, quae inſunt, ad veterum Romanorum res, atque latinas literas pertinent, quaedam etiam, quibus iuris civilis ſcientia illuſtratur, inſperſa. Noſtrum eſt, ſingulorum capitum, (abſolvitur autem liber XX. capitibus,) dare argumenta.

Ac *primo* quidem cap. dicta ſunt nonnulla, quae ad Senatorum et equitum Romanorum ordines ſpectant. Romae ab initio duplex tantum ordo diverſus fuit, ſenatorius et plebeius. Poſtea vero equites ſeparatum ordinem, mediumque inter ſenatum ac plebem, coeperunt conſtitue-

ſtituere. Cuius mutationis ante legem Gracchi iudiciariam nullum prorſus inveniri, ait, veſtigium. Eos autem, qui demum a Cicerone Conſule equitibus ſeparatum ordinem aſſignatum eſſe ſtatuunt, reprehendit Auctor, uſus imprimis contrariis teſtimoniis, cum ipſius Ciceronis (pro Muraena, c. 19.) qui ait, L. Othonem equeſtri ordini reſtituiſſe dignitatem; tum Appiani, qui in funere Sullae, ante Ciceronis Conſulatum mortui, equeſtrem ordinem inter Senatores ac plebem commemorat. Porro de numero ducentorum Senatorum ſub Romulo, deque vulgari eorum diviſione in Senatores *maiorum ac minorum gentium*, quaedam adiicit. Obiter etiam legis Oviniae, qua primum Cenſoribus ius Senatum legendi datum fuit, mentionem facit.

Alterum caput ad Aras veterum pertinet, quae antiquiſſima aetate, ob morum ſimplicitatem, fuerunt viliores, et ex rudi plerumque materia, ceſpiticiae, ligneae, lapideae; ſed creſcente luxu factae ſunt marmoreae, argenteae, aeneae, et vario artificii genere exornatae. Memoratur a Scriptoribus ara Apollinis, dextris animalium cornibus compoſita, quae valde cruciat auctorem, ob diverſum Plutarchi teſtimonium, altero loco (in libello, terreſtria an aquatilia animalia ſint callidiora?) dextris cornibus, altero (in Theſeo) ſiniſtris eam conſtitiſſe ſcribentis. Noſter quidem in definienda hac re eſt admodum verboſus, et in poſtremo loco pro *εὐωνύμων* legi iubet *ἐκωνύμων*. Explicat etiam locum Iſidori (IX. Etym. 5.) qui teſtatur, poſthumum defuncti nomen accepiſſe, quia *lex* voluerit, ut, qui de defuncto naſcatur, defuncti nomine appellaretur. Ubi fatetur, ſe ignorare, quae lex hic intelligatur; quod tamen ſcire facile poterat. Cur non ſuccurrit ius decemvirale? Sane in XII. tabulis de poſthumis, eorumque iuribus, nec non patris defuncti in eos poteſtate, cautum fuiſſe nemo ignorat, qui ius civile profitetur. Ceterum dictiones, *aram ponere*, *et aram exſtruere*, ſic diſtinguit, ut hac ſolam ſtructuram, ſine dedicatione, illa vero conſecrationem ſignificari doceat.

Per-

Perſequitur Cl. *Arntzenius* hoc de aris argumentum capite *tertio*, nihil agens, niſi ut commemoret, aras, ob conſecrationem publica auctoritate factam, a ICtis in rerum ſacrarum numero habitas fuiſſe, ſimulque de iuribus rerum ſacrarum in univerſum exponat. Mirum profecto, res a *Gutherio* (de iure Pontificio), et *Noodtio*, aliisque elegantioribus Pandectarum ac Inſtitutionum interpretibus, optime tractatas, in *miſcellaneorum* libro, quem *ſelectas* obſervationes continere oportebat, ad nauſeam repeti.

Cap. IV. et V. de Aratore, poeta Chriſtiano ſua aetate celeberrimo, agitur, qui Iuſtiniano imperante floruit. Is cum antea reipublicae ſe dediſſet, poſtea in ſacrum tranſiit ordinem. Scripſit *elegiam ad Parthenium*. Inprimis vero *Acta Apoſtolorum* ligato ſermone compoſuit. Quod poema anno Chriſti 544. confectum, ut ex codice Vaticano adverſus Aldum probatur, noſter ſuis aliorumque obſervationibus illuſtratum edere pollicetur: cuius operis ſpecimina quaedam, quibus loca poetae commemorabilia explicantur, his duobus capitibus propoſita ſunt.

Initio capitis *ſexti* auctor redit ad *aras*, in grammaticam vocis originem inquirens, quam ex graeco *ἀραί, preces*, cum nonnullis derivat, quemadmodum *altare* ab *altus* deſcendere exiſtimat. Inprimis autem multis veterum, ut Suetonii, Iuſtini, Livii, Arnobii, Curtii, Ciceronis, Corippi, aliorumque locis, partim emendandis, partim defendendis, operam dedit, quarum tamen coniecturarum maxima pars nobis non admodum placuit. En exempla. In loco Suetonii (Neron. c. 49.) *Interdum ſegnitiem ſuam his verbis increpabat: vivo deformiter ac turpiter*, ſic legi iubet: *vivo deformiter, turpius pereo.* Quae correctio, neſcimus, an cum modeſtia critica conveniat. Apud eundem (Domit. c. 3.) *Inter initia principatus quotidie ſecretum ſibi horarum ſumere ſolebat*, poſt *horarum* inſerit noſter *ſpatium.* Quaſi melius intelligatur, quid ſit *ſe-*

metum horarum ſpatium, quam quid *ſecretum horarum* ſignificet? Profecto neminem tironum latinas literas edoctorum eſſe arbitramur, quin τὸ *ſpatium* ſtatim ſubaudiat. Quid igitur opus erat ſupplemento? Nihil facilius intellectu his *Suetonii* verbis. Vult enim indicare, Domitianum quotidie aliquot horas deſtinaſſe, quas remotus ab arbitris ſolus ageret. In Ciceronis ad div. lib. IX. ep. 24. legitur: *Illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes aut concoenationes etc.* Hic Cl. *Arntzenius* ultima, *compotationes aut concoenationes*, tamquam interpretationem a librario profectam, delet.

Sequenti capite multa etiam poſt Gothofredi, Ramoſii, atque Heineccii curas, non contemnenda de Sctis, Perſiciano, Claudiano, atque Calviſiano, quibus aucta fuit et illuſtrata legis Papiae Poppaeae ſententia, diſputata, cum voluptate legimus, quae ſingula commemorare huius non eſt loci. Sufficiat eorum lectionem omnibus commendaſſe, qui de nuptiis quinquagenariarum et ſexagenariorum prohibitis adcuratius cognoſcere cupiunt.

De iure et poteſtate regum Romanorum capite *octavo* diſſeritur: cui diſputationi Pomponius in l. 2. §. 1. π. de O. I. ubi *omnia manu a regibus gubernata eſſe* dicuntur, occaſionem noſtro praebuit. Sententia eo redit: Romulum tenuiſſe imperium maius populo, ita tamen, ut et Senatum conſuleret quibusdam in rebus; eamque Romuli maieſtatem in interregno ad populum tranſiiſſe, ſed hac conditione adiecta, ut patres fierent auctores: ſequentes igitur reges populo fuiſſe minores. Hoc ſcilicet ignorabamus! Plana omnia ſunt, ac certa, ex Livio atque Dionyſio, quos hac de re legiſſe iuvabit.

Quatuor proxima capita de diverſis Senatus ac populi iuribus exponunt, ubi dolendum, inſignem Polybii (Hiſtor. VI. 11. ſeq.) locum, quo tota diſputatio niti debebat, non igno-

ignotum alias, et a multis laudatum, et Caſauboni inprimis notis illuſtratum, auctorem fugiſſe. Nam nono capite ac *ſequente* potiora, quibus Senatus poteſtas libera republica abſolvebatur, munia, cum illa, quae ſolis patribus propria erant, tum ea, ad quae etiam populi voluntas concurrebat, deſcribuntur. *Undecimo* cauſſa et ratio imminutae ſub principibus populi poteſtatis monſtratur, ubi A. iis adſentitur, qui ſibi *perſuadent*, Senatus poteſtatem ea aetate multum creviſſe, quod tamen ipſa re refellitur, cum SCta vocem Principis fuiſſe nemo ſit qui ignoret. *Duodecimo* dein de tribunis plebis, eorum poteſtate ac iurisdictione, tractatur. Quae nos omnia, quia ſunt trita, hic omittimus.

Capite *decimo tertio* auctor, poſtquam pauca de cura veterum et religione circa teſtamentorum conſervationem praefatus eſt, illuſtrem, et a doctiſſimis viris, *Schultingio*, *Gundlingio*, *Schaberto*, et *Bachio*, data opera diſputatam quaeſtionem: Num transactio ſuper controverſiis teſtamentariis, nondum inſpectis tabulis facta, valeat? attingit. Recedit autem, quod vehementer laudamus, a communi affirmantium opinione, et recte negat, id per leges et iuris analogiam licere. Utitur multis et graviſſimis argumentis, quorum pleraque ſunt ſatis nota, unum tamen haud leve inprimis commemoratu dignum, quod a religione Romanorum ductum eſt. Nempe exiſtimat, a ſuperſtitione et moribus Quiritium alienum fuiſſe, ut talis transactio fieret non inſpectis teſtamenti tabulis. *Quod ſi enim*, (ſunt verba auctoris,) *in teſtamento perſcripſiſſet teſtator de ſepulcro, ſive familiari, ſive hereditario, de ſumtibus in funus faciendis, ludis funebribus, epulis annuis, quaeque alia huc ſpectant, nonne omnia haec negligerentur, ſi ita, non inſpectis teſtamenti tabulis, transigeretur? Praeterea quoque violatam religionem arbitror, ſi illa Diis Manibus non fierent, quae facienda teſtator mandaſſet, quae ſane, transactione non inſpecto teſtamento facta, nec cognoſci rite, neque adeo perfici potuiſſent.*

Quaerit noſter capite *decimo quarto*, utrum magiſtratibus Romanis licuerit merum imperium exercere, ſi nullus eſſet accuſator? Recte id negatur fieri potuiſſe iure ordinario, quamvis extra ordinem, v. c. in tutore ſuſpecto removendo, id licuerit. Tota diſputatio docte et eleganter inſtituta eſt.

Sequens caput XV. iuris civilis ſtudioſis inprimis gratum eſſe debet. Nam totum fere variis lectionibus ad multa loca iuris civilis refertum eſt, quas ex ſchedis, in quibus Petrus Relandus eas ex Cod. MS. Vlamingii adnotaverat, collectas, et cum editione Pandectarum rariſſima, quae Venetiis a. 1491. prodiit, diligenter collatas, publici iuris fecit. Non ſunt eae quidem magni momenti; at critico tamen ICto non inutiles.

Ad Aratorem ſuum reverſus Cl. *Arntzenius*, capitibus duobus inſequentibus, obſervationes varias, quibus eius libri duo priores partim explicantur, partim emendantur, proponit.

Capite *decimo octavo* et *nono* permultis in locis emendatur Martianus Capella, ex vetuſto codice, cuius varias lectiones margini editionis ſuae, quae ſervatur in bibliotheca Lugduno-Batava, adſcripſerat Iſaacus Voſſius, quae tamen nonniſi lib. I. II. et VI. adtingunt.

Ultimum quoque caput mere criticum eſt, exhibens varias lectiones ad Dionyſii Periegeſin, quas ex codice antiquo, qui olim Petavii fuit, deinde translatus in bibliothecam Suecicam, Bochartus deſcripſit, et margini editionis Henrici Stephani adiecit Palmerius. Praeterea variis in locis Priſcianus tentatur.

Abſoluto *miſcellaneorum* libro, ſequitur *Diſſertatio ad L. 2. D. de in ius voc.* ubi perſonae recenſentur, quas vetat ius civile in ius vocare. In quo tractando argumento Auctor ita verſatur, ut de ipſa in ius vocatione praefatus, poſtea

us ad perſonas tranſibat, quas vocare non licebat, totamque diſputationem octo capitibus comprehendat.

Capite *primo* quaerit, In ius vocationem an praeceſſerit actionis editio? Reſpondet, in ius vocationem et actionis editionem eodem fuiſſe tempore factam, ita, ut, qui in ius vocaret, ſtatim quoque adderet, qua actione experiretur, hoc tamen modo, ut, cum eodem tempore peragetur in ius vocatio et editio actionis, haec illam aliquando ſecuta fuerit, aliquando praeceſſerit. Deinde in grammaticam vocis originem inquirit. Mox *altero capite* de modo ac ritibus in ius vocationis Romanae diſſerit, ſimulque ſententiam eorum idoneis argumentis defendit, qui omnes perſonas, ſingulari privilegio haud munitas, obtorto collo in ius trahere licuiſſe ſtatuunt. Tandem a *tertio* capite usque ad finem eas perſonas recenſet, quae aut plane non, aut non ſine venia praetoris, aut non violenter, in ius vocari potuerunt. Ceterum, ſi de libro Cl. *Arntzenii*, praeſertim de *miſcellaneorum* volumine, iudicium ferendum eſt, multae lectionis ac induſtriae laus ipſi non debet denegari. At neſcimus tamen, annon, quod ipſe de variis lectionibus cap. 15. allatis dixit, (p. 158.) *ineſſe bona mixta malis*, idem de toto opere valeat.

DIFFERENTIARUM MINIMARUM QUANTITAtum variantium Calculus directus, vulgo differentialis, Auctore IOSEPHO STEPLING, S. I. Presbytero, in alma ſtudiorum univerſitate Pragenſi ſtudii phyſici et mathematici Caeſ. reg. Pr[illegible] et Directore.

Vetero Pragae, ex officina typogr. Coll. academici, Alph. 1. plagg. 4. cum tab. aeri inciſa, in 4.

Praeclara, eruditiſſimi *Steplingii*, in rem mathematicam aeque ac phyſicam, merita, iam aliis libris ab eo editis, reipu-

reipublicae litterariae cognita ſunt. Hoc certe libro, cuius hic titulum deſcripſimus, iterum egregie meretur de doctrinae potiſſimum ſuae alumnis, deque iis omnibus, qui ſublimiora mathematum praecepta facili opera addiſcere, ſeque legendis maioribus Gallorum inprimis operibus, quae huc pertinent, aptos reddere cupiant. Habet non ſolum iſtius rei veram commendationem, ſed etiam totius libri, quem hic proponimus, brevem ideam, Praefationis ti particula, quam nos hic deſcribimus, addituri deinceps, XV. Capitum, in quae tota Commentatio tributa eſt, indicem. Matheſeos elementaris ſtudium pluribus ſane convenire facile intelligitur, tum quod iis operam dantes, ſolide et ordine cogitare conſueſcunt, et animis ſenſus quidam certitudinis et evidentiae illo ingeneretur, quo facile ambigua et probabilia a certis, evidenterque probatis, ſecernere valent; tum quod in vita communi, et artibus, non contemnendas habet utilitates. Sublimioribus autem mathematis uti permulti ſeſe applicent, ſperandum eſt nunquam, neque fieri quidem poſſe videtur. Eo connitendum, curandumque, quibus rerum cura publicarum eſt, ut nunquam deſint in republica Viri aliqui eminentis ſcientiae cuiusque generis, adeoque et Mathematicae, quibus uti Reſpublica, vel qui in ea praeſident, poſſint in caſu emergente. In hunc finem Academiae Scientiarum eriguntur, quae velut quaedam tribunalia naturalium ſcientiarum effulgent, quarumque commentarii promptuaria ſunt, ex quibus, qui ſyſtemata in uſum ſcholarum concinnant, veritates detectas accipere oportet: in hunc quoque finem Profeſſores in ſtudiorum univerſitatibus Viri ſint neceſſum eſt, qui non modo primis ut aiunt labris delibarint quas tradunt ſcientias, ſed qui eas devorarint, et in ipſarum adyta usque etiam penetrarint. Et ſi porro ſublimior matheſis eo ex genere ſcientiarum eſſet, quod nullam in praeſens afferat utilitatem; tamen curandum eſſet, ne qui deſint matheſi hac ſublimi praefulgentes, quod caſus emergere poſſunt, quibus viris talibus opus ſit, atque olim utiliſſima

ſua futura ſint; quorum autem uſus nullus cernitur. Videri ſane veteribus incaſſum laboraſſe potuerat *Apollonius*, Sectionum conicarum proprietates eruendo; ecquis tamen neſcit, quantae non modo nunc utilitatis, ſed et neceſſitatis, vel in ſola ſint Aſtrorum ſcientia? Unde *Leonardus Eulerus*, ſummus Geometra, nunquam ſatis laudando conſilio, paſſim in ultimis tomis commentariorum Academiae Petropolitanae adhortatur Mathematicos, quibus otium et vires ſint, ut promovendo calculo ſublimiori, reconditiorisque Analyſeos doctrinae, operam impendant; bene gnarus, quam in futurum id utile ſit, ut non dicat actu problemata haberi, quae deferenda fuerint, quod artificia calculi ad ea penitus reſolvenda neceſſaria adhuc deficiunt. Ea autem matheſis ſublimior, cuius iam compotes ſumus, non ſinit nos tantum ſperare de uſu aliquando futuro, et necdum praeviſo; verum praeſente, et qui ante oculos ſit, ſeſe commendat plurimum. Nam ut nihil dicatur de univerſa Aſtronomia phyſica, et Poli legibus, a ſummo *Newtono* primum, dein a Viris clariſſimis et celeberrimis, *Alembertio*, *Clairaltio*, *Simpſonio*, *Eulero*, in apricum deductis matheſis huius ope, calculique integralis praeſidio; certe res navalis, imprimis manuaria, quae omni retro aetate multis imperfectionibus ſcatebat, vix artis nomine digna, ſolique empyricorum arbitrio, non ſine grandi vitae fortunarumque multorum mortalium diſpendio, relicta erat, hoc demum Seculo, matheſi ſublimiore facem praeferente, calculoque utroque ſubductis rerum navalium momentis, a duumviris praeſtantiſſimis, *Bouguerio* et *Eulero*, in ſcientiam evecta eſt, ac pene ad apicem perfectionis deducta. Utriusque horum virorum celebrium opera in mathematicorum manibus ſunt, quibus et ſtructura navium, et ars eas dirigendi, mathematico ratiocinio abſolvitur, doctiſſimusque vir *Haniel* inventa virorum laudatorum, Geometris ſcripta, ad uſum nautarum accommodavit. Iam de machinis quid? earum uſus, in omni vita, tam frequens, tamque neceſſarius; non cum

aequilibrio ſolum potentiae, et oneris ſeu reſiſtentiae, ſed cum motu plerumque coniunctus eſt. Quamobrem, ut verum de earum bonitate et praeſtantia feratur iudicium, materiae quoque movendae inertia in conſiderationem veniat neceſſum eſt, momentumque inertiae eruendum eſt, quod ſine integrali calculo, et formulis eo inventis, praeſtari vix ulla ratione poteſt. Et haec quidem ſunt, quae addenda cenſuit olim doctisſimus *Steplingius* opuſculo de area et ſoliditate fruſtorum a cylindris reſectorum dictis, et quae dicenda arbitratus eſt, ne oleum operamque perdidiſſe in praeſenti opere videretur iis, qui iſta omnia ad inanes ſpeculationes relegare ſolent. Cum enim Matheſis ſublimior, imprimisque calculus integralis, utcunque a ſe commendatus ſit, ſimul et differentialem ſatis laudatum putat, qui et matheſeos illius pars, et huius, calculi integralis, eſt fundamentum. Calculi autem differentialis tractatum hunc inſtructiorem facere, quam ſint aliorum plerorumque, atque illo praecipua, quae clariſſimi *Fontaine*, *Clairaut*, et *Eulerus*, in lucem de calculo hoc protulere, complecti adniſus eſt. Et primum quidem locum occupant quaedam de infinite parvis, et de infinito propoſitiones, quod differentialia ſunt ſpecies infinite parvorum. Subnectitur calculus differentialis et differentio-differentialis, tam functionum algebraicarum, quam earum quae tranſcendentes audiunt, nempe logarithmorum, ac quantitatum exponentialium, nec non a circulo pendentium. Addita ſunt criteria cognoſcendi, num differentialia propoſita omnino ex functionis cuiusdam differentiatione orta ſint, et num differentialia altiora definitum habeant ſignificatum, an contra vaga ſint, adeoque inutilia; item, utrum aequationes differentiales posſibiles. Quae quidem omnia, a nullo fere eorum auctorum, qui vulgo circumferuntur, ſunt pertractata. Praeterea de functionum, aequationumque natura, plura inſperſa ſunt, logarithmorumque indoles, et ſyſtematum logarithmicorum, via planisſima explicata, atque Anglorum de modulo doctrina, cum illa de

baſi

baſi logarithmica, et quantitate moduli reciproca clariſſimi Euleri, nexu uno evoluta. Ceterum, infinite parvas quantitates hic tantum mathematice A. conſiderat, neque in ullam methaphyſicam inveſtigationem ſe immittit. Hanc infinite parvarum quantitatum mathematicarum poſſibilitatem, in continui diviſibilitate in infinitum, iſtam vero in ipſa continui, qua tale eſt, natura fundari, certiſſimum eſt; omniaque argumenta, quibus Geometrae diviſibilitatem extenſi mathematici evictam dant, in hac fundari perfacile cognoſcet is, qui eorum demonſtrationes attentius expenderit. Quamobrem, ſi in rerum natura admittatur verum continuum, illud, ut ſit in infinitum diviſibile, neceſſum eſt. Hoc ipſo vero habebit partes penitus a ſe invicem diſtinctas, numero infinitas, quod mathematico rigore concepto ratiocinio confici poteſt. Quodſi partes in corporibus infinitae non admittantur, ſed finita numero elementa, ea indiviſibilia utique erunt, et quod amplius eſt, ſingula a ſingulis vacuo ſpatiolo ſeiuncta, extenſum efficient. Niſi enim inter ſingula intervallum ſit aliquod inane, quaedam ſaltem nullo mediante applicata ſibi, iunctaque, extenſionem conſtituent, quae verum ſit continuum, adeoque in infinitum diviſibile, ſecundum ſuperius dicta, et non in elementa numero finita. Peripatetici quidem ſic dicti, multa corpora vere continua admiſere, omnia videlicet ea, quorum pori, partiumque diverſitas, in oculos non incurrunt. Recentiores vero ſubtilius omnia perſcrutati, corpora haec nonniſi ad ſpeciem continua ſtatuunt, re ipſa vix ullum vere continuum corpus, quod in ſenſus incurrat, reperiri. Sunt tamen e numero recentiorum non pauci, qui corpuſcula primitiva vere continua ac ſolida, ſeu nullis uſpiam poris aut vaculis pertuſa admittant. Haec corpuſcula igitur, etſi non ſunt praeciſe corpus mathematicum, cum hoc nec iners ſit, nec impenetrabile; tamen in ea quadrat quidquid de extenſo ſuo, qua continuo, demonſtrant mathematici, cum hae demonſtrationes ſola continuitate nitantur, nullatenus vero penetrabilita-

bilitate, aut defectu inertiae. Superest ut *capitum indicem*, quod paullo ante facturos nos polliciti ſumus, ſubiectamus. Sunt autem ſequentia quindecim: *Cap. I.* De infiniteſimis, et infinite magnis quantitatibus. *Cap. II.* De differentialibus, atque primis calculi differentialis fundamentis. *Cap. III.* De inveniendis differentialibus proximis variabilium in ſe ductarum, et quantitatum radicalium. *Cap. IV.* De inveniendis differentialibus proximis conſtantis per variabilem diviſae, vel variabilis per variabilem. *Cap. V.* De praecipuis proprietatibus differentialium primorum unius vel plurium variabilium. *Cap. VI.* Methodus propoſitae quantitatis differentiale remotius inveniendi. *Cap. VII.* De natura altiorum differentialium. *Cap. VIII.* De inveniendis differentialibus ſuppoſita functione conſtante, et de mutatione, atque variis formis expreſſionum differentialium. *Cap. IX.* Supplementum doctrinae vulgaris de logarithmis, ſeu de ſyſtematibus logarithmorum. *Cap. X.* De ſumendis logarithmorum differentialibus primis. *Cap. XI.* De inveniendis differentialibus primis quantitatum exponentialium. *Cap. XII.* De quantitatum logarithmicarum et exponentialium differentialibus altioribus. *Cap. XIII.* De differentiatione functionum a circulo pendentium. *Cap. XIV.* Notanda quaedam circa hucusque propoſita, ubi etiam de valore fractionis, cuius certo caſu numerator et denominator evaneſcit: item de differentialibus completis. *Cap. XV.* De aequationibus differentialibus. — Commendamus librum iis omnibus, qui acuendo ingenio intenti, matheſeos ſtudio tenentur, et amore calculi.

COMMENTATIONES SOCIETATI REGIAE Scientiarum Goettingenſi per annos 1758. 1759. 1760. 1761. et 1762. oblatae a IOH. DAVIDE MICHAELIS, eius Societatis Directore.

Bremae,

e Bremae, ſumtibus Georgii Ludovici Foersteri, 1763.

Societatis Goettingenſis gloria, harumque Commentationum praeſtantia, ita omnibus lectoribus noſtris perſpecta eſt, ut non habeamus neceſſum, hoc loco praefatione aliqua uti. Quum autem per aliquot annos Societas iſta iuſtis de cauſis ſuas publici iuris facere Commentationes neglexerit, ſodalibus ſuis id petentibus conceſſit, ut ſuas quisque diſſertationes, inde ab anno 1756. usque ad an. 1762. praelectas, ſeorſim ederet. Quo iure et Vir celeberrimus uſus eſt, dum novem hoc libello Commentationes, inde ab anno 1758. ad an. 1762. Societati recitatas, neque adhuc typis deſcriptas, eruditorum orbi obtulit. Non dubitamus igitur, lectoribus noſtris nos bene conſulturos, ſi ſingulis commentationibus breviter perluſtratis, oſtenderimus, quid praeſtitum iis ſit, et quanta, etiam hoc libello, doctrina, litterariae rei profuerit vir illuſtris.

Prima igitur Commentatione *de Theraphis*, Iudaeorum Chaldaeorumque idolis, de quibus Geneſ. 31, 19. et 30. ſq. ſermo eſt, doctiſſime diſſeritur. Oſtendit §. 1. Vir celeb. cur Iudaeorum de Theraphis ſententiae non colliguntur? Monet autem inprimis, nulla in re minorem Iudaeorum eſſe debere auctoritatem, quam in idololatriae hiſtoria, quippe quae et ab inſtitutis ſententiisque Iudaeorum disiunctiſſima, et per ſolam ſuſpectam et mendacem traditionem, ore ac ſermone hominum factam, per tot ſaecula ad nos ſit propagata. §. 2. Theraphi ipſi videntur Sileni Graecorum, auctore Pauſania in Graec. deſcript. lib. IV. c. 24. et Ernest. Aug. Schultzio de *Silenolatria Samaritanorum*. §. 3. Oſtendit, etymon hebr. nominis תרפים formae Silenorum convenire, et ex Hebraeorum traditione Theraphos fuiſſe forma humana; idque inde probari poſſe, quod Michala (1. Sam. 19, 13. ſq.) fidem factura exploratoribus a Saule miſſis, Davidem aegrotum in lecto decumbe-

 cumbe-

cumbere, pro illo Theraphos lecto impoſuerit, eoque ſtragula veſte מכבר (reticulata) dicta, more Orientalium obtexerit. Ad cuius loci maiorem illuſtrationem conferri poteſt Abarbanel Michael. B. H. qui memorat, mulieres in Oriente ſolitas fuiſſe ſibi imagines maritorum parare, quales et h. l. Theraphi Michalae fuerint. §. 4. Theraphos Hebraeorum, prorſus ut Silenos Graecorum, ad Satyrorum genus referri exiſtimat. §. 5. Coniecturam Herm. Hardtii de origine nominis Silenorum non omnino repudiandam cenſet, quippe cuius opinio haec: Deum, quem X. Tribus, earumque poſteri, Samaritani, colere credebantur, a Silunte nomen אלהי שילה Dei Silani, vel Siluntici, accepiſſe. §. 6. Demonſtrat A. unde fabula et ſuperſtitio de Theraphis ſ. piloſis apud Hebraeos, et de Satyris ſ. Silenis apud Graecos, ſit orta? §. 7. Adiicit adhuc deſiderata quaedam ad h. l. nimirum quae ex traditione Iudaeorum, de imagunculis Theraphorum, aliquo ſiderum influxu ſacratis, habentur.

Duo tamen, quae ab Auctore doctisſimo omiſſa miramur, addenda exiſtimavimus: 1) voc. תרפים, quia ortum ſuum habet a תרף, quod in Arab. ſignificat *figurare, formare*, ab Aquila per *μορφώματα*, a *μορφεῖν*, et in alia eiusdem Verſione per *προτομαῖς*, *medalia* (Bruſtbilder) exprimi: ab Alexandrinis autem loco Sam. laudato per *κενοτάφια* verti. Boiſius tamen To. III. p. 547. ex alia hypotheſi per voc. תרפים intelligit *ſimulacra maiorum*. 2) vocabulum hoc, quamvis ſaepius ſenſu malo de idolis et ſimulacris dicatur, in quibusdam tamen Scr. S. locis de imitatione cultus divini genuini uſurpari, uti Iud. 17, 5. et 18, 14. ſq. ubi intell. de laribus ſ. penatibus, ad ſimilitudinem Cherubim in ſancto ſanctorum a Micha conflatis, quos ſymbolum Iehovae eſſe volebat. quod patet maxime e v. 3. alleg. cap. 17. ubi mater eius, ſe argentum hoc Iehovae conſecraſſe, ipſe autem v. 13. Iehovam nunc ſibi benefacturum eſſe, ait. Plura

vide-

videri poſſunt ap Rainald, praeleꝭt. 215. ſq. in locum Exod. 32, 4. et quae habet Seldenus de Diis Syris, ſyntagm. 1, c. 5.

Comment. II. eſt *De Cenſibus Hebraeorum.* §. 1. Vir doctiſſ. explicat, cui bono de hoc argumento diſputetur? Nimirum, in univerſum conſtare docet, cenſus populorum eſſe inſtituendos, multumque contra deeſſe magiſtratui ad remp. bene et prudenter adminiſtrandam, qui numerum civium ignoret: iis autem cenſibus novam ſimul mathematum partem, matheſin politicam, in litibus de polygamia utilem, deberi. Deinde eorum ſimul occurrit opinioni, qui omnis generis cenſum, tanquam rem Deo in Davide tantopere inviſam, reprobant; quibus oſtendit, Hebraeos, Moſe, atque adeo Deo ipſo auctore, ſaepius fuiſſe numerandos. §. 2. Pluribus demonſtrat, cenſus Iſraelitarum agi voluiſſe Deum, eosque Deo ipſo iubente bis a Moſe fuiſſe peractos, primo et ultimo commorationis in Arabia anno, continuatos autem usque ad ultima reip. Iudaicae tempora; quo refert maxime locum 2 Paral. 24, 6. ubi Ioaſus rex aegre tuliſſe legitur, negligi a ſubditis *tributum Moſis* [מַשְׂאַת מֹשֶׁה] templo deſtinatum. § 3. Speciatim proponit, quid in cenſu Davidis fuerit peccatum? Primum ex ſilentio Scripturae, aliisque argumentis, refutat Ioſephi aliorumque traditiones, qui ſacrilegium potius, quam cenſum, punitum arbitrantur: quorum opinione Deus dimidium ſiclum ab omnibus cenſis, pro capitibus avertendaque clade, popoſcerit; quem Hebraei, avaritia regis intercedente, non ſolverint. Praefert tamen Ioſephi adhuc ſententiam recentiorum quorundam interpretum opinioni, qui pene omnes ſolam accuſare ſoleant latentem in Davidis animo ſuperbiam, quod ſua delectatus potentia, curioſius inquireret quantus eſſet, quantique populi rex. Deinde maiori evidentia ex loco 2. Paral. 2, 1. coll. cap. 26, 11. demonſtrat, numerationi eiusmodi ſervitutem aliquam fuiſſe adnexam, nec ab aequo rege cives numerari debuiſſe, ſed pe-

regrinos. Addit praeterea etymon voc. סופר, quod ſignificet *numeratorem* ſ. *ſcribam*, diverſum ab alio ſcribarum genere (Exod. 5, 10.) שוטר dicto, nullum alium eſſe poſſe, quam ſummum aliquem belli ducem, populum ad militiam deſcribentem. Quibus inter ſe comparatis conficit, peccatum Davidis maxime conſtitiſſe in edicti regii ſeveritate, qua omnes Iſraelitae eo tempore, quo erat ceſſatio ab armis, neque bellum imminebat, ad ſervitia regi, uni gloriae ſuae inſervienti, praeſtanda, hac numeratione fuerint obſtricti: quae res et acerba eſſe debebat populo, praeter neceſſitatem ab agris evocato, et minus ſalutaris reipublicae. Quibus tamen, pace Viri celeb. et haec nobis addere liceat: peccatum Davidis in hoc maxime cerni, quod hunc cenſum ſine ulla cauſa impulſiva externa, ſine ulla urgente neceſſitate, ſine ulla voluntate et praecepto divino, instituerit. Praeterea quoque in eo diffidentia ſimul de multiplicatione familiarum Iſraelitis promiſſa deprehenditur, quaſi rex de veritate promiſſionum illarum (*Gen.* 22, 17. 32, 12. coll. 1. Paral. 27, 23.) hoc cenſu vellet periculum facere. §. 4. Redit Vir doctiſſ. ad cenſum Moſaicum, in quo paene inſolubilem nodum reperiſſe ſe fatetur, incredibili primogenitorum paucitate. Eundem tamen §. 5. ſolvit, illamque primogenitorum paucitatem ex polygamia, pro conſuetudine illorum temporum licita, eaque frequentiſſima, deducit. Simul etiam reſpondet obiectioni, qua nonnulli ex etymo hebr. פטר רחם, *fiſſura* uteri, perhibent, in familia polygama plures eſſe potuiſſe primogenitos, primumque ſemper, quem quaeque mater eniteretur ſobolem, primogenitum fuiſſe. Contrarium enim optime probat ab exemplo familiae Iacobi, cui quum ex 4. uxoribus 12. filii eſſent, ſolus tamen Ruben dicatur primogenitus. Praeterea legem Moſis allegat, qua, quod licuerat olim, factumque erat a Iacobo, expreſſis verbis prohibetur; Deut. 21, 15-17. Addit denique §. 6. Corollaria quaedam, quibus lectores ad ſuam de *Praecentoralli monogamiae relationem*, *et paralipomena contra polygamiam*, ablegat.

Obſer-

Obſervat. III. De Exſilio decem Tribuum: §. 1. Vir doctiſſ. multos graveſque errores ex alio errore de exſilio decem tribuum ortos eſſe, docet. Multas enim, et nobiles gentes, v. c. Hungaros, Fennones etc. originem ſuam ad decem Iſraelitarum tribus, in exſilio multiplicatas, retuliſſe, quae tamen cognationis nullum indicium habeant. Refutat deinde etiam eorum diligentiam, qui ubique in remotiſſimis Aſiae regionibus Synagogas Iſraelitarum ex decem tribubus aut quaeſerunt, aut inveniſſe putant. Refutat ſimiliter eorum errorem, qui male intellectis prophetarum, Hoſeae inprimis et Ieremiae, oraculis, eventum de reditu Iſraelitarum his vaticiniis nondum reſpondiſſe opinantur, indeque populum iſtum aureo illo Seculo, quod mille annorum regnum vocant, in Palaeſtinam iterum magno agmine immigraturum ſibi promittunt. Optimis enim argumentis §. 2. probat, reliquias populi, poſt graviſſimum illud bellum, non magnas eſſe potuiſſe, nec adeo multas in exſilium rapi. Quibus §. 3. addit, non ſolitos fuiſſe victores integros populos in exſilium ducere, ſed maximam tantum partem, ditiores nimirum, alioſque, qui rebellaturi ipſis viderentur; imbellem autem in agris patriis plebeculam, ſine rebellionis auctore, ſine opibus, ſine armis, ſine fabris, ſine duce et milite, haud valde metuendam, relinqui ab iisdem facile potuiſſe. §. 4. Argumenta ſua ex hiſt. exſilii Babylonici confirmat: unde et §. 5. multos ex Iſraelitis decem tribuum in patrio ſolo remanſiſſe; §. 6. autem, reliquias decem tribuum, ſi quae cum gentibus barbaris non fuerint confuſae, ſub Iudaeis in Palaeſtinam rediiſſe, demonſtrat. §. 7. occurrit dubiis huic ſententiae opponendis. Quibus, et ex genuina ſignificatione verborum עד היום הזה (1 Paral. 5, 26.) et ex natura rei, optime dilutis. §. 8. maxime ex Geographia antiqua docet, ſi qua etiam decem tribuum progenies remanſerit in exſilio, non ubivis terrarum, ſed in Media, Aſſyria, et Meſopotamia tantum eſſe quaerendam, lingua aliiſque indiciis, cum a gentibus barbaris, tum a Iudaeis ipſis

dignoſcendam. §. 9. Vir celeber. contra quorundam coniecturas aſſerit, in iis regionibus reliquias decem tribuum non eſſe inventas. Quibus denique §. 10. addit, populum in Madagaſcara inſula, *Zaffe Ibrahim* dictum Muhammedem non agnoſcentem, ſed potius Noae, Abrahami, Moſis, et Davidis nomina illuſtria habentem, etc. non eſſe Iſraelitas, ſed Arabes, Abrahamo oriundos, uti ipſum etiam nomen Arabicum, quo inſigniuntur, *feriem* ſ. *lineam Ibrahimi*, i. e. poſteros Abrahami notat, quorum maiores ex Arabia, quo fama Moſis et Davidis ad eos penetraverat, ante Mahumedanae religionis inundationem adhuc, emigraverant.

§. 11. Addit A. Epimetrum ad paragraphum II. de numero exſulum Iudaeorum a Nabochodonoſore deportatorum; ubi locos ſibi contrarios, Ierem. 52, 28 - 30. quo numerus deportatorum conſtituitur 4600. cum 2. libro Reg. 24, 14 - 16. ubi referuntur 18000, optime conciliat. §. 12. expendit et refutat dubia Zwinglii, qui hoſce Ieremiae numeros cum libro Regum collatos, aut corruptos, aut omnino Ieremiae non eſſe, ſed hiſtoriei mendacis, ſuſpicatur, qui hac recenſione gentis Iudaicae ignominiam aliqua ex parte voluerit levare. §. 13. Occurrit dubiis Kennicoti, celebris inter Anglos critici, qui Zwinglii ſuſpicionem ſequutus, eandem textus Ieremiae corruptionem defendit, et praeterea finem verborum Ieremiae in fine capitis LI. ſtatuendum, quod vero ſequitur caput LII. cum lamentationum libro connectendum eſſe, contendit.

Comment. IV. et V. Vir doctiſſimus *de natura et origine maris mortui differit.* Nimirum §. 1. Argumentum et fines huius tractationis explicat, ſuamque operam ſpicilegium quaſi poſt Relandi Palaeſtinam appellat. §. 2. magnitudinem et figuram maris mortui incertam eſſe, cum ex veterum, tum e recentiorum teſtimoniis, probat. Affert praeterea haud ſpernenda contra Shawii ſententiam argumenta,

menta, qua longitudinem maris mortui LXXII. et latitudinem XVIII. milliarium Anglicorum aſſumſit. §. 3. demonſtrat, Aſphaltiten meram pene ſalſuginem eſſe; quae etiam cauſa ſit, cur nihil vivi in eo ſubmergatur. Provocat primum ad nomen hebr. maris ſalſi (ים המלח), et ad locos a Relando collectos. Addit deinde teſtimonium Galeni, qui Aſphaltiten meram pene ſalſuginem eſſe docet: cuius teſtimonium Plinio adhuc praefert, qui cauſam, cur nihil ſubmergatur, praetermittens, H. N. lib. V. c. 16. haec modo ut rem mirabilem narrat, *nullum corpus animalium recipere: tauros camelosque fluitare*. Quibus expoſitis affert A. quae Maundrellus et Pocokius, qui natandi in hoc mari periculum fecerunt, memoriae tradiderunt: ſenſiſſe nimirum, ſe altius ab aqua tolli. §. 4. docet, ſalem maris mortui inſignem utilitatem praeſtitiſſe Palaeſtinae incolis, teſte eodem Pocokio. In eiusdem maris vicinitate etiam *ſalis foſſas*, (מכרה — מלח Sophon. 2, 9.) et *vallem ſalis* (גיא — מלח 2 Sam. 8, 13.) fuiſſe, et quid fuerint, explicatur. Denique loco Ezech. 47, 11. explicato, copioſius reſpondet dubitationibus celeberr. Carpzovii, in Apparatu hiſt. crit. Antiqq. S. Cod. contra Hardtium prolatis. §. 5. inde a pag. 72. ad p. 82. maxime contra Lightfootum, Herm. von der Hardt, et Schoetgenium, aſſerit, ſalem Sodomiticum, ſcriptis Talmudicis et Rabbinicis מלח סדומית, eſſe verum ſalem communem, non bitumen, natura, ſpecie, colore, odore, tactu, modisque omnibus diverſum. Addit inprimis naturam rei, qua mincha, i. e. farina ſacrificialis (Levit. 2, 13.) erat ſalienda: cuius quum maxima pars ſacerdoti in cibum cederet, ingrati certe fuiſſet ſaporis, ſi bitumen habuiſſet admixtum. Contra Hardtii ſententiam etiam locum Marc. 9, 49. affert, quem ita poſſe explicari putat: *totus enim flamma ſalietur, ut omnis victima ſale conſpergi ſolet.* Occurrit denique ſub finem huius §. alteri Schoetgenii opinioni, qui in Horis Hebraicis p. 21. ea de cauſa ſalem hunc bitumen putat, quod magiſtri Iudaeorum multa loquantur

de coronis nuptialibus, ex ſale Sodomitico et ſulphure factis; quem tamen Vir celeber. optime convincit uſu hodierno, quo ex ſale etiam communi coronae haud indecorae, cuiusmodi ipſe fatetur vidiſſe, poſſint et ſoleant necti. §. 6. optimis argumentis probat, ſimile illud a ſale fatuo facto, de quo ter loquitur Chriſtus in N. T. non a bitumine, ſed a ſale communi, petitum eſſe. Ubi refutat inprimis Schoetgenii et Hardtii opinionem, qui bitumen Sodomiticum intelligunt, idque facile corrumpi et inſipidum fieri poſſe contendunt. Quibus Vir illuſtr. optime reſpondet, corrumpi et inſipidum fieri non eſſe res eaſdem. Corrumpi enim omnia terrena poſſe, inſipida fieri ea tantummodo, quae gratum acremque ſaporem habeant. Bitumen autem, iam natura ſua inſipidum, nullum adeo ſubamarum habere ſaporem, neutiquam vero ſalſum acremve, indeque nec poſſe μωρανθῆναι, et ſaliendo ineptum fieri. Examinata deinde Altmanni de ſale terrae ſententia, erudite demonſtrat, in his Chriſti ſermonibus ſalem communem intelligi, qui a particulis alcalinis, temporis lapſu, alienum ſaporem ſorditiemque tabidam contrahat. §. 7. Rabbinorum de ſale Sodomitico traditiones explicat; qui ſalem, de quo Moſes loquitur, Sodomiticum interpretati, hoc volunt: ſalem marinum ex lacu Aſphaltite excoctum ſacrificiis ſaliendis adhibitum fuiſſe.

Comment. V. ſ. poſterior *de eodem themate.* Hic §. 8. Vir doctiſſ. quaeſtionem in medium profert, piſcesne alat Aſphaltites, nec ne? Variis igitur doctorum virorum ſententiis perluſtratis, eorum partibus favet, qui propter nimiam ſalſuginem, quarta parte graviorem aqua dulci, nullos in Aſphaltite piſces admittunt; ubi et ſimul ad experimentum a celeb. Bittnero ſuſceptum provocat. §. 9. Demonſtrat, exitu carere Aſphaltiten, et non tam per occultos ſub terra meatus in mare maius effundi, ſed ſolos vapores quotidianos ſufficere, aquae, quam Iordanes devehit, exhaurien-

hauriendae, indeque etiam verno tempore, Iordane nivibus Libani tumente, ſupra ſolitum exundare ſolere. § 10. Speciatim de bitumine agitur. Duo inprimis, veterum et recentiorum ſententiis examinatis, bituminis genera, natura eadem, ſolaque alterum ab altero puritate differentia, Vir illuſtr. recenſet. *Iudaicum*, quod Dioſcorides lib. I. c. 100. pulcrum, transparens, et purpuraſcens fuiſſe prodit: *Sodomiticum* alterum, quod teſte Hillio et Shawio, nigrum, radiis non pervium, ſed eos reflectens, qualis Gagates. Quorum tamen ſententiam in dubium adhuc vocat, an eorum bitumen non tam ex aqua, cui innatare dicatur, quam in litore potius fuerit collectum. Unde Vir doctiſſ. §. 11. de Naphtha in vicinia maris mortui agit, cuius naturam primum in eo ponit, quod ſit liquor ignis capax, cum bituminoſis carbonibus et ceſpite communis. Deinde oſtendit, non tantum circa mare mortuum terram habere inexhauſtam Naphthae copiam, ſed ex loco Ieſ. 34, 9. ſ. etiam probat, in eiusdem litore fontes adeo Naphthae fuiſſe, atque etiam exiſſe. Provocat denique ſimul ad etymon voc. *Naphthae*, quod apud Arab. eſt *ebullivit, puſtulas emiſit*: quod et confirmat Strabonis loco lib. XVI. qui inter ſigna incendii in vicinia maris mortui numerat *picis* (i. e. bituminis adhuc fluidi,) *guttas, ex praeruptis montium ſtillantes, et flumina ferventia, quae gravem longe odorem diffundunt*. §. 12. deinde, quales ſint vapores Aſphaltitis, et an metallis, ne auro quidem excepto, aeruginem inducant? explicatur. Nimirum, ex locis quibusdam biblicis, cum Strabone et Diodoro Sic. collatis, Vir doctiſſ. fieri poſſe contendit, ut ex mari illo ſalſiſſimo, in regione nitri fortaſſis ditiſſima, aliquid aquae regiae ſimile nonnunquam natura conficiat, idque cum fumo naphtheo exhalet, quod auro adeo ſit infeſtum. §. 13. inprimis e teſtimonio Moſis, Geneſ. 14, 3. coll. v. 10. contra Relandum probat, Pentapolim illam, cuius urbs primaria Sodoma fuerit, in illo ipſo loco vallis Siddim, quam nunc Aſphaltites implet, ſitam fuiſſe. §. 14. argumen-

mentis phyſicis, et exemplo inſularum natantium, demonſtrat, in valle iſta fertiliſſima iam ante excidium Sodomorum paludem ſub terra ſtagnaſſe, ſtratumque bituminis, alio glebae fertilis ſtrato tectum, ipſas urbes ſuſtinuiſſe. §. 15. reſpondet ad quaeſtionem illam: quo devenerit aqua Iordanis, Arnonis, aliorumque ex Moabitide rivorum, antequam palus iſta ſubterranea incendio detegeretur? Quibus §. 16. addit, vallem iſtam, teſte Moſe, Geneſ. 13, 10. (משקה) iam ante incendium, innumeris rigatam canalibus, *paradiſo* ſ. *horto Dei ſimilem fuiſſe.* §. 17. de fontibus bituminis et Naphthae in valle Siddim (Geneſ. 14, 10.) diſputat. §. 18. ad totius vallis everſionem diſtinctius explicandam procedit; cuius urbes non pluvia ſulphurea, proprie ſic dicta, ſed fulminum iactu deletas fuiſſe affirmat; quemadmodum etiam locum Geneſ. 19, 24. ſſ. collatum cum teſtimonio Ioſephi Antiqu. Iud. lib. I. c. 11. et B. I. l. IV. c. 8. de ſolo fulminum iactu crebriore, graviſſimaque tempeſtate, intelligendum eſſe cenſet. Quo et refert teſtimonium Taciti, qui Hiſt. l. V. c. 7. *fulminum iactu has urbes arſiſſe*, ſcribit. §. 19. Vir celeb. egregie docet, neceſſe fuiſſe agros in ſubiectam paludem deſcendere, quum ſtratum illud bituminis, de quo §. 14. ſermo, quodque agros fertiles ſuſtinebat, fulminum iactu exarſiſſet. §. 20. quid in Clerico, ceteroquin pleraque vera habente, reprehendendum ſit, docet.

Pag. 124. Vir doctiſſimus addit Epimetrum praelectionis poſterioris. Hinc §. 21. ſumma elegantia Strabonis locum, de ambitu LX. ſtadiorum reſiduo, qui de Sodomorum magnitudine, conſpicuisque in mari ruderibus ſolet intelligi, explicat. Oſtendit nimirum, *κύκλον ἑξήκοντα σταδίων* non indicare moenium urbisque deſcriptionem, ſed eſſe ambitum ac velut orbem agri, ſ. tractus Sodomitici, ex flammis ſervatum. §. 22. de ruderibus Sodomorum ſub aqua conſpicuis diſputat, et ruinas eiusmodi ſub mari mortuo conſpici, rem omnino veri diſſimilem vocat. §. 23.

addit

addit diſſertationem de uxore Loti, et voc. נציב *cumulum ſalis, ſ. monimentum ex ſale Sodomitico*, vertendum eſſe iudicat. Ipſius autem de loco Geneſ. 19, 26. coniectura haec eſt: Poſteros Loti, ab oriente paludis habitantes, quum litora maris mortui ſalis eſſent ditisſima, cumulum ſalis in matris honorem congesſiſſe, qui tanquam tumulus eius et monimentum eſſet; huncque cippum manem, novo quotannis ſale adgeſto, usque ad Moſis aetatem duraſſe. Sed in hac coniectura approbanda cuique lectorum relinquimus eligendi libertatem inter haec, et ea quae Clericus habet in diſſert. doctisſima de Statua Salina.

Comment. VI. eſt *de Nitro Plinii.* §. 1. Vir doctiſſ. inſtituti rationem explicat. §. 2. oſtendit, Plinium nitri nomine nitrum, natrum, et alcali complecti. In univerſum autem docet, Latinos duo ſalis genera, adſpectu ſimilia, uno nitri nomine comprehendiſſe, nimirum nitrum noſtrum, et ſalem lixivii: lixivii autem ſalem iterum duplicem fuiſſe, ſodam ſ. ſolidam Hiſpanicam, quae ex frutice Kali, aliisque herbis in cinerem redactis paratur; et noſtrum (vernac. Potaſche) notiorem, ex cineribus arborum elici ſolitum. Quibus et addit aliud praeterea genus, alcali foſſile ſ. naturale, in Aegypto frequentiſſimum. Quae tria ſalis alcalini genera a Plinio deſcribi, cumque nitro uno communi Nitri nomine comprehendi, exiſtimat. Quod oſtendit maxime §. 3. qua totus Plinii locus H. N. lib. XXXI. c. 10. §. 46. qui de nitro agit, obſervat. 34. diſtinctius explicatur; ita quidem, ut Vir doctiſſ. ſingulis ſectiunculis ſubiungat ſtatim, quo de ſale, ſub nitri nomen coacto, quaeque debeat intelligi. Sic v. e. Obſervat. 1. reprehendit Plinium, quod naturam nitri, ut alii ante ipſum, ignorans, de rebus uſu oeconomico ac medico diverſisſimis ita ſcripſerit, ac ſi eſſent eaedem. Obſ. 2. per illam nitri ſpeciem, quam Plinius *Halmyrhagam* vocat, nitrum noſtrum ſeu potius illud naturae donum intelligit, ex quo artifices nitrum conficiunt. Verba

Plinii

Plinii n. 4. allegata de ſale lixiviali, noſtris regionibus conſueto, et ex cineribus arborum, quercuum etiam, facto, interpretatur. Obſ. 6. contra Harduinum aſſerit, in Aegypto caſu ac natura nitrum conſiſtere Nilo inundante: eandem enim regionem abundare etiam natro, quod illi primigenio nitroi Alcali vicem praeſtet; cumque eo concretum nitrum efficiat: Plinium autem h. l. maxime loqui de nitro quod arte fiat, non ab ipſa ultro natura offeratur. Obſ. 7. Plinium de ea nitri ſpecie, cuius nomen *Aphronitrum;* et 8. de ſale lixivii, cuius adhuc in purpura aliisque tincturis uſus, loqui oſtendit.

Comment. VII. de Nitro Hebraeorum ſermo eſt. §. 1. Vir Cel. inſtituti rationem explicat. Mox §. 2. ad herbam Borith (ברית) a Malachia c. 3, 2. commemoratam tranſit, et quid de eiusdem explicatione meliores habeant interpretes, Hieronymi inprimis, Plinii, et Langii ſententiis examinatis, exponit. §. 3. demonſtrat, Borith Malachiae eſſe ſolidam Hiſpanicam, ſ. ſalem lixivii, qui mineris fundendis, et metallis depurandis, addi ſolent. §. 4. locum Ieſ. I, 25. et ex eo inprimis uſus voc בור explicatur. §. 5. Vir doctiſſ. optime demonſtrat, in loco Ieſ. 42, 6. et 49, 8. praeferendam ſibi videri lectionem ברית prae illa ברית, quam editiones maſorethicae habeant. §. 6. duplex ex loco Ieſaiae conſectarium depromitur. §. 7. autem eadem coniectura, qua §. 5. uſus eſt, verba ברית מלח, Levit. 2, 13. non de ſale foederis, uti vulgo explicantur, ſed de ſale lixivii, et Exod. 30, 35. de ſale puro ſuffimenti, interpretatur. §. 8. de ſale puro Graecorum et Latinorum diſſeritur, et per nitrum ſ. natrum explicatur. §. 9. quid ſit ברית מלח Num. 18, 19. et 2 Paralip. 13, 5. exponitur. Nimirum iis in locis Viri celeb. de ſale foederis coniectura haec eſt: in loco priore pro ברית legendum eſſe ברית, ut ſenſus hic exiſtat: *Carnes ſacrificiorum aeternum fore ac purum ſalarium ſacerdotum.* In poſteriori autem loco interpretando

tanda praefert lectionem interpretis Syri, בְּרִית מֶלֶךְ *foedus regiam.* §. 10. de altero nitri nomine Hebraico (נֶתֶר) quod legitur Ierem. 2, 22. et Prov. 25, 20. diſſerit, et e natura rei, et contextu, luculenter demonſtrat, intelligi debere natrum ſ. alcali foſſile ac naturale, quale in nitrariis Aegypti deſertis reperiatur.

Obſervat. VIII. De Syrorum vocabulis ex Ephraemo. §. 1. a Viro doctiſſ. cauſa, cur de Syrorum vocabulis diſputetur, indicatur. §. 2. ex Aſſemani Biblioth. Orientali To. I. p. 477. ſq. verbis, e Gregorii Bar Hebraei libro ſplendorum excerptis, tempus determinatur, quo Syri vocales Graecorum ſuas fecerint. Nimirum eius ſententia haec eſt, Iacobum Edeſſenae Epiſcopum ſeculo ſeptimo, rogatu Pauli Antiocheni, ſeptem tentaſſe vocalium figuras; Theophilum autem Edeſſenum, ſeculo octavo demum in Homero graece vertendo, primum auſum eſſe, ambiguas voces quinque Graecorum vocabulis notare, quae deinde civitate Syriaca ſint donatae. §. 3. Syros iam ante has Graecas vocales puncta vocalia habuiſſe A. docet, ſed quemadmodum Arabes, non niſi tria, A, I, et O ſignificantia, nonnunquam tamen etiam uti E et U appellata. §. 4. autem aſſerit, haec puncta Ephraemi Syri, ſub Conſtantino M. nati, iam fuiſſe antiqua. Ex quibus eruditisſime expoſitis Vir celeb. §§ ſeqq. quatuor deducit conſectaria; quorum primum §. 5. hoc eſt, Iudaeos quoque iam ante Seculum IV. puncta vocalia habuiſſe. Alterum §. 6. Hebraeos antiquitus tres tantum vocales habuiſſe. Tertium §. 7. igitur et eo ipſo tempore, quo puncta vocalia habuerint Orientales, in lapidibus iis non eſſe uſos; nec lapides et numismata Phoenicum et Hebraeorum quidquam ad quaeſtionem de antiquitate punctorum lucis afferre. Quartum denique §. 8. Vocales, quae in maſorethica bibliorum editione legantur, non eſſe antiquas, licet Hebraei vocales antiquitus habuerint.

Comment. IX. De paradoxa Lege Moſaica, ſeptimo anno omnium agrorum ferias indicente. §. 1. Vir celeber. legem ipſam de anno Sabbatico, Levit. 25, 2-7. paradoxam affert, qua ſeptimo quovis anno, in Dei honorem, omnium agrorum, vinearum, hortorumque, per univerſam Palaeſtinam erant feriae. §. 2. Ferias agrorum legitimas non quidem peregrinas nobis eſſe, demonſtrat: id vero in lege deprehendi novum, omnium agrorum ferias eodem anno indici. §. 3. Nec promiſſionem illam Levit. 25, 18-22. de eximia anni ſexti ubertate nodum ſolvere videtur, quum et addita legatur conditio, ſi nempe *populus legibus divinis obedierit.* §. 4. Reſpondet eorum obiectioni, qui ex legis huius a prudentia civili ſeiunctione efficiunt, Moſen divinum fuiſſe hominem. §. 5. Vir doctiſſ. ſpecialius ſuam de hac lege ſententiam explicat: nimirum, annum ſabbaticum potentisſimum contra fames fuiſſe remedium, nam coegiſſe adeo patres familias, ut aliquid ſemper frumenti ei ſervarint viciſſitudini, ſi qua meſſis votis neceſſitatibusque non reſponderet. §. 6. Exinde colligit, hoc famis remedium potentius fuiſſe regum granariis, futurae ſterilitati ſubventuris. §. 7. oſtendit, Dardanariorum, quos vocat cives utilisſimos, beneficio, a famis metu tutam quidem eſſe plerumque Germaniam; ſed hiſce carere potuiſſe remp. Iſraeliticam, omnibus patribus familias annonam ſervantibus. §. 8. Alias ex hac lege utilitates eruit, inter quas numerat *a*) venationem, in Palaeſtina alio tempore rarisſimam; *b*) foecunditatem agrorum, quae ex gregum per omnem Palaeſtinam errantium ſtativis redundabat; *c*) illud denique beneficium, quo ſervi Hebraeorum, ſeptimo anno manumittendi, ex proventibus anni ſabbatici novae ſtatim rei familiaris fundamenta iacere poterant. Tandem §. 9. ex ſilentio ſcripturae de annis ſabbaticis, regum maxime tempore, probat, hanc legem ſapientisſimam et utilisſimam ab Iſraelitis neglectam, eorum avaritia in deſuetudinem abiiſſe; poſt reditum autem ab exſilio

ſilio Babylonio, teſte Ioſepho, annis ſabbaticis ſuum honorem ac religionem reſtitui coepiſſe.

CHRONICON VENETUM, OMNIUM QUAE circumferuntur vetuſtisſimum, et IOHANNI SAGORNINO vulgo tributum. E MSto Cod. Apoſtoli Zeno V. Cl. nunc primum cum MSS. Codd. Vaticanis collatum, notisque illuſtratum, in lucem profert H. FR. ZANETTI Al. F.

Venetiis plagg. 9. in 8. 1765.

Quod ad Lectores praefatus eſt Editor, Vir doctiſſimus, id omnino tale eſt, ut cognoſcendo operi dici a nemine melius posſit. Eius igitur venia fieri credimus, ſi id omne huc transtulerimus. Ita vero ſcribit: „Quae in „hoc edendo vetuſtiſſimo ſeptingentorum annorum Chro„nico, (quo nullum apud nos pretioſius, ſinceriusve,) prae„ſtitimus, paucis habe, Amice Lector.

„Codicem Zenianum ſumma fide deſcripſimus, mini„me expunctis ſive auctoris, ſive deſcriptoris erroribus, „idque fecimus, ut genuina imago Mſſ. Codicis legentibus, „quoad fieri poterat, appareret. Huiusmodi monumen„torum amatores non ſane ſupervacaneam tantam diligen„tiam, imo ſi quis velit, ſuperſtitionem noſtram, bene no„runt.

„Breviuſculis adnotationibus ad calcem paginarum „textum caſtigavimus, quoties oportere viſum fuit, ne „ἀγραμματία et barbaries Scriptoris, et deſcriptoris, lectores „nimium defatigarent, taedioque conficerent.

„Caeteras quas adiecimus adnotationes, ad illuſtratio„nem quorundam locorum obſcuriorum ſubdere placuit; „plures, amplioresque daturi, ſi temporum, et rerum noſtra„rum conditio, tuliſſet.

„Pauli Warnefridi, vulgo Diaconi, loca, quae non ſe-„mel, neque parce, ex Hiſtoria Langobard. Chronographus „noſter excerpſerat, praeſertim ſub initium operis, adno-„tanda quidem, ſed ſimul praetermittenda putavimus; ni-„mis enim obvia, et omnium manibus trita.

„Chronotaxim Ducum Venetorum, expresſis ſingu-„lorum nominibus, margini adpoſuimus; quae in Mſſ. non „erat. Inſuper numerationem pagellarum Codicis, folio „averſo et adverſo adnotavimus.

„Cur vero factum ſit, quod in noſtro hocce apogra-„pho, XIII. vergente, vel XIV. ineunte Saeculo, ſi bene vi-„dimus, exarato, notae numerales annorum plerumque ob-„miſſae fuerint, quis dicat? Auctorem ne incuſabimus, an „deſcriptorem? Certe non apparent. Suppleri a nobis le-„vi labore poterant. Sed noluimus. Codicem enim da-„re, quam Codicis editionem, malebamus.

„Opus urgebamus, imo iam paene ad umbilicum res „erat perducta, quum nobis ex inſperato, ope et conſilio „amici cuiusdam, copia facta eſt Libri Mſſ. Bibliothecae „Fuſcarenae, quam ſuperioribus hiſce annis multo impen-„dio congeſſerat florentis memoriae Princeps, *Marcus* „*Fuſcarenus*, inclytus Venet. Dux, diro litterarum, et littera-„torum fato, nobis, heu nimium immature, ereptus. Con-„tinet liber apographa binorum Codicum Mſſ. Chronici no-„ſtri, qui in Bibl. Vaticana aſſervantur, et ab H. Tartarotto „in Diſſert. mox ſubnectenda, laudantur et expenduntur. „Eos ambos doctisſimus Dux deſcribendos curaverat, dum „Sereniſſimae Venetor. Reipubl. apud Romanum Pontifi-„cem legatione fungeretur. Placuit itaque conferre cum „noſtro, et inſigniores nonnullas variantes margini adnota-„re, ne quid Editioni noſtrae deeſſe videretur. Codices diſ-„tinximus ſub nomine *Vaticani* et *Urbinatis*.

„Quod

„Quod autem ad auctorem operis adtinet, Lectores no-„ſtros ad clarisſimorum virorum teſtimonia, quae mox ſubii-„ciemus, remittendos duximus, Fuſcareni nempe, Corne-„lii, et Tartarotti. Nobis vero, ſi quid in tanta obſcurita-„te ſtatuere liceat, presbytero cuipiam, cuius nomen latet, „tribuendum haud omnino temere videbatur; quod in no-„tis etiam, nec ſemel, attigimus.

„Ad calcem Zeniani Codicis, imo extrema voluminis „parte, hiſtoriola quaedam habetur, piis anilibusque fa-„bellis plane referta, pro more ſequioris aevi. Illa eadem „haec eſt, ſaltem initio, quae Tartarotto memoratur, inci-„piens: *Poſt multarum Urbium deſtructionem*; unde initium „ſumpſit deſcriptor Codicis Urbinatis. Finis tamen non „convenit. Eam conſulto praetermiſimus, utpote alienae, „ſatisque inficetae manus, parumque opportunam ad eruen-„dam firmandamque priſcae noſtratis Hiſtoriae veritatem. „Eoque libentius ab edendo abſtinuimus, quo iam diu edi-„tam maiori ex parte deprehendimus, nimirum dum haec „in lucem proferre parabamus, morasque trahere inviti co-„gebamur, ab Excellentisſimo doctisſimoque Senatore, „*Flaminio Cornelio*, de rebus patriis, et potisſimum eccle-„ſiaſticis, egregie merito, qui, ſi quid boni erat, (quod ſane „haud multum videri poterat,) in rem ſuam traxit, operique „*Eccleſiarum*, quae ad *) Venetias pertinent, inſeruit.

„Ceterum pretioſisſimum Codicem, auroque contra „comparandum, ſervatumque, dum ſcribimus, in bibliothe-„ca Fratrum Ord. Praedicat. ſtrictioris obſervantiae Vene-„tiarum, quibus, cum tota librorum ſuorum ditisſima ſup-„pellectile, dono, moriens ſenioque confectus dederat Cl. „Zenus, optimus ſenex dum in vivis ageret, anno 1747. „nobis

*) *In Eccleſiis Torcellanis*, Part. I. p. 9. Videſis iudicium Cl. Viri in teſtimoniis mox adtexendis.

„nobis propriis manibus obtulit, hortatusque eſt enixe, ut „quod ipſe, ingruente aetate, maioribusque diſtentus curis, „facere non poterat, ſolidisſimum, eximiumque patriae Hi„ſtoriae fundamentum et caput in lucem tandem prodire „curaremus: quod demum, faventibus Superis, remotis„que feliciter difficultatibus, nobismetipſis magnopere gra„tulantes, efficimus.

NOVA LITTERARIA.

Literarum Graecarum ſtudioſis

S. P. D.

IO. IACOBVS REISKE.

Reliquias, quae ſuperſunt, veterum Graeciae Oratorum, uno faſce concluſas, commodo illo quidem, facileque et parabili et geſtatili, edere in publicum, neceſſariis indicibus reliquoque apparatu critico inſtructas, decrevi. Quod conſilium hac pagella, ut annunciatum, ita commendatum eo vobis, quotquot graecarum literarum eſtis ſtudioſi, vosque rogatum, ut hanc noſtram his de literis pro virili noſtra bene merendi voluntatem, ſymbola pecuniaria conferenda ſecundare velitis.

Complectar hoc faſce, una cum Demoſthene, reliquos omnes, quos vulgo uſurpant, graecos oratores minores, quos Henr. Stephanus item, et ante eum Aldus iam, uno volumine complexi fuere, Aeſchinem, Lyſiam, Antiphontem, Iſaeum, Dinarchum, reliquos. Quorum quas dixi editiones, ambae graecae ſunt, et raro in tabernis librariis venum proſtant. Supereſt quidem adhuc alia graecolatina, inventu facilior, ſed illa auctoritate carens, ab

ab Andrea Schotto curata, ad exemplum Stephani. Quamquam, ſi verum volumus, ipſa Stephani editio Aldinae umbra eſt; non enim memini Stephanum ab Aldo vel latum unguem diſcedere. Locupletior tamen eſt editio Stephani, quam illa Hanovienſis, ab aliis Schotto, ab aliis Grutero imputata. Univerſe, graecorum oratorum paucae ſunt, probabiles quidem, editiones, aut rarae apparent, aut magni veneunt, aut multum denique a perfectione artis criticae abſunt. Vix impetrarunt minores oratores, ut latina veſte induerentur; de qua vel ipſa parum bene ſpero. Noſcitandae enim illi latinae interpretationi animum nondum adieci. Qui illos emendaret enuclearetque, repertus adhuedum nemo eſt. Quod profecto mireris, in tanta et tam teſtata horum oratorum praeſtantia.

Principatum tamen omnium merito ſuo tenet Demoſthenes. Cuius editione cum careamus et parabili, et probabili, coepi me eius editorem ferre, qui praeſidiis munitus ſim iis, quae ſpem faciant haud vanam, fore ut ita me in hac re geram, ut operam non luſiſſe videar. Haud equidem committam ut impoſturae arguar, eum a me edendum promittens Demoſthenem, qui et oratione utatur multo mundiore atque emaculatiore, quam ea eſt, quae in libris vulgaribus circumfertur, et reliquis etiam laudibus ſit inſtructior atque comtior, quas ineſſe par eſt editioni commendabili.

Ferbuit editionibus Demoſthenis Saeculum XVI, quod tres tulit authenticas, quinque nothas. Appello eas authenticas, ſeu ingenuas, ad quas qui acceſſere condendas, non vetuſtius aliquod exemplum typographicis formulis exaratum, ſed calamo conſcriptos codices expreſſere. In his primum locum tenet Aldina, mater omnium, et princeps, vetuſtate quidem. Nam bonitate procul dubio concedit Venetae ſecundae, quae ſtudio Io. Bern. Feliciani debetur. Sed hac Felicianea potiri nondum mihi licuit. Tertia eſt

Pa-

Pariſina, a Guilielmo Morello, viro docto et induſtrio, inchoata. Verum is a fato interceptus neceſſe habuit abſolvendam ſucceſſori haud pari relinquere, Dionyſio Lambino. In nothis, ſeu ſecundariis, habeo ex Demoſthenis editionibus Venetam tertiam, ex officina Pauli Manutii, quem nil puduit elogio libri ſubſcribere, *corrigente Paulo Manutio*. Ego vero valde vereor, ne Felicianeam ad literam, vitiis etiam cumulatis, reddiderit. Inſecutae omnes Baſileenſes ſunt, duae graecae, totidem graecolatinae. Maior graeca fertur Aldinam expreſſiſſe, minor Felicianeam. Hieronymus Wolfius duas cum latina interpretatione ſua curavit, primam Anno 1549. apud Oporinum, poſteriorem apud Herwagium A. 1572. in qua ad hoc diei conquievimus. Verum aio, quamquam portentoſum eſt auditu, non fuiſſe intra ducentos annos, qui de Demoſthene bene mereri auderet; unum eximo Taylorum, de quo paulo poſt. Nam, quae Francofurti A. 1604. prodiit editio, (qua item careo,) et quae Genevae A. 1607. nequeunt illae in numero novarum editionum haberi. Genevenſis enim tantum abeſt ut curis Wolfianis quicquam addiderit, ut potius optimam earum partem; commentarios Wolfianos, detraxerit: Francofurtana ſola praeſtat acceſſione variantium lectionum, e libris Italicis excerptarum. Verum Taylorus non videtur magni hanc acceſſionem facere. Conſtat ergo, cum Hieronymo Wolfio, cuius merita de Demoſthene nulla aetas obliterabit, ſtudium tractandi ornandique Demoſthenis exſpiraſſe. Nemo enim a Wolfio inde ad Taylorum fuit, qui neglectum et abiectum Demoſthenem amplecteretur. De quo quid dicas, in tanta doctorum virorum multitudine, de literis graecis optime meritorum? Pudet, quod neceſſe eſt, fateri, me neſcire ubi mens fuerit viris doctis, qui cum in poetaſtris quibusdam ſuppoſititiis, in eroticis, aliisque nugis expromendis et concinnandis, conſeneſcerent, tum tenebris ſituque computreſcere paterentur auctorem primarium, quem noctu diuque conteri aſſiduis mani-

manibus, et in oculis geri, par erat. Nae oportet illos, aut commoda ſua ignoraſſe, aut ſpreviſſe, aut de ſe ipſosmet deſperaſſe.

Intereſt itaque rei literariae, ab homine navo dari operam, ut ludique literarii et muſea doctorum Demoſthene laudibus illis omnibus cumulato inſtruantur, quibus editionem haud poenitendam enitefcere par eſt. Quae laudes hae ſunt, ut chartae ſint mundae, neque faſtidiendae, ut moles libri ne ſit intractabilis, ut typi perſpicui ſint et venuſti, ut oratio graeca exhibeatur a lapſibus librariorumque veterum, et operarum in typographeis noſtris famulantium, quam fieri posſit; purgatisſima, ut libellus variantium, quae lectiones, quibus in libris reperiantur, diligenter fideliterque doceat, ut commentarii lectionum vim examinent aeſtimentque, locos corruptos emendent, obſcuros illuminent, nodos omnes expediant, ſed ſubtiliter breviterque; ut indices ne deſiderentur, ſed perite confecti.

Ego vero, quod praefiſcine dixerim, hunc me ferre editorem, ni vis potior intercedat, audeo, rogoque iterum atque iterum, quotquot ſunt bonarum artium ſtudioſi, ut operam meam ſtudio ſuo ſecundent. Quae opera non erit tralaticia, neque in illa evaneſcet hodie pervulgata, calliditate dicam, an ſupinitate, maiorum exemplis indormiſcente. Noſtra vero graeca a Wolfianis plus millenis locis diſcrepabunt. Libros ſequar bonae notae, typographiae natalibus aut vetuſtiores, aut ſuppares. Vehementer enim falluntur, qui textum, (liceto mihi cum vulgo loqui,) Wolfianum, pro genuina et primigenia oratione Demoſthenica habent, qui textus nulli librorum autenthicorum plane concinit. Senſum ſuum ſequebatur Wolfius, non raro pravum illum. Quod ferri poterat, ſi ubique ſedulo factum indicaſſet. Ipſemet quoque interdum queritur, abſente et invito ſe, correctores Baſileenſes manum ſuam ſententiam-

que vitiaſſe. Ut nil mireris, cum in Wolfiana lectiones cernas, nullius libri, neque veteris, neque iunioris aucto- ritate nixas, quas neceſſe eſt aut ab eius ingenio, (et ſcie- lum ſe, praeſertim in ſcholiis Auguſtanis, dedit,) aut ab oſcitantia, ſtuporeve, aut libidine operarum Baſileenſium profectas eſſe. Quo fit, ut homo criticus fidere codici Wolfiano minime queat.

At Taylorus tamen eum reddidit? Ipſe viderit, qui factum purget. Ego vero, cum multas eſſe magnasque laudes a Tayloro in editionem Britannicam collatas, lubens meritoque profitear, tum vel primis in naevis huius Britan- nicae editionis hunc habeo, quod ſuperſtitioſe Germanico exemplo inhaereſcat; aut ſicubi ab eo diſceſſerit, ſaepe lo- ci ſint eiusmodi, ut non ſatis magna videatur cauſſa diſceſ- ſionis fuiſſe. Non ego nunc hoc ago, ut fontem, unde haurio, coinquinem. Haud eripiam Tayloro coronam de- core fronti eius inſidentem, et iure merito partam. At ſunt tamen, quae aliter inſtituta mallem. Non ſatisfacit diligentiae criticae. Parum latine loquitur, et putide. Ia- ctat ſe in minutiis. Copioſior eſt, ubi parciori licebat eſſe; contra, non pauca dictu neceſſaria praeterit. Quem circum- iecit editioni ſuae ornatum adventitium, eo gravavit emto- res. Inchoavit opus, neque perfecit; in quo neſcio an cul- pa ipſius quoque nonnulla fuerit. Denique raro, his qui- dem in terris, eius Demoſthenes invenitur, et nimis caro ve- nit, paene dixeram immani pretio. Spes denique vacillat, ſitne unquam futurum, ut coeptum ad umbilicum perducatur.

Moverunt iſtaec omnia me, ut auderem, quod conſi- lium dudum, ipſo adhuc ſuperſtite, animo agitavi, id nunc exſequi, eo e rebus humanis ſublato, provinciamque ab eo derelictam capeſſere. Sed aliquanto, quam ille, amplectar ampliorem. Demoſtheni, Aeſchinique et Lyſiae, intra quos ille ſubſtitit, Iſaeum, magiſtrum Demoſthenis, caeterosque

ſoda-

ſodales, adiungam. Externo ſplendori quod detraham; id bonitate penitiori, minus quidem illa oculis illudente, certius tamen diutiusque animum paſcente, et ad veram laudem evincente, compenſare ſtudebo. Quo geminum hoc conſequar bonum, ut et minoris veneat liber noſter, et copia fructuum praeſtet ab iis percipiendorum, qui bibliothecas inſtruunt, non materiam oſtentationis, non ſuppellectilem domus copioſae, ſed paſtum mentis.

Prout rationes nunc quidem ſubduxi, implebit iſtaec opera noſtra octo volumina eius formae, quam vulgo *Medium Octavo* uſurpant typographorum et librariorum pueri. Quorum voluminum unumquodque plagulas tenebit octonas quinquagenas, (duo et ſemi Alphabeta.) Prima duo volumina Demoſtheni conſecrata ſunto, ſed ab interpretatione latina ſcholiisque graecis denudato. Duo proxima chorus oratorum graecorum habeto, quos vulgo minores appellant, mallem Atticos appellari. Nam qui Romanis ſummam rerum tenentibus extitere graeci oratores, Dio Chryſoſtomus, Ariſtides, Libanius, quanquam non contemnendi et ipſi, alius tamen ſunt ordinis. Quintum volumen occupabit Harpocratio, cum Valeſianis, Gronovianis, noſtrisque copiis. Sextum indices in Demoſthenem, caeterosque ſocios eius, ſed in quemque ſeorſim ſuos; ſeptimum exhibebit annotationes Wolfii et Taylori integras. Octavum tandem noſtras ad univerſos oratores.

Demoſthenis editio Pariſina operis typographicis in manus dabitur ad imitandum, ſed a mendis, quibus pars poſterior a Lambino curata ſcatet, ſedulo a me repurgata. Sed et reliquas mendas libris excuſis communes, penitius infixas, ut a librariorum vetuſtisſimorum ſocordia, temporumve aliis iniuriis ortas, ope librorum probatorum, quoad eius licebit, tollam. Doctorum coniecturas quoque in ſocietatem medelae adſciſcam. Mearum adeo non paucas civita-

te demoſthenica donabo, ſed modeſtia et temperantia hoc in genere uſurus; et fraudi ne cuiquam feſtinatio noſtra ſit, non ſolum in commentariis, loco quoque, quid mutaverim, religioſe indicabo, ſed indices quoque dabo, quibus ſi quid loco quoque a me, ſive de mea, ſive de aliena ſententia, aliter fuerit, atque libri praeirent, conſtitutum, deſignabitur. Aldina utor, et Manutiana, et, praeter Pariſinam, Wolfiana poſteriore, denique noviſſima Anglicana Taylori. Caeteris careo Demoſthenis editionibus. Sed codicum manuſcriptorum copia mihi fuit, unius Bavarici, ſex Auguſtanorum. Illius uſuram illuſtri viro, Oeffelio, debeo, horum ordini civitatis Auguſtanae ampliſſimo, cuius voluntatem mihi conciliavit Iacobus Bruckerus, V. S. R. de hiſtoria philoſophiae immortaliter meritus. In his Auguſtanis eminet nobilis ille codex, cui primas literatorum conſenſus defert, cum nondum conſtiterit alium in Europa ſupereſſe codicem demoſthenicum, qui cum hoc Auguſtano comparari mereatur. Uſus eo quidem iam eſt Hieronymus Wolfius, ſed non ea diligentia, quae criticum hominem decebat. Quod homini quodammodo, illisque temporibus, eſt condonandum. Multis carebant tum praeſidiis artis criticae, quae felicior haec aetas extulit. Ipſe multitudine negotiorum opprimebatur. Fidem tamen ab eo maiorem par fuerat demonſtrari. Permoleſtum hoc accidit, quod lectiones ex illo codice exceptas ita proiecit, ut nemo iam illis uti queat. Paginas enim verſusque, ad quos ſingulae quaeque lectiones referendae ſunt, numerorum ſignis demonſtrare nil curavit; quo ſaepe fit, ut horas diesque totos in ſede unius lectionis indaganda cum perdideris, victus tandem taedio et deſperatione praedam omittas. Sed remittamus hanc Wolfio culpam, haud levem, qua patientiae lectorum illuſum eſt, et aut in tarditatem illi aevo communem, aut in ſocordiam operarum Herwagianarum, transferamus. At haec tamen gravis eſt culpa, et atra nota digna, quod lectiones falſas membranis Auguſtanis imputavit; item haec, quod ne quartam quidem

par.em

partem lectionum ex illis retulit. Quae ſive a levitate quadam animi, ſive a feſtinatione profectae ſunt, ſive ab ipſo Wolfio, ſive a Simone Fabricio, cuius ille opera uſus eſt, nos profecto non poſſumus ea non moleſte ferre, quibus, quod altera manu datur, altera idem rurſus ereptum eſt. Fructus enim omnis, quem ex illis lectionibus poteramus percipere, ſi diligenter, ſi bona fide fuiſſent conſignatae, nobis nunc intercidit. Pari modo dubium nobis et intutum reddidit Wolfius Scholiorum, quae primus ex iisdem membranis protulit, uſum. Quae in Scholia tam portentoſa graſſatus eſt inſolentia, ut dictu vix ſit credibile. Sunt illa ſcholia minutis literis, vocumque compendiis exarata, fumo, ſordibus, attritu digitorum, aliisque iniuriis paſſim locorum obliterata. Loci quoque permulti cultello bibliopegi amputati. Saepe ſic factum, ut, non id, quod reperiſſet in membranis, ſed quod viſum eſſet, ſeu Wolfius, ſeu Fabricius, lectori non admonito ſubiiceret. De quibus omnibus mihi certa fide ex ipſarum membranarum inſpectione conſtitit; conſtabitque aliis, cum libellum variantium prodidero. Docuerat me Conſtantinus meus, aliorumque exempla, quae ſedula cura collegi quamplurima, quanti referat, easdem membranas, quas alii iam ante inſpexiſſent, ab aliis iterum diligentius recenſeri. Saepe novi factum, ut ex iisdem membranis denuo excuſſis iuniores meſſem lectionum optimarum proferrent tantam, ut vetuſtiores aut mente, aut oculis caruiſſe videantur. Quod idem mihi, cum alias, tum in Wolfiano hoc indice quoque uſu venit. Cui Taylorus tamen ſecurus indormivit. Neque miror factum. Qui enim poterat ſecus? Neceſſe haberem vel egomet ipſe quoque fidei Wolfii acquieſcere, niſi divinitus in mentem veniſſet easdem illas membranas poſcere, quae ad me delatae de veritate rei meos oculos fecere certiores. Praeſtantia fretus harum maxime membranarum, audeo orationem demoſthenicam ita terſam et emaculatam daturum recipere, ut hac quidem laude, quae eſt in palmariis, reliquas

omnes ſuperiores editiones noſtra longo ſit ſpatio anteitura, venturisque poſt, quod addant, perparum relictura.

Annotationes noſtrae complectentur, quicquid uſpiam librorum homines docti ad Demoſthenem explanandum noſtra patrumque memoria contulere; bona fide locos a nobis mutatos indicabunt, et rationem cuiusque reddent. Sed in Demoſthene quidem et Aeſchine Lyſiaque res ſic ſatis erit expedita, ad quem accedimus tot librorum hominumque doctorum muniti auctoritatibus. In minoribus autem oratoribus res mihi erit meo marte meoque periculo gerenda, non paullo illa ſpiſſior eo futura, quod et ope librorum hic deſtituar, et, qui ſolum hoc complanaret, ante me nemo fuerit. Ad Harpocrationem expoliendum, praeter Suidam, qui illum totum in horrea ſua tranſtulit, praeſto ſunt duo lexica rhetorica adhucdum inedita, Photii alterum, alterum neſcio cuius. Indices alienae fidei non committam conſtruendos. Malo meo didici ſapere. Ipſe conficiam. Singulis oratoribus terni conſecrabuntur indices; primus quisque hiſtoricus, ſecundus geographicus, tertius grammaticus, ſed hic, ut par eſt, multo reliquis copioſior; in quo vocabula, ut erunt quaeque paulo notabiliora, latina interpretatione addenda explanabuntur. Quo fiet, ut index ille grammaticus vicem quodammodo gerere ſeu clavis cuiusdam rhetoricae queat, ſeu latinae oratorum ipſorum converſionis; quam ab hac quidem editione noſtra excludi multis gravibusque de cauſis placuit.

De pretio ſupereſt ut conſtituatur, quod ante ſolvi in volumen quodque, quam id prelo ſubiiciatur, neceſſum video. Volumini cuique bina Alphabeta cum denis binis plagulis imputo. Quot itaque emtor Alphabeta integra, tot ſolvet thaleros integros, in anteceſſum, quot Alphabeta feret dimidiata, tot ſolvet thaleros dimidiatos. Thalerus germanicus, ne exteri ignorent, quibus rationes nu-

mariae

mariae germanicae ſunt occultiores, aequipollet ferme duobus florenis batavicis. Sed hi paulo plus valent. Ducatus batavicus aequivalet duobus thaleris, cum dodrante thaleri, aut tribus thaleris minus quadrante thaleri. Seu alia quadam ratione. Conſtat inter omnes, quid valeant piſtolae, ſeu Louisdor, Carldor, Fridrichdor, integri, aut dimidiati. – Integri reſpondent quinis thaleris germanicis, dimidiati binis cum dimidio. Conſtabit itaque Demoſthenis noſtri volumen quodque thaleris duobus cum dimidio, ſeu piſtola dimidiata. Univerſum opus octo voluminibus coalitum conſtabit viginti thaleris germanicis, ſeu quatuor piſtolis vel Louidoris; vel ſeptem Ducatis batavicis cum aliquo exceſſu. In unumquodque volumen itaque ſolventur in anteceſſum bini thaleri cum dimidio, ſeu piſtola ſemis. Quod aes aut ad memet ipſum recta via, ſed ita, ut a vecturae mercede immunis habear (franco), mittetur; aut per librarios exteros ad noſtratem librarium Hilſcherum. Denos ἐρανιστὰς qui mihi exhibuerit, is operae mercedem a me exemplum operis feret gratuitum. Praenumeratores ut primum tot collegero, ut aes ab iis collatum par ſit faciendis impendiis, operae ſtatim ad opus excudendum accingentur. Usque ad huius anni finem operiar, qui ſit futurus huius conſilii eventus. Qui ſi ex animi mei ſententia fuerit, ſtatim cum anni novi exordio fiet exercendi preli initium, et nundinis vernis proximis futuris primum Demoſthenis volumen exibit; autumnalibus poſt proximis ſecundum, et ſic ordine per ſemeſtria quaeque volumina ſingula ſubſequentur, ut intra quartum annum posſit opus totum perfectum haberi. Chartarum typorumque habitus erit idem, et vel melior etiam, qui eſt editi ſpeciminis. Faxit Deus feliciter.

Lipſiae nundinis vernis A. 1768.

Ex Oratione

PRO CORONA

p. 151. edit. Pariſinae.

Ψήφισμα βυζαντίων.

Ἐπὶ ἱερομνάμονος βοσπορίχω, δαμάγητος ἐν τᾷ ἁλίᾳ ἔλεξεν, ἐκ τᾶς βωλᾶς λαβὼν ῥήτραν, ἐπειδὴ ὁ δᾶμος ὁ ἀθηναίων, ἔν τε τοῖς προγενομένοις καιροῖς εὐνοέων διατελεῖ βυζαντίοις, καὶ τοῖς συμμάχοις καὶ συγγενέσι περινθίοις, καὶ πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέσχηται, ἔν τε τῷ παρεστακότι καιρῷ, φιλίππω τῶ μακεδόνος ἐπιστρατεύσαντος ἐπὶ τὰν χώραν καὶ τὰν πόλιν, ἐπ' ἀναστάσει βυζαντίων, καὶ περινθίων, καὶ τὰν χώραν δαΐοντος, καὶ δενδροκοπέοντος, βοηθήσας πλοίοισιν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι, καὶ σίτῳ, καὶ βέλεσι, καὶ ὁπλίταις, ἐξείλετο ἄμμε ἐκ τῶν μεγάλων κινδύνων, καὶ ἀποκατέστασε τὰν πάτριον πολιτείαν, καὶ τὼς νόμως, καὶ τὼς τάφως· δεδόχθαι τῷ δάμῳ τῷ βυζαντίων, καὶ περινθίων, ἀθηναίοις δόμεν ἐπιγαμίαν, πολιτείαν, ἔγκτασιν γᾶς, καὶ οἰκιᾶν, προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι, πόθοδον ποτὶ τὰν βωλὰν, καὶ τὸν δᾶμον, πράτοις μετὰ τὰ ἱερὰ, καὶ τοῖς κατοικεῖν ἐθέλουσι τὰν πόλιν ἀλειτουργήτοις ἦμεν πασᾶν προστακτᾶν * λειτουργιᾶν. στᾶσαι δὲ καὶ εἰκόνας τρεῖς ἑκκαιδεκαπήχεις ἐν τῷ βοσπορίχῳ στεφανούμενον τὸν δᾶμον τῶν ἀθηναίων ὑπὸ τῶ δάμω τῶν βυζαντίων καὶ περινθίων. ἀποστεῖλαι δὲ καὶ θεωρίας * ἐς τὰς ἐν τᾷ ἑλλάδι πανηγύριας, ἴσθμια, καὶ νέμεα, καὶ ὀλύμπια, καὶ πύθια, καὶ ἀνακαρύξαι τὼς στεφάνως, ὡς ἐστεφάνωται * ὁ δᾶμος ὁ ἀθηναίων ὑφ' ἡμῶν, ὅπως ἐπιστέωνται οἱ ἕλλανες πάντες ἀθηναίων ἀρετὰν, καὶ τὰν βυζαντίων καὶ περινθίων εὐχαριστίαν.

Λέγε καὶ τοὺς παρὰ τῶν ἐν χεῤῥονήσῳ στεφάνους.

* Loci aſteriſco ſignati, ſunt a me, e coniectura mea, ſic conſtituti.

INDEX AUCTORUM, quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

I. Libri Theologici et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Cruſii (*Chriſt. Aug.*) *Hypomnemata ad Theologiam Propheticam.* Pars Prima, *Introductionem generalem ad Theologiam propheticam complexa. Recenſio II.* 1

Koecheri (*Io. Chriſtoph.*) *Analecta philologica et exegetica, quibus* Io. Chriſtoph. Wolfii *Curae philologicae et criticae ſupplentur atque augentur.* 112

Koehleri (*Io. Bernh.*) *Obſervationes philologicae in Loca ſelecta Sacri Codicis.* 275

Malevii (*S. L.*) *Animadverſionum ad varia loca N. Teſtamenti Decas I.* 147

Matthaei (*Anton. Felic.*) *Sardinia Sacra, ſeu de Epiſcopis Sardis Hiſtoria. Praecedit eiusdem Auctoris Diſſertatio de Sardinia et illius Eccleſiis.* 361

Michaelis (*Io. David.*) *Commentationes Societati Regiae Scientiarum Gottingenſi per annos* 1758. 1759. 1760. 1761. et 1762. *oblatae.* 452

Schelhornii (*Io. Georg.*) *Deliciae Literariae ex Hiſtoria Literarum et Eccleſiae.* Volumen II. 267

Tiraboſchii (*Hieron.*) *Vetera Humiliatorum Monumenta, annotationibus ac diſſertationibus prodromis illuſtrata, quibus multa ſacrae, civilis, ac literariae medii aevi hiſtoriae capita illuſtran-*

ſtran-

ſtrantur: Vol. I. *Diſſertationes Prodromas continens de Flagellatorum origine, vicibus, exitu.* 181
— — — *Recenſio altera.* 201
Wetſtenii (*Io. Iac.*) *Prolegomena in Novum Teſtamentum. Notas adiecit atque appendicem de vetuſtioribus latinis recenſionibus, quae in variis Codicibus ſuperſunt*, I. S. Semler. *Cum quibusdam characterum Graecorum et Latinorum in Libris manu ſcriptis exemplis.* 97

II. *Libri Iuridici.*

Arntzenii (*Henr. Io.*) *Diſſertatio* de L. 2. D. de in ius voc. 441
Beccariae *Liber de Criminibus et Poenis.* 321
— — — *Recenſionis Pars altera.* 388
Fellenberg (*Dan.*) *Iurisprudentia Antiqua, continens Opuſcula et Diſſertationes, quibus Leges antiquae, praeſertim Moſaicae, Graecae et Romanae, illuſtrantur.* Tomus II. 25
Schrodtii et de Kaunitz (*Mich. Car. Comit.*) *Syſtema Iuris Publici Univerſalis.* 81

III. *Libri Medici et Phyſici.*

Academiae *Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii* Tomus X. pro A. MDCCLXIV. 121. 161
Academiae *Electoralis Scientiarum Boicae Diſſertationes,* Volum. I. Pars I. et II. 107
Molinari (*Chriſtoph.*) *de Miliarium exanthematum indole ac tractatione Liber.* 78
Murray (*Io. Andr.*) *Hiſtoria inſitionis variolarum in Suecia, ad noviſſimum tempus producta.* 401
Winckleri (*Io. Henr.*) *Commentatiuncula de Commercio Luminis Borealis cum acu magnetica.* 260
— — — *Commentatio, qua exponitur, qua ratione ignis et materia electrica inter ſe differant.* 304

IV. Libri Mathematici.

Academiae *Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii* Tomus X. ad A. MDCCLXIV. 121. 161

Academiae *Electoralis Scientiarum Boicae Diſſertationes*, Vol. I. Pars I. et II. 107

de Fagnano (*Io. Franc. de Tuſchis*) *Nova arcuum parabolae Apollonianae atque Hyperbolae aequilaterae menſura.* 27

Lambert (*I. H.*) *Adnotationes breves in Algebram philoſophicam Cl. Richeri.* 334

Stepling (*Ioſephi*) *Differentiarum minimarum quantitatum variantium calculus directus, vulgo differentialis.* 447

Zeiheri (*Io. Ern.*) *Commentatio de novis Dioptricae augmentis.* 425

V. Libri Hiſtorici et Geographici.

Abulfedae *Tabula Syriae, cum excerpto Geographico ex* Ibn Ol Wardii *Geographia et Hiſtoria Naturali. Arabice nunc primum edidit, latine vertit, notis explanavit, Io. Bernh. Koehler. Acceſſere* Io. Iac. Reiskii *Animadverſiones ad* Abulfedam, *et prodidagmata ad Hiſtoriam et Geographiam orientalem.* 233

— — — *Recenſionis Pars altera.* 377

Academiae *Electoralis Scientiarum Boicae Diſſertationes*, Volum. I. Pars I. et II. 107

du Buat *Origines Boicae Domus.* Tomus I. et II. 292

Faeſii (*Io. Conradi*) *Commentationum de rebus gravioribus ex hiſtoria antiqua et recentiori.* Pars II. 310

Sagornini (*Io.*) *Chronicon Venetum, omnium quae circumferuntur vetuſtiſſimum, e MS. Codice* Apoſtoli Zeno *V. Cl. nunc primum cum MSS. Codd. Vaticanis collatum, notisque illuſtratum, in lucem profert* H. Fr. Zanetti, Al. F. 469

Schelhornii (*Io. Georgii*) *Deliciae Litterariae, ex Hiſtoria Litterarum et Eccleſiae, quibus proponuntur Libri rariores, chartae momentoſae, epiſtolae notatu dignae, variae item aliae obſervationes.* Volumen II. 267

Tiraboſchii (*Hieron.*) *Vetera Humiliatorum Monumenta.* Volumen I. *Diſſertationes Prodromas continens de Humiliatorum origine, vicibus, exitu.* 181
— — — *Recenſio altera.* 201

VI. *Libri Philoſophici, Philologici, Auctores Claſsici, Antiquarii, Miſcellanei.*

Arntzenii (*Henr. Io.*) *Miſcellaneorum Liber.* 441
Beccariae *Liber de Criminibus et Poenis.* 326
— — — *Recenſionis Pars altera.* 388
de Demoſthenis *et reliquorum Oratorum graecorum nova editione*, a Io. Iac. Reiskio curanda. 472
Finetti (*Io. Franc.*) *de Principiis Iuris Naturae et Gentium, adverſus Hobbeſium, Pufendorſium, Thomaſium, Wolſium, et alios*, Libri XII. Tomus I. et II. 345
Haymii (*Nic. Franc.*) *Theſauri Britannici* Pars II. *ſeu Muſeum Numarium, complexum numos Graecos et Latinos omnis metalli et formae necdum editos, depictos et deſcriptos, interprete* Ioſ. Khell. 241
Klotzii (*Chriſt. Adolph.*) *Vindiciae* Q. Horatii Flacci. *Accedit Commentarius in Carmina poetae.* 358
— — — — — *Epiſtolae Homericae.* 410
Koehleri (*Io. Bernh.*) *Emendationes in* Dionem Chryſoſtomum, *et alios Scriptores graecos.* 275
Lambert (*I. H.*) *in Algebram philoſophicam Cl. Richeri breves adnotationes.* 334
Michaelis (*Io. Dav.*) *Commentationes Societ. Scient. Reg. oblatae* 452
Orphei *Argonautica, Hymni, Libellus de Lapidibus et Fragmenta, cum notis* H. Stephani, *et* Andr. Chriſt. Eſchenbachii. *Textum ad Codd. MS. et veteres editt. recenſuit, notas ſuas et indicem graecum adiecit*, Io. Matth. Gesnerus, *curante* Georg. Chriſt. Hambergero. 281
d'Orville (*Iac. Phil.*) *Sicula, quibus Siciliae veteris rudera, additis antiquitatum tabulis, illuſtrantur. Edidit, et Commentarium*

tarium ad monumenta Sicula, 20 tabulis aeneis inciſa, et ad tres inſcriptiones maiores, Geloam, Tauromenitanam, et Rheginam, nec non minorum inſcriptionum ſyllogen, orationem in Auctoris obitum, et praefationem adiecit Petr. Burmannus Secundus. Pars Prima. *Recenſionis Continuatio.* 36

Peutingeri *Itinerarium antiquiſſimum, parallelis Geographiae veteris et novae illuſtratum, a* Franc. de Scheyb a Gauboeckelheim *edendum.* 79

Stolpiani *Legati Curatorum, Lugduni Batavorum, Programma de praemiis a ſe diſtribuendis.* 319

Theocriti *Reliquiae utroque ſermone, cum Scholiis graecis et Commentariis integris* H. Stephani, Ioſ. Scaligeri, *et* Iſ. Caſauboni. *Curavit hanc editionem, Graeca ad optimos codices emendavit, libros tres animadverſionum, indicesque verborum Theocriticorum addidit* Io. Iac. Reiske. 368

Theognidis *Megarenſis Sententiae Elegiacae, Specimen novae editionis, curante* M. Abrah. Kall. 41

Theſes *Philoſophicae de primis philoſophandi principiis, quas nobiliſſimi et praeſtantiſſimi viri iuvenes hoc anno Academico per vices ſtrenue pro viribus tuiti ſunt.* 157

Xenophontis *Opera graece et latine, ex recenſione* Ed. Wells. *Accedunt Diſſertationes et Notae Virorum doctorum, cura* Car. Aug. Thieme. Vol. III. et IV. 118

INDEX
RERVM NOTABILIORUM.

A.

de Adalberto, *Marchione Baioariae* 294

de Adramyttenorum *nummo* 248

de Advocatia *Friſingenſi* 300

de Abrahami *et ſobolis eius peregrinatione* 11

Abulfedae *tabula Syriae a Koehlero publicata* 233. 377

Academiae Elect. Boicae Diſſertationes 107
— — Imperialis Petropol. Commentarii 121. 161
de Aetatibus mundi obſervata Cruſii 9
Io. Agricolae proverbiorum editiones variae 168
de Agathyrno oppido 37
Aleatarum numus illuſtratus 250
in Algebram philoſophicam Richeri, adnotationes 334
de Andechſenſium Comitum origine 302
de Andrea Senenſi quaedam 220
de Angelorum apparitionibus et miraculis 15
de Angerona, ſilentii Dea 66
de Antediluviano mundo quaedam 11
de Antichriſto quaedam 20
de Antiochia urbe Syriae 381
de M. Aurel. Antonini Philoſophi vita 311
de Apolline obſervationes 55
Apollonianae parabolae menſura nova 27
Aradiorum numus explicatus 251
Arae veterum illuſtratae 442 ſq.
de Aratore, poeta Chriſtiano, quaedam 443
Arcae foederis peregrinatio 12
Arcuum parabolae Apollonianae atque Hyperbolae aequilaterae nova menſura 27
Argonautica Orphei edita a Geſnero 281
de Ariarathe Philometore 244
de Aribone Marchione 296
Artificibus quae ex monumentis antiquis ſumenda? 419
de Ariſtocratia obſervationes 86
Steph. de Arzago Humiliatus 208
de Aſteriis columnaribus trochleatis 171
Aſtronomicae obſervationes 172
de Aſylis diſputatio 390
de Autochiria obſervationes 395

B.

Babylonicae captivitatis tempus 15
de S. Baudolino fabellae quaedam 219
Bengelii chronologicae obſervationes 10
de Bernardo Claraevall. quaedam 187
de Bernenſi Societate, quaedam 322
Bernoulliani Theorematis demonſtratio 132
Boicae domus origines explanatae 292

Boicae *Academiae Electoralis Diſſertationes* 107
de *Ripa* Bonvicinus, *Humiliatus* 229
de Borealis *luminis cum acu magnetica commercio* 258
de Braidenſi *domo Humiliatorum* 190
de S. Conſtantio *de Brixia* 222
Burgundicae *domus hiſtoria* 211. ſq. 314 ſq.

C.

de Cadmo *quaedam* 64
Calacta *urbs Siciliae* 38
de Calaritanis *in Sardinia epiſcopis* 316
Calculi *variationum elementa* 124
Callimachi *loci illuſtrati* 54
Caloris *diminuti et aucti phaenomena nova* 161
Camerarii (*Ioach.*) *Scholia in Theognidem* 42 ſq.
de Campanarum *ſono* 141
de Carbonibus *bituminoſis quaedam* 111
de Carolo *Audace, Duce Burgundiae* 316
Caſſiodori *vita* 109
de Carcerum *poenis* 326
de Cenſibus *Hebraeorum* 455
de Certamine *ſingulari obſervata* 393
de Chaldaeis *quaedam* 14
de Chriſti *regno, religione quaedam* 6 ſq.
de Chriſto *vaticinia* 3
Civitatum *et imperiorum civium origo* 84
— — *interitus* 97
de Cnoſſiorum *nummis duobus aereis* 253
de Codicibus *Graecis MS. N. Teſt.* 99
— — *Latinis N. T.* 105
de Coeleſtium *corporum motu* 178
de Cognitionis *obiecto in genere* 159
de Comitatu *Palatii Boici* 301
de Concilio *ſub Taſſilone II. Aſchaemiae habito* 108
Convenia *ſeu Parlatoria quid?* 187
de Corporis *ad duo virium centra attracti motu* 137
Philipp. de Cribellis *ex Humiliatis* 208
de Criminibus *diſſertatio* 321
de B. Io. de Cumis quaedam 216
Curii, *Cypri oppidi, numus* 259
de Cyrno *apud Theognidem* 67. 388

D.

de Daemoniacis *ſententiae variorum* 114

de Dae-

de Daemonibus obſervata quaedam 4
Delationes criminum clandeſtinae 328
De Delo inſula obſervationes 56 ſq.
Demoſthenis et ceterorum Atticorum Oratorum nova editio a Reiskio promiſſa 472
Dentalii Americani ingentis deſcriptio 164
Differentiarum minimarum quantitatum variantium calculus directus 447
in Dionem Chryſoſtomum emendationes 275
ad Dionyſii Periegeſin variae lectiones 446
de Diopctricae novis augmentis 425
Dollondi merita dioptrica 433
de Domibus Humiliatorum 231
de Domitio eminente 93
Drepanum, urbs Siciliae 40

E.

de Eccleſiaſticis legibus quaedam 92
de Editionibus N. Teſt. principibus 180
Electricae vis ſimilitudo cum magnetica 144
— — materiae ab igne differentia 304
de Ellipſis et hyperbolae rectificatione 121
de Emeſſa urbe obſervationes 384
de Entomolitho Oniſci 180
de Entrochis quaedam 171
de Epiſcopis et Eccleſiis Sardiniae 361
de Epochis temporum in Script. S. 9
de Esdra quaedam 17
Eſſeni an iidem cum Therapeutis? 19
in SS. Evangelia analecta philologica et exegetica 112
de Exanthematibus miliaribus 72

F.

de Febribus miliaribus 73 ſq.
de Fide ſubditorum 95
Finetti (Io. Franc.) Liber de Iure Naturae et Gentium caſtigatus 345
de Formularum integralium ad rectificationem ellipſis et hyperbolae reductione 121
de Furtis obſervationes 393

G.

Galdaei, ſeu Gaulonitae, quinam? 79
de Gentilibus vaticiniis in Script. S. 8
de Gentium ſingularum indole et conditione 398

Geogra-

Geographia *Syriae illuſtrata* 233
Geographiae *veteris monumentum eximium* 76
de Geometricis *operationibus in delineandis mappis geographicis* 110
Goedenius (*Io. Levin.*) *praemio ornatus* 319
Graeca *numismata illuſtrata* 241
Graecae *voces et phraſes explicatae* 18. 41 ſq. 119 ſq. 148 ſq. 246. 282 ſq. 372 ſq.
de Gravitate *criminum iudicanda* 391
de *Hug.* Grotio *quaedam* 348
de *b.* Guidone *de Mediolano quaedam* 216
de Guidotto *Humiliato* 203

H.

Haleſa *ſive Halaeſa, urbs Siciliae* 38
Harduini *de Horatio ſententia refutata* 359
de Harpocratis *ſtatuis* 66
Hebdomades *LXX Danielis* 17
de Hebraeorum *Nitro* 464
Hebraicae *voces illuſtratae* 5. 10. 454
Helyottus *notatus* 184
de Herode M. *quaedam* 19
Herodiani *quinam?* 20
Herodoti *locus illuſtratus* 58
Heſychii *locus illuſtratus* 70
de Himerenſibus *thermis* 38
Hieronymus *Landriatus Humiliatus* 209
Hiſtoriae *antiquae et recentioris illuſtratio* 310
Homeri *loca illuſtrata* 286 ſq.
Homericae *epiſtolae Klotzii* 410
de *S.* Homobono *Confeſſore de Cremona* 220
Q. Horatii *Flacci vindiciae* 358
de Hoſiorum *gente quaedam* 193
Humiliatorum *veterum monumenta, origo, vices, exitus* 181. 201 ſq.
Hymni *Orphei editio Gesneri* 281
Hyperbolae *aequilaterae menſura nova* 27
— — — *rectificatio* 121
de Hyperboreis *quaedam* 291

I.

Idyllium *quid ſit?* 372
Societatis Ieſu *regulae* 270
de Ieſuitis *quaedam* 272
Ignis *et materia electrica quomodo inter ſe differant?* 304
Imperii *civilis origo* 84
— — *adquirendi modi* 88
— — *finis ſubſiſtente civitate* 96

de Indice *librorum prohibitorum in Italia propoſito* 267
de Infamiae *poena* 389
Inflexio *et Diffractio, phaenomenon opticum* 426
Inſpiratio *Script. S. quid?* 2
de Interpretatione *prophetarum regulae* 23
de Iohanne *Meda quaedam* 193
de Iphigeniae *in Aulide immolatione* 63
Iſraelitarum *reges et regnum* 13
de Iſraelitis *variae obſervationes* 8
de Iudaico *bello ultimo* 20
Iudicium *Chriſti in die pantocritico* 4
de Iureiurando *reo delato* 328
de Iuris *naturae et gentium principiis liber abſurdus* 345
Iurisprudentia *antiqua illuſtrata* 25
Iuris publici *univerſalis ſyſtema* 81
—— civilis *illuſtratio* 446

K.

Kallii (*Abrah.*) *editio nova ſententiarum Theognidis* 41 ſq.
Klotzii *occupationes literariae* 412

L.

Lacedaemoniorum *nummus argenteus* 254
de Lapidibus *libellus Orphei editus a Gesnero* 281
de Latina *verſione antiqua N. Teſt.* 99
de Latona *quaedam* 51
Leges *Moſaicae, Graecae, et Romanae, illuſtratae* 25
de Legum *obſcuritate* 325
de Legislatoria *poteſtate obſervationes* 89
de Lenitate *poenarum* 332
de Libris *rarioribus obſervationes* 269 ſq.
de Lipara *inſula quaedam* 37
de Loderengo *Humiliato* 203
de Logica *in univerſum* 158
de Loti *uxoris fato* 276
Luciani *locus illuſtratus* 65
de Luitpaldo, *Bavariae comite et marchione* 109. 298
de Luminis *borealis cum acu magnetica commercio* 260

M.

Magneticae *vis ſimilitudo cum electrica* 144
—— —— *acus commercium cum lumine boreali* 260
Maieſtatis *character definitus* 87
de Marchionibus *Baioariae orientalis* 294
de Pico Mario *Humiliato* 228
de Maris *mortui natura et origine* 458

Maxi-

Maximorum *et* Minimorum *methodus explicata* 124
Menſura *nova arcuum parabolae Apollonianae* 27
de Mercibus *vetitis* 394
de Meridiani *uſu in dimenſione terrae et agrorum* 110
Meteorologicae *obſervationes Petropolitanae* 165
Microſcopii *ſolaris duplicis deſcriptio* 145
Milenſis *urbs in Sicilia* 37
de Miliarium *exanthematum indole ac tractatione* 72
Miſcellaneorum *liber Io. Arnzenii* 441
Molinari (*Chriſtoph.*) *vita et ſcripta* 72 ſq.
de Morbis *in quibus miliaria erumpunt* 75
de Moſaica *lege paradoxa* 468
Muſae *et Charites Deae σύνναοι* 64

N.

de Navigationibus *Phoenicum* 290
Nephritici *lapidis hiſtoria et examen chymicum* 169
de Newtonii *meritis opticis* 426
de Nitro *Plinii* 463
Nonnus *Panopolitanus notatus* 418
de Nordgaviae *Bavaricae finibus* 109
Numi *medii aevi in Bavaria reperti* 110
Numiſmata *Sicula edita* 36
Numorum *Graecorum et Latinorum illuſtratio* 241

O.

de Obedientia *ſubditorum* 94
de Onomacrito, *Orphicorum carminum auctore* 282
Opticae *obſervationes quaedam* 143
Ordinis *Monaſtici Humiliatorum hiſtoria* 181
Orphei *locus illuſtratus* 52
— — *Argonautica, et alia opera, edita a Geſnero* 281
Otii *politici deſcriptio* 395

P.

de Panormo, *urbe Siciliae* 39
de Parallaxeos *effectu in tranſitu planetarum ſub Sole* 174
de Patientia *ſubditorum* 95
de Patriarcharum *aetate nonnulla* 11
Peloritana *concha et cochlea* 36
Perſici *regni hiſtoria* 317

Petrefactum *incognitum noviter inventum* 171
Peutingerianae *tabulae nova editio nuntiata* 76
de Philippis *Macedonum Regibus* 243
de Philippo *Benigno, duce Burgundiae* 316
de Philoſophandi *primis principiis* 157
de Phoenicum *navigationibus extra columnas Herculis* 290
Piſcium *rariorum deſcriptiones* 164
Planetarum *tranſitus ſub Sole* 172
de Poenis *diſſertatio egregia* 321. 388
de Populi *iuribus* 83
de Poteſtate *iudiciaria et legislatoria* 89. 90
de Principum *poteſtate* 85
Prianſienſium *numus argenteus* 255
Prophetae *quibus ſubſidiis intelligendi?* 21
Prophetiarum *tradendarum varii modi* 1
de Puerperarum *febre miliari* 73

Q.

R.

de Ratiociniis *et demonſtratione per Syllogiſmos* 160
de Ratoldo *Marchione* 295
de Regum *Romanorum iure et poteſtate* 444
Reiskii (*Io. Iac.*) *merita in edendo Theocrito* 368
de Relationibus *obſervatio* 159
de Rerum *notionibus et earum perceptione* 159
in Richeri *Algebram philoſophicam obſervationes Lamberti* 334
Romanae *leges illuſtratae* 25 ſq.
Romanorum *itinerarium iterum edendum* 79
Rondenarium, *domus Humiliatorum* 194

S.

circa Sacra *ius poteſtatis civilis* 91
de Saitico *lacu* 58
de Samaria *et* Samaritanis *quaedam* 378
de Sardis *Epiſcopis hiſtoria* 361
de Schach-*Nadiro quaedam* 319
de Schacho *Huſſeinio* 317
de Scheyb (*Franc.*) *nova editio tabulae Peutingerianae* 76
de Schirenſi *gente Auguſta* 302 ſq.
Scholiorum *Ioach. Camerarii in Theognidem ſpecimen* 42

Scripť.

Script. S. *loca explicata et illuſtrata:*
Gen. XIX, 26. 276
Exod. V, 10. 456
XV, 18. 3
Levit. XVII, 7. 5
Joſ. VIII, 8. 18
XXIV, 2. 5
2 Reg. XVII, 24. 19
Iob. XVII, 14. 277
Pſ. XVIII, 19. 6
Prov. IX, 1. 23
Cantic. I, 6. 277
Dan. XII, 4 9, 10. 9
Hab. I, 10. 278
II, 2. 1
III, 2. 10
Matth. IV, 24. 113
V, 33 ſq. 149
VI, 2. 115
IX, 48. 115
XVI, 17. 114
XX, 1-16. 151
XXVII, 56. 115
Luc. II, 1. 116
III, 8. 149
VIII, 8. 278
IX, 36. 116
Ioh. IX, 2. 117
XII, 31. 6
XVI, 20. 153
XVII, 10. 117
Act. X, 38. 279
XXVII, 14 ſq. 9
Rom. VIII, 19-23. 148
1 Cor. X, 20, 21. 5
1 Cor. XII, 10. 22
XV, 28. 29. 51. 52. 2. 152. 156
1 Theſſ. IV, 15. 2
Iac. II, 14-16. 154. 279
2 Petr. I, 19-21. 150
1 Ioh. V, 6-8. 153
Ebr. XI, 1. 279
Apoc. XXII, 10. 9
Semleri (*Io. Iac.*) *merita in Wetſtenii Prolegomena N. Teſt.* 97
de Senatus *et* Populi Romani *iuribus* 444
Sententiae *Theognidis illuſtratae* 41
——— *Iudicum, quales eſſe debeant?* 326
de Franc. Settimani *libro quodam* 274
Siciliae *veteris rudera illuſtrata* 36
de Io. Sleidani *commentariis* 271
de Societatibus *priſcis Boicis litteratorum* 108
Solus, *ſeu* Soluntum, *urbs Siciliae* 39
Frid. Staphyli *epiſtola* 269
Stolpiani *legati praemium* 319
Stratonis *locus illuſtratus* 280
Straboriis *locus explicatus* 462
de Subditorum *obligationibus* 94
in Suecia *variolarum inſitio deſcripta* 401

de Suppliciis *obſervationes variae* 333
Syriae *tabula Abulfedae primum publicata* 233
de Syrorum *vocabulis ex Ephraemo* 465

T.

Tangentium *methodus inverſa* 128
de Tautochronis *in medio reſiſtente* 130
de Teleſcopiis *quaedam* 428
Templi *prioris tempus* 12. 13
de Templo *ſecundo obſervationes* 16
Tertulliani *Scripta illuſtrata* 103
in novum Teſtamentum *Prolegomena Wetſtenii edita a Semlero* 97
de Teſtibus 327
Theocratiae *inter Iſraelitas vera indoles* 7
Theocriti *locus illuſtratus* 37
Theocriti *nova editio curata a Reiſkio* 368
Theognidis *Megarenſis Sententiarum editionis novae Specimen* 41
Theologiae *propheticae hypomnemata* 1
de Theopneuſtia *quaedam* 2
de Theraphis *obſervationes* 453
de Therſite *apud Homerum* 414
de Thermometris *quaedam* 308
Chr. Thomaſii *iniqua accuſatio* 351
de Tio *urbe quaedam* 246
Tormentorum *iniuſtitia et crudelitas* 329
de Tranſactione *ſuper controverſiis teſtamentariis* 441
circa Tributa *ius ſummi imperantis* 93
Turſi *an valetudini obſint?* 121
de Tympanorum *motu vibratorio* 141

V.

Variolarum *inſitionis in Suecia hiſtoria* 401
Vaticiniorum *diviſio et genera* 3. 8. 9
Venetum *chronicon omnium antiquiſſimum, nunc primum editum* 469
Venti *velocitas quomodo determinanda?* 146
Venus *in ſole viſa A. 1761.* 173. 175 ſq.
Verſionum *Latinarum N. Teſt. antiquarum quis uſus?* 104
Andr. et Io. Vicecomes, *Humiliati* 207
Virgiliani *paſtores cum Theocriteis collati* 424

circa

circa Vniverſitates *et Collegia ius imperantis* 91

W.

Weſtenii (*Io. Iac.*) *de Novo Teſtamento merita* 98

Wolfii (*Io. Chriſtoph.*) *Curae philologicae et criticae, auctae et ſuppletae a Koechero* 112

X.

Xenophontis *nova editio a Thiemio curata* 118

Z.

de Beltramo Zochora *quaedam* 202

de Zogharae *lacu quaedam* 240

Tabulae Figurarum ex aere expreſſarum.

Ad A. 1766. Menſ. Ian. et Febr. Tab. I. pag. 29

Ad A. 1767. Menſ. Mai. et Iun. Tab. I. 238

[illegible]

NOVA ACTA ERUDITORUM

ANNO MDCCLXVIII

publicata.

Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG, IO. BROEDELETUM, et P. MORTIER: Lugduni Batavorum apud LUCHTMANSIOS: et Amſtelaedami in SCHREUDERI officina.

MDCCLXVIII.

NOVA

ACTA ERUDITORUM

ANNO

MDCCLVIII

LECTORI
BENEVOLO
S.

Rediiſſe nos tandem in viam, a qua nos et belli calamitas, et ceſſatio Collegarum, aliquantum abduxerat, dici non poteſt quantopere laetemur. Habes, Lector, ut olim, iuſtum anni proxime praeteriti Actorum Volumen, et id quidem, niſi vehementer fallimur, bonorum librorum adparatu inſigne. Profuit nobis, quod grati fatemur, provocata iteratis precibus noſtris doctiſſimorum virorum, Bibliopolarum item, Batavorum inprimis atque Italorum, liberalitas, et de ſtudiis noſtris honorificentiſſimum iudicium. Dabimus omni tempore operam, ut hoc et Actis proſit, tibique ipſi, Lector, qui iis legendis, adhuc tibi probari hanc laborum noſtrorum rationem, ſatis ſuperque teſtaris. Quid igitur iam fiet de illis,

qui calumniati ſunt, ceſſare Acta, et mox penitus interitura? pudorem iis incutiet vaticinandi temeritas haec, ubi acui diligentiam noſtram in dies viderint, et ubi intellexerint, nihil adhuc priſtini decoris Actis deeſſe, ſive doctorum virorum benevolentiam ſpectes, ſive indefeſſam Collectorum aſſiduitatem. Nos igitur, qua olim fide, integritate, atque diligentia, de bonis libris iudicium tulimus hoc Actorum Opere, eadem pergemus etiam deinceps, quantum per nos licebit, Lectorum commodo proſpicere. Rogamus autem Viros litterarum et noſtri amantes, ut ill. Com. de Tuſchis *de Fagnano*, Lamberti, Henerti *exemplo invitati, pergant ornare haec Eruditorum Acta diſſertationibus philoſophicis, mathematicis, phyſicis, quas olim Leibnitiis, Bernoulliis, Wolfiis, debuiſſe qui ante nos fuerunt, grati meminimus. Tu Vale, Lector, et nobis, quod facere Te adhuc praeclare multis documentis cognovimus, favere perge.*

N. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Ianuarii Anno MDCCLXVIII.

PETRI PAULLI IUSTI SPECIMEN OBSERVAtionum criticarum, in quibus varia veterum Scriptorum, nec non Iuris Romani loca, explicantur aut emendantur.

Viennae, typis Io. Thom. de Trattnern, MDCCLXV. in quarto, pagg. 93. praeter indices.

Doctiſſimus harum Obſervationum auctor, quisquis ille ſit, iure ſibi ſuo igitur merito, vindicat locum inter eos, quibus praeclarae doctrinae, copioſaeque veterum lectionis laus debetur: quam quidem nos eo libentius tribuendam ei duximus, quo magis numerum in dies decreſcere dolemus eorum, qui ſtudium in tractandis veterum ſcriptis collocare ſuum operae pretium exiſtiment. Eſt enim tanta noſtrae aetatis perverſitas, ut nihil fere legatur, ſcribatur, laudetur, commendetur, niſi pertineat vel ad ſcenam, vel ad fabulas romanenſes; vel ad cantilenas paſtoritias, vel ad alias id genus ineptias, quibus teneri quid igitur mirum? (BONUS, quem aiunt, GUSTUS, ſi diis placet! conſtanter clamatur.) Nos non ita ſumus difficiles ac ſeveri, ut iſtarum rerum tractationem plane inutilem putemus, negligendamque; quippe quam honeſtam poſſe delectationem habere non ignoramus: ſed

 hoc

hoc tantum volumus, ut ne viri docti et graves, recondita antiquitate contempta, his ſolis rebus incumbant, exque earum levitate laudes captent: quae quidem laudes iis potius videntur relinquendae, quibus aditus ad interiores litteras, vel a natura, vel a fortuna obſeratus eſt. In hac igitur aetatis noſtrae perverſitate, quae ſummis ſolet laudibus eorum titillare aures, quorum opera verſatur in BONO illo GUSTU adiuvando, ſemper gaudemus et laetamur, ubi quenquam iſtis Sirenum inſidiis evitatis in portum verae eruditionis perveniſſe animadvertimus. In quibus cum ſit Cl. Iuſtus, liquido gratulamur ei hoc ſuum Obſervationum Specimen, in quo notitiam critices non vulgarem, diligentemque veterum lectionem, oſtendit. Quod ſi non omnia omnibus fuerint probata, id facile ignoſcent eius aetati, annum, ut ipſe fatetur, vigeſimum ſecundum vix ſupergreſſae. Nam, ut verum fateamur, accidiſſe viro videtur, quod fere omnibus ſolet, qui emendandi conſilio ad libros accedunt, ut ſint paullo procliviores atque adeo audaciores ad corrigendum: cuius rei deinde teſtimonia afferemus. Ceterum emendationes eius pariter atque interpretationes, niſi etiam ſemper veriſſimas, valde tamen ſpecioſas, acrique ingenio dignas, deprehendimus.

Eſt autem totus Obſervationum faſciculus deſcriptus in capita XXVI. in quibus ſingulis varia vel Auctorum, vel Iuris romani loca, quae ſummatim per indicem praepoſitum enumerata ſunt, aut explicando, aut emendando tractantur. Quod quomodo factum ſit, iam iam cognoſcamus, ita, ut noſtrum de hoc ſpecimine iudicium, exemplis in utramque partem comprobemus.

In iis quidem, quibus operam ſuam Vir doctiſſ. nobis probavit, ponenda eſt emendatio ea, quae cap. III. proponitur, ad vocabulum *ſanctiſſimus* Gratiano reſtituendum: Quam emendationem ita confirmavit, ut praeter auctoritatem membranarum manu exaratarum, multis, iisque luculentis exemplis demonſtraret, Epiſcopos antiquioris eccleſiae

ſanctis-

ſanctiſſimas fuiſſe proprie compellatos. — Eodem ſe modo commendat cap. V. correctio Oroſii lib. I. c. 16. de Amazonibus: qua pro *plurimas* ſcite legit *pulcherrimas*. Id quod cum orationis *συνέχεια* ſuadet, tum vero etiam auctoritates Feſti et Virgilii ab eo laudatae luculenter confirmant. — Sic porro nihil nobis certius videtur reſtitutione loci ex Iſidori differentiis cap. VII. tentata: quae ipſi eo maiori eſt laudi, quo minus Caſparus ille ſagaciſſimus Barthius ſanari hunc locum poſſe iudicavit. Reliqua, quae per occaſionem diſputata ſunt hocce capite, cuique, credimus, antiquitatis amatori facile ſeſe probabunt. — Inſignis eſt opera V. Cl. in loco Horatii cap. XVI. emendato, qua ſibi omnes Muſae Venuſinae amicos haud parum devinxerit. Locus eſt Lib. I. Sat. VII. v. 9-20. Qui uti eſt elegantiſſimus, ita a nemine interpretum adhuc recte intellectus. Sed ſi ſequare ſententiam Iuſti, ſenſus tibi planus, ingenioque Horatii dignus apparebit. Praeterea enim quod v. 16. poſtulante contextu legit *at* pro *aut*, mutavit interpunctionem fere ſic: Ad regem redeo: — convenit (hoc etenim incidit (inter H. — fuit) duo — Glauco; — miſſis.) Bruto — compoſitus — Bacchius. — Ipſam horum verſuum explicationem, quam addidit pag. 55. relinquimus, ut chartae parcamus; legendam quibus volupe eſt.

Atque haec ſunto, quae de dexteritate Viri critica teſtentur. Reſtat, ut nunc deinceps afferamus quaedam eorum, quibus ſubſcribere nos quidem non poſſumus. Et ſtatim ſeſe nobis offert cap. I. in quo emendatur poematium Laberii, a Macrobio lib. II. Saturn. c. 7. aſſervatum. Verſus, quorum res agitur, hi ſunt:

Fortuna immoderata in bono aeque, atque in malo,
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen noſtrae famae frangere —

Legi vult Vir doctiſſ. *floreus* pro *floris*, quoniam hoc dictionem faciat impeditam, aureaque Laberii facilitate indignam.

At nos neutrum videmus. Nam cacumen floris famae, eſt ſumma famae celebritas, fama glorioſiſſima. Sic eſt ſenſus expeditus, Laberioque dignus. Putat quidem V. Cl. (id quod eum maxime ad emendandum hunc locum videtur induxiſſe,) eſſe inauditum, litterarum laudes frangere famam: immo etiam nunc franguntur, ſi quidem literae ſint ex eo genere, quod virum doctum et gravem parum deceat; ex quo ſane erant literae Laberii, utpote qui rebus leviſſimis, et Romae ignominioſis, hoc eſt mimis conſcribendis, operam daret. Quid igitur mirere, ſi fama Laberii ſuis ipſius litteris Romae eſt imminuta? Quis hodie vir gravis magno adhuc opere laudavit eos, qui praeſtantiſſimas ingenii dotes in fabulis et cantilenis paſtoritiis perdunt conſarcinandis? Ita omnino litterarum laudes frangunt famam. Deinde vero etiam non ſufficit ad emendationem, recte dici *litteris florere;* neque enim recte dicitur *cacumen floris frangere.* Accedit, quod, ut ipſe fatetur, omnes omnino editiones hanc lectionem conſtanter exhibeant; quare malimus, ſi tamen genitivus *ille* nimis cuiquam durus videatur, accuſativum ſtatuere obſoletum, quam correctionem admittere,

Floris, cacumen noſtrae famae frangere.

Tranſeamus ad cap. II. in quo Ciceronis lectio in Catilin. I. cap. 8. *nove* explicatur, et defenditur adverſus Zinzerlingium, Gruterum, et Bouhierium, qui omnes legunt *ſi hic morari aequo animo non potes*, ipſe vero cum Graevio adhaeret lectioni *ſi emori aequo a. n. p.* et putat, (haec eſt nova eius explicatio,) Ciceronem reſpicere orationem Catilinae habitam ad ſuos, quibus perſuadere conatus ſit, *praeſtare emori per virtutem*, quam vitam miſeram — per dedecus amittere. Sed haec interpretatio, quamquam ingenioſa, nimis tamen longe repetita videtur, quam ut queat probari. Nam, etiamſi Cicero vel maxime, quae Catilina in conventu ſuo diſſeruit, habuerit comperta; tamen inde nondum ſequitur, reſpicere hic Ciceronem iſtius orationem, quam ſi reſpexiſſet,

ſet, haud dubie ipſius Catilinae verba retinuiſſet, multoque ſignificantius dixiſſet, *emori per virtutem*, quam *emori aequo animo*; id quod ne Catilina quidem ad ſuam orationem poterat transferre, nedum Senatus, illius orationis ignarus. Cui igitur bono ſic loquebatur Cicero, ſi nemo eum intelligeret! Quid quod τὸ *morari* longe rectius, quam τὸ *emori*, opponatur τῷ *abire*? Quin etiam, quae antecedunt apud Ciceronem, lectionem *morari* non tam ſuadere, quam flagitare videntur, cum concludendi formula, *quae cum ita ſint*, ſatis indicet, Ciceronem potius reſpicere ſua proxime praecedentia verba, quam illa Catilinae remota, neminique praeter ipſum cognita. — Eiuſdem naturae eſt emendatio Taciti lib. VI. Annal. c. 26. ab hoc cap. IX. propoſita, qua verba Taciti *abſtinentiam cibi coniunxit*, praecipitanter mutat in *abſtinentiam ſibi iniunxit*. Quaerit enim cum qua re abſtinentiam cibi coniunxerit? Reſpondemus, cum *conſilio moriendi*, quod cepiſſe paullo Nerva ante dicebatur; cum quo utique etiam coniungenda erat iſta cibi abſtinentia, ſi quidem exſequi ſuum vellet conſilium. Nemo enim ſolo moriendi conſilio unquam mortuus eſt. Ceterum non negamus, abſtinentiam interdum dici abſolute pro abſtinentia cibi: ſed an hic etiam res ita ſe habeat, tantum abeſt ut credamus, ut potius in alia omnia eamus. — Non magis placet coniectura cap. X. prolata, de corrupto A. Gellii loco, cujus verba lib. XVIII. c. 6. haec ſunt: „Helius Meliſſus in noſtra memoria fuit Romae ſummi quidem loci inter Grammaticos *et temporis*, ſed maiore in litteris iactantia et σοφιστείᾳ, quam opera.“ Locum enim corruptum nemo non videt, ſed correctione Cl. Iuſti non refici eum aeque facile patet. Primo enim qualis, quaeſumus, intercedit ſimilitudo inter vocabula τεχνικὸς et temporis, ut potuiſſent confundi? deinde vero etiam Grammatici iidem ſunt, qui τεχνικοί, ut adeo ex hac emendatione abſurdiſſima naſcatur tautologia. Nos quidem ea ſumus opinione, ut putemus, mendum non eſſe in τῷ *temporis*, ſed in particula *et*, pro qua ſi legatur *tunc*, ſenſus certe evadet facilis

eilis et perſpicuus. Et quis non videt, quam facile potuerit particula *tunc*, quae fortaſſe per ſolum *t*. expreſſa erat, legi ab imperitis ſcribis pro *et?* —. Huc pertinet denique locus Manilii Aſtron. lib. V. v. 20. a viro doctiſſimo c. XV. emendatus; in quo loco profecto nihil videmus, quod emendatione egeat. Quaerit quidem mendum in vocabulo *quid*, eiusque loco ponit *quin*. At in lectione vulgari ſenſus planus extat, et elegans: quem ſi quis aſſequi non potuerit, adeat noviſſimum Manilii editorem, Eliam Stoeberum, (prodiit eius editio anno ſuperiore Argentorati) in notis ad h. l. pag. 512. ſeqq. qui et ipſe hanc Iuſti correctionem improbat, eumque ſimul recte reprehendit, quod v. 514. eiusd. lib. ex Fayi mendoſa correctione produxerit.

Ex his igitur ſatis, credimus, apparebit, verum eſſe utrumque id, quod initio diximus, clariſſimum Obſervatt. auctorem, uti non ſit ex vulgaribus criticis, ita eum tamen eſſe nonnumquam lapſum. Quod cum abundantia magis, quam inopia ingenii factum eſſe intelligamus, legenda ipſi commendamus quae Stoeberus ad locum Manilii ſupra laudatum utiliter diſſeruit, tuncque optamus, ut quamprimum auctorem aliquem claſſicum, quorum multi ſunt qui manum adhuc criticam expectent, ſuo velit ornare ingenio.

M. MANILII ASTRONOMICON, EX RECENSIONE Rich. Bentleii, cum ſelectis variorum, et propriis notis, cura M. ELIAE STOEBERI.

Argentorati 1767. 8vo. pl. 39.

Quod iam ſaepe optavimus, ut parabilior eſſet iuventuti, Graecarum et Latinarum litterarum, artisque criticae ſtudioſae, bonorum Scriptorum veterum copia, ne vel propter editionum maiorum caritatem, vel minorum raritatem, carere utilisſimis auctorum veterum operibus cogantur,

tur, eius rei inde a paucis annis non ſine magno gaudio, a viris doctiſſimis initium vidimus factum eſſe. Teruntur nunc manibus iuvenum, libri Ciceronis, Livii, Suetonii, maxime vero poetarum, Horatii, Ovidii, Virgilii, Tibulli, quorum editiones inde ab aliquo tempore praeſtantiſſimas, neque minus parabiles, a ſummis aetatis noſtrae viris, quos nemo non novit, accepimus; et quos ante hac latinarum litterarum ſtudioſi, ſi vel maxime comparare ſibi voluiſſent, tamen, vel propter editionum antiquiorum raritatem inſignem, vel recentiorum ingens pretium, non poterant. Quis itaque non probet laudabile Stoeberi V. Cl. conſilium, quo Manilium, poetam profecto elegantiſſimum, curis ſuis illuſtratum, cum eruditis communicare ſtuduit? Etenim haud paullo rarum adhuc in Germania noſtra fuit opus Manilianum, maxime in privatis doctorum virorum bibliothecis, ut vix centeſimo cuique comparandi eius copia fieri poſſet. Ac ſi nihil aliud Vir Cl. niſi editionem Boeclerianam repetitam nobis dediſſet, vel ſic ſatis bene meruiſſe de multis viris doctis, quibus anguſta domi res eſt; poterat videri. Nunc tanto maiori laude dignus eſt, cum, ipſe etiam per ſe Manilio curam impendit, et, ut poſt illos *Scaligeri, Boecleri, Bentleii* labores, tamen ſuo quoque ingenio et doctrina illuſtratiorem, quam antehac, ederet, omnem operam dedit. Ac profecto, ſi quis alius, certe Manilius, magnam materiam habet exercendi ingenii critici, et exprimendae doctrinae accuratioris, cum propter ipſam rerum et argumenti difficultatem, tum propter multitudinem locorum corruptorum, codicum contra paucitatem. Iam, quomodo Stoeberus editoris officio functus ſit, breviter, age, videamus.

In praefatione primum agit de ſuſcipiendae editionis Manilii novae conſilio, et variis, quibus in ea adornanda uſus ſit, ſubſidiis; quorum tria maxime commemorat, Codicem MS. Pariſinum, Codicem Paullinum Lipſienſem, et editionem primam Io. Regiomontani, Norimb. 1472, (ut putat,) vulga-

vulgatam. Horum ſingulorum indolem, hiſtoriam, uſum, virorumque doctorum in ea impenſos labores, copioſe narrat. Sequitur deinde Iul. Pontederae, in Gymnaſio Patavino rei botanicae Profeſſoris, Epiſtola de Manilii Aſtronomia, eiusque anno coeleſti, ad Andream quendam Maranum, amicum, ſcripta. Tum textus ipſe Manilii e recenſione Bentleii, nude, paginis 149, cum varietate lectionis, ad finem cuiusque paginae poſita, exhibetur. Sequuntur porro notae cl. Editoris et aliorum, cum eorum, qui data opera notas ad Manilium edidere, ut Scaligeri, Petavii, Salmaſii, Huetii, Fayi, Bentleii, tum caeterorum, a quibus data occaſione et obiter ſingula Manilii loca hinc inde emendata, vel illuſtrata ſunt, ut Carrionis, Barthii, Turnebi, Gronovii, denique indice rerum memorabilium, in opere Maniliano occurrentium, volumen clauditur. Iam ad ſingula deſcendemus, et, ut appareat, quomodo in tractando Manilio Cl. Editor verſatus ſit, ſpeciminis cauſſa Librum I. percurrendo, de quibusdam locis ſententiam noſtram dicemus.

L. I. v. 28. transpoſitio verſuum aliquot, qua mederi loco haud dubie corrupto tentat, non ea plane quidem nobis ſatisfecit; ſed tamen iidem ſimul fatemur, meliorem vix repertum iri, credimusque adeo in ea acquieſcendum, donec certiorem aliquis attulerit. Planior et facilior eſt ea, quam v. 44. et 45. tentavit, ubi tamen nobis non placet lectio Regiomontani et reliquorum, quam ipſe probat:

„Quas *ferat* Euphrates, in quas et Nilus inundat.

Eſt enim contra Grammaticam, quia *inundat* neceſſario Indicativum requirit, dudumque a viris doctiſſimis, (etiam in his ipſis Actis,) monitum eſt, in Scriptoribus aureae aetatis, (qualis eſt Manilius) tutiſſime corrigi, quae pugnent cum elegantia et ἀκριβείᾳ Grammatica, etiamſi codices diſſentiant. Ad v. 47. ſuperflua nobis viſa eſt nota: *preces*, *ſacra*, *ſacrificia*. Ea enim per *publica vota* intelligi, praeſertim cum adiicitur mentio *ſacerdotum*, ut hoc loco, vel tirones ſciunt. V. 76. ad verba:

verba: „Immotumque *novos* pontus ſubduxerat *orbes* “ recteiſſime annotavit, accipiendum id eſſe de Britannia, paullo ante Manilii aetatem a Iul. Caeſare detecta et ſubacta. V. 90. ubi Bentleius legit: „Semper et ex aliis *alia* proſeminat uſus “ ipſe fatetur, et metrum, et ſententiam, et codices requirere, ut legatur *alius*, ſc. *ortus*; id enim praeceſſiſſe. Si haec tria conſentiunt, quae coniuncta maxime decernunt, cur *alius* in textum non recepit? nos quidem id facere minime dubitaſſemus. V. 91. ad verba: „linguas *didicere* volucrum“ notantur haec: alii legunt praedicere, quod non ineptum prorſus. Niſi h. l. *non* per errorem typographi irrepſit, non videmus, quomodo V. Cl. probare potuerit lectionem, quae manifeſte metro repugnat. Erudita ſunt, quae ad v. 116. de verbis *emergere* et *evolvere* diſputat, ubi Bentleius legit: *evincere*. V. 147. „Sed facies *quaecunque* tamen ſub origine „rerum Convenit “ videtur nobis lectio Bentleii: *quacunque*, illud ipſum, quod Vir Cl. in nota explicandi cauſſa adiecit, multo melius, et luculentius exprimere, quam vulgaris: *quaecunque*, cui ille favet. V. 172. reprehendit Huetium, qui in verbis: „Ictaque contractis conſiſtunt corpora plagis, Et concurrendo *prohibent in* longius ire “ velit reſcribi: *prohibentur*. Sed fatemur, hanc coniecturam nobis multo planiorem vulgata videri; deeſt enim in hac Accuſativus, qui abeſſe vix poteſt. Certe ſi retinendum omnino ſit *in*, (quod tantopere defendit vir cl.) legeremus potius, ſi codices faverent, *prohibent ſe in* etc. Sed nihil decernimus. V. 221. rectiſſime, contra Gronovium ac Bentleium, ſequitur Scaligerum, legentem: „Te teſtem dat, luna, ſui *glomerabilis* orbis “ pro *glomeraminis*, et illam lectionem adverſus hanc e Grammatica defendit. V. 245. elegans nobis et probabilis videtur coniectura Cl. Editoris: „Nos in nocte ſumus, ſomno qui membra locamus“ pro Bentleiano: ſomno *ſic* membra locamus; haec enim lectio neſcio quid duri et aſperi habet. Etiam illa nota nobis placuit, quae v. 258. „Solemque alternis vicibus per tempora portant“ ſc. *ſidera*, adiecta eſt: Quae portant ſolem atque alia ſidera, ſive planetas. Di-

cuntur

cuntur autem portare ſolem, quatenus in iis ſignis exoritur atque voluitur. Atque omnino optaremus, ut paullo numeroſiores ex hoc genere in libro annotationes eſſent. Eſt enim maxime frugiferum lectoribus, quoniam ipſa verba auctoris, tropos, ſenſum etc. breviter explanant, ſine magno doctrinae apparatu et oſtentatione. V. 429. ubi Vir cl. in verbis: „Qui proximus anguis Squamea diſpoſitis imitatur *tergora* flammis“ probat *lumina*, repudiato *tergora*, non videmus quid abſurdi ſit in *tergora*; certe τὸ *tergora* nihilo deterius eſſe arbitramur τῷ *lumina*. Nota Viri cl. haec eſt: „Ergo anguis diſpoſitis flammis imitatur tergora ſquamea? „Qualis ſenſus! Libri noſtri omnes: *lumina*. Dici autem „poſſunt *lumina ſquamea* ipſae ſquamae, colore ſuo micantes, „et auri fulgore quaſi ardentes etc.“ Nonne vero *tergora ſquamea* eodem redeunt? *Tergus* apud poetas ſimpliciter pro quovis corpore, ſive animato, ſive inanimato, dicitur, ut apud Phaedrum L. II. Fab. 2. Tunc *diviſo tergore*, ſilvas petivit, h. e. *cadavere*. Imo *tergora* tanto convenientius eſt huic loco, (quod inter alia anguibus quoque *tergus* (der Balg) proprie tribuitur,) dummodo libri MSti addicerent. Itaque etiam hoc non ideo monuimus, ut *lumina* deleri velimus, ſed ut nihil abſurdi appareret eſſe in *tergora*, ut Viro Cl. videtur. V. 460. elegantiſſima et veroſimillima eſt coniectura, qua pro: „*fulgentia* viſus“ legit: „*fallacia* viſus;“ nec alia magis re ea ſe nobis commendat, quam ſimplicitate, quae ſemper eſt maximum indicium veritatis. V. 764. probavimus eius ſententiam, quae verba Manilii: „*Caſtra ducum et caeli*“ ab emendatione, imo potius corruptione Bentleii, contra auctoritatem codicum, legentis: „*Aſſaracum atque Ilum*“ bonis argumentis vindicat. Non item placuit nobis coniectura ad v. 774. „Perſidos et *victor*, ſtrarat quae claſſibus aequor“ ubi pro *victor* Manilium ſcripſiſſe putat *ultor*. Eſt enim hoc contra metrum, et, quanquam per caeſuram videtur excuſari poſſe, tamen ſine neceſſitate non inducendum eſt, imprimis cum nihil iure reprehendi poſſit in expo-

ſitione

ſtione loci Gronoviana, nec ipſe Vir cl. aliquid in ea reprehendat. Denique in v. 907. unice veram putamus eius coniecturam, legentis: „Arma Philippeos implerunt *ſanguine* campos“ pro vulgato *agmine*. Hoc enim, niſi plane nullum, certe frigidiſſimum ſenſum habet.

Ex his, quae ad L. I. diximus, patere arbitramur, quale pretium criticis cl. Stoeberi laboribus ſtatuendum ſit, et, magnam ei ſpem propoſitam eſſe gratiae ab erudita Germania hac editione ineundae. Sed ſunt tamen, ut libere dicamus, duo maxime, quae nobis in toto eius conſilio valde diſplicuere, et quae ſcimus etiam multos alios offenſura eſſe, quae tamen nullo, aut parvo negotio, poterant evitari. *Alterum* eſt, quod notas aliorum, et ſuas, non ſtatim ſubiecit textui, ſed ad calcem ablegavit. Eſt enim hoc moleſtum lectoribus ſine diſcrimine omnibus; et quotusquisque, cum in loco aliquo textus inter legendum haeſerit, ſuſtinebit ſemper illum locum in notis evolvere? *Alterum*, quod etiam magis reprehendimus, eſt illud, quod, cum inſtituiſſet ſelectas virorum doctorum annotationes ſuis annectere, auctorum nomina ſciens ac volens reticuit. Quanquam enim ſe propterea excuſat in praefatione, aitque id ſe feciſſe, *tum ne gloriolam captare videatur ſuis, tum ne adoleſcentes parum cauti tantorum virorum auctoritate moverentur, nullumque diſcrimen facerent*: tamen haec ſpecioſius, quam verius ab eo dicuntur. Nam quod ad prius attinet, ſuo ſe ipſe gladio (ut hoc utamur) videtur iugulare. Quid enim habet, quod opponat, ſi quis calumniandi cauſſa dixerit, tanto magis eum videri gloriolam ſuis captare voluiſſe, cum nomina auctorum reticuerit, quod facile praeviderit, unumquemque lectorem exiſtimaturum, maximam et optimam notarum partem ab ipſo profectam eſſe? Quis enim tam divina memoria ſit, ut, quas ante forte aliquando legerit, (ſi modo legerit,) Scaligeri, Boecleri, Barthii, Bentleii, in Manilium notas, ita ſtatim rurſus agnoſcat, ut a Stoeberianis e veſtigio poſſit diſcerpere. Nos cer-

certe, ſi cl. Editoris loco fuiſſemus, quanquam in alia re, tamen imitati eſſemus rationem eam, quam de Epaminonda Cornelius Nepos in eius vita c. 3. fin. narravit. Deinde vero, non verendum erat, ne adoleſcentes parum cauti, in legendo Manilio auctoritatibus moverentur. Qui enim tirones ſunt, ut hac cautione adhuc opus habeant, iis non ſcriptae videntur illae doctorum virorum, nec ipſius Cl. Editoris in Manilium notae; qui vero iam ſine cortice natant, ac poſſunt has notas cum fructu legere, iis non perinde eſt, quis cuiusque notae auctor fuerit. Non enim ſolum ſcire cupiunt, *quid* dictum ſit, ſed etiam *quis* dixerit, ut colligere inde poſſint, quid, et quantum quisque illorum virorum ad illuſtrandum Manilium attulerit.

Ceterum, his monendis nihil detractum volumus laudibus cl. Stoeberi, cuius in Manilium merita, (ut cuilibet apparebit,) lubentiſſime agnoſcimus, iidemque ſimul eundem hortamur, imo rogamus, ut pergat nobis ſiſtere alios poetas latinos, ex illis difficilioribus, et rarioribus, eo habitu, quo iam Manilium nobis exhibuit. Credimus enim, ſi parem in iis edendis diligentiam praeſtiterit, doctiſſimi cuiusque praeconia et laudes ei minime defuturas.

DE TOPICIS SCHEDIASMA. AUCTORE I. H. LAMBERT.

I.

Quod in contemplandis *rebus corporeis* vel inprimis ſeſe offert immenſum ſpatium, huiusque dimenſiones, intervalla, diſtantiae, loca, ceteraeque eius determinationes, horum omnium ſaltem *analoga* in *rebus mere intellectualibus* reperire ſibi viſi ſunt, qui ab antiquiſſimis retro temporibus *ideis abſtractis* nomen imponere, ipſasque ideas ſibi perceptas

copias cum aliis communicare ſtuduerunt. Hinc nata nomina *idearum ſublimium*, *profundarum*, *longoque intervallo ab invicem remotarum*, *mundi intellectualis*, *campi Scientiarum*, et id genus innumera alia. Nec defuerunt qui in iſtiusmodi campis ſingula loca inquirere, eaque ad certas claſſes revocare adgrederentur. Hinc artis illius, quae vel hanc ob cauſam *topica* dicta eſt, prima petuntur initia, veraque, ſi quidem curatius excolenda ſit, fundamenta. An vero ulterius excoli, pleniusque adornari haec ars vel poſſit, vel etiam mereatur, altioris utique ſimul et difficilioris indaginis res eſt. Quodſi enim ſpecimina illa contuearis, quibus iam inde ab ARISTOTELIS temporibus rem omnem abſolvere putarunt, quotquot in perficienda hac arte ſuam collocarunt operam, non mirum eſſe facile perſpicies, ſi rem iſtam alternatim velut in lucem protractam, iterumque reiectam, ſpeciminaque illa admodum manca, uſuque fere omni eſſe deſtituta, audacter ſatis pronunciare complures videas. Ego vero aequa lance cuncta ſigillatim expendere eo minus dubitavi, quo curatius a primis originibus repetenda res eſt, ſi quidem ſingula excutere, debitumque *Arti topicae* ſtatuere velis pretium.

II.

Et quidem, ſi vel ipſum Artis nomen ſpectes, latiſſime eam patere haud aegre deprehendes. Eousque enim ſeſe extendit vis nominis, quousque in mundo intellectuali adplicabilis eſt *loci ſitusque* idea. Hinc cuncta ea, quae vel in ipſis literis elegantioribus, de idearum dictorumque ſublimitate, quae in Scientiis ſolidioribus de earundem *profunditate*, *intervallis* immenſis, horrendisque velut *abyſſis* praecipiuntur, cuncta iſta, veri nominis *topica* ars, vel Scientia, ſuo velut iure ſibi vindicat. Et ſi haud inanis ſit *campi ſcientiarum* denominatio, ab ipſa hac arte et hoc exſpectare fas erit, ut ſingulas Scientias, earumque partes, veluti totidem immenſi regni vel orbis cuiusdam provincias, ea ratione in mappa ſiſtat delineatas, qua ipſae ſibi ſunt contiguae, ſive iam cogniti ſint,

ſive

ſive adhucdum lateant limites illi, quibus ab invicem ſeparantur. Talis vero ſi unquam prodeat mappa ſcientiarum topographica, non modo in univerſum loca ſiſtet fontium et rivulorum, totum ſcientiarum orbem irrigantium, terrasque et provincias humana iamiam induſtria excultas; verum et ingentes illos terrarum mariumque tractus, quorum vix adhuc nota ſunt nomina, quorumque exiſtentia vel inde colligitur, quod dantur ſcientiae ingenti intervallo adhuc ab invicem ſeiunctae, etſi utique eas vel neceſſario cohaerere, atque in uno eodemque Continenti collocandas eſſe, facile perſpiciatur. Sic enim v. gr. ſi vel in ſummis orbis iſtius Alpibus colloces Metaphyſicam, unde rivuli fluviique per omnes ſcientiarum campos defluere queant, notabis quidem flumina iſta, quibus irrigatur phyſica et chymia experimentalis, at tractum illum, qui Somatologiae univerſali proprius dicendus eſt, cum admodum inculta ſit intermedia haec regio, vix nominibus quibusdam deſignare dabitur. Similia intervalla fere incognita inter Cosmologiam tranſcendentem et Aſtronomiam, inter Dynamicam tranſcendentem et Mechanicam etc. notanda eſſe reperies. Notiora eſſe videbis fluminum oſtia, et ubivis fere patere ad littora maris vias, tum natura planas, tum arte factas. E longinquo conſpicies alta montium cacumina, praecluſos vero praecipitesque aditus, ita ut liquido pateat, haud ſecus notas eſſe ſcientiarum provincias, ac nota ſunt Africae vel Americae litora, ignotae interiores utriusque partes. At vero ulterius extendendae huic comparationi ſuperſedere hic liceat. Hoc unum adiungam, ſummam futuram dein huiuscemodi mappae perfectionem, ſimulac eo reduci poſſit, ut characteriſticam exhibeat cognitionis humanae delineationem.

III.

Alia datur artis topicae pars, cuius limites extendere, uſusque exponere, hiſce paginis conſtitui. Varia iſta ſubiit fata, variasque mutationes, quas aliquantum perluſtrare haud

abs

abs re erit. Anſam dedit ARISTOTELES. Perſpexit is *argumenta* qualiacunque, et cuicunque theſi vel probandae, vel reiiciendae, idonea, ſi invicem comparentur, ita aliqua ex parte eſſe ſimilia, ut haud aegre in certas definitasque claſſes referri paterentur. Hinc illius Topica, hinc decem eius categoriae, hinc in Logica et rhetorica plurima, *argumentorum inventionem* ſpectantia. Huic enim argumentorum inventioni, eique ſoli topicam artem deſtinavit, atque proinde admodum anguſtis eam circumſcripſit limitibus ipſe ARISTOTELES, eiusque ſequaces; etſi inter hos fuerint, qui artem iſtam alio alioque modo adornare adgrederentur. CICERO eam magni fecit, et ipſemet in uſus oratorios topicam conſcripſit. *Ut enim*, inquit, *earum rerum, quae abſconditae ſunt, demonſtrato et notato loco facilis inventio eſt: ſic cum cum perveſtigare argumentum aliquod volumus, locos noſſe debemus. Sic enim appellatae ab Ariſtotele ſunt hae quaſi ſedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, locum eſſe argumenti ſedem; argumentum autem rationem, quae rei dubiae faciat fidem.* Paucis his tota res declaratur, patetque ſimul, plus uno eam laborare defectu. Primo enim tantum de *argumentis utcunque probantibus* ſermo eſt, etſi alia ſint longe plurima, quae ab Arte topica iure meritoque exſpectes. Deinde de *inveniendis* iſtiusmodi argumentis loquitur CICERO, etſi, quod apud omnes in confeſſo eſt, ars illa, quae *Topice* dicitur, non ipſa argumenta, verumtamen varias eorum claſſes et ſpecies, vel titulos, enumerat. Verum quidem eſt, quod ait, facilem eſſe, demonſtrato, et notato loco, rerum abſconditarum inventionem; attamen huiuscemodi demonſtrationem et notationem in arte topica fruſtra quaeras. Dicas enim, aurum quaerendum eſſe in montibus vel fodinis; certe hac ratione, niſi aliunde ſciveris, montes iſtos vel fodinas egregie ignorabis. Rectius itaque iudicaverunt, qui Artem topicam *medium eſſe* dixerunt *in memoriam mentemque revocandi cuncta ea, quae, etſi nota iam ſint, memoriaeque mandata, haud ſua ſponte ſuccurrunt, quoties, vel quandocunque eorum meminiſſe e re eſt.*

IV.

IV.

Ipſa quoque iſta notio deceptrix, qua *inveniendi artificium eſſe topicam* creditum eſt, in cauſſa fuiſſe videtur, cur alio alioque modo tractandam et expoliendam eſſe hanc artem putarint plurimi ARISTOTELIS, hac ſaltem in parte, ſequaces. Notiſſimi ſunt verſus quidam memoriales, quibus topicam omnem includere, brevisſimeque exponere elaborarunt Scholaſtici, recentioresque philoſophiae cultores. Ita v. gr. verſus:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Hiſtoricorum topicam ſiſtere, ait ALSTEDIUS; eundem vero ad naturalem cogitandi rationem inflexit BAUMGARTEN in Aeſtheticis, ſequentem in modum:

Quis, quibus auxiliis, quid, quomodo, cur, ubi, quando?

Idem quoque acutisſimus philoſophus ibidem commendat verſum topicum, eumque memorialem, ſequentem:

Copia, nobilitas, veri lux certa moventis.

Hunc vero verſum potius *requiſita bonae tractationis thematis aeſthetici*, quam ipſas *ſedes argumentorum* recitare, facile patet. Omnium vero uberrime ſedes iſtas, vel locos, perſcrutatus eſt ALSTEDIVS. Rem omnem, quatenus eam perſpexit, ſeptem incluſit circulis, aitque *ſe eam non ſine labore collegiſſe ex RAIMUNDI LULLII arte magna et brevi*, *Syntaxi GREGORII THOLOZANI*, *Cyclognomonicis GEMMAE TRISII*, *Rotis IASONIS DE NORES*, *et Scriptis IORDANI BRUNI*. Nihilo minus tamen in Logica, ubi de inventione agit, topicam ad mentem P. RAMI inſtruxit, qui in tractandis diſciplinis tum ab ARISTOTELE, tum et ab EUCLIDE receſſit. Fuerunt inter CARTESII aſſeclas, qui cuncta revocarunt ad ſeptem praedicamenta, diſticho ſequenti memoriae mandanda:

Mens,

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Si vero de contrahenda re topica quaeratur, decem illae ARISTOTELIS categoriae commode ad quatuor reducuntur ſequentes:

Subſtantia, qualitas, quantitas, relatio.

At vero huiuſcemodi compendia *rebus in memoriam revocandis* parum adferunt adiumenti. Quod denique ad WOLFIUM attinet, ille relictis anteceſſorum topicis, et demonſtrationibus potius, quam argumentis utcunque probantibus intentus, topicam dedit nullam, niſi ſequentem hoc vocabulo denotare velis:

Definitio, Diviſio, axioma, poſtulatum, theorema,
Problema, Lemma, Corollarium, Scholion, Experientia.

Patet vero, hos terminos, geometris iam ab antiquiſſimis temporibus familiares, formam potius et methodum, quam ipſam materiam eiusque fontes, ſeu locos, indicare. Ex recentioribus video complures eorum, qui de Logica ſcripſerunt, de topicis mentionem inieciſſe, aliis vel ſolam termini definitionem tradentibus, aliis vero rem ipſam exhibentibus. Hos inter, praeter cl. WALDINUM, potiſſimum video cel. CRUSIUM in Logica Specimen dediſſe *Topicae ad genuinam meditandi methodum curatius adcommodandae*, etſi rem ipſam ex profeſſo tractare, omnibusque abſolutam ſiſtere numeris, haud ſit adgreſſus.

V.

Adverſarios quoque naćta eſt Topica ars, qui eam defectibus laborare, omnique uſu deſtitutam eſſe iudicarent. Sic vel ipſe BAUMGARTEN in Aeſtheticis fatetur, *ſe nunquam id eſſe expertum, ut in comparanda ſibi elegantioris tractationis materia, dicendorumque copia et ubertate, ad topica recurrere neceſſe haberet.* Nihilo minus tamen *ipſa artis topicae exercitia* com-

commendat *tironibus*. Acrior exſtitit huic Arti hoſtis Auctor *Artis cogitandi*. Is enim diſertis verbis inculcare lectoribus ſtudet, *artem topicam non modo uſu omni carere, verum maxime eam eſſe nociuam, praeter canones nimium generales, nimiumque a re remotos, et ſententias maxime communes, et velut ex trivio deſumtas, nil inde peti poſſe, quod in dato quovis caſu ad rem faciat; magis eam garrulitati inani, quam verae et ſolidae eloquentiae eſſe idoneam, nulloſque reperiri Oratores, qui in excogitandis Argumentis unquam ad Artem hanc confugeriat. Verum quidem eſſe, Argumenta quaecunque ad locos topicos poſſe referri, nullo tamen modo ea inde eſſe petenda, vel ipſa methodo poſſe reperiri etc.* His commotus Auctor iſte, topicam doctrinam tantum non omnino ſilentio praeterit. Addit tamen, quod certe per omnia negare haud poterat, hac ratione *rem tractandam pluribus ex partibus, faciliusque ſpectandam ſe ſiſtere*. Unde topicam ſubiungit, qualem eam a CLAUBERGIO reperit adornatam. Nunc iam ad rem ipſam contemplandam propius accedamus.

VI.

Definitionem topices, qua *Ars eſſe traditur inveniendorum argumentorum* partim erroneam eſſe, partim quoque debito anguſtiorem, ſupra vidimus (§. 3.). Utramque hanc ob cauſſam cel. BAUMGARTEN eam eſſe *artem* dicit *praedicata certi ſubiecti ſecundum certum notionum ſubiecto ſociarum ordinem in memoriam revocandi*. Haec utique definitio magis eſt ipſi rei adaequata. Latius tamen rem ipſam patere haud difficulter oſtenditur. Etenim ad ſola rei *praedicata* definitionem reſtringit cel. philoſophus. His vero res omnis nequaquam abſolvitur; ſiquidem per omnia meditanti de quodam obiecto adiumento eſſe debeat topice. Ponas enim, obiecti cuiusdam theoriam vel nondum eſſe exſtructam, vel ſi detur aliqua, admodum eam eſſe confuſam, magnaque ex parte erroneam, ita ut velut ab ovo repetenda res ſit, ſi quidem ad genuinam eamque completam obiecti theoriam

pertin-

pertingere, omnibusque hanc abſolutam numeris ſiſtere velit. Hanc vero provinciam in ſe ſuſcepturus ante omnia id agit, *ut undique cuncta ea conquirat, quae ad rem faciant*, ſive ex ſcriptis aliorum iſta petat, ſive ea colligat, quae ipſemet ad rem attendens obſervantur, ipſique ſuccurrunt. Cuncta vero iſta ideo conquirit, ac colligit, ut partes eſſe condendae theoriae poſſint, quibus ſelectis, debiteque ordinatis, et invicem connexis, ſyſtematica emergat obiecti propoſiti tractatio, et ipſa eius cognitio. Tum demum *partes* dici merentur. Donec vero colliguntur, *fragmenta* rectius audiunt. Rariſſime enim hoc evenit, ut eo ordine ſuccurrant, quo proponenda ſunt. Fragmenta vero iſta utique ad certas definitasque revocari poſſunt claſſes, atque *Topices pars ea, de qua hic agitur, (§. 3.) earum claſſium veluti inventarium vel repertorium eſt*, quod ſi omnibus ſuis partibus ſit inſtructum, habebis utique *unde dignoſcas, an ea quae collegiſti propoſitae theoriae fragmenta, rem omnem complectantur, vel an adhuc aliquid deſit, quod ad completam obiecti theoriam neceſſario requiratur*. Hic ergo primum, eumque haud contemnendum Topices uſum, quem in examinandis variis ſcientiarum partibus haud raro expertus ſum, eoque magis, quo latius patet; ſi quidem hac ratione inſtruatur Topice, ut cuncta ea deſignet, quae colligenda ſunt theoriae fragmenta. Eundem hunc uſum experiaris, cum ea diiudicanda ſunt, quae alii de re quadam propoſita literis mandarunt. Facile enim perſpicies, quaenam capita tetigerint, et quaenam praeterierint ſilentio, quaque de cauſſa utrumque ſit factum, probabili ſaltem aſſequeris coniectura.

VII.

Quaeritur iam, qua ratione inſtruenda, ſingulisque ſuis loculamentis adornanda ſit Topice, quo huic ſaltem fini inſerviat? Quoniam *revocandis in memoriam theoriae cuiuslibet fragmentis* inſervire haec ars debet, facile patet, nequaquam in generalibus eſſe ſubſiſtendum, verum eſt deſcendendum ad

ea, quae maxime ſpecialia ſunt, omniaque ampliſſimae theoriae partes veluti exhauriant, latebras, receſſus, lacunas, hiatus, confuſiones, ambiguitates, nodos denique gordios indicent, revocent in mentem, producant in lucem. Quod hac in re conſilium dat ill. BAUMGARTENius in aeſtheticis, paucis, ut ſolet, indicat: *Memoriae*, inquit, *utilis ſciagraphiam ontologicam aliquam principia, eorumdem definita comprehenſuram, ut habebis topica univerſalia. Particulares locos dabit quaevis diſciplina ſatis complete cognita, ſi potiora memoriae infigas altius memoriae.* Ad haec notandum, rectiſſime requiri cognitionem eorum, quae in condenda theoria obiiſſe cuiuſvis, ſeu nota, praeſupponuntur. Topica enim exiguo *memoriae conſulit*, ut ſi data adſit nulla, neque habebis unde quaeſita trahas. Unde, mea quidem ſententia, praxis artis topicae *tyronibus* nec commendanda eſt, nec eos iuvat. Quod ſi tamen adſit, qui eos manuducat, utile utique erit abſtracta topica in conceptis indagandi exercitium. Porro haud ego dixerim, topices ſciagraphiam, ſingulaque eius loculamenta, *memoriae eſſe mandanda*. Non enim *onerandae*, ſed *iuvandae* memoriae dicata eſt. Ipſa vero ontologia, ſpecialioresque cognitionis ſcientificae partes, non tam memoriae, quam intellectui infigendae ſunt. Quod ubi indefeſſo ſtudio feceris, uſui erit topica ſciagraphia debite exſtructa, omnibusque abſoluta numeris. At vero, etſi cuncta ipſi inſerantur definita ontologica, iſta tamen omnem haud abſolvere, tum res ipſa, tum et facta pericula docuerunt. Philologicam enim partem ſi adiungas, nec iſta uſu carebit. Sic et dantur ex pſychologicis, et cosmologicis, partes utiliter adiiciendae.

VIII.

His ita perſpectis, tandem operi admovi, ut quotquot reperire licuit topices capita, ea certa quadam ratione digeſta, tabula offert praeſenti Schediasmati adnexa. Videt ibi [illegible] columnas ſeptem, ſuis quasque inſcriptas titulis. Quae media eſt, *non in ſe ſpectatum* potiſſimum concernit. Quae proxi-

[illegible] antecedit, cui alia aut cogitans relationes exhibet; ac quae inde naſcuntur idealis, et nominalia, utraque prima columna continentur. Mediam porro proxime ſequitur quarta, quae rem ad eas operas refert; utraque ultima relationes reales potiſſimum, variaſque concomitantia, expediuntur. Quaelibet porro columna ita in partes diviſa eſt, ut quae ad ſpecialiorem quandam claſſem referuntur iuxta ſe invicem ſint diſpoſitae, quatenus quidem id facere licuit. Commoda viſa eſt qualiſcunque haec diſtributio, eamque vel hanc ob cauſſam ſelegi, ut vitarem confuſionem ſaltem aliquomodam. Singulorum vero capitum rationem reddere, eorumque explicationem dare, non eſt huius loci, cum ipſi lectores, quibus uſui eſſe poterit haec tabula, [illegible] non ſint. Quodvis porro caput ceu obiectum ſpectare licet, ad ipſam topicae normam examinandum; quod ſi feceris, ampliſſimam uberrimamque habebis eius theoriam. Hac quoque ratione ipſamet tabulam locupletari, eademque ratione ulterius locupletari poterit. Interea ſpecimina ergo quaedam adferam, ad explicationem quorundam capitum facienda.

IX.

Genera, ſpecies, claſſes, ipſaeque vocis *amphiboliae*, ideae ſunt admodum *affines*, ut aegre ab invicem diſtinguantur, etſi huiuſmodi diſtinctionem utique requirat accuratior rei theoria. En ergo rationem, qua ego rem iſtam cenſeo expediendam. Sint A, C, D, etc. Subiecta, quibus idem tribuitur praedicatum M. Facile patet, M eſſe vel *genus*, vel *claſſem*, vel ſubeſſe ipſi voci M *amphiboliam*. *Genus* erit, quoties A, B, C, D etc. ſecundum eandem *formam* ſint facta. *Genus* erit *ſuperius*, ſi nonniſi *abſtractam formae* retineatur. Hac ratione animalia, plantae etc. in *genera* et *ſpecies* diſtribuuntur. Quodſi vero nulla ipſis A, B, C, D etc. inſit *formae identitas*, M ad ſummum *claſſis* erit, ad quam, *ob commune quoddam praedicatum*, referri poſſunt. Hac ratione corpora quoad duritiem, [illegible], elaſticitatem, fluiditatem

&c. in *claſſes* diſtribuuntur. Quodſi denique in ſingulis A, B, C, D etc. quaeras *attributum* M, atque hoc nequaquam ubivis *idem* eſſe deprehendas, voci M plures eſſe tribuendos *ſignificatus* rite colliges, ſive iſti ſint metaphorici, ſive toto caelo inter ſe differant. Sic v. gr. vocabula *lis compoſita* atque litem complicatam ac litem iniquam ſignificant, etſi non ipſa admodum ab invicem differant. De ſolis amphiboliis earum origo inveſtiganda eſt, quippe ſaepius metaphorae et ideae tranſcendentes hac ratione in apricum producuntur, unde quandoque ſaepius dantur allegoriae ulterius continuandae. Naſcuntur vero amphiboliae, locumque habent

1. In vocibus primitivis per accidens, cum una eademque Syllaba, vel vox, duabus pluribusve rebus deſignandis adhibetur.
2. Cum ex inſcitia generi vel claſſi tribuuntur, quae ſpeciei, vel quibusdam tantum individuis tribuenda ſunt.
3. Si confundantur praedicata ſubjecti, objecti, facultatis, actus, relationis, partium etc.
4. Si a mere contingentibus, acceſſoriis, tranſeuntibus, adparentiis externis etc. fiat rei denominatio.
5. Si confundantur gradus, dimenſiones, cauſſae et effectus propiores et remotiores, coexiſtentia cum ſucceſſivis, etc.
6. Si miſceantur imagines, adparentiae, ſimilia, metaphorae etc.
7. Si ex abuſu nominis verus fiat uſus, vel pars primitivi ſignificatus omittatur, pars detorqueatur etc.

Huc quoque referantur *Synonyma*, quae quidem rem eandem, haud tamen prorſus eandem, quinimo quandoque diverſas denotant, ipſasque vocis amphibolias detegunt. Locum vero habent atque oriuntur

1. In *primitivis* per accidens, et rariſſime, ſi quidem dialectos provinciales excipias.
2. In *compoſitis* frequentius, prout variis modis combinantur partes vocem componentes.

3. In

3. In *denominationibus*, quae fiunt a parte, uſu, ſcopo, fine, cauſſa, medio, attributo, ſigno, charactere, imagine, ſenſatione etc. ab individuis, caſibus ſingularibus, adiunctis etc.
4. In *nominibus metaphoricis*, prout alia aliaque ſumuntur ſimilia, tertia comparationis etc. et vox ipſa ex parte cognitionis in aliam migrat.
5. In *metonymiis*, *paronymiis* etc.
6. In *derivatis*, pro vario derivandi modo, variisque adhibitis radicibus, particulis derivativis, praefixis, ſuffixis, enclyticis etc. et pro variis rei partibus, affectionibus, relationibus, etc. ad quae in derivanda adcommodandaque voce attenditur etc.

X.

Singula haec conducunt ad colligendas *ideas* illas, quas *affines* vocare licet. Sunt vero hae plerumque ita comparatae, ut ſi res propoſita ſit ſubſtantia, accidens, relatio, gradus etc. ideae affines ex iisdem his claſſibus eſſe concipiantur. Sic v. gr. affines eſſe reperiuntur ideae:

Pulcrum, perfectum, ordinatum, completum, elegans, concinnum, amplum, ſublime, gratum, movens, guſtoſum etc.

itemque

ſublime, altum, profundum, remotum, elatum, proximum, grande, amplum, etc.

Porro ad inveniendas *ideas affines* ipſa facit rerum affinitas. Sunt vero hae vel *ſimiles*, vel *connexae*, vel *concomitantes*, vel *correlatae*, vel *ab invicem dependentes*; vel habent partes ſimiles quidem, at aliter iunctas, diſpoſitas, coordinatas; vel viciſſim partes diverſas, ſimili tamen ratione connexas; vel denique ratione originis, cauſſarum, effectuum, uſus, ſcopi etc. affinitatem inter ſe quandam habent. Porro ideae affines, cum facile confundantur, eo magis ſunt examinandae, quo magis ad ſerſam ordinatamque totius claſſis theoriam conferunt.

XI.

XI.

Addam adhuc quaedam de *Cauſſis*. Amphiboliis ſcatere hanc vocem, in omnibus fere linguis, abunde conſtat. Quaeras v. gr. cauſſam *ſubſtantiae*, *qualitatis*, *quantitatis*, meram denique *relationis*, utique aliis aliisque modis erit quaerenda et cognoſcenda. Dantur quippe caſus, quibus potius *principia*, *origines*, *fontes*, *rationes*, *media*, *inſtrumenta* etc. quaeras, quam *cauſſam*. Hinc factum eſt, ut cauſſam potiſſimum efficientem, quae veri nominis cauſſa iam olim Stoicis viſa eſt, ipſi *principio fiendi* aequiparent Metaphyſici, eamque a *principiis eſſendi et cognoſcendi* diſtinguant. Haec vel ideo monenda eſſe duxi, quod alia inſuper dantur tabulae topicae capita, haud ſingulis quibusvis rebus aeque adplicabilia. Ita v. gr. ſi de *ente* ſermo ſit, genera ſuperiora haud dantur, uti viciſſim a ſpeciebus inferioribus abſtrahendum eſt, ubi *individuum* ſuſcipitur examinandum. Sic et ſi res vel idea *ſimplex* ſit, exulabunt utique partes integrantes. Ita et *cauſſa* ſupponit mutabilia, contingentia etc. ut adeo, ubi de immutabilibus, neceſſariis etc. quaeſtio movetur, rectius rationes et principia quaerantur.

XII.

His ita praemiſſis, ſpecialiores tabulae topicae uſus breviter exponam. *Tabula haec*, uti facile patet intuenti, *indicem offert eorum, ad quae in examinanda re quacunque, condendaque eius theoria, attendendum eſt*. Haud tamen credas, hoc neceſſario *certo fieri debere ordine*, uti poſtulare videtur definitio cel. BAUMGARTENII; (§. 6.) ideo enim conſtructa eſt haec tabula, ut memoriam iuvet et reminiſcentiam eorum, quae ſua ſponte vix cuncta ſuccurrunt. Unde fieri quoque poteſt, ut, etſi tabulam adhibeas, nihilo minus haud uno eodemque momento cuncta ſuccurrant. At vero cum periculum in mora non ſit, in craſtinum differre licebit, quae hodierno die memoria reddere recuſat. Ipſa tabula nihilominus *perpetuus* erit *index* eorum, quae vel iam habes, vel

quae

quae adhuc ſuperſunt conquirenda. Dantur quoque caſus, ubi plura capita praetergredi licet, quoties nempe theoriam non per omnia exhauriendam, verummodo quatenus propoſito cuidam ſcopo inſervit excolendam, ſuſcipis.

§. XIII.

Utiliter tamen in conquirendis theoriae fragmentis initium ſit a tertia Columna. Utique enim et immediate ipſemet ſcias oportet, quid reſpondeas, cum quaeritur undenam in mentem venerit ſuſcipienda rei diſcuſſio, ſyſtematisque exſtructio? quis rei ſcopus, quaenam occaſio te moverit, ad examen propoſiti obiecti inſtituendum? Qualecunque vero ſit reſponſum, in dato quovis caſu, ad certam quandam claſſem revocari poterit. Etenim hoc ipſo reſponſo habebis

1. Vel certum ſcopum, cui exſtruenda theoria inſervire debet.

2. Vel tractationis poſſibilitatem, ſaltem generatim, perſpectam.

3. Vel etiam ipſum tractationis modum, procedendique viam.

4. Vel poſitionem quandam fundamentalem, qua data, reliqua per ſe inde fluunt.

5. Vel praemiſſas menti ſimul obverſantes, unde ſluat concluſio, quae rem omnem viamque, vel ſaltem ex parte, aperit, planamque reddit.

6. Vel perceptum alicubi praeiudicium, errorem, ſaltum, lacunam etc. una cum modo, vel ſaltem poſſibilitate, rem omnem curatius evolvendi.

7. Vel novam inexſpectatamque idearum aſſociationem, qua vel campus aperitur novus, vel via explanatur, etc.

8. Vel verum rei momentum, uſum, ſcopum, dignitatem etc.

9. Vel anſam dedit res ſimilis, ſpecialior, exemplum, phaenomenon etc.

10. Vel denique quodvis aliud tabulae topicae caput.

XIV.

Quodſi porro res examinanda ita ſit comparata, ut iam paſſim apud Auctores eam videas tractatam, vel ſaltem haud praeteritam ſilentio: eadem tertia tabulae columna adeundos eſſe iſtos Auctores indicat, et, ſi unquam obliviſcaris, in mentem revocat. Quaecunque vero reperias ab aliis iam dicta, ſive vera probataque ſint, ſive erronea vel dubia, ipſa tabula *cunctos tibi offert titulos*, ad quos referre reperta poſſis; unaque porro eadem patefacit, quaenam capita intacta reliquerint, quos evoluiſti, auctores. Vides ergo, in his omnibus parum, vel nihil ineſſe difficultatis.

XV.

Proxime ſequitur ut primam columnam adeas, evolvasque, quae vel in lexicis variarum linguarum iam notatae et collectae reperiuntur vocis aut nominis etymologiae, variae ſignificationes, amphiboliae, ſynonyma, epitheta, metaphorae, phraſes etc. quae quid ad rem faciant, ſaepiſſime absque difficultate colligitur. Videas quae de amphiboliis, claſſibus, generibus, et ſynonymis, iam ſupra notavi. (§. 9.) Multifaria enim eſt inter utramque primam tabulae columnam relatio et nexus. Ita enim v. gr. quae reperis vocis epitheta, praedicata fiunt, quale in §. cit. eſt M. Synonyma, phraſes, et metaphorae, proxime ad detegendas diſtinguendasque ideas affines et correlatas conducunt, ſaepiusque indicant caſus maxime ſpeciales, quibus curatius examinatis

matis, uberrima ſaepe colligitur praedicatorum, partium, concomitantium, relationum, idearumque affinium etc. meſſis. Sic et vel ipſa vocis etymologia haud raro ideam ſuggerit, ad quam genuinum vocis ſignificatum exigere licet. Quandoque et pateſcit inde caſus ille ſpecialis, cui ipſa vocis origo, primusque uſus, tribuendus eſt.

XVI.

Nihil porro obſtat, quo minus ſecundum tertiam tabulae columnam rem ipſam contuearis, eiusque inſtituas varia examina; vel examinum iam olim inſtitutorum memoriam renoves, ipſamque denique rem ad quaevis tabulae capita exigas. At vero et in his ſat cito, ſi ſat bene; nequaquam enim uno eodemque temporis momento cuncta ea, quae ſuccurrere poſſent, illico ſuccurrunt. Semper tamen *oſtendet tibi tabula iſta topica, quae adhuc deſint.* Haec, ſi operae pretium ſit, firmiter infigas memoriae, quippe et impoſterum ea meminiſſe iuvabit. Scis enim hac ratione quaenam adhuc ſuperſint aſſociandae ideae, et ſi data occaſione tibi iſtae ſuccurrant, vel obverſentur, vel ipſa lex imaginationis te de ſuſcipienda earum aſſociatione commonefaciet.

XVII.

Cave tamen opineris, quaecunque iſta, quae ad rem faciant, hac ratione in mentem venire debere. Ita enim iſta ſunt inter ſe connexa, atque ab invicem dependentia, ut *datis quibusdam, ratiocinando invenias, tum quae neceſſario praeſupponuntur, tum et quae inde pendent, pleno quae ſaepe alveo inde fluunt, etſi et hac ratione tabula topica perpetuus ſit, tum repertorum, tum et reperiendorum, index.* Unde, ſi quae iam habes reperta et notata, ſedulo iſta inter ſe ſunt combinanda, permutanda, conferenda, quo videas, quanam ratione alia ab aliis vel *pendeant*, vel *praeſupponantur.* Sic enim paul-

latim ea a reliquis ſeparare debetur, quae in exſtruenda theoria vel ideo *prima* ſunt, quod tum ab invicem, tum et a reliquis ſunt independentia. Haec ipſa porro ſi inter ſe conferantur, diiudicari ſaepius haud aegre poterit, an iunctim ſumta unum idemque totum conſtituant, vel an ob quandam, quam adeſſe vides, incompatibilitatem, in varia loca vel ſpecie vel genere inter ſe diverſa, ſint diſtribuenda.

XVIII.

Porro vel me tacente patet, eadem ratione, qua ipſa res propoſita ad ſingula capita tabulae topicae exigitur, ſingula quoque et ſpecialiora illa, quae de re iam ſunt reperta, ad eadem capita exigi poſſe, ut adeo idem labor, cum ubivis recurrat, quodammodo infinitus videatur. Finitur tamen, quoties, et quacunque in parte, vel res in orbem redit, vel ad ideas et relationes ſimplices, ideoque primas, perventum eſt. Ab his enim rectiſſime fit exſtruendae theoriae initium. Huius vero theoriae ordo fere talis erit.

1. Exordiaris a ſcopo, momento, occaſione etc. cum rei, tum et ipſius tractationis.

2. Excutias, ſi quae occurrunt, nominis amphibolias, maxime eas, quae minus ſunt obviae, facileque ad logomachias deducunt.

3. Reiicias ſignificatus ad ſcopum haud facientes, reliquos, ſi qui adſunt, una cum ideis affinibus ad ſpecies et claſſes refer.

4. Exponas geneſin ideae, modumque, quo ad eam pervenire licet.

5. Enumeres rei partes integrantes, oſtendasque, has iunctim ſumtas totum conſtituere, parteeque a partibus requiri.

6. At-

6. Attributa diſtribuas inter ſpecies et partes integrantes, prout ipſis ſunt tribuenda, vel inde pendent, quo caſu ex aliis ipſis prioribus ſunt deducendae.

7. Rem cum rebus affinibus, connexis etc. parteſque rei cum rerum iſtarum partibus conferas, quo habeas relationes et pendentes inde affectiones etc.

8. Ad cauſſas, effectus, fines, media, dimenſiones etc. porro procedas, quo inde theoriae pars practica et mathematica deducatur etc.

XIX.

Ex dictis iam liquet, latisſime patere Topices uſum, neque eam inani inſervire debere garrulitati, vel reperiundis argumentis rhetoricis utcunque probantibus, etſi et ipſis Oratoribus uſui eſſe poſſit, maxime ſi adiungantur tituli, vel loci, voluntatem et affectus ſpectantes. Etenim nec Orator operam et oleum perdere cenſendus eſt, ſi thema tractandum philoſophico ſubiiciat examini ante, quam iſtud tractandum elaborandumque ſuſcipiat. Ita enim argumentis ſpuriis, fucumque facientibus, veriora exactioraque ſubſtituet, et ſi huiuscemodi argumenta vel ipſa res, vel ingenii acumen ſuppeditare recuſet, ab ipſo themate tractando abſtrahet animum, eaque relinquet, quae tractata niteſcere poſſe deſperet.

XX.

Etſi, quod iam ſupra monui, (§. 8.) tabula topica cum res ipſas praeſupponat cognitas, tyrones nil iuvet; nihilo minus exercitio quodam opus eſt, ſi quidem frequentius et expeditius ea uti velis in examinandis ideis philoſophicis, et ipſam elegantiorum litterarum theoriam ſpectantibus. Ita enim comparatae ſunt ideae iſtae, quarum indicem tabula offert, ut ſi ipſa rei theoria obiiciatur oculis, eas ſtatim agno-

ſcas, contra ea, ſi in re quaerenda ſint earum obiecta, haec plerumque magis latent, circumſtantiis alienis involuta, nominibusque deſignata propriis et individualioribus. Rationem ſi quaeras, hanc primariam eſſe reperies. Facilior eſt ab individualibus et ſpecialibus ad abſtractiora aſcenſus, quam quidem ab his ad illa deſcenſus, vel ad collateralia tranſitus. Porro et hoc evenit, ut plerumque plura tabulae capita iunctim reperiantur, quatenus vel in re ipſa inter ſe connexa ſunt, vel eo ordine, eoque nexu ſuccurrunt, quem ipſa lex imaginationis quovis caſu alium aliumque ſuppeditat, vel ſequitur. Ita v. gr. iungi inter ſe quandoque animadvertes

1. Actiones cum modo agendi, et ſcopo, et effectu, et mediis.

2. Effectus pro variis circumſtantiis varios, una cum phraſibus terminisque analogis, effectibus ſimilibus, olimque ſimul perceptis etc.

3. Mutatum ſitum, locum, cum mutata adparentia, nexu, circumſtantiis etc.

4. Partes integrantes, cum earum nexu, praeſuppoſitis, relationibus, determinationibus fini conformibus, adverſantibus etc.

5. Rationes cum rationatis, in ſe, vel pro datis circumſtantiis, ſcopis, mediis, medelis etc.

6. Caſus praecipuos, cum eminentibus quibusdam affectionibus rei, phaenomenis etc.

7. Singulis porro his imaginatio, vel ſimilia, vel olim ſimul percepta, immiſcet.

XXI.

Porro utique facilius ſuccedit eorum, quae rem quamvis propoſitam concernunt, reminiſcentia, quoties v. gr. ea quae ſunt ſimilia ut ſimilia, quae ſunt cauſſae ut cauſſas, quae partes ſunt ut partes etc. iam olim cogitaſti, ſive data opera, ſive incidenter id factum ſit. Contra ea, quoties nova ſunt, quae ad extruendam rei theoriam requiruntur, tabula quidem titulos offert, at vero ſimul totidem exiſtunt problemata prius reſolvenda, quam de condenda theoria cogitare liceat. Ponas v. gr. rem, eiusve ideam, compoſitam eſſe, utique tabulae columna quarta ſtatim de conquirendis eius partibus integrantibus commonefaciet, ſimiliterque indagandum eſſe partium nexum, dependentiam etc. reique cauſſas etc. indicabit. At ipſa horum problematum ſolutio haud aeque facile abſolvitur, dantur enim caſus quibus intricatiſſima eſt. Ut adeo et hinc pateat, topicam rectius reminiſcendi, quam inveniendi artem vocari (§. 3.). Nihilominus tamen haud inficiandum eſt, ita amplificari poſſe tabulam topicam, ut et ſpecialiora illa complectatur capita, ad quae iſtorum problematum ſolutio in caſibus ſpecialioribus reducitur. Sic enim utique ſpecialiora dantur, partium integrantium, cauſſarum, relationum etc. criteria, requiſita, ſymptomata, quibus facilius dignoſcantur. Haec vero ab Ontologia, curatius exculta, olim erunt exſpectanda. Interea coronidis loco hoc adiungam, pleraque tabulae capita ea ipſa eſſe, a quibus haud invita Minerva initium faciet, qui excogitandae characteriſticae et combinatoriae univerſali operam navare, viresque ingenii periclitari cupiat.

TOPICES

Nomen.	*Idealia.*	*Ens cogitans.*	*Res.*
In variis linguis	Geneſis ideae	Occaſio theoriae	Principia eſſendi
Etymologia	Claſſis ideae	- - - - examinis	Rationes
Claſſis nominis	- - - Logica	Unde in mentem venerit?	Caput, momentum
Significatus proprius	- - - pſychologica	Quis ſcopus? uſus? momentum?	Determinationes
- - - metaphoricus	Ideae ſimplices.	Cuiusnam ſcientiae pars?	Requiſita, Symptomata
Uſus ſpeciales	Ideae individuales	Examina inſtituta?	Materia
Phraſes, in quibus occurrit nomen	- - - in exemplis	Principia cognoſcendi?	Forma
Uſus apud varios auctores	Imagines	Qua ex parte intuenda?	Qualitates
Abuſus.	Simulacra	Motiva	Diverſitates in re
Coniugata	Typi	Signa, characteres	Uniformitates
Compoſita	Similia certo reſpectu	Criteria, Symbola	Syſtema, Totum
Derivata	Ideae affines	Praeiudicia	Partes integrantes
Praefixa	- - - coordinatae	Rei intuitio	Partium requiſita
Suffixa	- - - analogae	Modus, quo ſe menti ſenſibusque imprimit.	- - - dependentia
Enclytica	- - - ſubordinatae	Admixtae ideae	- - - nexus
Amphiboliae	Claſſes	Illuſiones	- - - ad rem relationes
Significatus improprii	Similitudines	Somnia	- - - vinculum, commune
Metaphorae	Genera	Phantaſmata	Norma, leges, regulae etc.
Homonyma	Coſpecies	Errores	Status permanentiae
Metonymiae	Species	Aliorum de re	Symmetria, Ornatus
Synonyma	Differentiae ſpecificae	iudicia	Perfectio
Paronyma	Fundamenta diviſionum	Sententiae	Ordo legalis
Epitheta	Contraria	Reperta	- - - localis
Antitheta	Oppoſita	Quaeſtiones	Confuſio, defectus etc.
Sententiae	Propria	dubia etc.	Gradus intenſivi
Phraſes analogae.	Eſſentialia		- - - extenſivi
	Praedicata		Limites
	Subiectum		Homogeneitates
	Praedicatum		Dimenſiones
	Datum, quaeſitum		Unitates
	Identica		Praedominantia
	Problemata inverſa		Eminentia.
			Affectiones
			Modi, Variationes
			Modus operandi,
			Variatio certo fine

TABULA SYNOPTICA,

Ens operans.

Principia fiendi
Origo, fontes
Ortus, geneſis rei
- - - - - partium
- - - - - nexus
Cauſſae concurrentes
- - - accidentales
Occaſio
Modi efficiendi rem
Vires
Interitus, deſtructio
Mutatio, alteratio

Finis, ſcopus
Requiſita ad datum finem
- - - - mediorum
- - - - materiae
- - - - formae
Abuſus rei
Aptitudo, receptivitas
Cui bono?
Media
Cautelae
Motiva

Modi quibus res agit
Effectus propiores
- - - - remotiores
Sequelae
Uſus, commoda
Damna
Reactio.

Relationes.

An res ipſa relatio?
Relatio rei ad res
Vinculum, nexus inter rem et res
Connexa, dependentia
Praeſuppoſita
Dependentia rei a rebus
Coexiſtentia
Inhaerentia
Incorporatio
Antecedentia
Subſequentia
Simultanea
Succeſſiva
Influxus

Res affines
- - - combinabiles
- - - permutabiles
Imagines, typi
Claſsis rei et rerum
Obiecta, Subiecta

Mutatio
Status praecedens et conſequens
Impedimenta
Adiumenta
Uſus ſpeciales

Concomitantia.

Obſervata plerumque de re, circa rem etc.
Caſus ſingulares
Exceptiones
Reſtrictiones
Conditiones neceſſariae
- - - - arbitrariae

Status rei externus
Res in qua
ad quam
pro qua etc.
Coniuncta, connexa
Adiuncta, adnexa
Admixta, immixta
Tranſitoria
Acceſſoria

Externa
Locus ubi res
- - - - ubi non
- - - adparens, falſus
Situs, poſitus
Adparentia rei
Quies
Duratio, tempus
Motus, mutatio
- - - - loci
- - - circumſtantiarum
Phaenomena externa
Facies adparens
Fucus, color
Vicina, proxima
Remota

DE VI LUMINIS BOREALIS IN COMMOVENDA acu Magnetica. *Auctore* IOAN. HENRICO WINKLERO, *Phyſices Prof. Publ. Ordin. Coll. Mai. Princ. Sodale, Acad. et Fac. Philoſ. Seniore, Soc. Scientiar. regiae Londin. Socio.*

Nuper, cum de commercio Luminis Borealis cum acu magnetica expoſuiſſem, promiſſionem feci ſcriptionis, quae disquiſitionem exhiberet de vi, qua Lumen hoc acus magneticae commotiones efficiat. In declinatione acus occidentem verſus, VPSALIAE et STOCKHOLMIAE, viciſſitudines obſervatae ſunt per complures annos iis noctibus, quibus Lumen Boreale caelum illuſtravit. Crevit agitatio acus pro auctu Luminis Borealis, et decrevit cum imminuta vi Luminis. Itus et reditus acus declinantis intra breve tempus inter ſe commutati ſunt. Per unum diem nonnunquam extitit inſignis horum ituum et redituum reciprocatio. Inter Lumen Boreale et acus magneticae turbationem obſervati conſenſus crebritudo effecit tandem, ut WARGENTINVS, cum Anno 1750. die 28. Februarii, circa horam quintam, acus declinationem intra aliquot horas minuta dimidium gradum occidentaliorem factam eſſe animadverteret, ex hac mutatione oriundum inſtanti nocte Lumen Boreale praedicere conſideret. Neque coniecturae defuit eventus.

Quae igitur eſſe videbitur vis, qua Luminis Borealis materia incitet atque moveat acum magneticam, eiusque declinationem occidentalem modo augeat, modo minuat? Saepe contemplatus luminis electrici, ſub campanis vitreis aëre vacuis excitati, ſimilitudinem cum Lumine Boreali, in coniecturam incidi, oriri hoc ex materia electrica. Quanta ſit utriusque luminis ſimilitudo, et ubi in ſpatio caeleſti reperiatur materia electrica, ex qua Lumen Boreale generetur, quin-

quinquennio abhinc explicui, eum illuſtratum irem ſententiam ſagaciſſimi MAIRANI de ortu Luminis Borealis, quem in vaporibus ex atmoſphaera ſolari Tellurem verſus propulſis quaerendum eſſe exiſtimat. In Programmate, ad indicendam panegyrin academicam publicato, expoſui coniecturam de vi electrica vaporum ſolarium in Lumine Boreali. Conceptam vero de virtute electrica huius luminis opinionem confirmarunt experimenta, quae, ut certior fierem, inſtitui.

In Obſervationibus circa turbationem acus magneticae in Lumine Boreali, quas OLAVS PETRVS HIORTERVS, in Tomo IX. commentariorum Academiae Suecicae Scientiarum expoſuit, ſub finem in Scholio commemoratur, WOLFIVM Lumen Boreale pro tempeſtate fulminea immatura habere; in navibus acum magneticam interdum inquietatam eſſe per flumina, nunc vero pro certo conſtare, materiam fulminis atmoſphaerici materiae electricae oppido ſimilem eſſe, et BENIAMINVM ROBINS in acu magnetica certas commotiones ex vi electrica deprehendiſſe.

Virtutis electricae tactu cieri actum magneticam ROBINS cognovit, cum ex orbe vitreo, quo acus in pyxide obtecta erat, pulverem abſtergeret. Vidit, hoc facto, acum ita moveri, ut per circulum ageretur, eiusque extremitates modo ſurſum, modo deorſum, ferrentur. Saepius repetito frictu leviori, qui abſtergendo exiſtit, electricitatem vitrei orbis ita excitatam eſſe obſervavit, ut acui inſignis inferretur turbatio. Validius fricto orbe vitreo fieri vidit, ut, quae fortius attracta eſſet, acus extremitas, orbi per aliquot minuta adhaereret. Haec ROBINSII tentamina ex Anglicis Tranſactionibus Philoſophicis expoſita ſunt in Tomo III. Promtuarii Hamburgenſis, (des hamburgiſchen Magazins) pag. 313.

Haud commemorabo in praeſenti experimenta, quae Anno 1746. monſtrarunt mihi gyrationes acuum, quae in

 corpo-

corpore, quod electricum per ſe dicitur, collocatae, vim electricam ex corpore electricitatis compote accipiebant. Quae tentando edoctus ſum, tradidi in Programmate de Imagine motuum caeleſtium viribus electricis efficta. Periculum feci nuper in acubus, quibuscum electricitas communicari haud poterat propterea, quod poſitae non erant in materiis per ſe electricis. In reti ſerico, ſub quo acus magnetica ſtylo impoſita locum habebat, collocavi orbem metallicum, disiunctum ab acu per intervallum trium pluriumque digitorum. Acus neque orbe vitreo tecta erat, neque in pyxide concluſa. In orbem metallicum, ope applicatae et ex filis ſericis ſuſpenſae catenae, derivavi electricitatem, vidique gyrari acum, et, conclavi obſcurato, ex acus extremitatibus prodire radios lucentes, tantaque celeritate circumverti acum, ut emicantes radii circulum lucidum praeberent. Orbi metallico vitreum ſubieci, obſervaturus, quid per hunc valeret electricitas. Haud impedivit interpoſitus orbis, quo minus in gyrum verteretur acus, communicata cum orbe metallico electricitate.

Quaeramus nunc de ratione, qua fiat, ut electricitatis vi affecta acus magnetica motum atque gyrationem ſubeat. Ne exiſtimemus, rationem poſitam eſſe in electricae et magneticae virtutis coniunctione. In gyratione duo conſideranda ſunt, quorum alterum eſt motus in orbem, alterum vero directio, qua certam regionem caelique plagam petit acus in motus exordio. Agitatio acus, univerſe ſpectata, non habita ratione determinatae directionis, ex ſola vi electrica exiſtit. Stylo acuminato impoſui acum ex aurichalco conformatam in ſpeciem magneticae, eamque, tradita orbi metallico electricitate, ſimiliter gyrari vidi, eandemque in eius rotatione obſervavi celeritatem, quam in converſione ferreae et magneticae vidi.

Cer-

Certe cum acus, virtutis magneticae expers, in gyrum agatur, ſimulac tangitur vi materiae electricae in corpore vicino excitata: non eſt cur ad gyrandam acum magneticam opus eſſe ſtatuamus adiumento virtutis magneticae.

Si vero gyrantis acus magneticae directionem ſpectamus, ſciſcitantes, cur, quatenus plagam certam, v. c. occidentalem verſus, moveri incipit, acus in hanc potius, quam in orientalem vertatur: ratio poſita eſſe poteſt in conatu, quo acus ex vi magnetica declinationem occaſum verſus molitur. Aucto itaque hoc conatu per vim electricam, occaſum verſus moveri incipiat neceſſe eſt acus magnetica.

Acus aurichalceae ſtylis acuminatis impoſitae, in quocunque ſitu, motum atque gyrationem nanciſcuntur ex vi electrica vicini corporis, aliaeque occaſum, aliae ortum verſus moveri incipiunt. Quod, uti dixi, documento eſt, motum, quem acus magnetica in vicinia corporis electricitate ditati ſubit, quatenus ſine directione determinata ſpectatur, a ſola virtute electrica proficiſci.

Quod quomodo fiat, ex natura materiae electricae intelligitur. Haec enim in orbe metallico, qui electricitatis excitatae vim habet, diſperſa eſt, circumque ipſum diffuſa et rarefacta: in acu autem vicina denſior eſt, maioremque habet elaſticitatem. Per hanc igitur ex acu orbem metallicum verſus prorumpit, eiusque atmoſphaeram electricam denſiorem reddit. Sed hoc ipſo acus atmoſphaera electrica rareſcit. Ex orbe metallico igitur per auctam elaſticitatem redit acum verſus. Hiſce motibus reciprocis acus facile mobilis agitetur, eaque eius extremitas, verſus quam impetus validior exiſtit, propellatur neceſſe eſt.

His explicatis, quaeramus de vi, qua commoveatur acus magnetica, cum Lumen Boreale caelum occupat. Ad

agitandam acum ſatis idoneam eſſe cognovimus materiam electricam, ſi per ſpatium, in quo acus locum habet, ita diſſipata ſit et rarefacta, ut, quae in acu hoſpitatur, eamque circumfluit, materia electrica, nihil offendat impedimenti, quo minus ex acu eiusque atmoſphaera in ſpatium iſtud elaſticitate ſua prorumpat. Diſpiciendum itaque eſt, num in ipſis motibus, quibus Lumen Boreale generatur, in ſpatio caeleſti vapores certi fricentur, materiae electricae compotes. Quod ſi fiat, non eſt cur dubitemus de oriundis cum Lumine Boreali motibus electricis. Ex ſolo enim tritu vaporum, quibus materia electrica inhaeret, in atmoſphaera terreſtri electricitas fulminea exiſtit. Ex atmoſphaera ſolari vapores delabi, qui mixti cum particulis atmoſphaerae terreſtris Lumen Boreale progignunt, ſagaciſſimus eius indagator MAIRANVS, ex phaenomenis Luminis Zodiacalis planum fecit. Hi autem vapores, ſimulac in regionem Lunae delati eodem modo, quo Luna, gravitate terreſtri afficiuntur, lapſu celeritatem continue maiorem adipiſcuntur, quae tandem ita augeſcit, ut aerem noſtrum permeare haud poſſint ſine frictione. Vaporum ſolarium lapſu itaque revera efficitur, quod in excitanda electricitate primarium eſt. Sed hoc ignoramus, an vaporibus ſolaribus inſit materia electrica. Ex ſegmento tenebricoſo, quod inter horizontem et arcum Luminis Borealis continetur, facile quidem intellectu eſt, vapores ſolares, quia collecti lumen intercipiunt, perquam ſimiles eſſe vaporibus terreſtribus, quibus materia electrica immixta eſt. Neque parva eſt congeries vaporum in ſegmento tenebricoſo. A ſuperficie Telluris ſaepe amplius centum milliaria germanica diſtat arcus, quo ſegmentum tenebricoſum comprehenditur. Quod MAIRANVS ex parallaxi arcus demonſtravit. Ingens in hac altitudine eſt aeris raritas. Cum vero nihilominus in hac tanta raritate aeris vapores ſolares caelum obſcurent, eorum in iſta altitudine immanem eſſe multitudinem intelligimus, per quam diffuſae particulae electricae magnam copiam efficiant. Si tandem

con-

conſideremus pernicem motum, quo vapores ſolares particulas aeris noſtri vaporoſas ſtringant et terant, in his certe excitari neceſſe eſſe videmus electricitatem.

Quantum vel a vero abhorreat, vel cum eo concordet coniectura, declaraturas eſſe impoſterum ſpero obſervationes, ſi magneticae pariter ac vi magnetica vacuae acus, in ſtylis acuminatis mobiles, in ſpatio libero, nullis pyxidibus incluſae, poſitae fuerint. Cum enim materia electrica, quae in acum in pyxide concluſam agit, pyxidem neceſſario afficiat: in pyxide motus electrici exiſtunt, quibus commotiones acus facile conturbantur. Si foret, ut, per caelum diffuſo Lumine Boreali, acus magneticae virtutis expers in ſpatio aeris libero circumverteretur, aut ſaltem circumverſionem moliretur: ſatis argumenti haberemus, Lumini Boreali ineſſe materiam et virtutem electricam. E contrario planum foret, huius virtutis nihil ineſſe in hoc lumine, ſi nonniſi acus magneticae agitarentur.

Similiter ad explorandam atmoſphaerae terreſtris electricitatem in tempeſtate fulminea, adhiberi poſſunt acus compotes aeque ac impotes virtutis magneticae.

Hoc tentandi obſervandique ſtudio effectum iri confido, ut, quod ſolers virium et cauſſarum ſcrutator KAESTNERVS, in ſcholio HIORTERI obſervationibus circa acus magneticae commotionem in Lumine Boreali addito, exiſtimat, aliquando in ſyſtema redigantur, quae nunc particulatim et ſine nexu in praeſenti cognita habemus. Alimur ſpe, qua ſrethus SENECA *), Aſtronomos aſſiduo in obſervandis Cometis ſtudio praenuntiavit aſſecuturos eſſe ſcientiam legum, quibus eorum curſus teneatur. Veniet, inquit, tempus, quo iſta, quae nunc latent, in lucem dies extrahat, et longioris aevi dili-

*) In Quaeſt. Nat. Lib. 7. c. 25.

diligentia. Ad inquiſitionem tantorum aetas una non ſufficit, ut tota caelo vacet. Quid? quod tam paucos annos inter ſtudia ac vitia non aequa portione dividimus? Itaque per ſucceſſiones iſtas longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri, tam aperta nos neſciſſe, mirentur.

STRATONIS ALIORUMQUE POETARUM Graecorum Epigrammata, nunc primum a CHRIST. ADOLPHO KLOTZIO edita.

Altenburgi ex Offic. Richteria, cIɔ IɔCCLXIV.
plagg. 6. octonis.

Pergit *Klotzius* V. Cl. bene mereri de bonis litteris, quod non poteſt non et doctrinae cultioris amatoribus gratiſſimum accidere, et ipſa augere vehementer et proferre litterarum incrementa. In praefatione, quam huic graecorum Epigrammatum collectioni praemiſit, fuſius et copioſius, quam certis forte hominibus neceſſum videbatur, et de ſe ipſo, et de Anthologia graeca, nonnullisque viris doctis, quos tamquam aliud agendo notavit, diſputat. Nihil attinebat multa exponere de Anthologiae fatis, quippe quae narrata eſſe *Klotzius* docet a multis aliis, quorum principes affert. Quaedam tamen et ab illis dicta repetuntur. Quis omnino Strato fuerit, ignorare ſe ingenue Vir doctiſſimus fatetur. Reiskius exiſtimat vixiſſe Severi Imperatoris aevo: de quo vir doctus ipſe viderit. Nos neque improbamus coniecturam, nec ſequimur. Stratonis igitur Epigram-

mata

mata deſcripſit Editor e codice Bibliothecae Vinarienſis, deſcripto in eam e Schurzfleiſchiana. Habet carmina CXXVI. Edita ſunt tantummodo XL. propterea quod liberius nonnulla ſcripta viſa fuerunt, quam quae edi poſſent. Sed cum iſta nec puellis, nec pueris facile legantur, edi debebat codex ut erat recenſitus p. 81. ſeq. Non ſolum autem Stratonis, verum et aliorum quorundam Epigrammata, in libello hoc edidit Klotzius. Notulas paucas adiecit; utinam otium fuiſſet plures, et criticas maiores obſervationes, immo etiam interpretationem addendi. Acceſſit omnium, quae continet codex Vinarienſis, carminum, index, ex quo illa, quae neglecta ſunt, intelliguntur. Ceterum dignus eſt egregius ille praefationis locus, quem adſcribamus, ubi Klotzius, (qui quam vehementer amet litteras omnes, et quantopere earum apud nos incrementum optet, nemo ignorat,) ad Anthologiam graecam edendam hortatur. „Quisquis es certe, inquit, (neque enim continere poſſum erumpere geſtientis animo et pectore voti honeſtiſſimi ardentiſſimique vocem,) quisquis igitur es, o bone, qui et litterarum graecarum peritia polleas, et aliquid agere cupias, quod cum tibi honori, tum omnibus voluptati ſit, te hortor, moneo, et oro, ut conſilium edendae Anthologiae graecae ſuſcipias, ſtrenueque, ſi Muſae tibi adfuerint, quod ſpero et precor, feliciter exequaris. Suſcipies negotium, in quo non ſolum doctrinam tuam, et ingenii elegantiam, oſtendere poteris, ſed quod tibi ipſi non exiguam jucunditatem afferet, omnemque illum laborem, (nam non nego arduum eſſe hoc opus, periculoſae plenum aleae, complures tibi difficultates vincendas,) gratiſſimum reddet. Quot enim leges carmina, omni melle dulciora; quot delectaberis epigrammatibus, quae ipſae Mu-

ſae Gratiaeque poetis dictaſſe videantur. Erit vero haec res tibi ſummo honori: feret hic labor tibi immortalem gloriam: nos certe favebimus tuae laudi, et cum omnibus bonis doctisque viris ingenio tuo, diligentiae, et doctrinae plaudemus. " Quidni et nos ingenio, diligentiae, et doctrinae Klotzii plaudamus, eumque enixiſſime rogemus etiam hoc loco, ut, ſpretis hominum male ſanorum clamoribus, pergat inoffenſo pede tramite eo incedere, quo coepit, de gratitudine poſteritatis, deque celebritate nominis, ſecurus.

NOVA LITTERARIA.

Ea eſt *Transactionum Philoſophicarum*, quae *Angliam* iam per Seculum et amplius nobilitant, praeſtantia atque dignitas, ut, ſummo orbis eruditi plauſu, a primis inde natalibus, continenter exceptae, nullo ſane praeconio, nulla commendatione noſtra denuo indigeant. Iucundiſſima enim argumentorum varietate, prudenti delectu, et tractatione ſolidiſſima, id facile efficiunt, ut aequa aviditate expetantur ab omnibus, qui, ſive Litteris ab humanitate nomen habentibus, ſive Hiſtoriae Naturali, Phyſicae, Matheſi, Chemiae, Medicinae, Oeconomiae, etc. colendis perficiendisque profeſſo ſtudio operam impendant, rei, ſibi obiectae, fieri quantum poteſt, pleniſſimam appetunt et anquirunt cognitionem. Nihilo tamen ſecius omnis hic deſideratus utilitatis fructus e ſolis fere earum, hinc et inde diſperſis, verſionibus, epitomis, aut indicibus tantum, ad hoc tempus noſtrum fuit repetendus. Nullus eruditorum privatorum in Germania,

nulla

nulla Bibliotheca publica, forſan et nullus ex magnis noſtris Principibus, de eo facile gloriari poterit, ſe opus hoc, omnino integrum, in cimeliis ſuis aſſervare. Quin etiam quam certiſſime perſuaſum nobis eſt, in univerſa noſtra patria, theſauri huius, vere regii, vix tria reperiunda eſſe omnibus numeris abſoluta exemplaria. Cuius defectus aut raritatis cauſſae ſicuti plures ſunt et eſſe poſſunt, Anglicae ſcilicet linguae, ut hoc utamur, uſus, extra hanc inſulam olim infrequentior; itemque ipſius huius Operis, centenos ſupra annos proſpere continuati, prolata nunc ad tam numeroſa volumina vaſtitas: ſic in iis tamen locus quaſi praecipuus nimiae Operis caritati, enormique, noſtris potiſſimum in Germania facultatibus, prorſus iniquo pretio, videtur aſſignandus. Contra quam malam cauſſam, quod acerbius dolendum, nullum nec ſuppetit, nec expectandum unquam eſt, trans mare natum, remedium. Nam, quamvis ipſa Regia Scientiarum Societas, ab anno euntis ſeculi tertio et quinquageſimo, hactenus ſequutum edendi operis conſilium non nihil immutavit, minoribus obſervationum faſciculis, olim particulatim editis, nunc ordinatius digeſtis, et in iuſta relatis volumina; quo ipſo his ephemeridibus, et tutius tranſmittendis, et ſine toties metuenda lacuna colligendis, pulchre proſpectum eſt: de pretio tamen, ſingulis voluminibus, ad quinque, ſex, ſeptem numos unciales (Thaleros) conſtituto, quum nihil inſimul detractum ſit, iisdem prope difficultatibus adhuc premimur, omninoque impedimur, quo minus tam voluminoſum, tam et praeter neceſſitatem ſumtuoſum opus, comparare nobis audeamus. Quid? quod au-

dentes quoque, et nullis parcentes ſumtibus, voti compotes non reddimur, omnique diligentia noſtra et conquiſitione opus integrum colligere non valemus. Neque etiam, quae ex his commentariis in noſtram, aliasque linguas ſubinde tranſlata ſunt, explendis deſideriis noſtris poſſunt ſufficere. Modo enim diſiecta nimis ſunt, tantoque corradenda opero-ſius; modo non ſatis accurate interpretata; modo particu-las tantum, hinc et illinc decerptas, et ſingulares compre-hendunt articulos; modo, quod frequentiſſimum eſt vitium, non carendo deſtituuntur tabularum aenearum ſubſidio; ut nullam univerſi operis in quam linguam interpretatio-nem, ob innumeras cauſſas, unquam expectandam eſſe, ta-ceamus. Quae, plurimum coniuncta, eo adigunt harum rerum ſtudioſos ac fautores, ut eiusmodi rhapſodiis, tan-quam eviſceratis ſceletis, Londinenſis exempli non mutila-tum corpus ſemper praeoptent, dum illud tamen pretio paullo aequiore veneat. Ut igitur haec publica eruditorum vota ad irritum non cadant, tum ut ſimul et patriae com-modis, et provehendis bonarum artium incrementis, effica-citer conſulatur, in ſocietatem coiuerunt duo paria amico-rum, has tabulas ſignantium, idque unitis viribus collatis-que ſumtibus ſe effecturos haud vane ſperantium, ut hae toties laudatae Tranſactiones Anglicanae ſuis ſub oculis emen-datiſſime recudantur, et Londinenſi exemplo per omnia ſi-millimae, nec qua pulchritudine ſive chartae, ſive typi, ſive tabularum aenearum, ipſi conceſſurae, pretio tamen, quod palmarium eſt, ad duas tertias prope imminuto, ſubciſivo tempore, ſtatisque intervallis, publicam in lucem proferan-

tur.

tur. In qua re ſic verſari conſtitutum eſt. Ab eo nimirum tempore, quo novam Transactiones formam induerunt, perque volumina coepere publicari, recudendi operis facturi ſumus auſpicium. Primum igitur Volumen XLVII. proximis Lipſienſium nundinis autumnalibus, favente divina gratia, probatisque noſtris ſtudiis, prodibit; cui deinceps, ſingulis his mercatibus, ſub veris autumnique adventum inſtitui ſolitis, duo aut tria Volumina, ſerie numquam interrumpenda, ſuccedent. Patrio ſermone, ut conſcriptae ſunt, ſic eodem habitu veſtituque apud nos deſcribentur; adſutis tamen quibusdam veluti laciniis. Ut enim in communem omnium utilitatem, eorum quoque, qui Anglorum linguam non ſatis callent, modis omnibus conſulamus, ſingulis Voluminibus ſumma obſervationum capita, Latino ſermone expreſſa, additis etiam, ſi neceſſitas fuerit, annotatiunculis, praemittemus; quem morem in aliis eiusmodi Commentariis Academicis ſervari probarique novimus. Promti praeterea paratique ſumus, qui in Praefationibus, ſequuturis Voluminibus praemittendis, vitas et merita praeſtantisſimorum Regiae huius Societatis Academicorum, breviter quidem, ſed pro eo tamen quod ſatis ſit, ad poſteritatem commemoremus; quin etiam, monitoribus non aſperi, ea lubentiſſime noſtros in uſus convertemus, quae viris doctis, et Hiſtoriae Litterariae amantibus, ad iuvandam amplificandamque inſtituti noſtri utilitatem factura videbuntur, et commode ac tempeſtive nobiscum communicabuntur: hac tamen pacta aequiſſima conditione, ut pretium tum ad aliquot groſſos augere integrum nobis relinquatur. Ad pretium vero, tantopere, et longe alterum ultra tantum, imminuendum, quum nulla alia, dignitati operis non derogante, via ac conditione perveniri liceat, niſi verſibus in charta auguſtiore eiusdem formae, ſed minoribus litteris, paullo preſſius ductis; quo compendio tria plerorumque Voluminum, quae librariis dicuntur, Alphabeta, ad dimidiam fere partem contrahentur: id dabimus operam, ut neque operis concinnitati, neque le-

ctorum oculis, ſic officiatur; utque, quod inprimis frugiferum laudari merebitur, exempli Londinenſis paginae, in adverſo noſtri exemplaris margine, ſuis numeris accuratiſſime, ad citandum ſecure ac commode ex ectypo archetypum, exprimantur. Cuius utriusque, ſicut univerſi noſtri apparatus ſpecimen, hac tabula oculis tuis L. B. ſubiicimus; unumque hoc tandem addimus et recipimus, de tabularum, aeri incidendarum, numero, forma, elegantia, atque repraeſentatione picturarum exactiſſima, nihil omnino iri mutatum aut circumciſum; licet earum ſaepe quindecim et ultra cuique Volumini ſint additae, ſumtusque et labores inſumendos magnopere adaugeant.

Quodſi vero hoc inſtitutum noſtrum eiusmodi plane eſt, ut ſine magnis ſumtibus ſuſcipiendum, proſperoque ſucceſſu ad ſperatum exitum perducendum non ſit, aequitati certe conſentaneum abs iuſtis habebitur rerum arbitris, non omne, quod forte ſubeundum ſit, operam et impenſas noſtras perdendi periculum, ſolis noſtris capitibus eſſe relinquendum. Quare viam ſatis commodam atque frequentatam, *Subſcriptionis* librariorum conſuetudo vocat, et nobis ingrediendam eſſe, nemo non ultro intelliget. Te igitur L. B. omnesque Tui ſimiles, qui promovendis litterarum incrementis, noſtrisque adeo conaminibus bene cupiunt ac favent, ad opem nobis ferendam, feſtinandamque, appellamus, quaque par eſt obſervantia et humanitate rogamus, ut nomina atque dignitates veſtras, vel apud nosmet ipſos, vel apud ſpectatiſſimos quosque Germaniae Bibliopolas, indicato ſimul deſideratorum exemplarium numero, mature, ſaltem ante nundinarum Lipſienſium, proxime quae inſtant, exitum, veſtro tamen admodum modico impendio, velitis profiteri. Tanto alacrius, tanto maiore cum fiducia, de calculis veſtris adiectis certiores facti, ad rem propoſitam adgredjemur, et

veſtra

veſtra, operis noſtri promotorum, ampliſſima nomina, eius in fronte, in teſſeram gratorum animorum, inſcribemus. Conſtituimus autem ſingulis Voluminibus, noſtra cura recudendis, pretium unius Solidi Imperialis, ſive Thaleri, cum XX. groſſis, monetae noſtrae argenteae, per pacta conventaque publica probatae; contra quam paratam, aut nobis iam numeratam pecuniam, qui operi noſtro rite ſubſcripſerint, dictis Lipſienſium mercatibus, deſcripta exemplaria, e manibus noſtris, emaculatiſſima, et ſine nova impenſa, in ipſa urbe Lipſienſi accipient. Ad illos autem, qui duodecim exemplaribus ſua nomina dederint, tertium et decimum exemplar, in aliquam remunerationem praeſtitae nobis operae, gratuitum perveniet. Ceteri vero omnes, qui ad conſtitutum tempus, et ante diem octavum menſis Maii, ſe nobis adiumento futuros eſſe non ſignificaverint, omnemque fortuiti periculi partem prudentiores, ſi vis, recuſarint, illi tarditatis, aut ſi mavis diffidentiae ſuae, poenas non iniuſtas dabunt, et ſingula Voluminum exemplaria, numeratis duobus Solidis Imperialibus, ſive Thaleris, cum dimidio, redimant; de quo pretio, opere iam incepto, nihil deinceps remitti poterit. Quo igitur luculentius ex aequiſſimis his conditionibus apparebit, non alicuius lucelli cauſſa, etſi in ſe honeſtiſſimi, et non ſine ſudore parandi, ſed maxime hoc fine, ut bonas artes atque ſcientias ad maiora provehamus incrementa; ut, pro virili quoque parte noſtra, patriae noſtrae dulciſſimae, Angliaeque ipſius, virtutibus ſuis ac meritis in omne ſcientiarum genus dudum praeclariſſimae, dignitati atque honori, ſi non amplificandis, ſuſtentandis tamen, deſerviamus, ad opus tanti momenti tentandum nos acceſſiſſe: tanto confidentius fore ſperamus, ut conatus hos noſtros ſecundent, et ad maiora nos aliquando excitent, qui Maecenates, qui Muſarum praeſidia et dulcia decora magis eſſe, quam videri ac laudari, ament; quique haec ipſa litterarum ſtudia, quae adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adver-

ſis

ſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur, non attigerunt modo, ſed ſuo etiam ſenſu deguſtarunt.

P. P. in Univerſitate Wittenbergenſi, ineunte Anno S. R. CIↃ IↃCCLXVIII.

D. GEORGIVS AVGVSTVS LANGGVTH,
D. GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMER,
IOANNES DANIEL TITIVS,
D. IOANNES ERNESTVS ZEIHERVS,

Medicinae et Philoſophiae Profeſſores Publici Ordinarii, Societatis Oeconomicae Lipſienſis Sodales Honorarii.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXVIII.

DE SATELLITE VENERIS: AVCTORE MAXIMILIANO HELL e S. I. Aſtronomo Caeſareo-Regio Univerſitatis Vindobonenſis.

Non ſemper ea ſunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.

Phaedrus in Prologo ad Lib. IV.

AD LECTORES MONITA.

Cum materia iſthaec, novem annis a me ſilentio preſſa, quam nunc e cauſis §. I. relatis vulgare cogor, adeo delicata ſit, ut a tempore centum aliquot annorum, quo nempe *cel. D. Franciſco Fontana* Satelles Veneris primum viſus eſt, ad hoc usque tempus, quo haec ſcribo, nemini, quod ſciam, Aſtronomorum aut Opticorum, meus hic modus phaenomenon hoc ſingulare explicandi in mentem venerit; adeo autem modum hunc meum veriſſimum exiſtimem, ut, qui mea haec animo attento legerint, experimenta a me facta, et relata repetierint, omnino affirmare auſim, illos, qui Satellitem hunc aliquando viderunt, deinceps autem videre non potuerunt, aut eos, qui hucusque in vanum per tubos optimos in hunc inquiſiverunt, et viſuros deinceps ſemper, et una mecum in eandem ſententiam abituros. Et quoniam is, qui contra

communem ſententiam rem quampiam novam typis divulgat, Lectores et Iudices perſaepe nanciſcitur, qui aut animo ſunt praeoccupato, aut praecipitantis iudicii, aut non ſufficiente inſtructi ſcientia, aut experientias delicatiores inſtituendi deſtituti peritia, aut denique ſententias ſuas ante pronunciare amant, quam ipſimet ea periclitentur, quae periclitanda praeſcribuntur, hinc ſequentia monenda duxi Lectores quospiam.

I. Iudicium de veritate a me propoſita tamdiu ſuſpendere velint, donec ad finem usque *omnia* attento, ut par eſt, animo haec mea evolverint; nec ſatis, ubi ſcriptum hoc meum ſemel legerint; ſuadeo iterum relegendum; qua ſecunda lectione, opinor ea diſſipanda dubia, quae ipſis in prima lectione fortaſſis oborta ſunt; ſaepe enim evenire ſcio, ut nos nonnulla fugiant legendo, quae tamen dicta ſunt, aut e dictis facile colliguntur. Et mihi nonnunquam mos eſt, paucis complecti plura, eaque, quae tantum quibusdam patere volo, quaeque amplioribus oſtendenda forent diſſertationibus, paucis edicere lineis; cuiusmodi locus quidam habetur in Ephemeridibus meis anni 1765. prima fronte ſat quidem paradoxus, attamen a nemine, quod ſciam, adhuc animadverſus.

II. Eorum neminem mihi audiendum eſſe arbitror, qui contra has meas demonſtrationes ſcripſerit ante, quam ipſemet experientias meas, hic relatas, cum iisdem circumſtantiis caute periclitatus fuerit: non enim illico falſa pronuncianda ſunt, quae prima fronte paradoxa videntur, ſed in his, quae ab experimentis pendent, ipſaemet propoſitae experientiae repetendae ſunt, num ita ſe habeant, ut referuntur, et ſi quidem ita habere noſcuntur, videndum, an modus has explicandi propoſitus ipſis recte tribuatur, quod ſi non convenire videatur, id ipſum non ſolis ratiociniis, quae ſaepe experimentis rite inſtitutis contraria ſunt, ſed experimentis recte factis oſtendendum: hanc, et non aliam, Scientia Optica admittit methodum. Ei ergo, qui contra haec mea, ſua quaepiam dubia ſcribere meditatur, primum omnium oſtendere incumbet, experientias a me relatas, a ſe exacte, ut praeſcribuntur, repeti-

tas

tas fuiſſe, et aut falſas, aut, ſi rectae ſint, hoc in caſu huius Satellitis non recte applicatas eſſe.

III. Perſuaſos velim Lectores, ut ipſis facile ex hoc meo ſcripto patere poterit, me fere omnia legiſſe, quae hactenus de hoc Satellite Veneris vulgata ſunt, plurima autem etiam in ſcriptis habere, quae nondum publico conſtant: quapropter, etſi diſſertationes, ſcripta, litteras, ipſaque Auctorum nomina etc. non referam, inde nullum formare audeant argumentum, me haec ignoraſſe; nam ea non ignorantur, quae humanitas et modeſtia ſuadent premenda ſilentio. Hinc nihil dico de litteris *Celeberr. Domini de la Caille* reſponſoriis ad meas, quibus eidem ſecreto meam hanc demonſtrationem olim communicaveram, quamque et probaverat admodum, et conſeſſui Academico Pariſienſi illico praelegiſſet, niſi altum ab eo ſilentium rogaſſem; nihil refero de manuſcripto quodam *Domini Montaigne*, quo ille ad veterem illam meam demonſtrationem, poſt mortem *Domini de la Caille* ad ſe relatam, reſpondet; nihil de litteris *Domini Wargentin*, hac in materia ad me datis; de litteris quoque *celeberr. Domini Meſſier* pauca; nihil etiam de litteris Patris noſtri *la Grange*, quibus me certiorem reddidit, Satellitem hunc Veneris ſibi nunquam viſum; nihil de diſſertatione *celeber. Domini de Mairan* in hac materia, de diſſertatione *Illuſtr. Domini de Baudouin*, Berolini cum notis in idioma germanicum a *celeber. Domino Reccardo* verſa et edita nihil, etc.

IV. Me hic publicam fidem facere, quemadmodum §. I. aio, nolle me hoc ſcripto meo tot praeſtantiſſimorum et celeberrimorum Aſtronomorum viſiones, obſervationes, et diſſertationes, itemque illuſtriſſimarum Academiarum approbationes huius Satellitis, aut in dubium vocare, aut impugnare; ſuo itaque in pretio relinquo omnes aliorum obſervationes etc. id unum ago, ut meas met circa hunc Satellitem viſiones, tametſi ſimiles viſionibus aliorum, demonſtrem eſſe illuſiones opticas elegantiſſimas, nec facile detegendas, aut explicandas, niſi eo, quem demonſtraturus ſum, modo.

V. Denique Lectorem ſuppono Opticae, Diopticae, et Catadioptricae gnarum; nam iis potiſſimum demonſtrationi-

[illegible]tis, quae paſſim in libris opticis reperiuntur, ſuperſedeo, propoſitionesque tanquam in opticis demonſtratas aſſumo; id ſolum moneo, focum *compoſitum* radiorum refractorum, me vocare focum illum, qui oritur aut ex combinatione duarum lentium, quarum una intra focum alterius collocatur, aut earum lentium quae inaequalis ſunt convexitatis; focum item radiorum reflexorum *repraeſentativum obiecti*, vocare iſtud punctum, in quo oculus conſtitutus ſe ipſum in lente aliqua clare videre poteſt, ſi nempe lens ſit obſcurata, et oculus illuminatus; dumque ago de diſtantiis horum focorum, nolim, ut exiſtiment, me adeo praeciſas indicare velle diſtantias, ut nihil praeciſius; hinc dum dico, *in ſemiradio*, aut in *quarta parte diametri* convexitatis, vel concavitatis, id ſolum velim intelligi *circiter*, aut *proxime*, quemadmodum omnia experimenta optica poſcere videntur, quae praeciſionem mathematicam omnino reſpuunt.

II. DE SATELLITE VENERIS.

§. I.

Motiva ſcribendi de hoc Satellite.

Celeberrimus Veneris ante diſcum Solis tranſitus Anno 1761. die 6. Iunii obſervandus, occaſionem, ni fallor, praebuit ſedulis Obſervatoribus, etiam in Satellitem Veneris, a *cel. Caſſini*, et *D. Short* olim viſum, ſerio inquirendi. Ipſus ego, cui meaemet viſiones iam anno 1757. habitae perquam bene notae erant, monitum ad Aſtronomos addidi in diſcurſu meo typis dato 1760. *de ſingulari Phaenomeno Tranſitus Veneris*, Ephemeridibus meis Anni 1761. praefixo, in quo aio: „Tubo excellentiore tam pridie obſervationis, quam „ipſa die Tranſitus, diſcus Solis ſaepius contemplandus erit, „an non fortaſſis alia quaepiam macula minor, et bene rotun„da, ſive in eandem, ſive in contrariam motui Veneris par„tem, [illegible] motu Veneris celeriore; [illegible]

„aequa-

„aequali, (ſed non tardiore,) lata, in diſco Solis conſpiciatur, „quam maculam dicto motu praeditam Satellitem Veneris „eſſe oporteret, – *qualem nonnulli ſe quondam in aliis circumſtantiis vidiſſe putabant.*" Hoc meum monitum Pariſiis ab ardentioribus Obſervatoribus lectum, occaſionem nonnullis, ut arbitror, dedit, exquiſitis tubis in eundem Satellitem, quem ſupra relata mea verba ultima in dubium vocabant, iam ante Tranſitum Veneris inquirendi, et ſiquidem detegeretur, orbi litterato inventionem eius quantocius ſignificandi.

Inter ardentiſſimos hoſce Aſtronomos *Illuſtr. doctiſſ. ac cel. D. Baudouin*, Aſtronomiae et cultor ſcientiſſimus, et Promotor maximus, conſtructo tubo 25. ped. dioptrico, pro uſu Tranſitus Veneris parato, Venerem iam circa finem Aprilis 1761, cauſa huius Satellitis contemplari coepit; verum, ut ſocios quoque huius inquiſitionis ſibi deligeret, eadem de re *cel. D. Delépine*, Secretarium perpetuum recens Lemovicis erectae Academiae Agriculturae, admonuit. Is communicato conſilio cum *D. Montaigne*, Aſtronomo eiusdem Academiae celeberrimo, eidem perſuaſit, ſociam ut operam *Illuſtr. D. Baudouin*, in detegendo hoc Satellite praeſtaret. Et vero, (ut infra referam), tubo dioptrico 9. pedum, primum die 3. Maii h. 9. m. 30. veſpere, dein iterum 4, 7, et 11. Maii ſimile quiddam Satelliti Veneris a ſe viſum et obſervatum eſſe, *Illuſtr. D. Baudouin* perſcripſit Pariſios *D. Montaigne.*

Obſervationes hae examini ſeveriori praeſtantiſſimorum Aſtronomorum Illuſtr. Academiae Regiae Scientiarum Pariſinae traditae, primum quidem, (ob metum illuſionis cuiuspiam opticae,) plenam et indubitatam approbationem non tulere; at dum *Illuſtr. D. Baudouin* excellentem ſuam diſſertationem in conſeſſu Academico praelegiſſet, in qua, (ex ſuppoſitis obſervationibus *D. Montaigne*,) huius Satellitis et motus periodicus, et locus nodi, et inclinatio orbitae ad Eclipticam iuxta rectam Aſtronomiae notitiam determinabantur, atque una et obſervatio die 11. Maii iterum facta, eandem Theoriam confirmaret, tum et diſſertatio *Illuſtr. D. Baudouin* meritam ab Academia approbationem, et obſervatio-

tiones *D. Montaigne*, illuſionis alicuius opticae, quae ſubrepſiſſe metuebatur, expers declarata fuit; ut videre licet in calce diſſertationis ab *Illuſtr. D. Baudouin* typis data, cui titulus: *Mémoire ſur la découverte du Satellite de Venus, et ſur les nouvelles obſervations, qui viennent d'être faites à ce ſujet, etc.*

Habita hac Illuſtriſſimae Academiae Pariſinae approbatione, et declaratione novi huius Satellitis, qua eius exiſtentia haſtenus dubia, iam extra dubii aleam ponebatur, nihil erat ſuper, quam ut typis expreſſa cum omnibus totius orbis Aſtronomis communicaretur, hique admonerentur, ut in Tranſitu Veneris diei 6. Iunii 1761. in quo ſpes erat videndi Satellitem in diſco Solis Venerem comitantem, diligenter in eundem in Solis diſco inquirerent. Quare primum quidem per novellas detectio haec *D. Montaigne* illico publicata, deinde impreſſis et tranſmiſſis exemplaribus elegantiſſimae diſſertationis *Illuſtr. D. Baudouin*, etiam confirmata eſt.

Huius egregiae diſſertationis Exemplar circa finem Iunii 1761. benevolentia ipſiusmet *Illuſtr. Auctoris D. Baudouin*, qua commercio ſuo litterario, mihi perquam honorifico, initium dederat, obtinui. Quanto cum gaudio diſſertationem hanc acceperim, ii facile aſſequentur, qui intellexerint, 1) me iam ab anno 1757. ſimile phaenomenon circa Venerem vidiſſe ſaepius; 2) me certum fuiſſe, viſiones has meas fuiſſe illuſiones opticas elegantiſſimas, eiusmodi, quales infra demonſtrabo; 3) me ante diſſertationem hanc non obtinuiſſe obſervationes *D. Montaigne*, ſed ſola fama intellexiſſe, obſervationes has *D. Montaigne* adeo certas declaratas fuiſſe, ut de exiſtentia huius Satellitis nullum amplius dubium ſupereſſe poſſet. Haec ſane erant, quae maximum in animo meo deſiderium, diſſertationem eam legendi, excitarunt; legi igitur, atque relegi ſaepius, attento, ut merebatur, animo; obſervationes *D. Montaigne* cum meis viſionibus comparavi, tum easdem cum viſionibus *D. Caſſini* antiquis, et *D. Short* recentioribus, etiam contuli: cumque viderem meas viſiones his ſimiles fuiſſe, certusque eſſem, meas obſervationes fuiſſe illuſiones opticas elegantiſſimas, nec facile detegendas, illico

demon-

demonſtrationem meam, infra explicandam, methodumque, qua illuſio haec efformatur in retina oculi, ad *D. de la Caille* 1ma Iulii 1761. ſecretis ad eum litteris compendioſe perſcripſi, bina eundem rogando: primum, ut hanc meam demonſtrationem ſub naturali ſecreto cautiſſime haberet, nulli que omnino hominum manifeſtaret ante, quam a me facultatem communicandi acceperit; dein, ut mentem ſuam de explicatione hac mea huius illuſionis mihi candide aperiret, num eam rectam cenſeret, an ſecus? Et vero in utroque amici officium praeſtitit: primum quidem, quia ſecretum hoc per ſeptem menſes diligentiſſime cuſtoditum ſuo intulit tumulo, mihi non ſine dolore commemorandus immortalis *de la Caille*, Anno 1762. Menſe Martio mihi, orbique litterato, fatali morbo ereptus: dein et in hoc, quod demonſtrationem hanc meam non modo ut rectam approbavit, ſed etiam Illuſtriſſimae Academiae Scientiarum Pariſinae a ſe illico communicandam fuiſſe, niſi eundem de ſilentio ſervando rogaſſem, binis ad me datis teſtatus eſt litteris.

Intellecta morte intimi huius mei Amici, de litteris his meis, atque nonnullis aliis ſecretioribus ad diverſas ſcientiarum materias ſpectantibus, ſollicitus, ne in publicum me inſcio ſpargerentur, litteras illico ad alium meorum Amicorum Pariſios dedi, rogando eundem, meas a me eidem indicatas litteras ab haerede ſcriptorum *de la Caillianorum* ut ſibi vindicaret, easque ſecreto ſervaret; accepto reſponſo, ſecurus omnino de ſecreto reddebar. At haud diu ſecuro mihi eſſe licuit. Nam anno 1764. Menſe Martio faſcem obtineo, Pariſiis mihi miſſum, in quo praeter caetera, copia mearum illarum litterarum ſecretarum ad *D. de la Caille* 1 Iulii 1761. de Satellite Veneris datarum, in Gallicum etiam ſermonem verſarum, una cum reſponſo quodam ad has a *D. Montaigne*, continebatur. Tum enimvero intellexi, ſecretas has meas litteras, modo mihi incognito, iam in manibus plurium verſari. Quapropter datis ad *Illuſtriſſimum, doctiſſimum, atque celeberrimum D. Baudouin* litteris, eidem mentem meam de typis vulganda a me demonſtratione hac mea candide

aperui,

aperui, ſi ita *Illuſtr. D. Baudouin*, (cuius potiſſimum cauſa quam in dictis ſecretis litteris indicavi, demonſtrationem meam tam diuturno preſſi ſilentio) ratum gratumque haberet. Et vero acceptis humaniſſimis *Illuſtriſſimi huius Domini* litteris, non modo ſibi divulgationem meam gratam fore ſignificavit, verum etiam magnopere me exhortari dignatus eſt, ut ideas meas, meas viſiones, experientias, et demonſtrationes huius illuſionis communes facerem, quibus veritas tandem detegeretur, aut de exiſtentia reali Satellitis, aut illuſione optica eiusmodi, qualem ego in dictis litteris demonſtraverim.

En igitur cauſam et motivum vulgandae meae huius demonſtrationis. Sed neque ea ſola eſt cauſa, quae me ad ſcribendum impulit; maiora ſunt, eaque graviſſima motiva, quorum inter maximum eſt, ut exortae liti de exiſtentia huius Satellitis, (quae iam ab anno 1645, quo primum *cel. D. Franciſco Fontana* Neapoli viſus eſt, ad noſtra usque tempora, per annos centum et viginti, Aſtronomos inter durat,) aut lumen dirimendae afferrem, aut potius, ut mihi blandior, finem imponerem.

Et vero, ſi mecum reputem, plurimos a praeſtantiſſimis Aſtronomis cauſa huius Satellitis ſuſceptos labores, ſeu obſervationes diuturnas, irrito conatu factas, quibus a pluribus hunc detegendi cupidis plurimum impenſum eſt temporis; ſeu diſſertationes et calculos ſuper quasdam viſiones factas; ſeu alias, quibus in cauſam tam rarae huius Satellitis apparitionis inquirebant; iniuriam profecto erga publicum me futurum exiſtimabam, ſi ideas meas, measmet viſiones, atque demonſtrationes meas, diutius apud me ſilentio premerem, quibus tamen revelatis, veluti velo reducto, pateret illico myſterium totius hiſtoriae Satellitis huius. Satis ſit per annos omnino novem tacuiſſe, et veluti occultum ſpectatorem litium recentium, atque curioſum lectorem tot ſcriptorum eruditorum me egiſſe hactenus.

Ne autem quis exiſtimet, velle me hoc meo ſcripto, tot praeſtantiſſimorum et celeberrimorum Aſtronomorum viſiones, obſervationes, et diſſertationes, itemque Illuſtriſſimorum

cum Academiarum approbationes huius Satellitis aut in dubium vocare, aut impugnare, non modo publicam fidem facio, me ſuo in pretio relinquere omnes aliorum obſervationes, quas fide integra recenſebo, meque omnem honorem et venerationem ſapientiſſimis iudiciis illuſtrium virorum, et Academiarum, circa hunc Satellitem ante hac typo datis habere; ſed id unum agere, ut measmet circa hunc Satellitem viſiones, etſi perſimiles viſionibus aliorum Aſtronomorum, et demonſtrem eſſe illuſiones, et viam oſtendam, qua deinceps Obſervatores, ſi iterum quid ſimile ſe videre putaverint, inquirere poſſint, an illuſi fuerint, an vero realem viderint Satellitem.

Ut igitur rem ordine exſequar, referendae mihi primum ſunt obſervationes omnes mihi notae huius Satellitis, a variis Aſtronomis factae, ducto principio ab *Illuſtr. D. Dominico Caſſini*, ad praeſentem annum usque; tum measmet recenſebo viſiones; ac tandem viſionum mearum modum, et demonſtrationem ſubiungam: quibus perfectis, media proponam, et meas viſiones ab aliis Aſtronomis inſtituendi, et per proprias experientias in rei veritatem inquirendi.

§. II.

Relatio obſervationum Satellitis Veneris a cel. D. Dominico Caſſini habitarum.

Etſi *Illuſtr. D. Franciſcus Fontana* celeberrimus Neapoli Mathematicus, in ſuo ſcripto, *Novae coeleſtium terreſtriumque rerum obſervationes*, memoriae prodiderit, a ſe Satellitem Veneris ter viſum fuiſſe; primum, ſupra partem diſci Veneris lucidam, dein ſupra obſcuram, et vice una proxime ad cornua Veneris creſcentis: quia tamen illuſtris hic Vir id temporis vixerat, quo tubi nondum ſuam perfectionem obtinuerant, facileque ex imperfectione tubi illuſio quaedam optica ſubrepere poterat, hinc prima huius Satellitis obſervatio, cui maior fides habenda ſit, tribuitur *Celeber-*

rimo D. Dominico Caſſini, Aſtronomo illuſtriſſimae Academiae Scientiarum Regiae Pariſinae, qui, ut in Actis huius Academiae Tomo VIII pag. 181. habetur, primum Anno 1672, iterum 1686. phaenomenon quoddam ſimile Satelliti Veneris ſe vidiſſe affirmabat. En ipſa verba illuſtris Viri, quae in Actis ſupra laudatis habentur.

„Anno 1686. die 28. Auguſti, ait, hora 4. m. 15. mane, contemplando Venerem tubo dioptrico 34. pedum, vidi in diſtantia a Venere trium quintarum diametri Veneris, orientem verſus, lucem quandam informem, quae phaſim Veneris imitari videbatur, cuius pars obſcura, occidentem verſus ſpectabat; diameter huius phaenomeni, ſeu apparentiae, erat fere aequalis uni quartae parti diametri Veneris ..... Similem apparitionem, quae phaſim Veneris imitabatur, iam videram die 25. Ian. Anni 1672. poſt horam ſextam matutinam et 52. minuta, usque ad horam ſeptimam et 2. minuta, dum lux maior crepuſculi hanc apparentiam inviſibilem fecit. Phaſis Veneris tum erat cornuta, et phaſis huius phaenomeni, cuius diameter videbatur eſſe una quarta diametri Veneris, pariter cornuta videbatur eſſe; diſtabat a cornu auſtrali Veneris una diametro Veneris occidentem verſus.

„In his duabus obſervationibus, ſubiicit *Cel. Caſſini*, dubito, an non hae binae apparitiones fuerint Satelles verus Veneris, cuius ſuperficies non ſatis apta foret ad lucem ſufficientem reflectendam, et qui eandem circiter proportionem haberet ad Venerem, quam habet noſtra Luna ad Tellurem. Verum, etſi plurimis et diverſiſſimis temporibus poſt has viſiones in hunc Satellitem inquiſiverim, quibus tanti momenti detectionem per certas obſervationes continuandas inchoarem: hoc tamen phaenomenon nunquam deinceps videre potui, idcirco meum de hoc Satellite iudicium ſuſpendo.

Hucusque obſervationes Illuſtris D. Dominici Caſſini.

§. III.

§. III.

Relatio obſervationum Satellitis Veneris à Cel. Domino Short in Anglia habitarum Anno 1740.

Promulgata hac *Illuſtris D. Caſſini* viſione huius Satellitis, facile aſſequi licet, quam ardens in animis plurimorum Aſtronomorum, Satellitem hunc videndi, et detegendi, accenſum ſit deſiderium, quamque aſſiduo labore, et optimis in circumſtantiis, per optimos quoque tubos, Venerem, cauſa huius Satellitis, contemplati fuerint. Ipſius *D. Caſſini*, ut ſupra retuli, ſedulus huius Satellitis, quoad vixit, inveſtigator erat, et quod maxime mirum, ipſe *Illuſtris Bianchinius*, a plurimis circa Venerem novis detectis apparitionibus celeberrimus, tubo 100. pedum Venerem contemplans, numquam tamen Satellitem hunc detegere potuerunt ad annum usque 1740, quo iterum *D. Short, Anglo*, viſus eſt. Induſtriam igitur, et patientiam exercitatiſſimorum Aſtronomorum per integros 54. annos luſerat viſio Caſſiniana ſupra relata. *D. Short* autem obſervationes, ut in Actis Illuſtr. Academiae Regiae Scientiarum Pariſinae ad Annum 1741. e litteris *Domini Turner*, Londino ad *D. Coſte* datis, referuntur, ita habent.

„Londini Anno 1740. die 3. Novembris, mane, ope teleſcopii Gregoriani 16½ pollicum Londinenſium, augentis objecta 50. vel 60es, *Dominus Short* contemplando Venerem *primo* vidit, haud procul a Venere, lucem quandam per modum fixae minoris, dein vero applicando lentes oculares maioris augmenti, una cum micrometro, ad idem teleſcopium, reperit fixae huius a Venere diſtantiam eſſe 10′. 20″: quoniam autem id temporis Venus clariſſima luce fulgebat, coelum etiam ſudiſſimum erat, idcirco lentes oculares tripli, aut quadrupli augmenti reſpectu priorum, id eſt augmenti 240, huic tubo aptavit, per quas non ſine admiratione intuitus eſt, ſtellam illam minorem habuiſſe phaſim, et quidem ſimilem phaſi Veneris; diameter illius erat paullo minor, quam una tertia diametri Veneris, lux debilior quidem luce Veneris, attamen bene terminata; circulus maximus per centrum

Veneris et Satellitis tranſiens, (quam alio modo vix determinari poterat,) fecit cum Aequatore angulum circiter 18. vel 20. graduum. Satelles reſpectu Veneris aliquantum erat verſus ſeptentrionem, et in aſcenſione recta antecedens Venerem. *Dominus Short* fere per horam, diverſis vicibus, et per diverſa teleſcopia, Satellitem hunc contemplatus eſt, uſque dum lux nimia crepuſculi matutini lucem huius Satellitis extinxiſſet. Haec relatio habetur e literis *Domini Turnier*, Londino die 17. Iunii 1740. ad *Dominum Coſte* datis; poſt hanc apparitionem *Dominus Short* deinceps phaenomenon hoc nunquam ſe videre potuiſſe, adhibito etiam inſigni teleſcopio pedum 12, faſſus eſt.

ANIMADVERSIONES

In obſervationes Domini Caſſini et Domini Short.

I. Si haec *Domini Short* viſio cum viſione *Illuſtris Caſſini* §. II. relata conferatur, patet, ab utroque hoc Obſervatore viſam fuiſſe phaſim huius phaenomeni perſimilem phaſi Veneris, quam id temporis exhibebat.

II. Diametrum huius phaenomeni a *D. Caſſini* aeſtimatam eſſe unam quartam diametri Veneris, a *D. Short* autem unam tertiam.

III. Diſtantiam eius a Venere *D. Caſſini* viſam fuiſſe tres quintas diametri Veneris orientem verſus, *D. Short* autem 10′. 20″. ſeptentrionem verſus.

IV. Phaenomenon hoc *D. Caſſini* apparuiſſe ſub luce informi quidem, attamen Phaſim Veneris aemulante; *D. Short* autem apparuiſſe diſtincta luce, et bene terminata.

V. Obſervatio a *D. Caſſini* facta eſt tubo dioptrico 34. pedum; a *D. Short* tubo reflectente Gregoriano 16½. pollicum Angl. augente obiecta 140es.

VI. *D. Caſſini* unicum hunc tubum 34. pedum adhibuit, cum eadem lente oculari; *D. Short* non modo per lentes varias diverſi augmenti, ſed etiam per teleſcopia diverſa, (attamen Gregoriana,) contemplatus eſt phaenomenon.

VII.

VII. *D. Caſſini* phaenomenon hoc 1686. ſolum per 4. vel 5. minuta temporis conſpexit, anno autem 1672. per 10. fere minuta temporis; *D. Short* contra per integram fere horam contemplabatur. *D. Caſſini* vidit illud bis diverſis annis; *D. Short* autem tantum una die Anni 1740.

§. IV.

Relatio Obſervationum Satellitis Veneris Domini Montaigne Lemovicis 1761. habitarum.

Poſt *Cel. Domini Short* Anno 1740. habitam viſionem Satellitis Venerei, usque ad annum 1761. per ipſos viginti annos, nulli omnino etiam exercitatiſſimorum Obſervatorum, ne quidem ipſi *D. Short*, viſum fuiſſe hoc phaenomenon, quod quidem vulgatum fuiſſet, certum eſt. Anno igitur 1761. quo die 6. Iunii celeberrimus Veneris ante diſcum Solis tranſitus obſervandus praeſtolabatur, et *D. Caſſini* et *D. Short* vetus viſio, et fortaſſis mea ſupra §. I. indicata monitio, animos quorundam Galliae Aſtronomorum novo deſiderio Satellitem hunc detegendi accendit; quos inter *Illuſtriſſimus, doctiſſimus, ac celeberrimus D. Baudouin, id temporis Regi Galliarum a Conſiliis, et Academiae recens Lemovicis erectae Protector eximius*, maximo flagrabat deſiderio, in eundem Satellitem, ſi quis daretur, iam ante tranſitum Veneris tubis optimis inquirendi. En ipſam totius hiſtoriae ſeriem, excerptam e Diſſertatione, ſingulari cum Aſtronomiae notitia, ab ipſo *Illuſtriſſimo D. Baudouin* conſcripta et typis data, cui titulus eſt: *Mémoire ſur la Découverte du Satellite de Venus, et ſur les nouvelles obſervations, qui viennent d'être faites à ce ſujet; lû à l'Académie Royale des Sciences le 20. May 1761. par Mr. Baudouin Conſeiller au Grand Conſeil.* In qua Diſſertatione *Illuſtriſſimus D. Baudouin* ita refert:

„Occupatus cum Planeta Venere, fabrefieri curavi tubum 25. pedum, ad obſervandum Veneris tranſitum die 6. Iunii, et ad quaerendum Satellitem Veneris, per menſem Aprilem et Maium, cuius indicia in Actis Academiae legi

De hoc meo propoſito certiorem reddidi die 25. Aprilis *Dominum Delépine*, Secretarium Societatis Lemovicenſis, a *Domino Paiot* ante duos annos erectae. *Dominus Delépine*, amore profectus Scientiarum accenſus, propoſitum hoc meum illico communicavit cum *D. Montaigne*, Membro Academiae Lemovicenſis, eidemque perſuaſit, ſociam ut mihi iungeret operam. Principio, quoniam exiguam fidem de exiſtentia huius Satellitis habebat, animum haud magnum prae ſe tulit, ad haſce obſervationes et inquiſitiones ſerio inſtituendas, quas irrito conatu tot tantosque ſuſcepiſſe viros noverat. Verum, quae non admiratio, eum tenuit, poſtquam die 3. Maii hora 9. et $\frac{1}{2}$, veſpertina, tubo 9. pedum, Venerem contemplando conſpexit in diſtantia 20. minutorum a Venere, lucem debilem, phaſim Veneris ex eadem parte aemulantem, cuius diameter apparebat una quarta Planetae primarii (Veneris). Linea ducta a Venere per Satellitem, faciebat infra Venerem cum ſuo circulo verticali angulum circiter 20. graduum meridiem verſus. Prima haec obſervatio, licet ſaepius repetita, nondum omne dubium ſuſtulit *Domino Montaigne*, an non fortasſis phaenomenon hocce foret ſtella quaedam fixa minor.

Die ſequente, hoc eſt 4. Maii, item hora 9 et $\frac{1}{2}$ veſpere, *Dominus Montaigne*, uti die antecedente, conſpexit idem aſtrum a Venere aliquanto magis, id eſt 30. ſecundis vel uno minuto diſtans, quam pridie, faciens cum verticali angulum 10. graduum infra Venerem, ſed ex parte ſeptentrionis, quaſi Satelles percurriſſet arcum 30. graduum circuli, cuius centrum foret Venus, et radius eſſet 20. minutorum. Mutatio haec ſitus Satellitis, motui Veneris attribui non poteſt, quia motus Veneris in longitudinem intra 24. horas erat circiter 20. minutorum; ſi igitur aſtrum, de quo hic agitur, fuiſſet ſtella fixa, die ſequente reperiri haud potuiſſet in eadem a Venere diſtantia, ſed elongata duplo circiter ſpatio, reſpectu diei prioris. Obſervator iſthic praeſtolabatur diem ſequentem, nempe 5. Maii, quo certis experimentis ſe ipſum convinceret, Satellitem a ſe viſum, eſſe verum, ac realem a

qua-

quapropter eadem hora (9. et ½) ſe iterum ad obſervandum contulit, ſed nebulae horizontis rariores, ad altitudinem usque Veneris protenſae, circum Venerem atmoſphaeram quamdam efformavere adeo, ut ſola tantum Venus conſpicua fuerit. Die 6. pariter coelum haud erat ſerenum.

Impatientia Obſervatoris noſtri hoc tempore haud parum aucta eſt, dum tandem die 7. Maii eadem hora 9 et ½ veſpertina, ut diebus antecedentibus, iterum conſpiceret Satellitem, ſed iam ſupra Venerem ex parte ſeptentrionis verſantem, et diſtantem a Venere 25′. vel 26′. ſub linea, quae ad partem dextram Veneris cum circulo verticali angulum fecit 45. graduum. Lux Satellitis apparebat in omnibus his obſervationibus debilis; forma huius ſemper referebat phaſim ſimilem phaſi Veneris; idem Satelles apparebat ſemel in tubo tam cum, quam ſine Venere; tubus erat 9. pedum dioptricus, augens diametros obiectorum 40 aut 50es.

Huc usque obſervationes Domini Montaigne *deſcriptae in laudato* Mémoire Illuſtr. Domini Baudouin, *e quibus ea elementa huius Satellitis, ſuppoſitis obſervationibus* D. Montaigne *rectis, cum inſigni Aſtronomiae peritia deduxit Illuſtr.* D. Baudouin, *quae in eodem Mémoire leguntur, quaeque a me hic praetermiſſa nemo vitio dabit, utpote ad finem meum haud pertinentia.*

Denique idem phaenomenon *Cel. Dominus Montaigne* conſpexit die 11. Maii, ſub horam 9. veſpertinam, tubo eodem: quae obſervatio communicata cum *Illuſtr. D. Baudouin* occaſionem praebuit conſcribendae novae Diſſertatiunculae, ſub titulo: *Remarques ſur une quatrième obſervation du Satellite de Venus, faite à Limoges le 11. Maii 1761. lues à l' Académie Royale des Sciences le 27. Mai 1761. par Mr. Baudouin, Conſeiller au Grand Conſeil etc.* cuius initium ita habet.

Incredibile mihi viſum eſt, ut obſervator per tres dies ſucceſſivos decipi poſſet eodem phaenomeno, videndo Satellitem Veneris cum phaſi ſimili phaſi Veneris, ſub eadem diametro, ſub qua olim viſus eſt, et cum motu progreſſivo ab uno ad alterum diem. Tot circumſtantiae determinantes,

tes, ſuſpicionem omnem ex animo ſuſtulerunt, quod *D. Montaigne* loco Satellitis ſtram aliquam conſpexerit, et multo magis quod illuſus fuerit lumine quodam falſo in vitris tubi efformato. Binae hae ſuſpiciones ſolae videntur eſſe, quae contra obſervationes *D. Montaigne* formari poſſent; verum non obſtante mea relatione, omnem omnino honorem defero dubiis, quae Aſtronomi illuſtriſſimae huius Societatis moverunt in hac materia, meaque omnis ambitio eo connitebatur, qua obiecta dubia removerentur; et vero etiam ſatis progreſſus ſum, opem ferente *Domino Montaigne*, dum die 11. Maii hora 9. veſpertina, (die fere unica, qua circumſtantiae favebant, remotiore adhuc luna et crepuſculo, atque coelo etiam a nubibus libero,) reperit idem aſtrum in eadem a Venere diſtantia, ſub qua illud viderat die 7. Maii, id eſt 25. minutis, formans cum circulo verticali per Venerem tranſeunte angulum 45. graduum meridiem verſus ſupra Venerem.

Hucusque obſervationes D. Montaigne, *nec, quod ſciam, ad hanc, qua haec ſcribo, diem, deinceps unquam phaenomenon hoc viſum eſt* Domino Montaigne.

ANIMADVERSIONES

in has Domini Montaigne obſervationes.

I. Clarum eſt, phaenomenon hoc ſimillime apparuiſſe *D. Montaigne*, uti *D. Caſſini* et *D. Short* antehac.

II. Viſum eſſe tubo dioptrico 9. pedum, et quidem quatuor diebus, die nempe 3, 4, 7, et 11. Maii, eadem hora veſpertina 9 et $\frac{1}{2}$, tubo eodem.

III. Id ſingulare fuiſſe, quod aſtrum hoc apparuerit in tubo ſemel, cum Venus per tubum non conſpiceretur, hoc eſt ſine Venere.

IV. Phaenomenon hoc apparuiſſe habere motum progreſſivum circa Venerem, tanquam circa centrum, et quaſi in orbita ad radium viſualem id temporis perpendiculari, ita,

ita, ut a die 3. ad 11. Maii, plus quam tres quartas ſui circuli confeciſſe apparuerit.

V. Ex his colligitur, aſtrum hoc omnino eſſe non potuiſſe ſtellam aliquam fixam.

§. V.

Obſervationes eiusdem Satellitis factae Haffniae a D. Roedkier anno 1764.

Vulgatis illico his *D. Montaigne* obſervationibus, Aſtronomi omnes Tranſitum Veneris Anno 1761. obſervantes, ad quos haec nova ante pervenerant, attentisſimi fuere, num hunc Satellitem, cuius diameter admodum ſenſibilis ferebatur, nempe 15″. vel 20″. in diſco Solis reperirent ante, vel cum, aut poſt Venerem tranſeuntem, ſed omnino nulli viſus eſt Aſtronomo exercitato. Neque tamen propterea deſiderium, hunc iterum circa Venerem indagandi, extinctum eſt, cum fieri potuerit, ob orbitae Satellitis amplitudinem maiorem, ut ſupra, aut infra diſcum Solis, praeterierit. Anno igitur 1764. quo Venus veſperi in digresſione a Sole verſabatur Menſibus Martio, Aprili, Maio, Iunio, et Iulio, et quidem Menſe Maio circa finem in digresſione maxima cum declinatione inſigni boreali; quae circumſtantiae faventes plurimos obſervatores excitavere, ut novum hoc aſtrum circa Venerem iterum detegerent. Et licet plurimi fuerint obſervatores, qui in detegendo hoc phaenomeno tubis optimis incubuerint, quos inter praecipuus erat *cel. D. Meſſier, Pariſiis obſervator diligentisſimus, et exercitatisſimus:* paucis tamen avarum hoc aſtrum ſe conſpiciendum praebuit. Mihi bini duntaxat innotuere Obſervatores, quorum primus eſt *D. Roedkier* Haffniae, alter *D. Montbarron* Altisſiodori. Primi, hac paragrapho referam obſervationes, alterius ſequenti.

Haffniae igitur *D. Roedkier*, ut habent novellae, *Gazette littéraire de l'Europe, Mercredi 18. Avril 1764.* die 3. Martii, hora 6. veſpertina, obſervavit prope Venerem aſtrum quodpiam, cuius lux quidem debilis erat, eius tamen diame-

ter diſtincte cernebatur; aſtrum hoc a Venere elongatum erat una circiter quarta parte diametri Veneris; centrum aſtri videbatur eſſe in eodem Almucantharat cum Venere, et diameter aſtri vix unam quartam diametri Veneris aequabat. Tubus vitrum obiectivum habebat 9½. pedum cum lente 3. digit. adeoque augmentum 38es.

Die ſequente (4. Martii) hic Satelles eodem tempore viſus eſt, ſed ſenſibiliter a Venere remotior in aſcenſione recta, linea per centrum eius ducta, cum circulo Almucantharat Veneris formabat angulum circiter 45. graduum, ſemper ex eadem parte; diameter aſtri aeſtimata erat eadem, quae die antecedente; aſtrum tamen erat minus viſibile. Idem aſtrum diſtincte etiam cernebatur per tubum habentem pro obiectivo meniſcum, tametſi vitrum hoc coloratum fuerit. Eodem veſpere hora 7. *D. Raedkier* ope tubi 18. ped. et alterius 7. pedum obſervavit binas fixas, Veneri proximas, attamen per hos tubos Satellitem videre non potuit, cuius cauſa attribui poſſe videtur effectui aurorae borealis, quae ſubinde apparuit.

D. Chriſtianus Horrebow Aſtronomiae Profeſſor, et tres alii, die 10 Martii inter horam 6. et 7. veſpertinam, ope eiusdem tubi 9½. pedum, conſpexerunt ad partem Veneris dextram, faciens cum verticali angulum circiter 45. phaenomenon quoddam ſimile Satelliti, de quo tamen nihil certi affirmari poteſt. Quatuor hi Obſervatores detexerunt die 11. Martii, eadem hora, cum eodem tubo, lumen quoddam exiguum ad dextram Veneris, et circiter 30. gradus ſupra ſuum Almucantharat. Per plures ante inſtitutas obſervationes certos ſe reddiderunt, lucem hanc eſſe non poſſe falſam quamdam apparentiam; aſtrum hoc parvum erat admodum pallidum, et a Venere elongatum in diſtantia circiter unius diametri Veneris; lux eiusdem ſenſibiliter minor apparebat, quam in prima obſervatione, ita ut ſpem omnem ademerit ſequentibus diebus lumen hoc videndi, et omnino

etiam

etiam poſt diem 11. Martii illud detegere haud amplius poſſibile erat.

Hucusque relatio obſervationum Haffnienſium.

§. VI.

Obſervationes eiusdem Satellitis factae Altiſſiodori (Auxerre) a D. Montbarron Anno 1764.

Altiſſiodori, ut refert *cel. D. Meſſier*, in ſuis litteris die 16. Iunii 1764. Pariſiis ad me datis, *D. Montbarron* 1764. die 15. Martii, teleſcopio Gregoriano 32. pollicum, contemplando Venerem veſpere hora 7. conſpexit quoddam aſtrum minus, ex parte Veneris obſcura, quod cum verticali ex parte orientis faciebat angulum circiter 60. graduum. Die 28. eiusdem menſis hora $7\frac{1}{2}$. veſpertina, vidit *D. Montbarron* idem parvum aſtrum ad Venerem, ſimile priori, faciens cum verticali ex parte occidentis angulum 15. graduum; die ſequente, id eſt 29. Martii, etſi Venus nubeculis rarioribus obducta fuerit, idem tamen aſtrum conſpexit, faciens cum verticali ex parte occidentis angulum 44. graduum circiter; poſt hanc ultimam obſervationem, licet ſaepius hoc aſtrum ope eiusdem tubi quaeſiverit, illud tamen nunquam deinceps videre potuit. Omnes obſervationes probant, aſtrum hoc non fuiſſe fixam aliquam, utpote quae magis ſcintillantes ſunt, et minus terminatae; Phaſim tamen in hoc aſtro nullam diſtinguere ſe potuiſſe aſſeruit *D. Montbarron.*

Hucusque obſervationes Altiſſiodorenſes.

ANIMADVERSIONES

In Obſervationes Haffnienſes et Altiſſiodorenſes.

I. Quaedam phaenomena utriusque Obſervatoris conveniunt cum obſervatione *D. Montaigne*, *D. Short*, et *D. Caſſini*; diſconveniunt vero, quod in utraque harum nulla aſtri huius Phaſis obſervata fuerit.

 II. Haff-

II. Haffnienſes poſt diem 11. Martii, quo aſtrum ſub luce debili conſpexerant, deinceps videre non potuerunt. Altisſiodorenſis contra Obſervator illud die 15. 28. et 29. Martii adhuc conſpexerat.

III. Haffnienſes illud tubo 9½. ped. dioptrico obſervarunt, tubis autem dioptricis 18. et 7. pedum videre non potuerunt; Altisſiodorenſis illud per teleſcopium Gregorianum 32. pollicum contemplatus eſt.

IV. Haffnienſes diſtantiam huius aſtri a Venere die 3. Martii aeſtimarunt tantum fuiſſe unam quartam diametri Veneris; die 4. autem aliquanto maior erat: Altisſiodorenſis diſtantiam a ſe viſam non indicavit.

§. VII.

Primae Viſiones P. Hell e S. I. phaenomeni ſimilis Satelliti Veneris Anno 1757. et 1758. Vindobonae habitae.

Poſtquam aliorum Obſervatorum viſiones cum publico communicatas, fide integra in ſupra indicatis paragraphis retuli, ſupereſt, ut meas proprias ſimilis phaenomeni viſiones, hactenus a me ſilentio preſſas, candide referam. Itaque cum anno 1757. poſt obitum *Eminentisſimi Cardinalis de Trautſon, Studiorum Univerſitatis Vindob. Protectoris ſapientisſimi, doctisſimique*, e copioſisſimis Inſtrumentis phyſicis et mathematicis Univerſitati huic teſtamento legatis, Obſervatorio huic Caeſareo-Regio bina teleſcopia anglicana egregia ad uſum aſtronomicum illata fuerint, quorum unum eſt teleſcopium Gregorianum 2. pedum, fabrefactum in Anglia, alterum Newtonianum 4½. pedum; quo conſtanter obſervationes Satellitum Iovis perago: evenit anno 1757. menſe (ni fallor) Decembri, ut, dum teleſcopium laudatum Gregorianum 2. pedum augmenti circiter 70. vel 80. ad Phaſes Veneris periclitarer, aſtrum quoddam ad Venerem conſpicerem, luce debiliore et confuſa fulgens, perſimile fere parvo cuidam cometae crinito. Id cum contemplarer, prima cogitatio ſuborta

eſt,

eſt, ſi non aſtrum hoc foret cometa quidam minor; (nam fixam non eſſe, debilis lux, et amplior diameter, manifeſte oſtendebant:) quapropter alio tubo 4½. ped. Newtoniano ſupra dicto excellente, cuius augmentum eſt 54 Venerem contemplatus ſum, ut de novo hoc phaenomeno certus redderer. At licet omnem circa Venerem regionem hoc tubo perſcrutatus fuerim, nihil omnino reperire potui, quod phaenomenon per teleſcopium Gregorianum viſum imitaretur; acceſſi ſecundo teleſcopium Gregorianum 2. ped. et per hoc iterum idem phaenomenon apparuit: tum ſumpto tubo alio Newtoniano 4. pedum, in Anglia elaborato, minoris quidem augmenti, ſed claritatis inſignis, Venerem contemplabar, at incaſſum phaenomenon hoc quaeritabam. Repetii iterum teleſcopium Gregorianum 2. pedum, iterumque phaenomenon idem apparuit. Tentamina haec ſaepius repetita per horae fere ſpatium duravere; quapropter concluſi, per tubum Gregorianum imagine aliqua optica lucis cuiuspiam falſae me illuſum fuiſſe, quae ex reflexione partis alicuius interioris tubi, fortaſſis politae et ſplendidae, per reflexionem ad lentem delata fuiſſet. Itaque obſervationem hanc, tanquam illuſionem, indignam putavi, quae in diarium obſervationum mearum infereretur.

Anno ſequente, ſcilicet 1758. dum Venus menſe Martio in ſua maxima digreſſione verſaretur, plurimas Veneris cum fixis coniunctiones obſervando determinavi, dumque die quadam Phaſes Veneris per teleſcopium Gregor. 2. ped. ſupra dictum contemplarer, iterum ſe mihi dictum phaenomenon ſpectandum praebuit. Igitur cum iam per priores obſervationes certus eſſem, lucem hanc debiliorem eſſe illuſionem opticam, quam ſuſpicabar ex interiore quadam tubi parte per reflexionem ortum ducere; cuperemque vitio hoc tubum hunc liberare: idcirco die ſequente, diſſoluto in partes tubo, omnes tubi huius partes diligentiſſime perſcrutatus ſum, et quas vel aliquantum ſuſpectas habebam, obducta fuligine denigraveram. Hoc compoſito, Venerem veſpere iterum con-

contemplatus ſum, et quidem per dies aliquot, (forta ſſis, ob coelum vaporoſum,) lucem ante dictam non conſpexi. At quadam die ſereniſſima, dum iterum hoc tubo Venerem contemplabar, lucem quoque illam ſpuriam conſpexi iterum; cumque ſatis probabile mihi videbatur; lucem hanc a partibus interioribus tubi, quas adeo diligenter antehac perſcrutatus ſum, oriri haud poſſe: idcirco paullo attentius meditari coepi originem et cauſam lucis huius falſae. Itaque *cautiſſime* et motu *lentiſſimo* oculum ad aperturam tubi admovebam, usque dum imaginem hanc lucidam diſtinctiſſime cernerem; at quanta me invaſit admiratio, dum ſpuriam hanc lucem in Satellitem Veneris, phaſim eandem cum Venere habentem, mutatam conſpexi! *En*, (aiebam apud memet,) *Phaenomenon ſimillimum illi, cuiusmodi olim viderat D. Caſſini Pariſiis, et recentius anno 1740. in Anglia D. Short.* Ut igitur adhuc certior eſſem de ſpectro hoc, (nam hoc nomine phaenomenon iſtud meum tunc compellavi, et deinceps etiam ex merito compellabo,) oculum iam lente removebam a tubo, et ſpectrum etiam ſenſim diſparuit, tametſi Venerem diſtincte cernerem: admoto iterum oculo apparere coepit, et in certa oculi ab apertura diſtantia clariſſime et diſtinctiſſime videbatur cum Venere; admoto autem adhuc magis oculo ſenſim diſparere coepit, donec in certa vicinia penitus videri deſierit; limites autem diſparitionis adeo erant exigui, ut a diſtantia oculi a tubo media, in qua Satelles diſtincte cernebatur, ſpatium dimidiae lineae utrinque vix aequaverit, totumque ſpatium diſtantiae limitum viſionis vix lineam aequabat.

Hoc quidem capto experimento ſatis certus eram, imaginem hanc eſſe illuſionem ſeu ſpectrum: ut autem noſſem, unde ſuam originem duceret, aut quaenam eſſet cauſa, quae imaginem hanc in retina oculi inſpicientis efformaret, ſequentia cum ſpectro hoc tentamina ſaepius repetita inſtitui. 1) Imaginem Veneris in medio campo tubi conſtitui, et viſo ſpectro ad limbos circiter campi, oculum in circulum circa Venerem movebam, quo facto et ſpectrum circa Venerem

in

in eadem quaſi a Venere diſtantia circumferri vidi; ſi oculum perpendiculariter deorſum movebam, et ſpectrum perpendiculariter deorſum movebatur, ſi ſurſum, ſpectrum quoque ibat ſurſum, verbo: in quamcunque partem moverem oculum, in eandem et ſpectrum ferebatur, hoc ſolo diſcrimine, quod ſpectrum hoc dum Veneri valde vicinum erat, plerumque diſparuerit, ob cauſas infra referendas.

Porro, ſi imaginem veram Veneris ad limbum campi tubi adduxi, tum ſpectrum apparebat circiter in medio campo tubi, adeoque ſi Venus fuit in parte inferiore campi, ſpectrum erat in ſuperiore etc. Haec omnia experimenta me de illuſione optica certiſſimum reddebant; hae enim ſitus mutationes reſpondentes motui oculi, tam celeres, et in partes contrarias, nulli obiecto reali prope Venerem in coelis exiſtenti competere poſſunt.

Habitis hiſce cum ſpectro hoc experimentis, nihil magis in votis erat mihi, quam cauſam detegere elegantiſſimae huius illuſionis. Bina itaque mihi principia optica in mentem venerunt, per quae ſpectrum hoc in retina oculi efformari poſſet. Primum erat ex dioptricis, cum tubus meus Gregorianus, per quem ſpectrum videbam, (praeter bina ſpecula concava,) conſtaret duabus lentibus ocularibus, una quae oculo eſt proxima, habente figuram meniſci, altera quae ab oculo eſt ſecunda, et utrinque convexa; quapropter exiſtimavi fieri poſſe, ut imago quaedam Veneris ſecundaria a ſecundo vitro in ſuperficie primi efformari poſſet, aut eo modo, quo Hugenius docuit in ſua Dioptrica Propoſitione 51. Sed enim ex hoc principio imaginem hanc tam lucidam, tam diſtinctam, et reale obiectum egregie mentiens, derivari non poſſe penitus convictus ſum, tum ratione, tum maxime experimentis (NB) plurimis hac de cauſa inſtitutis, quibus referendis, tanquam ſuperfluis, et ad phaenomenon hoc explicandum inutilibus, hic ſuperſedere me poſſe iure arbitror, ut ex infra dicendis patebit.

Alte-

Alterum principium, quod mihi in mentem venerat, erat catadioptricum, coniunctum cum dioptrico, ita nempe mecum ratiocinabar: Pupilla oculi humani adeo laevigata eſt, ut homo intuens pupillam alterius hominis, ſuam imaginem in pupilla alterius efformatam per radios reflexos, tanquam in ſpeculo quodam convexo elegantiſſime depictam, videat; pupilla igitur humana vices obit ſpeculi convexi; ſed pupilla oculi tubum inſpicientis eſt in foco lentis ocularis, in quo imago obiecti depingitur, hoc eſt, focus lentis ocularis, ſeu imago obiecti proxime terminatur in pupilla oculi, (quod facile patet, nam ſi intueamur oculum alterius hominis, qui per tubum ex. gr. Lunam intuetur, videmus pupillam illius imagine lucidiſſima Lunae fulgentem,) ergo imago obiecti lucidi per tubum repraeſentati depingitur in pupilla, tanquam in ſpeculo convexo vitreo politiſſimo, ergo haec imago lucida in pupilla depicta reflecti poteſt ad lentem primam oculo proximam; ſed lens prima mei tubi Gregoriani eſt meniſcus, cuius pars concava oculum verſus ſpectat, ergo imago ex pupilla in partem concavam meniſci delata reflecti poterit iterum, tanquam ex ſpeculo concavo auctior, et ſub diametro multo maiore, quam fuerit in pupilla, ſicque per aperturam pupillae, ſub certo angulo delata in retinam, efformare poterit imaginem ſecundariam Veneris, minorem quidem, quam vera ſit imago, et minus lucidam, attamen diſtinctam, et imagini verae ſimillimam. Hoc erat primum meum ratiocinium, quod cum mihi phaenomeno huic explicando maxime aptum videbatur, plenius et accuratius tum per experimenta, tum per ratiocinia firmatum volui, quemadmodum ex ſequentibus paragraphis patebit.

§. VIII.

Experimenta, quibus ſupra dicta illuſio optica per ſolam reflexionem a pupilla fieri, demonſtratur.

Experimentum I. Tubum aſſumpſi meum manualem longitudinis $3\frac{1}{2}$ digitorum, more Gallileano, ſeu Batavo conſtructum,

Cubum, quem etiam theatralem, ob uſum eius in ſpectaculis theatralibus percommodum, appellant; huius vitrum obiectivum eſt lens plano-convexa, habens focum 6. digitorum, adeoque radium convexitatis 3. digitorum, apertura, ſeu diaphragma vitri huius obiectivi eſt 1¼. digiti, lens vero ocularis eſt vitrum plano-concavum, habens radium concavitatis 2½. digiti, et hinc focum virtualem 5. digitorum. Tubus ergo iſthic obiecta parum admodum auget, nempe in ratione tantum 5 : 6. ideoque campum magnum exhibet, pars autem lentis ocularis concava ſpectabat verſus oculum; habebat itaque tubus iſte conditiones omnes, quas ratiocinium meum ſupra de illuſione relatum requirebat, ſcilicet, 1) ut focus proxime in pupilla terminetur, hoc eſt, ut imaginem obiecti in pupilla efformare poſſit. 2) Quia lens ocularis erat plano-concava, cuius concavitas verſus oculum erat ſita; et apertura tubi ad oculum paullo maior, poterat imago in pupilla depicta reflecti in ſuperficiem concavam lentis ocularis, et ab hac, tanquam ex ſpeculo concavo reflexa, iterum per foramen pupillae ſub certo angulo deferri ad retinam oculi, ubi cum imagine primaria, ſecundariam quoque in parte aliqua retinae efformaret. 3) Quia focus reflexionis vitri huius concavi eſt 1¼. dig. circiter, et focus refractionis lentis obiectivae combinatae cum hac lente concava adhuc eſt in diſtantia a lente hac concava circiter 1¼. digiti; pupilla ergo oculi conſtitui poteſt tam in foco reflexionis, quam refractionis lentis plano-concavae. 4) Quia tubus iſte obiecta vix una ſexta parte diametri auget, fieri debet, ut diameter Lunae per hunc tubum viſa non maior repraeſentetur, quam diameter Veneris viſa per tubum meum Gregorianum 2. pedum, augentem 80ies circiter; quapropter ita mecum argumentabar: ergo ſi per hunc tubum Lunam, aut aliud lucidum obiectum maioris diametri, ex. gr. flammam candelae intuear, pariter et Satellitem Lunae, ſeu ſpectrum Lunae, et ſpectrum flammae videre potero eodem modo, quo per tubum Gregorianum Satellitem Veneris. Et vero

K eveu-

eventus egregie ratiocinio huic meo reſpondit. Nam dum Lunam proxime in quadratura verſantem per hunc tubum *Tab. I.* (fig. 1.) contemplabar, atque oculum lentisſime ad tubi aperturam in diſtantia a lente oculari 1. dig. ½. ſeu ſemiradii concavitatis circiter admovebam, primum quidem videre coepi ad latus Lunae lucem confuſam, tum *ſenſim* et *lentisſime* oculum adhuc magis admovendo lux haec confuſa in lucem diſtinctam abibat, donec in certa diſtantia, lunulam, phaſim Lunae elegantiſſime imitantem, non ſine ſtupore intuitus fuerim, ſi oculum adhuc magis admovebam, tum lunula haec mutata eſt in imaginem ſtellae fixae primae magnitudinis adeo elegantem, ut ignorans quispiam illuſionis huius, certiſſime aſſereret, ſe Lunam cum reali ac vera fixa primae magnitudinis in coniunctione videre; ſi oculus adhuc magis admovebatur, imago haec quoque magis confuſa apparebat, et maioris diametri, atque ita quo magis oculus admovebatur in maiorem etiam imaginem confuſam abibat ſpectrum, donec in certa diſtantia penitus diſparuerit. Quod ſi oculum in ea diſtantia locatum, in qua ſpectrum diſtinctisſime apparebat, in circulum circa Lunam ferebam, aut ſi Lunam ad limites campi conſtitueram, eadem omnia phaenomena vidi, quae §. VII. cum Satellite Veneris a me explorata recenſui. Hoc autem experimentum non ſemel, ſed, ut ita dicam, centies, id eſt ſaepisſime, diverſis menſibus, tam a me, quam a meis ſociis, cum voluptate toties quoties repetitum eſt, et actu repeto, dum fictitium hunc Satellitem Lunae mihi vel aliis exhibere volo.

His experimentis certus iam eram phaenomenon hoc huius ſpectri, ſeu Satellitis Lunae, aut Veneris, omnino a pupilla ortum ducere; verum ut adhuc certior eſſem, hoc et nullo alio modo fieri hanc viſionem, ita mecum ratiocinabar. Si imago primaria obiecti per tubum conſpecta, et in pupilla per radios refractos efformata, atque a pupilla in lentem concavam reflexa, ab hac lente iterum per pupillam in reti-

nam

nam delata explicato ſupra modo, videtur, ergo etiam eodem modo, etſi paululum minor, attamen diſtincte videri debet, ſi radios obiecti lucidi ex. gr. Lunae, non per tubum, ſed immediate et directe ab obiecto in pupillam delatos reflectam ad lentem concavam? hoc eſt, (vide figuram 2.) ſi tubum A, B, non ad Lunam L dirigam, ſed ab eadem ſub angulo L, D, F, ex. gr. 30. aut 40. graduum, ita averſum ſervem, ut radii Lunae directi L, D, ſolum ad pupillam D, et nequaquam ad lentem H, vel ad obiectivum G ingredi poſſint. Et en effectus iterum ratiocinio reſpondit egregie, nam radii L, D, directe a Luna in pupilla excepi, atque ad lentem H concavam, ſub priore oculi a lente diſtantia reflexi, omnino iterum Satellitem Lunae, F (attamen ſine Luna,) in retina videndum exhibuerunt admodum diſtincte, (ſervato oculo in debita diſtantia a lente,) et luce vivaciſſima ſplendidum. Eadem experimenta cum flamma candelae, in obſcuro cubiculo, tempore veſpertino, per eundem tubum cepi. Primo (vide figuram 3.) ſtatui candelam A ſupra menſam in diſtantia ab oculo circiter duorum pedum, poſt candelam poſui chartam caeruleam, vel coloris obſcurioris L, m, n, o, quae viſionem candelae terminaret, quo caſu intuendo flammam A per tubum F, G, eodem modo, ſi oculus lente ad aperturam F in diſtantia $1\frac{1}{4}$. dig. admovebatur, exhibebatur mihi imago flammae ſecundaria minor B, veluti Satelles flammae, in diſtantia arbitraria a flamma primaria, prout nempe oculus movebatur,

Experimentum II. (vide fig. 4.) Si candela ſtatuatur in priori quidem ab oculo diſtantia, ſed ad latus ita, ut radii directi candelae A, D, tantum ad pupillam D, nequaquam autem ad vitra tubi F et G pervenire poſſint, tum eodem modo oculum lente ad tubum applicando, videbitur eadem flammula ſecundaria lucidiſſima in B, ut prius, ſed ſine flamma primaria; quod ſi manus interponatur inter oculum D et candelam A, ita ut arceatur radius A, D, a pupilla, tum

illico diſparet etiam flammula B in charta L, M, N, O, quod experimentum una cum experimento figurae 2. omnino demonſtrativum eſt, flammulam hanc ſecundariam, (ut ſupra fig. 2) lunulam,) per ſolam omnino reflexionem a pupilla in lentem concavam ocularem F delatam efformari in retina, et nullo alio modo quovis excogitabili.

Notandum I. Imperitos et minus cautos periclitatores horum experimentorum monuiſſe iuverit ſequentia: 1.) Antequam tubum theatralem ſupra explicatum ad inſtituenda haec experimenta adhibeant, explorent primum, an lentis ocularis plano-concavae pars *concava*, an vero pars *plana* in tubulo oculum verſus ſpectet; eſt enim (e theoria catadioptrica) conditio eſſentialis ad ſucceſſum horum experimentorum per hunc tubum, ut pars *concava* lentis plano-concavae oculum verſus ſpectet. Nam ſi pars plana verſus oculum ſpectaret, imperite quis, et ſucceſſu impoſſibili, experimenta huius ſpectri facere vellet: dum enim pars plana *lentis plano*-concavae oculum verſus ſita eſt, noſcitur e theoria catadioptricae, reflexiones imaginis pupillae admotae duplices quidem ex ſuperficie lentis oculum verſus ſpectante haberi, ſed quarum neutra ab oculo videri poteſt. Prima reflexio formatur a ſuperficie plana, tanquam a ſpeculo plano; iam vero cum focus radiorum refractorum (in caſu Fig. 1. et 3.) imaginis primariae in pupillam incidens, imaginem obiecti primarii tanquam in ſpeculo convexo depingat ſatis exiguam, (et multo magis radii directi figurae 2. vel 4.) fit, ut exigua haec imago a pupilla ad lentem reflexa, ibidem exigua admodum comparere debeat; et cum hoc planum lentis ſit ab oculo aliquanto remotius, ex cauſa hac diſtantiae oculi a lente iterum minor a plano lentis ad retinam reflecti debeat, quam fuerit in pupilla, hinc valde exigua omnino, et ſub magnitudine minimi puncti cuiusdam debiliter lucidi apparere debet; ſecunda vero reflexio in hoc caſu partis planae, lentis plano-concavae oculum verſus ſpectantis, fit tanquam ex ſpecillo

ad-

admodum exiguo *convexo*, cujus convexitatis radius eſt ipſe radius concavitatis, nam in hoc caſu ſuperficies *concava* averſa ab oculo, format ſuperficiem *convexam* verſus oculum; quapropter imago de ſe exigua obiecti per radios refractos in pupilla tanquam ſpeculo convexo depicta, iterum ab hac reflectitur ad ſuperficiem lentis tanquam ad ſpecillum *convexum*, inde intelligitur, imaginem hanc infinite parvam reflecti debere a lente ad retinam, hoc eſt, fieri ſimpliciter oculo inſenſibilem. Idem cum proportione dicendum de caſu Figurae 2. et 4. Hinc in caſu, quo planum lentis huius plano-concavae oculum verſus ſpectat, impoſſibilis eſt effectus ille ſupra a me dictus imaginis ſecundariae per reflexionem a pupilla efformandae; quibus de cauſis etiam hoc caſu phaenomenon ſupra dictum nunquam videri poterit. Qui igitur neglecta hac conditione ſpectrum a me explicatum videre voluerit, ſuae in catadioptricis imperitiae adſcribat, ſi aut nihil, aut parum viderit. Caveat autem, (niſi peritis riſum movere velit,) ne pronunciet experimenta haec ſupra a me relata, falſa eſſe ex eo capite, quod ſibi non ſucceſſerint. Succedent autem certiſſime, ſi pars concava lentis oculum verſus ſpectaverit, et ſi ſequentia monita obſerventur; nam tali caſu habetur effectus ſpeculi concavi augentis, et nitide reflectentis, imaginem a pupilla reflexam, ut clariſſime in experimento III. videbimus.

Notandum II. Admonendi ſunt praeterea Periclitatores horum experimentorum, ut antea explorent radium concavitatis lentis; nam niſi oculum, ſeu pupillam, conſtituant circiter in diſtantia ſemiradii concavitatis a lente, aegre, et non niſi diu tentando imaginem ſecundariam efformare poterunt, e cauſis limitum viſionis infra explicandorum: ſi autem imperiti ſint inveniendi radium concavitatis, tum hi, (dum tubum hunc ad Lunam, vel ad flammam candelae directum tenent,) oculo *lentiſſime* (*NB. lentiſſime*) appropinquent ad lentem tubi eo usque, dum lucem aliquam ſpuriam lentem oc-

 cupan-

cupantem conſpicere incipiant, qua conſpecta, oculo magis (ſed omnino *lentiſſime*) appropinquent, et experiantur, (ſi debitam diſtantiam attigerint, et tubum firmiter et manu non tremula tenuerint,) elegantiſſimam imaginem ſecundariam obiecti primarii ſe efformaſſe, hoc eſt, effectus ſupra explicatos ſe attigiſſe: ad tollendam vacillationem tubi, quam experimento huic plurimum obeſſe experientur, ſuadeo ut manus tubum deferens, fulcro ſuppoſito firmetur.

Notandum III. In repetendis experimentis illis binis, figurae 2. et 4. in quibus tubus ab obiecto primario lucido averſus tenetur, hae praeterea cautelae obſervandae erunt, ſi nitidum ſpectrum conſpicere deſiderant. I. Tubulum ita averſum ſervent, ut ille cum obiecto lucido angulum ad oculum faciat circiter 30 vel 40 graduum, qua cautela fiet, ut radius obiecti lucidi L, D fig. 2. vel A, D fig. 4. non ad corneam (vide fig. 6.) a, b, c, aut d, f, e, ſed ad pupillam a, c, d, e, incidat: a cornea enim, utpote minus ad reflexionem apta, non niſi lux aliqua mere confuſa, et quaſi ſulcis ſucciſa reflecti poteſt; ſecus eſt ſi a pupilla tanquam ſpeculo politiſſimo vitreo excipiantur. Nemo certe hominum intuens oculum alterius hominis ſuam imaginem diſtincte vidit e cornea reflexam; videt autem omnis in pupilla alterius imaginem ſuam, tanquam in ſpeculo vitreo convexo eleganter expreſſam. II. Cavendum, ne per applicationem ipſam tubi ad oculum impediantur radii directi (L, D, fig. 2. vel A, D fig. 4.) ad pupillam ab obiecto lucido tendentes, hoc eſt, ne pupilla per tubulum ipſum, per naſum, aut per manum tubum tenentem obumbretur. Cum pili palpebrarum, eorum hominum maxime, qui et copioſioribus et longioribus gaudent, hoc ſitu oculi facile radios directos (L, D, fig. 2. vel A, D fig. 4.) ad pupillam tendentes perturbent, hoc eſt, imaginem in pupilla minus diſtinctam faciant, ut cautis exploratoribus ignotum eſſe nequit; hinc palpebrae magis apertae ſerventur, illeque ſitus oculi in hoc caſu quaerendus, in quo

radii

radii ab obiecto lucido quam minime perturbentur a pilis palpebrarum. IV. Oculus quam *leniſſime* in diſtantia circiter ſemiradii concavitatis admoveatur, tubulusque immotus omnino ſervetur; haec ſi cauta fuerint, affirmare auſim de felici ſucceſſu huius pulcherrimi et demonſtrativi experimenti, *quod omnino viſio haec huius ſpectri nullo alio modo fiat, quam per reflexionem a pupilla in lentem ocularem delata, et ab hac ad retinam reflexa.* Nam cum tubus (in caſu fig. 2. et 4.) ab obiecto lucido ita averſus ſit, ut nullus omnino radius directus, ne obliquus quidem, vel ad vitrum obiectivum, vel ad lentem ocularem (fig. 2. et 4.) incidere poſſit; et tamen admoto oculo, (in quem ſolummodo radiat obiectum lucidum,) ſpectrum hoc in tubo compareat, nec compareat ſolum quomodocunque, ſed idem omnino, quod habebatur per directum aſpectum in fig. 1. et 3. exhibitum, eiusdem praeterea fere magnitudinis, (cum augmentum tubi ſit exiguum), et diſtinctiſſimum, claritate autem adhuc maiore fulgens ob campum tubi; ſeu terminum, ad quem ſpectrum refertur, aliquanto obſcuriorem, quis inquam erit, qui neget, *ſpectrum hoc originem ſuam omnino ducere a ſola pupilla?*

Qui igitur horum experimentorum figurae 2. et 4. explicationem afferre vult aliam, aut ſimilem illi, qualem Hugenius refert propoſitione 51. ſupra §. VII. indicata, de reflexionibus alternis ſuperficierum lentium plurium combinatarum intra ſe, aut per neſcio quas cauſticas etc. ne is mihi in arboribus cervos, in ſiccis campis piſces degere, demonſtrare velle videtur: vellet enim imaginem reflexam fieri per radios, qui non dantur, hoc eſt, per radios impoſſibiles, hoc eſt, per reflexiones impoſſibiles. Idem dicendum de ſpectro figurae 1. et 3. ob legitimam illationem aequalitatis imaginis, ſeu ſpectri eiusdem, quoad omnia reſpective ſimilis illi, quod conſpicitur in figura 2. et 4. Sed nondum ſatis: ſunt enim quidam ingenio adeo ſevero, ut opiniones ſuas, (neſcio quibus principiis praeoccupati,) veritatibus manifeſtis non

ante

lis ſubiiciant, quam ubi ita convincuntur, ut effugii locus omnino nullus ſit. Sit igitur

Experimentum III. Quo quis non modo ipſis oculis cernere, ſed, (ut metaphora utar,) ipſis quaſi manibus palpare debeat, ſpectrum in figuris 1. 2. 3. et 4. demonſtratum, non alio omnino modo fieri, aut explicari poſſe, *quam per reflexionem imaginis primariae a pupilla oculi ad lentem ocularem reflexae, atque ab hac ad retinam proiectae.*

Igitur fiant ea omnia, prout in *Experimento II.* figura 4. indicantur, et dum comparet ſpectrum B, illudque in charta L, M, N, O, clariſſime et diſtinctiſſime conſpicitur; tum eo tempore, (ſervando immotum tubum et oculum,) manu, vel alia re opaca, claudatur vitrum obiectivum G, hoc eſt, tubus ex parte vitri obiectivi obſcuretur, caveatque attamen, ne ſibi Obſervator per manum claudentem obiectivum, impediat radium directum A, D, tendentem ad oculi pupillam; quo facto, idem ſpectrum clariſſime apparebit, ſed ſimul apparebit etiam integra imago totius oculi a candela illuminati; in oculo pupilla, in pupilla eadem imago flammulae, ſeu ſpectrum elegantiſſime expreſſum, idem omnino, quod videbatur prius eſſe remotum, et extra tubum in charta L. M. N. O. verſans. Videatur figura 6. in qua exhibetur oculus in lente oculari plano-concava huius tubuli expreſſus, habens in pupilla a, c, d, e, depictum ſpectrum, ſive flammulam S, prout in lente videtur.

Hic iam illum ego audire vellem peritum Opticae, qui hoc adeo palpabile experimentum alio modo explicet, quam per reflexionem pupillae oculi, quando ipſis oculis cernit, flammulam illam, ſeu ſpectrum in pupilla expreſſum, idem omnino eſſe quod viderat, antequam vitrum obiectivum manu obſcuraretur; neque enim diſparet eo tempore quo manus admovetur, ſed conſtanter idem omnino videtur, ſive manu claudat obiectivum, ſive non, niſi quod clarius appe-

reat,

creat, quando manus obiectivum obſcurat, quia refertur ad terminum obſcurum.

Demonſtratio huius phaenomeni alia non eſt, quam quae in catadioptricis paſſim refertur, de reflexionibus obiectorum in ſpeculo concavo; in hoc enim caſu, (ut patet,) pars concava lentis plano concavae oculum verſus ſpectans effectum ſpeculi concavi praeſtat.

Quod ſi quis tamen Lector Scepticus huic adeo palpabili experimento adhuc non acquieſcat, dicatque: *fortaſſis, dum obſcuratur vitrum obiectivum, non manet eadem flammula, ſeu ſpectrum, ſed aliud novum generatur, novumque apparet, eſſeque poteſt, ut hoc ipſum experimentum demonſtrandae illuſionis, ſit nova illuſio illuſionis.* Ad haec reſpondeo: dubium hoc quidem eſſe ſatis imperitum: nam primo, cum in hoc tertio experimento nulla alia circumſtantia mutetur, quam ſola obſcuratio obiectivi vitri, quae ea ſolum de cauſa fit, ut imago oculi, quae prius, (ob terminum lucidiorem campi tubi,) non ſenſibilis erat, efficiatur ſenſibilis et diſtincta, patet, nullam hic eſſe poſſe cauſam aliam praetenſae novae geneſis ſpectri novi, quam obſcurationem obiectivi. Atqui in hoc caſu huius experimenti vitrum obiectivum perinde ſe habet ac ſi non adeſſet; cum enim nullum radium nec directum, nec obliquum, obiecti lucidi in hoc incidere poſſe, (ut ſupra oſtenſum eſt,) certum ſit, quid igitur ad geneſin ſpectri conferet vitrum obiectivum non obſcuratum? Verum, ut imperitus huiuſmodi adverſarius penitus convincatur, iubeo illum eximere e tubulo vitrum hoc obiectivum, atque relicta ſola lente oculari ſine obiectivo, repetere omnia illa, quae in hoc tertio Experimento ſupra dicta ſunt, et ſi quidem omnia fieri experietur perinde, ac ſi vitrum obiectivum adeſſet, iuſtam victae veritati dandas eſt manus? ita equidem ſpero. Si autem, cum omnia Experimenti III. phaenomena experiatur eadem fieri certiſſime abſente obiectivo, quae facta ſunt hoc praeſente, ergo — —.

Cum itaque reflexionem hanc iam certiſſimum ſit fieri a pupilla, idem ſpectrum in pupilla depictum videri poterit, ſi pars plana lentis ocularis plano-concavae, exemptae e tubulo hoc theatrali, charta nigra appoſita obſcuretur, ſicque ſpeculum concavum efficiatur, atque oculo a candela illuminato, ſub eadem a candela diſtantia, et ſitu oculi eodem, (ut in experimento III. factum,) admoveatur, vide fig. 5. vel ſi loco lentis plano-concavae adhibeatur ſpecillum metallicum concavum, eiusdem radii cum lente priore. Quod ſi quis autem illud meum monitum ſupra datum experiri velit, quod ſcilicet ſpectrum hoc, (ſi nitidum comparare debeat,) non formetur a cornea, ſed a pupilla; is oculum ita flectat verſus candelam, ut radii a candela directi ſolum ad corneam incidere poſſint, videbit in ſpeculo hoc concavo, loco imaginis diſtinctae flammulae, meram lucem confuſam per partem corneae diſperſam, et interminatam. Eodem pacto cernet in hoc ſpeculo pilos palpebrarum incautis obſervatoribus imponere poſſe, ut loco imaginis diſtinctae cernant perturbatam, ſi nempe ſitum oculi reſpectu candelae non eum teneant, ut imagini in pupilla depictae pili palpebrarum non obſint.

Porro, cum ex his ſupra relatis experimentis clarum manifeſtumque ſit, ſpectrum hoc ex imagine pupillae in lentem ocularem reflexae originem ſuam ducere, certumque ſit praeterea ſuperficies lentium, quae oculum verſus ſpectant, effectum praeſtare poſſe, aut ſpeculi concavi, aut convexi, aut plani: hinc ſequentia experimenta, methodo experimenti III. fig. 4. aut 5. inſtituiſſe iuverit.

Experimentum IV. Si loco lentis plano-concavae adhibeatur meniſcus, eaque omnia fiant, quae in experimento III. de lente plano-concava obſcurata dicta ſunt; perinde ſpectrum elegantiſſimum efformabitur, omniaque ea fient, quae cum lente plano-concava evenere. Eſt enim meniſcus perinde lens ex una parte concava, licet ſit ex parte altera convexa; id peculiare, (ut ex catadioptricis conſtat,) habet

me-

meniſcus prae lente plano-concava; quod in lente plano-concava, (ut ſupra dictum eſt,) ſi pars plana oculum verſus ſpectet, ſpectrum hoc aut exiguum admodum (ex ſuperficie plana;) aut plane nullum, ex ſuperficie nempe convexa oculum verſus ſpectante reflexum videri debeat; e contra meniſcus ſpectrum illud exhibeat eleganteiſſimum, et auctum, etiamſi pars convexa verſus oculum ſpectet, hoc ſolum diſcrimen exiguum intercedit inter ſpectrum a parte convexa; et inter ſpectrum a parte concava oculum verſus ſpectante reflexum, quod dum pars convexa meniſci oculum verſus ſpectat, ſpectrum aliquanto minus, et debiliore luce fulgens appareat, quam ſpectrum partis concavae oculum verſus ſitae, attamen et iſtud ſatis diſtinctum, et (tanquam ex ſpeculo concavo reflexum) auctum videtur.

Experimentum V. Si lens utrinque aequaliter convexa (F, G, H, K fig. 7.) cuius focus radiorum refractorum ſit ex. gr. 8. digitorum, inſeratur tubulo chartaceo M, N, C, B, cuius longitudo M, B ſit 2. digitorum, in cuius medio ſtatuatur lens F, G, H, K, ſitque praeterea tubulus iſte verſus oculum apertus in M, N, clauſus in B, C, ſi itaque hac lente (ita in hoc tubulo clauſa, ut omnes radii a candela arceantur,) repetantur ea quae experimento III. dicta ſunt, tum ſi oculus, in quem radiat lumen candelae, ſiſtatur a lente in diſtantia foci radiorum refractorum, hoc eſt, in noſtro caſu, 8. digitorum, tum duplex imago flammulae a pupilla reflexae cernetur, una ex parte lentis convexa G, F, K, ſitu quidem erecto, at ſplendida, ſed exigua admodum, utpote tanquam ex ſpeculo convexo, altera cernetur reflexa ex parte lentis G, H, K, tanquam ex ſpeculo concavo, maior quidem priore, ſed obſcurior, et inverſa; ſi oculus huic lenti ita prope admoveatur, ut ſit in diſtantia circiter una quarta foci radiorum refractorum, hoc eſt in noſtro caſu, in diſtantia circiter 2. digitorum a ſuperficie G, H, K, tum cernetur imago a pupilla reflexa, in ſuperficie G, H, K, admodum diſ-

iuncta et aucta eodem fere modo, ut per lentem plano-concavam, aut per meniſcum eiusdem radii, repraeſentata.

Experimentum VI. Si loco lentis aequaliter utrinque convexae, huic tubulo inſeratur lens inaequaliter convexa, comparebunt eadem phaenomena ſpectri, ſolumque diſtantiae oculi a lente variantur, prout pars lentis plus vel minus convexa oculum verſus ſpectat.

Si hoc experimentum inſtituatur tum lente plano-convexa, tum N. 1. ſi pars lentis huius plana verſus oculum ſpectet, et oculus ſiſtatur in maiore diſtantia a lente, quam ſit focus radiorum refractorum, hoc eſt, ultra diametrum convexitatis, tum duplex habebitur imago flammulae a pupilla reflexae, una ex parte plana ſatis ſenſibilis, attamen exigua, tanquam a ſpeculo plano reflexa, adeoque erecta; altera orietur adhuc minor et vix ſenſibilis, tanquam ex ſpeculo convexo, et quidem ſitu inverſo: qui effectus eſt ſpeculorum concavorum, dum obiecta, repraeſentanda ſiſtuntur in maiore diſtantia a ſpeculo, quam ſit quarta pars diametri concavitatis, ut, ſi (in fig. 10.) oculus ſiſtatur in A, in diſtantia foci radiorum refractorum.

2. Si (in eadem poſitione lentis) oculus ſiſtatur in diſtantia minore a lente, quam ſit focus radiorum refractorum, ſeu propius, quam ſit diameter convexitatis, per totam diſtantiae lineam A D, usque ad diſtantiam a ſuperficie convexa, quae ſit una octava diametri convexitatis excluſive, tum effectus reflexionis ſpectri ſenſibilis tantum habetur, tanquam ex ſpeculo plano, ſine alia imagine ulla ſenſibili.

3. Si (in eadem poſitione lentis) oculus ſiſtatur a ſuperficie convexa in diſtantia circiter una octava diametri convexitatis in B, tum habetur effectus ſpeculi concavi cum inſigni augmento, claritate, et nitore ſpectri, et quidem ſitu erecto apparentis, ſpectrum autem illud, quod ex parte plana

refle-

reflectebatur, mutatur in circulum maiorem ſub obſcura et diſſipata luce confuſum.

N. II. Si lentis plano-convexae pars convexa oculum verſus ſpectet, et oculus ſiſtatur in C, in diſtantia a ſuperficie convexa una quarta diametri convexitatis circiter, tum iterum habetur effectus ſpeculi concavi, augentis et nitide repraeſentantis ſpectrum in ſitu quidem erecto, ſed ex dimidio minus, quam illud fuit in Nro. I. Caſu 3. priore, ubi oculus tantum diſtabat una octava diametri. In aliis diſtantiis oculi in hac poſitione lentis, effectus tantum ſenſibilis habetur per modum ſpeculi convexi, ſitu erecto repraeſentantis; hinc ſpectrum aut valde exiguum, aut nullum cernetur.

Quoniam modo hae omnes nunc recenſitae reflexiones ſunt, atque ab oculo in ſupra dictis diſtantiis poſito cernantur, demonſtrationes petendae ſunt ex catadioptricis, quibus hic, tanquam paſſim in libris opticorum recenſitis, et notis, ſuperſedeo. Ex his ſolum ſequens generale Corollarium certiſſimum adnotaſſe iuverit.

Corollarium generale. *Spectrum igitur in omnibus dictis caſibus nitidiſſime apparet, in ea diſtantia oculi a lente, ubi oculus ſeipſum nitidiſſime videre poteſt in lente; ſpectrum autem nitidum, et ſimul auctum, hoc eſt, admodum ſenſibile apparet, quando oculus eſt in ea diſtantia a ſuperficie lentis reflectentis, quae effectum ſpeculi concavi praeſtat, ubi ſeipſum clare et auctum, (ſi nempe pars lentis ab oculo averſa obſcuretur,) videre poteſt.*

Notandum: Si tantum peritis harum rerum Lectoribus ſcriberem, ſtatim hic materiae huic finem imponere, ipſisque relinquere poſſem applicationem faciendam ad explicationem ſpectri Satellitis Veneris, per tubos ſeu Gregorianos, ſeu dioptricos, in quibus prima lens ocularis eſt *meniſcus*, quem vidimus praeſtare poſſe effectum ſpeculi concavi; aut per tubos ſive Gregorianos, ſive dioptricos, qui pro prima lente oculari habent vel lentem utrinque aequaliter, vel inaequali-

ter converam, aut lentem plano-convexam, quas omnes vidimus itidem praeſtare poſſe effectum ſpeculi concavi, hacque ſola ſequente propoſitione univerſali ſcriptum meum concludere, ſcilicet: *quotiescunque conſtructio tubi habetur huiusmodi, ut focus radiorum reflexorum lentis primae ocularis exhibens imaginem pupillae coincidit cum foco radiorum refractorum, qui ex conſtructione tubi, vel potius lentium ocularium oritur, ſique oculus in hoc foco conſtituatur, per talem tubum videri poſſe ſpectrum Veneris, modo augmentum tubi ſit inſigne, ſaltem 50es aut 60es.* Sed enim ſcio, Lectores meos non omnes futuros adeo peritos Opticae, ut ipſi marte ſuo ex iam recenſitis omnia ſpectri Veneris phaenomena derivare poſſint, hinc mihi porro in hac materia progrediendum erit, et 1) oſtendendae conditiones tuborum, quibus ſpectrum hoc nitidiſſime per reflexionem ſupra explicatam a pupilla appareat, dein cautelae recenſendae, quae in efformando hoc ſpectro requiruntur, ac *tertio*, quaedam animadverſiones circa huiuc ſic dictum Satellitem Veneris adferendae erunt. Sit igitur

§. IX.

Demonſtratio illuſionis opticae, ſeu Spectri Veneris per diverſos tubos exhibendi.

Ad pleniorem huius demonſtrationis claritatem, praenotanda cenſui ſequentia:

I. Focum radiorum refractorum *compoſitum*, appello focum illum, qui oritur ex combinatione duarum vel plurium lentium, quarum una intra focum alterius collocatur, ut in fig. 9. focus A, qui habetur ex lentibus B, C, et F, G, quarum prima B, C, ſita eſt intra focum lentis alterius F, G, cuiusmodi lentium combinationes adhibentur in Gregorianis, aut Dollondianis, aut microſcopiis compoſitis, ad obtinendum augmentum aliquod inſigne obiectorum. Diſtantia huius foci compoſiti radiorum refractorum a lente prima B, C, fig. 9. ut in dioptricis demonſtratur, pendet a ratione diſtantiae lentis

lentis B, C, a lente F) G, ex qua foci imminutione pendet augmentum. Poteſt etiam haberi focus radiorum refractorum compoſitus per unam lentem huiusmodi, quae habeat diverſas convexitates, uti eſt meniſcus, vel lens utrinque inaequaliter convexa.

II. Focum radiorum reflexorum *repraeſentativum Spectri*, voco illum, in quo, (poſita conditione obſcurationis lentis,) locatus oculus ſeipſum in ſuperficie concava lentis oculum verſus ſpectante clare videre poteſt, ut ſupra in experimentis §. VIII. recenſitis vidimus.

III. Ad probe intelligenda verba mea, dum dico: conditionem eſſentialem conſtructionis tubi, per quem Spectrum videri debet, eſſe debere hanc: *ut focus radiorum reflexorum repraeſentativus ſpectri cadat intra focum radiorum refractorum compoſitum, ſeu, ut hi duo foci conveniant*: ſequentia notanda ſunt. 1) Conſtare ex dioptricis, focum radiorum refractorum non formare unum punctum, hoc eſt, radios refractos non colligi in uno puncto, ſed in linea aliqua, et quidem tanto maiore, quo diſtantia foci radiorum refractorum a ſuperficie refringente, ſeu a lente, maior eſt. 2) Etiam focum radiorum reflexorum, ut ex catadioptricis conſtat, non efficere unum punctum, hoc eſt, radios reflexos non colligi in uno puncto, ſed in linea aliqua. 3) Conſtat ex opticis, quod linea haec foci radiorum refractorum, (poſitis caeteris paribus,) ſemper maior ſit, quam linea foci radiorum reflexorum, hoc eſt, quod radii reflexi ſemper in arctiori ſpatio colligantur, quam refracti. Sic ex. gr. in fig. 13. ſi radii refracti colligantur in linea *a*, *b*, reflexi unientur in linea *c*, *d*, hoc eſt, ſpatium totius foci radiorum refractorum *a*, *b*, in quo exhibetur imago obiecti primarii per refractionem, maius eſt, quam ſpatium *c*, *d*, in quo exhibetur imago ſpectri per reflexionem. His intellectis dico, ternos eſſe poſſe caſus, in quibus *focus radiorum reflexorum repraeſentativus ſpectri cadit intra focum radiorum refractorum imaginis primariae*. Pri-

mum

mum caſum exhibeo in fig. 13. in qua focus radiorum reflexorum *c*, *d*, eſt intermedius inter puncta extrema *a* et *b* lineae foci radiorum refractorum. *Secundus caſus* habetur in figura 14. ubi linea foci radiorum refractorum repraeſentatur per puncta extrema *a* et *c*, linea autem foci radiorum reflexorum per puncta *b* et *c*. *Tertius caſus* habetur in fig. 15. expreſſus, in qua puncta *a* et *b* repraeſentant lineam foci radiorum refractorum, puncta vero *a* et *c* lineam foci radiorum reflexorum: dico ergo, conditionem eſſentialem conſtructionis tubi, per quem ſpectrum videri debet, eſſe debere, ut focus radiorum reflexorum repraeſentativus ſpectri, qui eſt, *c*, *d*, figura 13. vel *b*, *c*, fig. 14. vel *a*, *c*, fig. 15. cadat intra focum radiorum refractorum, qui eſt *a*, *b*, in fig. 13. vel *a*, *c*, in fig. 14. vel *a*, *b*, in fig. 15. Hinc ſi focus radiorum reflexorum non cadat intra focum radiorum refractorum, per hos tres caſus expreſſum, ſed vel cis, vel trans focum radiorum refractorum, ſpectrum aut nullum, aut admodum confuſum appariturum, prout nempe focus radiorum reflexorum magis vel minus prope focum radiorum refractorum cadit.

Probe autem notent Lectores, me hic ſolum loqui de *diſtantiis* horum focorum a lentibus, non autem de *directione* eorundem. Nam ſi focus radiorum reflexorum etiam quoad *directionem* caderet intra focum radiorum refractorum, hoc eſt, ſi uterque focus eſſet in directione ejusdem lineae, tunc omnino ſpectrum videri non poſſet; caderet enim imago per *reflexionem* ſupra imaginem primariam objecti in retina efformatam, adeoque ſpectrum cum objecto primario in unum confunderetur; eſt itaque neceſſarium, ut non in eadem *directione* hi duo foci formentur, ſed ſub diverſis inclinationibus, tametſi ſub iisdem fere diſtantiis a lente. Atque hinc intelligitur, ſpectrum cadere poſſe ad aliam retinae partem, ad aliam item objectum primarium, prout nempe *directio* foci radiorum reflexorum a *directione* refractorum per ſitum oculi et pupillae variatur. His itaque praemiſſis, gene-

geneſin ſpectri per tubos diverſos ſpectandi, ordine naturam, ſeu conditionum ex inſitata conſtructione tuborum aggrediemur.

CASUS I.

Geneſis ſpectri per tubos Gregorianos, aut dioptricos, quorum lens prima ocularis eſt meniſcus.

Quoniam in conſtructione tuborum Gregorianorum habentur pro lentibus ocularibus binae lentes, quarum lens prima eſt *meniſcus*, ideo combinatio harum lentium facillime hujuſmodi haberi poteſt; quam ad efformandum inſidioſum ſpectrum Veneris, Martis, aut Iovis, deſideramus, haecque combinatio caſu aliquo fortuito in pluribus tubis Gregorianis tunc alibi habebatur; cujuſmodi ego binos habui, per quos ſplendidiſſime Satellitem Veneris et ipſe conſpexi toties quoties, et aliis multis ſpectandum exhibui, quique mihi occaſionem praebuere indagandi in cauſſam illuſionis hujus opticae elegantiſſimae, ut ſupra §. I. indicavi; de his igitur primum agere, per quos facillime ſpectrum hoc et efformatur, et efformari poſſe intelligetur.

Sit in figura 8. tubulus K, R, S, T, qui in tubo Gregoriano defert binas lentes, unam X, Z, utrinque convexam, vel plano-convexam, alteram Q, W, concavo-convexam, ſeu *meniſcum*, qui oculo ſit proximus; ſint hae binae lentes X, Z, et Q, W, in ea a ſe invicem diſtantia diſpoſitae, ut harum binarum lentium focus radiorum refractorum *compoſitus* cadat in ea diſtantia extra aperturam tubuli in L, M, quae ſit proxime aequalis ſemiradio concavitatis meniſci Q, W, hoc eſt, ut M, D, ſit proxime aequalis ſemiradio, ſeu quartae parti diametri concavitatis meniſci D, F, hoc eſt, ut focus radiorum reflexorum repraeſentativus ſpectri M, D, aequetur diſtantiae foci compoſiti radiorum refractorum. Sit praeterea apertura G, H, diaphragmatis K, S, ejus amplitudinis, ut radii a pupilla reflexi ingredi poſſint

aperturam G, H, et per eandem ſub certa directione egredi; ſit praeterea augmentum huius tubi inſigne, ex. gr. ſaltem 50es vel 60es: dico, applicato oculo ad hunc tubum in diſtantia foci radiorum reflexorum, dum ad Venerem coelo ſudo, poſt vel ante crepuſculum, directus eſt, dico inquam, per hunc tubum videri debere Satellitem Veneris, et quidem nitidiſſimum, et diſtinctiſſimum.

Nam cum focus compoſitus radiorum refractorum L, M, terminetur in pupilla P, O, ibidem focus hic efformat imaginem obiecti primarii Veneris A, tanquam in ſpeculo convexo vitreo politiſſimo; ergo imago haec M, tanquam ex ſpeculo convexo reflectetur: ſed ex ſuppoſito tantae aperturae diaphragmatis G, H, ut capax ſit admittendi radios a pupilla reflexos, imago haec M, a pupilla reflectetur per diaphragma G, H, ad ſuperficiem concavam meniſci, ex. gr. in D. Iam cum oculus ſupponatur etiam eſſe in foco radiorum reflexorum repraeſentativo concavitatis meniſci, hoc eſt, in diſtantia ſemiradii concavitatis D, F, hoc eſt, cum ſit in diſtantia D, M, quae eſt proxime aequalis ſemiradio, ſeu quartae parti diametri concavitatis meniſci, erit diſtantia foci radiorum reflexorum proxime aequalis diſtantiae foci radiorum refractorum, imago ergo D, iterum per aperturam, et per pupillae foramen P, O, deferetur ad retinam; ſi itaque directio pupillae ſit paululum declinans ab axe tubi, erit *directio* radiorum reflexorum diſtincta a *directione* radiorum refractorum, hoc eſt, imago D ex meniſco deferetur ad locum retinae E, diſtinctum a loco imaginis primariae B, ibidemque ſpectrum exhibebit elegantiſſimum. Cum vero anima noſtra, obiecta in retina depicta ad illa referat loca, quo tendunt lineae rectae, ipſaque lens ocularis, ſeu meniſcus Q, W, ſit diaphana, igitur imaginem, ſeu ſpectrum E, in retina depictum, refert per lineam rectam E, M, D, I, in locum I, cenſebitque obſervator, verſari imaginem E in eadem ab oculo diſtantia, in qua eſt obiectum primarium B, A, et ſub ea magni-

magnitudine, ſub qua reflectitur ex ſuperficie concava meniſci D, hoc eſt aucta, pro ratione concavitatis meniſci Q, W.

Porro ex catadioptricis demonſtratur, et per experimenta ſupra relata confirmatur, quod ſpectrum hoc apparere debeat eodem ſitu cum primario, hoc eſt, ſi primarium apparet ſitu erecto, etiam ſpectrum debere apparere ſitu erecto, ſi primarium apparet ſitu inverſo, ſeu aſtronomice, et ſpectrum ſitu inverſo apparere debeat. Ponamus, obſervatori apparere ſitu erecto obiectum primarium, tum certum eſt, in retina obiectum primarium debere eſſe depictum ſitu inverſo: ſi ergo demonſtretur, etiam ſpectrum debere eſſe in retina ſitu inverſo depictum; tum utique et ſpectrum apparebit obſervatori ſitu erecto; atqui in hoc caſu, haec omnia ita fieri conſtat ex Catadioptricis et Dioptricis. Idem demonſtratur de ſitu apparente inverſo per tubos aſtronomicos, quo caſu in retina imago habetur ſitu erecto depicta.

Quod autem ſpectrum D, ex concavitate meniſci Q, W, reflexum, ſufficiente luce fulgens apparere debeat, inde patet, quod plaga coeli, in qua Venus verſatur, noctu ſit obſcura, hoc eſt, ſpatium coeli obſcure caeruleum, reſpectu meniſci perinde ſe habet, ac ſi ſuperficies convexa meniſci Q, C, W, charta caerulea vel nigra obſcuraretur, hoc eſt, terminus viſionis obſcurus, qui campum tubi replet, ex meniſco format ſpeculum concavum, ergo imago lucida ex pupilla ad meniſcum delata, ſeu ſpectrum, perinde clarum, lucidum, et diſtinctum apparet, quaſi reflexum foret ex ſpeculo quodam concavo, fundo nigro obducto. Ex hac ratione ſolvuntur ſequentes quaeſtiones,

1, Quare ſpectrum Veneris in crepuſculo intenſo videri deſinat? quia nempe lux nimia crepuſculi, quae campum tubi occupat, retinam adeo afficit, ut ſpectrum ſatis ſenſibile fieri non poſſit, hoc eſt, quia ſpectrum refertur ad terminum lucidum. Idem reſpondetur quaerenti, cur per tubum

Gregorianum Satelles Lunae videri non poſſit? quia nempe diameter Lunae campum totum occupans nimis adeo luce fulget, ut lux debilior ſpectri relata ad tam lucidum terminum, ſentiri non poſſit.

2. Cur in caſu, quo ſpectrum Veneris cernitur, non videatur etiam ipſa pupilla, vel totus oculus? ut ſupra in Experimento III, per obſcurationem obiectivi dictum eſt: quia nempe oculus eſt in obſcuro conſtitutus, hoc eſt, non illuminatus ſufficienti luce, praeter illam partem, in quam incidit focus radiorum refractorum, qui reflexus ex pupilla ad ſuperficiem concavam meniſci, format ſpectrum.

3. Magnitudo diametrorum obiecti ſecundarii, ſeu ſpectri, pendet a duplici principio: primum ex protuberantia maiore vel minore pupillae, quae diverſa eſſe ſolet; hinc, qui pupillam habet magis convexam, minorem etiam reflectet imaginem quam ille, qui habet minus convexam; quare duo obſervatores, (poſitis caeteris paribus,) intuentes ſpectrum per eundem tubum, ſi diverſae convexitatis pupillas habeant, diverſimode etiam aeſtimabunt rationem diametri ſpectri Veneris, relate ad diametrum Veneris. Secundum principium variandae magnitudinis ſpectri maximum eſt ipſe radius concavitatis meniſci, qui quo minor fuerit, eo auctior etiam imago reflexa, ſeu ſpectrum e meniſco reflexum apparebit, poteritque apparere iam una tertia, iam una quarta, quinta, vel ſexta pars diametri Veneris, prout fuerit maior vel minor radius concavitatis, ut notum eſt de ſpeculis concavis obiecta augentibus.

4. Intenſio luminis in ſpectro, (praeter terminum plus minusve obſcurum campi,) inde etiam aliquanto minor debere eſſe (neceſſario) quam ſit obiectum primarium, ſiquidem ſpectrum hoc duplicem reflexionem ſubit, unam a pupilla, alteram a ſuperficie meniſci; accedit etiam craſſities vitri in meniſco, per quam reflexum ſpectrum, (ſi ponatur ab ultima ſuperficie reflexum,) tranſire debet: ceterum omnia haec,

tanta

[illegible] claritate fulgens relinquant ſpectrum, [illegible] per [illegible] fit obſcurus, ut omnino etiam verſatiſſimo illudere debeat hoc ſpectrum, haberique poſſe pro obiecto ſeu Satellite vere reali. Quodſi oculus paululum removeatur a menisco, fieri poterit, (ut ſupra de Satellite Lunae memini,) ut ſpectrum hoc lucidiſſimum per modum fixae alicuius appareat.

7. Denique, quoniam ſpectrum hoc efformari intelligitur ex reflexione pupillae, facile patet, motum oculi, ſeu pupillae, ſequi etiam debere motum ſpectri in retina depicti, et quidem in easdem partes, hoc eſt, ſi pupilla moveatur dextrorſum, ſpectrum etiam dextrorſum moveri videbitur, ſi ſiniſtrorſum, etiam ſpectrum ſiniſtrorſum, ſi in circulum circa obiectum primarium, etiam ſpectrum in circulum ibit etc.

Item ex his pariter intelligitur, ſpectrum hoc eodem modo efformari et videri debere per tubos etiam *dioptricos*, qui pro lente oculari habent meniſcos eius conditionis, ut focus radiorum reflexorum ſit in diſtantia foci radiorum refractorum a ſuperficie lentis ocularis, hoc eſt, ut focus radiorum refractorum cadat in diſtantia ſemiradii concavitatis menisci.

Antequam progrediar ad explicandos caeteros caſus conſtructionis tuborum, quibus Spectrum Veneris per reflexionem a pupilla efformari poſſe oſtendam, illud adhuc animadvertiſſe iuverit, fuiſſe, et eſſe quosdam peritos Opticae Viros, quos hic nominare non auſim, qui pro *certa* et *indubitata* cauſa praetenſi huius Satellitis Veneris, ſeu Spectri, aſſignant reflexiones illas, quae oriuntur a radiis obiecti primarii incidentibus in ſuperficies lentium, a quibus ſuperficiebus inter ſe reflexiones aliae perficiuntur, quas iam olim explicuit Hugenius, ut §. VII. et VIII. innui. Hic ego quidem cum illis contendere nolo, an huiusmodi reflexiones in omnibus tubis illis habeantur, per quos aut Satelles Veneris, aut Lunae ſpectantur: certe, in tubo meo theatrali ſupra ex-

 plicato,

plicato,) per quem Satelles Lunae elegantiſſime efformatur, difficile exiſtimo demonſtrare has fore ſenſibiles. Admit-tam ergo per huiusmodi lentium reflexiones ſpectrum ali-quod formari poſſe, ut ipſe expertus ſum, ſpectrum inquam luce debiliſſima et confuſa, et interminatum atque indiſtin-ctum apparens, ſpectrum, quod quivis in Opticis vel infra mediocritatem verſatus, ut primum conſpexerit, ſine ulla dubitatione ſtatim agnoſcat eſſe illuſionem, hoc eſt, ſpectrum ex reflexione aliqua ortum: ſed nego formari poſſe per di-ctas reflexiones Hugenianas ſpectrum Veneris, aut Lunae, adeo viva luce fulgens, adeo diſtinctum, adeo bene termina-tum, ut verſatiſſimum quemque Opticum in errorem indu-cere poſſit, affirmandi, et tenaciter defendendi, hoc obiectum eſſe vere reale, vere phyſicum, vere extra tubum verſans. Certe *D. Short*, a ſcientia optica celeberrimus, ſi huiusmodi reflexionem Hugenianam conſpexiſſet, nunquam affirmaſſet, ſe Satellitem verum ac realem vidiſſe; ſpectrum enim or-tum ex reflexionibus ſuperficierum lentium inter ſe, reſpe-ctu ſpectri, quod ex pupilla oculi, (modo ſupra explicato,) ori-ginem ducit, eſt veluti umbra reſpectu corporis; hoc ſolum ſpectrum, quod a pupilla oritur, aio et affirmo, eſſe capax illudendi etiam oculatiſſimo Obſervatori, alterum, quod ex reflexionibus dictis Hugenianis derivatur, vix tyronem in errorem inducere poterit, quin illico, ut primum comparet, noſcat eſſe ſpectrum. Haec eo fidentius ſcribo, quo certio-ra circa has illuſiones experimenta inſtitui, quique non ſcri-bo e ſolis ratiociniis, ut illi fecere, qui Satellitem Veneris nunquam viderunt, attamen demonſtrare voluerunt, non quomodo *fortaſſis* apparere potuerit, ſed quomodo *certo et indubitanter* apparuit. Aliud longe ſentit is, qui ipſus, (ut ego ſaepiſſime,) Satellitem hunc fictitium contemplatus eſt ſaepi-us. Verum ſuperfluum cenſeo, quemadmodum ſupra §. VII. edixi, his immorari pluribus: qui enim ſpectrum hoc meum a pupilla reflexum contulerit cum ſpectro ex reflexionibus illis ſuperficierum invicem methodo Hugeniana derivato,

(con-

(conferre autem facile poterit cum ſpectris flammae candelae ſupra recenſitis,) facile etiam diſcrimen ſentiet inter utrumque, videbitque, ſpectrum e pupilla ortum, tanquam corpus reale extra campum tubi longe diſtans verſari, cum alterum, tanquam umbra obiecti primarii, in lentis ſuperficie haerens, vix ultra lentem locatum cenſebitur.

Experimenta huius Caſus I. relata ſunt §. VIII. Experimento IV.

CASUS II.

Si lens ocularis prima in tubo Gregoriano ſit meniſcus, focus autem radiorum refractorum compoſitus cadat a ſuperficie concava meniſci in diſtantia circiter tres quartas diametri concavitatis meniſci, tum ſpectrum hoc etiam a pupilla reflexum efformari poterit: ſed hoc caſu quoad ſitum omnia erunt contraria reſpectu obiecti primarii, hoc eſt, ſi obiectum primarium apparet ſitu erecto, ſpectrum apparebit ſitu inverſo, ſi oculus movetur dextrorſum, ſpectrum movebitur ſiniſtrorſum etc. *Secundo:* Spectrum hoc etiam multo obſcurius apparere debet, quam in caſu Imo. etc. *Demonſtrationes huius caſus notae ſunt ex Catadioptricis.*

Igitur conditiones tubi, pro lente prima oculari, habentis meniſcum, neceſſariae ad efformandum ſpectrum a pupilla reflexum, binae ſunt. *Prima*, ut focus radiorum refractorum compoſitus ſit in diſtantia foci radiorum reflexorum concavitatis, hoc eſt, focus refractorum ſit proxime a ſuperficie concava meniſci in diſtantia ſemiradii, ſeu una quarta diametri concavitatis; qui caſus diſtinctiſſime et nitidiſſime ſpectrum exhibet. *Secundo*, vel, ut focus refractorum compoſitus ſit in diſtantia a concavitate meniſci tribus quartis diametri concavitatis,

quo

quo caſu adhuc ſatis diſtinctum apparet ſpectrum, etſi aliquantulum obſcurius. In aliis caſibus diſtantiarum foci radiorum refractorum a concavitate meniſci, ſpectrum hoc *diſtincte* apparere nequit, licet confuſe ſubinde repraeſentari poſſit.

Notandum: Dixi ſuperius §. VIII. perinde eſſe, ſeu pars concava, ſeu convexa meniſci, oculum verſus ſpectet; quod ipſum hic repetendum, nam utraque pars effectum ſpeculi concavi praeſtat, hoc ſolo exiguo diſcrimine, quod ſpectrum, (verſa parte convexa verſus oculum,) aliquantulum variatum, tam ratione magnitudinis, quam claritatis, obſervetur.

Reliqua futuro Menſe.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Martii Anno MDCCLXVIII.

DE SATELLITE VENERIS: AVCTORE MAXIMILIANO HELL e S. I. Aſtronomo Caeſareo-Regio Univerſitatis Vindobonenſis.

Non ſemper ea ſunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.

Phaedrus in Prologo ad Lib. IV.

CASUS III.

Si in tubo Gregoriano, aut dioptrico, lens ocularis prima ſit utrinque *aequaliter* convexa, (vide figuram 9.) et focus compoſitus radiorum refractorum B, A, C, ſit in diſtantia A, D, a convexitate B, D, C, lentis B, C, quae ſit una quarta pars ſemidiametri, ſeu una octava diametri convexitatis, ſpectrum hoc eodem modo, ut in *Caſu I.* nitide et auctum exhibebitur: nam hoc caſu ſuperficies B, D, C, ſpectando concavitatem oculum verſus ſitam, eundem effectum ſpeculi concavi praeſtabit, quam facit meniſcus, hoc ſolo diſcrimine, quod ob ſuperficiem refringentem convexam B, E, C, oculum verſus ſitam, et oppoſitam ſuperficiei B, D, C, focus radiorum reflexorum, reſpectu ſuperficiei B, D, C, non ſit in ſemiradio, ſeu quarta parte diametri, ſed in quarta

 parte

parte radii, ſeu octava diametri convexitatis, aut concavitatis B, D, C. Ob eandem etiam cauſam ſpectrum hoc, (etſi diſtinctum, et plus dimidio auctum, quam fuerit in meniſco eiusdem radii) minori tamen aliquantulum luce fulgens apparere debet; praeterea hoc caſu, etiam aliud minus ſpectrum in ſuperficie convexa B, E, C, tanquam in ſpeculo convexo ex pupilla reflexum efformari debere intelligitur, verum hoc ſecundum ſpectrum, ob vicinitatem oculi ad hanc ſuperficiem, in meram lucem obſcuram et informem, et per maiorem lentis ſuperficiem quaſi ſparſam, abit. *Demonſtratio apparitionis huius hoc tertio caſu propoſitae, eadem eſt cum proportione, quae caſus Imi.*

Ex his intelliguntur caſus caeteri lentium, utrinque, ſed *inaequaliter* convexarum, de quibus univerſaliter dicendum illud, ſi diſtantia foci radiorum refractorum congruat cum diſtantia foci radiorum reflexorum a ſuperficie oppoſita lentis, et refractis a ſuperficie oculum verſus ſpectante, tum ſpectrum hoc apparere poteſt, ut in caſu primo, etſi aliquantulum variatum quoad lucem etc.

CASUS IV.

Si in tubo Gregoriano, aut dioptrico, lens ocularis prima ſit utrinque *aequaliter* convexa, et focus radiorum refractorum *ſimplex* ſit in diſtantia ſemidiametri convexitatum, ut ſunt ordinarie dioptrici una lente oculari inſtructi, tum hoc caſu duplex ſpectrum efformari poſſe intelligitur, ut in caſu III. unum a ſuperficie concava B, D, C. (Figura 9.) quod erit reſpectu obiecti primarii ſitu inverſo, minus clarum, minus diſtinctum etc. verbo, omnia multo imperfectiora quam fuerint in Caſu III. ita ut hanc imaginem facile ſit agnoſcere, eſſe ſpectrum. Alterum ſpectrum efformatur in ſuperficie convexa B, E, C, (Fig. 9.) oculum verſus ſpectante, tanquam in ſpeculo convexo, ſitu quidem erecto, ſed magnitudine

dine adeo exigua, ut vix ſit ſenſibile, et quod moto oculo ſitum admodum parum mutat.

De his duobus ſpectris hoc caſu efformatis, (ut experimento V. §. VIII. dictum) haec animadvertenda ſunt: quo radius convexitatis minor eſt, eo ſpectrum ex ſuperficie B, D, C, concava reflexum maius apparet, alterum autem ex ſuperficie B, E, C, minuitur adeo, ut ſi radius convexitatis non excedat unum aut duos digitos, ſpectrum hoc ſecundum ſimpliciter inſenſibile efficiatur; contra autem, quo maior eſt radius convexitatum, eo imago reflexa ex ſuperficie B, D, C, fit minor, ſecundum autem ſpectrum ex ſuperficie B, E, C. reflexum tanto magis augetur.

Ex his concluduntur caeteri caſus, ſi lens ocularis ſit utrinque *inaequaliter* convexa.

Experimenta huius caſus referuntur §. VIII. Experimento V.

CASUS V.

I. Si lens ocularis prima ſit plano-convexa, (vide figuram 10.) et pars convexa G, D, H, ſpectet oculum verſus, ſitque focus radiorum reflexorum *compoſitus* C, in diſtantia D, C, ſemiradii, ſeu una quarta parte diametri convexitatis, tum eodem modo, ut in caſu I. ſpectrum efformabitur, omniaque phaenomena *caſus primi* evenient, et quidem ita, ut ſecundum ſpectrum per *caſum quartum* a ſuperficie convexa, tanquam ex ſpeculo convexo reflexum, aut omnino non appareat, aut infinite parvum cernatur.

Si vero focus radiorum refractorum *compoſitus* cadat intra diſtantiam ſemidiametri convexitatis, et unam quartam partem diametri, in F, tum ſpectrum quidem apparebit, ſed admodum confuſum et indiſtinctum, per modum Cometae interminatum.

II. Si pars plana oculum verſus ſpectet, et focus D, E, radiorum refractorum *compoſitus*, ſit in diſtantia D, E, a ſuperficie G, D, H, quae ſit una quarta circiter radii convexitatis, ſeu concavitatis G, D, H, ſeu una octava diametri convexitatis, ſpectrum eodem modo, ut in Caſu I. apparebit, attamen duplo maius, clarius, et diſtinctius, quam ſi pars convexa G, D, H, (eodem modo ab oculo diſtans una quarta diametri,) ſit ad oculum verſa, ſecundarium autem ſpectrum tanquam ex ſpeculo plano reflexum non apparebit.

Si aliae ſint diſtantiae focorum, quam nunc dictae, (quae Experimento VI. §. VIII. recenſentur,) viſio ſpectri diſtincta fieri nequit: nam tametſi pars plana lentis plano-convexae oculum verſus ſita, capax ſit reflexionis imaginis in pupilla effictae, tanquam ſpeculum planum, atque adeo in eadem fere magnitudine, aliquanto tamen minore, (ut ſupra Exper. VI. dictum,) quam quae eſt in pupilla; quia vero imago haec a ſuperficie plana reflexa, reflectitur ſub eadem *directione*, qua formatur imago primaria, fit, ut ſpectrum hoc cadat ſupra imaginem primariam a radiis refractis in retina efformatam, quae cum maior ſit, atque lucidior, quam ſpectrum a ſuperficie plana reflexum, idcirco ſentiri non poteſt.

Nota I. Ex hoc principio reflexionis partis planae, optime explicatur phaenomenon illud ſingulare, quod quibusdam Aſtronomis in Tranſitu Veneris per diſcum Solis Anno 1761. obſervato viſum eſt, qui nempe viderunt, punctum quoddam lucidum ſupra diſcum Veneris obſcurum verſans. Nam cum ad uſum huius obſervationis adhiberi debuerit (ad debilitandos radios ſolares) vitrum planum aut coloratum, aut fumo obfuſcatum, quod inter oculum et lentem primam ocularem locari debet, ſi pars plana oculum verſus ſpectans polita, et ſplendens fuerat, fieri potuit, ut imago Solis in pupilla per radios refractos depicta, reflexa fuerit a pupilla ad vitrum hoc planum, atque ab hoc vitro plano, (quod obiecta directe oppoſita reflectere ſolet ſub eadem dire-

directione) reflexa ſit iterum per pupillam ad eundem locum retinae, in quo depicta erat imago obſcura Veneris, et quia haec reflexio imaginis Solis a pupilla ad vitrum planum, ut ſupra vidimus, inſtar lucidi puncti duntaxat, a vitro plano reflectatur, hinc ſpectatori apparere debuit punctum lucidum ſupra diſcum Veneris obſcurum verſans.

Nota II. Ex his quinque caſibus quoque intelligitur, per eosdem tubos, quibus Satelles Veneris efformatur, videri quoque poſſe quintum Satellitem Iovis, ut ipſe non ſine voluptate ſaepius per tubos Dollondianos conſpexi, adeo ſimilem caeteris Satellitibus Iovis, ut ſi ſpectrum hoc inter caeteros Satellites per certum oculi ſitum collocaveram, omnino ſimillimum caeteris, tam quoad lucem, magnitudinem etc. viderim, nullumque diſcrimen inter veros, et hunc fictitium repererim. Illuſio haec adeo elegans, ignarum quemvis huius illuſionis, etſi in Opticis peritiſſimum, capax eſt inducendi in errorem affirmandi, aut fixam eſſe ſimillimam Satellitibus, aut quintum Satellitem Iovis recens in coelo natum, atque hactenus non viſum. Idem cum Marte ſuccedit, dum viva luce fulget, cui ignarus illuſionis huius facile Satellitem verum ac realem tribueret.

Nota III. Si pro lente oculari duo vitra planoconvexa, methodo *cel. D. de la Torre*, (de cuius combinationis ſingulari et praeſtantiſſimo cum primis in Aſtronomicis uſu, alias copioſius diſſerendi locus erit,) ita combinata adhibeantur (vide Fig. 11.) ut partes convexae ſe invicem reſpiciant, et fere contingant, fit, ut bina ſpectra aeque lucida, aeque magna, aeque diſtincta, efformentur per dictam reflexionem pupillae, quemadmodum ipſe expertus ſum, in contemplando Iove per huiusmodi lentem combinatam tubo augmenti circiter 30es applicatam, atque non ſine voluptate, loco Satellitum quatuor, ſex omnino, quoad omnia ſibi ſimiles adeo, ut falſi a veris diſcerni non potuerint, conſpexerim, aliisque phaenomenon hoc ſpectandum exhibuerim. *Demon-*

monſtratio huius quoque illuſionis duplicatae patet e ſuperioribus de lente una plano-convexa relatis.

Atque his quinque Caſibus continentur potiſſimae conditiones tuborum, quibus ſpectrum Veneris efformari poteſt; ad facilem tamen per hos tubos Satellitis Veneris viſionem, ſequentes adhuc notandae ſunt conditiones:

1. Ut augmentum tubi ſit inſigne, ſaltem 50es vel 80es augens obiecta, ſecus ſi exiguum ſit augmentum, erit quoque imago Veneris in pupilla efformata exigua; haec exigua in pupilla imago reflexa ad concavitatem lentis, exigua quoque ab hac lente ad retinam reflectetur, ſolumque tantum aucta videbitur, ut per modum fixae 5. vel 6. magnitudinis cernatur. Hinc intelligitur, cur per tubum, per quem Satelles Lunae videtur, Satelles Veneris videri nequeat, ob exiguum nempe augmentum tubi Satellitem Lunae exhibentis.

2. Ut apertura tubi ad oculum etiam huiusmodi ſit, per quam radii a pupilla reflexi pertingere poſſint ad lentem ocularem, et radii iterum a lente reflexi, per eandem aperturam egredi poſſint ad retinam; exigua autem apertura ſubinde etiam apta eſt admittendi radios reflexos a pupilla, ſi nempe oculus valde vicinus ad hanc aperturam locari debeat.

3. Ut Venus non verſetur in vaporibus, ſed in plaga coeli ſerena, nam alias nimis debile evadet ſpectrum.

4. Ut non ſit intenſum crepuſculum, aut Luna Veneri vicina, quorum lux nimia campum tubi terminans, facit, ut lens ocularis effectum ſenſibilem ſpeculi concavi vix exhibere poſſit, ad effectum enim ſenſibilem lentis per modum ſpeculi concavi, requiritur aliqua lentis obſcuratio, ſeu terminus obſcurus.

5. Pupilla oculi ſana ſit oportet, et ſplendens, ſi ſpectrum nitidum et diſtinctum videri debeat.

6. Ut

6. Ut oculus prope focum conſtitutus *motu lentiſſimo* ad aperturam admoveatur, vel tantillum removeatur, dumque ſpectrum luce obſcura, et confuſa, primo apparere incipit, motu lentiſſimo oculi accedendo vel recedendo quaeratur claritas ſpectri.

7. Oculus etiam tantillum ab axe tubi deflectere debet, ſecus ſpectrum cadet ſupra imaginem primariam in retina depictam, quo caſu ſpectrum foret inſenſibile.

Quibus conditionibus obſervatis, certum erit Obſervatori: 1) Spectrum Veneris facillime et nitidiſſime exhiberi per Caſum I. hoc eſt, per teleſcopium Gregorianum, vel per tubum dioptricum, quorum lens prima ocularis eſt meniſcus, modo tubi huiusmodi iuxta caſum primum lentes diſpoſitas habeant. 2) Spectrum, quod per Caſum III. apparet, rarius obtineri, difficilius adhuc per caſum V: ratio inde petenda eſt, quod tubi raro ita conſtruantur, ut ratio focorum radiorum refractorum et reflexorum lentium illa prodeat, quae in caſu III. vel V. requiritur, attamen fortuita quadam et caſuali combinatione fieri poterat, praeſertim in Dollondianis, ſeu achromaticis, ubi lens ocularis duplex habetur, ut haec ratio focorum emerſerit; quodſi tamen ex induſtria lentes ita combinentur, ut in Caſu III. vel V. dictum eſt, haud difficulter ſpectrum videri poterit. Combinatio lentium Caſus II. et IV. adhuc rarior eſt, qua ſpectrum nitide exhibeatur; plerumque enim per hos caſus confuſum et indiſtinctum, ex non debita lentium combinatione ſpectrum comparet.

Tubus meus Gregorianus 2. pedum, quo primum Satellitem Veneris conſpexi, ut §. VII. retuli, erat meniſco inſtructus; hic tubus, iam ab uno anno Satellitem Veneris non exhibet, ea de cauſa, quod ſitus lentium mutatus eſt ob gravem lapſum tubi, quo tubulus, lentes deferens, pene confractus, de novo reparari debuit; alter tubus, itidem Gregorianus, 2. pedum, meniſco inſtructus, ab huiate artifice *Schul-*

tzio

zio confectus eſt, quem actu, dum haec ſcribo, poſſidet *Nobilis D. de Eberl*, quemque ego tribus fere annis meo in Obſervatorio depoſitum habebam: hoc tubo toties quoties Satellitem Veneris cum primis anno 1764. et ipſe conſpexi, et multis hoſpitibus conſpiciendum exhibui ſaepiſſime, nam diſtantia focorum radiorum refractorum, et reflexorum, per Caſum I. et exacta ſatis erat, et ſita ad ipſam aperturam tubi, ubi oculus applicabatur, hinc facillime ſeſe ſpectandum praebuit ſpectrum.

Atque his meis viſionibus, experimentis, et demonſtrationibus, iam ab anno 1757. captis, plene convictus eram, Satellitem Veneris, quem mihi ante dicti tubi exhibebant, omnino eſſe ſpectrum, ſeu illuſionem elegantiſſimam, a reflexione pupillae, et ſuperficie concava primae lentis ocularis ortam; quare cum has meas viſiones ſimillimas eſſe videbam viſionibus *cel. D. Caſſini*, quas §. II. retuli, itemque viſionibus *cel. D. Short* a me §. III. recenſitis, hinc factum eſt, ut dum anno 1760. diſcurſum meum de Tranſitu Veneris obſervando ſcriberem, praefixum Ephemeridibus meis anni 1761. in verba illa eruperim, quae hic in principio §. I. retuli, ſcilicet, ut in Tranſitu Veneris attenderent Obſervatores, an non minor quaedam macula cum Venere per diſcum Solis moveretur, quam Satellitem eius eſſe oporteret, *qualem nonnulli ſe quondam in aliis circumſtantiis vidiſſe putabant:* quae mea ultima verba, cum obſervationes *cel. Caſſini* anno 1686. et *cel. D. Short* anno 1740. circa Satellitem Veneris in Actis Academiae vulgatas ſpectare videbantur, quas veluti in dubium vocare viſus ſum, hinc a quibusdam Aſtronomis privatim, et amice, per litteras commonitus eram, meque perſuadere conati ſunt, nullum ipſis ſupereſſe dubium, de vera ac reali exiſtentia Satellitis Veneris a tantis Viris viſi, et aſſerti; ego vero de meis quoque viſionibus certus, nihil ad haec reſpondebam laudatis Aſtronomis, measque demonſtrationes apud memet interea ſecretas ſervabam.

At

At vero dum anno 1761. novae viſiones *D. Montaigne* typis vulgatae fuiſſent, quas §. IV. expoſui, tum die 1. Iulii 1761, (poſtquam dictas diſſertationes ad me perlatas legiſſem,) ſecretas ad *Cel. D. de la Caille* correſpondentem meum litteras dedi Pariſios, quibus dubia mea de viſionibus *D. Montaigne*, eidem ſoli, et tanquam amico propoſui, modum autem illuſionis expoſui illum, quem hic in Caſu III. expli, cui, ea ſcilicet de cauſa, quod, cum in obſervationibus *D. Montaigne* indicata non fuerit lens ocularis, cuiusnam fuerit figurae, num meniſcus, an vero lens utrimque convexa, et num fuerit ex pluribus, an ex una lente compoſitus tubus, ſed ſolum dicatur, *illum obſervaſſe tubo dioptico 9. pedum;* idcirco ſuppoſui tubum dioptricum ordinarium, lente duplici utrinque convexa inſtructum. Altera etiam cauſa, cur Caſum III. prae reliquis elegerim, erat, quod, cum ſcripſerim ad Virum in opticis verſatiſſimum, exiſtimaverim, eum facile ex caſu difficiliore ad caſus faciliores vim argumentorum meorum applicare poſſe, quapropter etiam demonſtrationem meam Caſus III. eidem admodum ſtrictim propoſui. Atque hae ſunt meae illae litterae, quas depoſitas tenet *celeberrimus D. Maraldi*, tanquam ſcriptorum omnium *D. de la Caille* haeres, quaeque ſuo modo ante annum ad manus *D. Montaigne*, et aliorum quorundam Aſtronomorum, perlatae, iam pluribus innotuerunt, et quaſi vulgatae cauſam praebuerunt, hunc ut ederem pleniorem in hac materia diſcurſum.

§. X.

Corollaria Demonſtrationis illuſionis opticae, ſeu ſpectri Veneris.

Edixi ſuperius, et in monitis, et §. I. me obſervationes Satellitis huius Veneris factas a Viris celeberrimis, quas §§. II. III. IV. V. et VI. retuli, ſuo in pretio relinquere; nec ea de cauſa a me diſcurſum hunc vulgari, ut quem ipſi verum ac realem Satellitem Veneris edixerunt, hunc ego ſpe-

ctrum fuiſſe promulgem, atque elegantiſſima hac illuſione, capaci in errorem inducere oculatiſſimum quemvis, demonſtrem ipſis impoſitum fuiſſe. Sit igitur Satelles realis, ut ipſi voluere; licebit tamen mihi hic illas referre animadverſiones, quas ipſos Lectores diſcurſus huius mei de obſervationibus ſupra dictis facturos arbitror. Nam cum meae hae demonſtrationes eius ſint conditionis, ut exiſtimem, obſervatores Aſtronomos deinceps viſuros ſemper ſpectrum, quoties ipſis libuerit; cumque viderint ſpectrum hoc veri Satellitis formam egregie mentiri: facile mihi perſuadeo, ut illud *Phaedri Lib. III. Fab. XIII.* huic viſioni applicent,

> *Non inconveniens corpus, et par eſt color;*
> *In dubium plane res ut merito venerit.*

Liceat ergo viſiones horum Clariſſimorum Virorum, ſalva eorum auctoritate et iudicio, cum meis demonſtrationibus comparare, et periclitari, num e meis demonſtrationibus viſiones hae Satellitis Veneris, in ſuperioribus Paragraphis II. III. IV. V. et VI. recenſitae, derivari et explicari poſſint.

Corollarium I. Cel. Caſſini; dum anno 1672, et 1686. Satellitem Veneris ſe videre exiſtimabat, uſus eſt tubo dioptrico 34. ped. cumque in hac relatione nihil aliud de hoc tubo referatur, eſſe certe poterat conſtructus more ordinario tuborum aſtronomicorum, cum lente oculari, vel aequaliter vel inaequaliter utrinque convexa, et tum viſio referetur ad Caſum IV. §. IX. ſi vero lens ocularis erat meniſcus, tum viſio referri poterit ad Caſum II. §. IX. qui duo Caſus ſpectrum hoc indiſtincte et ſubobſcure repraeſentant, quemadmodum re ipſa *D. Caſſini* apparuiſſe indiſtinctum, ſupra §. II. dictum erat. Si tubus *Caſſinianus* e lentibus pluribus ocularibus compoſitus erat, (quae tamen conſtructio lentium pro illo tempore vix locum habet,) tum ſi lens prima fuit meniſcus, dicendum foret, conſtructionem huius tubi fuiſſe eiusmodi, quae vel ad Caſum I. vel ad II. §. IX. proxime accederet;

cederet; ſi vero lens prima (in caſu plurium lentium) fuit utrinque convexa, vel plano-convexa, tum conſtructio tubi proxime acceſſiſſe videtur ad Caſum III. vel etiam V. §. IX.

Corollarium II. Obſervationes *cel. Domini Short* §. III. relatae, factae dicuntur tubo Gregoriano $16\frac{1}{2}$ pollicum, diverſi augmenti lentibus ocularibus applicatis; imaginem etiam hanc Satellitis apparuiſſe diſtinctam, bene terminatam, Phaſim Veneris aemulantem, habentem diametrum unam tertiam diametri Veneris etc. quae omnia indicant, viſionem hanc fieri potuiſſe per Caſum I. vel III. §. IX, in quibus ſpectrum, et facillime et diſtinctiſſime exhibetur, ut mihi per tubos Gregorianos, habentes pro oculari meniſcos, centies, ut ita dicam, id eſt, toties quoties volui, elegantiſſime apparuit.

Corollarium III. Obſervationes *D. Montaigne* §. IV. recenſitae, dicuntur factae tubo dioptrico 9. pedum; ſi itaque tubus iſte e pluribus lentibus ocularibus more Dollondiano compoſitus habetur, in quibus lens oculo proxima ſolet eſſe meniſcus, tum viſiones iſtae pertinent ad Caſum I. §. IX. ſi vero lens oculo proxima fuit utrinque convexa, tum locum habere videtur Caſus III. §. IX. ſi vero tubus *D. Montaigne* fuit modo aſtronomico cum una tantum lente conſtructus, tum vel haec fuit meniſcus, vel lens utrinque aequaliter vel inaequaliter convexa, et tum viſiones explicari poterunt per Caſus §. IX. ad quos referuntur. Eodem modo ex conſtructione tuborum *D. Roedkier Haffniae, et D. Montbarron Altiſſiodori* factae viſiones, quas §. V. et VI. retuli, ad ſuas Claſſes, ſupra §. IX. a me indicatas, referri poterunt.

Has itaque viſiones fieri potuiſſe iuxta Caſus §. IX. relatos, ſatis plane perſpicitur. Verum ſuperſunt quaedam difficultates non levis momenti, quae etiam acutiſſimos viros et multum occuparunt, et modum hunc meum explicandi viſiones horum celeberrimorum Obſervatorum admodum infirmare videntur: ſunt autem hujusmodi. *Primo, ſi ſpe-*

ctrum hoc cuipiam exercitato obſervatori ſemel apparuit per aliquem Caſum §. IX. relatum, cur idem ſpectrum, per tubos quaeſitum ſolertiſſime ab iisdem obſervatoribus, iisdem deinceps non apparuit amplius? *D. Casſini* certe praeter binas vices, etſi ſollicitiſſime in Satellitem hunc inquiſiverit, eum nunquam amplius vidit. Idem evenit *D. Short*, qui eum praeter unam diem deinceps haud amplius videre potuit, etſi in optimis circumſtantiis quaeſitum; videntur ergo dicti obſervatores aliud quid, quam ſpectrum, ſupra dicto modo explicatum, vidiſſe.

Ad hanc quaeſtionem, quae difficillima iis eſt, qui ſpectrum hoc realem faciunt Satellitem, mihi, qui illud cumprimis 1764. ſaepisſime modis omnibus periclitatus ſum, facillima eſt reſponſio. Ut igitur difficultatem hanc ordinatim reſolvam, quaerendum eſt *primo*, an iidem obſervatores, qui Satellitem viderunt, eosdem tubos, per quos ſemel viderunt Satellitem, an vero diverſos ad hunc detegendum deinceps adhibuerint? ſi diverſos ab illis, quibus Satelles ſemel apparuit, dicendum videtur, hos tubos conditiones neceſſarias easdem non habuiſſe fortasſis, quas habebant tubi, quibus Satelles viſus eſt, hinc etiam mirum non eſſe, ſi ſpectrum per hos non apparuit, ut ex §. IX. colligere licet, hoc eſt, fortaſſis eiusmodi erant conſtructionis, ut focus radiorum reflexorum vel ultra, vel cis focum radiorum refractorum ſitus fuerit. Si vero iisdem tubis, quibus Satelles ſemel viſus eſt, uſi ſunt ad hunc deinceps detegendum, tum quaerendum adhuc erit, an iisdem *invariatis* (dico *invariatis*) tubis uſi ſint? hoc eſt, an eaedem fuerint primae lentes oculares? an eodem modo collocatae? an eadem ab oculo diſtantia, quae fuit dum Satelles apparuit? an diaphragma primum, ſeu apertura tubi verſus oculum ſpectans, fuerit eadem, an vero minor? Si itaque harum conditionum aliqua in hoc tubo variata fuit poſt viſionem Satellitis, quae aderat viſo Satellite, mirum non erit, hunc amplius non comparuiſſe, ut ex conditionibus §. IX. conſtat. Quodſi vero hae omnes

condi-

conditiones eiuſdem tubi, eaedem atque invariatae fuerunt poſt viſionem, quae aderant dum Satelles conſpiceretur, ſupponanturque omnia praeterea caetera etiam paria fuiſſe, hoc eſt, coelum ſudum, Venus a vaporibus libera, Luna a Venere remota, atque ante crepuſculum matutinum, vel poſt veſpertinum obſervationes detegendi Satellitis inſtitutae etc. verbo; ſi ſupponantur omnia eadem fuiſſe: tamen, ſi vel ſola ſequens conditio, (quam veluti maximi momenti fuſius hic exponere cogor,) obſervata non fuit, mirum non erit, Satellitem hunc per eosdem etiam invariatos tubos, ab iisdem obſervatoribus, viſum non fuiſſe amplius. Haec ſola conditio a me ignorata, et non obſervata, in cauſa erat, quod ego, (et mecum fortasſis mille alii homines,) centies per tubum theatralem, ſupra §. VIII. explicatum, Lunam intuendo, nunquam tamen, ante repertam hanc conditionem, Satellitem Lunae conſpexerim, quem tamen nunc, et ego, et alii, tubo hoc invariato, (ſola hac conditione obſervata,) video toties quoties lubet.

Conditio ergo eſſentialis, toties quoties videndi Satellitem, ſeu ſpectrum Veneris, per tubum eundem invariatum, per quem ſemel viſus eſt, ſequens eſt: *ut ſcilicet oculus motu lentisſimo (NB lentisſimo) et non praecipitato, et cum quibusdam morulis, conſtituatur in eadem* (dico in eadem) *praeciſe a lente oculari diſtantia, in qua fuit tunc, cum ſpectrum prima vice apparuit.* Haec autem conditio eſſentialis adeo delicata eſt, ut niſi diſtantia haec oculi a lente, oculo moroſe, ut ita dicam, et quaſi inſenſibiliter moto quaeratur, ſpectrum ſemel fortuito viſum, vix unquam ſe iterum ſpectandum exhibiturum ſit. Quae conditio, quam ſit delicata, quamque intra admodum arctos diſtantiae oculi a prima lente limites contineatur, ex ſequentibus patebit, et ipſa experientia in periclitandis phaenomenis cum tubo theatrali §. VIII. recenſitis, docebit.

Conditio eſſentialis conſtructionis tubi, per quem Satelles, ſeu ſpectrum exhibeatur, ſupra demonſtrata, eſt ſequens:

ut focus radiorum reflexorum repraeſentativus ſpectri ſit intra limites foci radiorum refractorum, hoc eſt, *ut focus radiorum reflexorum non cadat trans, vel cis diſtantiam foci radiorum refractorum a lente*, deinde: *ut oculus praeciſe in diſtantia foci radiorum reflexorum a lente conſtituatur*. Iam vero ex dioptricis conſtat, ut ſupra innui, (vide figuram 13) focum radiorum refractorum *a*, *b*, qui oritur e radiis refractis *l*, *a*, et *m*, *b*, non terminari in uno puncto, ſed in pluribus punctis inter *a*, et *b*, adeo ut radii refracti colligantur in linea aliqua *a*, *b*, cuius limites, ſeu termini, ſint *a* et *b*: inde conſequitur, quod oculus intra limites *a* et *b* ubivis locatus obiectum primarium videre poſſit. *Secundo*, ex catadioptricis demonſtratur, focum quoque radiorum reflexorum *c*, *d*, fig. 13. etiam non eſſe in uno puncto, ſed in linea aliqua *c*, *d*, attamen comparando lineam foci radiorum reflexorum, cum linea foci radiorum refractorum, conſtat et experimentis dioptricis, et catadioptricis, lineam foci radiorum reflexorum, multo minorem eſſe quam foci refractorum, hoc eſt, limites foci radiorum reflexorum eſſe multo arctiores, quam limites foci radiorum refractorum; arctius enim colliguntur radii reflexi, quam refracti.

Ponamus iam conſtructionem tubi, per quem Satelles viſus eſt, eſſe eiusmodi, (vide fig. 12.) ut limites radiorum refractorum ſint *e*, *f*, et *g*, *h*; limites vero radiorum reflexorum a ſuperficie lentis concava, ſint *a*, *c*, et *b*, *d*, locus autem, ubi diſtinctiſſime apparet ſpectrum reflexum, ſit in interſectione *m*, *n*, cum *I*, *K*, quo caſu imago primaria a radiis refractis efformata videri poterit per totam lineam intra *e*, *f*, et *g*, *h*, concluſam, quae ſubinde etiam medium digitum et ultra aequare poteſt; unde oculus in quocunque loco intra limites *e*, *f*, et *g*, *h*, locatus, ubivis cernet obiectum primarium. Item quoniam limites radiorum reflexorum ſunt *a*, *c*, et *b*, *d*, igitur oculus intra hos limites *a*, *c*, et *b*, *d*, conſtitutus, imaginem ſecundariam, ſeu ſpectrum obiecti primarii videre poterit, qui limites radiorum reflexorum ſaepiſſime vix

unam

unam duodecimam digiti partem, ſaepius vix dimidiam lineam digiti aequant. Inde vero conſequitur, quod ſi oculus ſiſtatur inter *e*, *f*, et *a*, *c*, aut inter *b*, *d*, et *g*, *h*, ſpectrum videri omnino non poſſit, tametſi imago obiecti primarii diſtincte videatur; ſi vero oculus ſiſtatur intra limites *a*, *c*, et *b*, *d*, tum et ſpectrum, et obiectum primarium videri poterit, modo pupilla oculi non ſit in eadem *directione* I, K, ſed aliquantulum declinans, ne ſpectrum cadat ſupra imaginem primariam in retina depictam.

Eodem modo (in figura 14) ſi limites radiorum refractorum ſint *a* et *c*, limites vero radiorum reflexorum ſint *b* et *c*, tum ſi oculus ſit inter *b* et *c* aliquantulum declinans a *directione a*, *k*, eidem apparebit et obiectum primarium, et ſpectrum; ſi vero ſit inter *a* et *b*, ei ſolum obiectum primarium ſine ſpectro apparebit, quia nempe nondum attigit diſtantiam foci radiorum reflexorum.

Et pariter in Caſu figurae 15. ſi limites foci radiorum refractorum ſint *a* et *b*, reflexorum autem ſint *a* et *c*, tum oculo conſtituto inter *a* et *c* *directione a*, *k*, aliquantulum mutata, eidem tam obiectum primarium, quam ſpectrum apparere debet; ſi vero oculus ſiſtatur inter *c* et *b*, eidem ſolum obiectum primarium, ſine ſpectro, exhiberi debet.

Atque ex his iam ſolutio quaeſtionis propoſitae facillima eſt, dum nempe quaeritur, *cur obſervatores, qui ſemel viderunt ſpectrum Veneris, illud deinceps aut nunquam*, *ut D. Short*, *aut rariſſime*, *ut D. Caſſini*, *per eundem etiam invariatum tubum viderint?* quia nempe, dum oculum tubo applicabant, celeritate approbinquantis oculi ad tubi aperturam, arctos radiorum reflexorum limites aut praetergreſſi ſunt, ut, ſi (in figura 13) oculum fixerunt inter *d* et *b*, aut in figura 15 inter *c* et *b*, vel vero nondum attigerunt limites reflexorum, ut ſi, in figura 13, oculum fixerunt inter *a* et *c*, vel in figura 14. inter *a* et *b*, ubi tantum certum eſt videri poſſe obie-

ctum

ctum primarium ſolum, ſine ſpectro; ſola igitur praecipitata et celer oculi ad aperturam tubi applicatio in cauſa erat, cur arctiſſimos limites radiorum reflexorum huiusmodi obſervatores aut celerrime praetergreſſi ſint, aut nondum eos limites aſſecuti fuerint; hoc eſt, cur diſtantiam praeciſam oculi a lente non repererint amplius illam, quam habebant tunc, cum illis vice prima ſpectrum apparuit. Quodſi, obſervatores hi, *lentiſſime* oculum ad aperturam tubi admoviſſent, hoc eſt, diſtantias oculi a lente varias motu *lentiſſimo*, et quaſi *moroſe*, quaeſiviſſent, certus ſum, (nam propria experientia doctus loquor,) ſpectrum hoc, uti primo, ita ſecundo, tertio, et quarto etc. verbo: toties quoties libuiſſet, conſpicere poterant. De hac ſola cautela admoniti hoſpites mei, quibus ſpectrum Veneris, aut Lunae, aut etiam flammae candelae videndum exhibebam, id illico cum voluptate conſpexere; cum alii, hanc cautelam ignorantes, per eundem tubum nunquam videre poterant ante, niſi tum, cum de ea admonerentur. Cautela autem iſthaec neceſſaria omnino fundatur in vera catadioptricae et dioptricae Theoria, ut ſupra vidimus. *D.* igitur *Montaigne*, qui per quatuor dies Satellitem hunc vidit, aut lente oculum ad aperturam applicuit, aut caſu tubus illius ita constructus eſt, ut limites radiorum reflexorum et refractorum ſint in ea ab apertura tubi diſtantia, in qua ordinarie oculum applicare ſolebat; quapropter ſaepius etiam attigit diſtantiam foci radiorum reflexorum.

Si quis autem ex eo capite defendere vellet, ſpectrum ſemel viſum, deinceps vero nunquam conſpectum, ſcilicet: quod, etſi ſemper attigerit limitem radiorum reflexorum, tamen, quia oculus erat ſemper etiam in eadem *directione radiorum* refractorum, hoc eſt, quia ſpectrum cadebat ſemper ſupra obiectum primarium in retina efformatum; eum arbitror reſponſum admodum improbabile adferre propterea, quia maxime improbabile eſt, oculum ſemper in eadem directione poſſe applicari ad axem radiorum refractorum, quin aliquan-

aliquantulum ſubinde declinet: utprimum autem tantillum declinat, illico ſpectrum depingi debuit in alia aliqua retinae parte, diſtincta a parte retinae in qua obiectum primarium efformabatur, hoc eſt, ſpectrum videri debuit una cum obiecto primario.

Neque dicat aliquis, in caſu, quo obſervator oculo ad tubi aperturam appropinquans, tranſit per limites radiorum reflexorum in eo tubo, per quem ſemel viſus eſt Satelles, ſaltem pro eo tempore ſpectrum obſervatori apparere debuiſſe, quando per hos limites oculum movebat; adeoque videtur improbabile, ut quis tubo, quo ſemel conſpexit ſpectrum Veneris, deinceps nunquam illud videre potuerit: dico enim, ſolum *celerem* oculi per hos arctos limites tranſitum in cauſa eſſe non viſi ſpectri. Cum enim hi limites radiorum reflexorum adeo exigui ſint, ut ſubinde vix unam lineam digiti, nonnunquam autem vix mediam lineam adaequent, hinc ſi oculus paululum celerius admoveatur, fit, ut limites hi velut intra unum minimum momentum temporis oculo percurrantur; hinc etiam ſpectrum, quod quidem intra dictos limites efformatur, *celerrime*, et quaſi eodem momento, et naſcitur, et extinguitur, hoc eſt, ſenſationem nullam in retina ab anima perceptibilem producere poteſt, ob nimiam celeritatem motus oculi.

Praxis ergo hoc ſpectrum videndi per tubos §. IX. deſcriptos haec eſt, ut obſervator, *primo*: Venerem in medio campo tubi conſtituat, tum oculum *lentiſſime* ad tubi aperturam admoveat, donec circa margines campi, (nam ibi, ut conſtat ex catadioptricis, imago reflexa, ſeu ſpectrum principio apparere ſolet,) lucem quandam ſpuriam atque confuſam cernat, qua viſa *lentiſſime* oculum aut admoveat tantillum, aut removeat ab apertura tubi, prout viderit lucem hanc ſpuriam, vel clariorem et diſtinctiorem, vel vero obſcuriorem fieri; tum vero in loco, ubi diſtincte cernitur, poſito oculo, omnia ea experimenta periclitari poterit, quae ego demeis viſionibus ſupra §. VII. retuli. Si Venerem conſtituat prope

P limbum

limbum campi in tubo, tum ſpectrum, ſeu Satelles, facillime in medio campo tubi comparet; caeterum, ut ſupra §. VII, dixi, Satelles hic, in omni a Venere diſtantia et ſitu videri, ſeu efformari poteſt, prout nempe fuerit deviatio oculi ab axe radiorum refractorum, qui per centrum Veneris tranſit, hoc eſt, prout motus oculi circa imaginem primariam Veneris fuerit diverſus. Hinc ſpectrum etiam ſiſti poteſt adeo vicinum imagini primariae Veneris, ut eam tangere videatur, aut plane, ut ſupra diſcum Veneris cadat, ubi tamen plerumque diſparere ſolet; dico plerumque, nam fieri poteſt, ut ſpectrum (per ſitum oculi) adeo minuatur, ut ſub forma fixae alicuius 3, vel 4. magnitudinis comparere debeat: quo caſu ſpectrum hoc, utpote lucidius ipſa imagine primaria, ſupra diſcum Veneris apparere poſſit.

Quoniam autem Lectores huius mei ſcripti non omnes huiusmodi tubos habere poſſe intelligo, quibus Satellitem Veneris ſibi efforment, ea de cauſa §. VIII. tubum propoſui theatralem, qui cum maxime obvius ſit, et paſſim haberi, et pretio admodum exiguo a quovis facile comparari poteſt, et cuius conſtructio aptiſſima eſt, tum ad Satellitem Lunae facillime conſpiciendum, tum ad explorandam totam Theoriam ſpectri Veneris per tubos alios viſi. Theoria enim tota geneſios ſpectri Veneris in his conſiſtit: *quod cum in pupilla terminetur focus radiorum refractorum, exhibentium imaginem primariam obiecti; hic focus ſeu imago obiecti primarii, ex pupilla tanquam ſpeculo politiſſimo convexo reflectatur ſub certo angulo ad lentem primam ocularem, lens autem omnis ſuperficiem aliquam habeat, quae ſub certis conditionibus (§. IX. relatis) effectum praeſtare poteſt ſpeculi concavi, adeoque ignem a pupilla in aliquam lentis primae ocularis ſuperficiem delatam, per modum ſpeculi concavi auctam reflectere ad retinam.* Haec autem theoria omnis exacte habetur in tubo theatrali, qui lentem habet ocularem plano-concavam, cuius pars concava (tanquam ſpeculum concavum) oculum verſus ſita eſt, ut in experimen-

tia

tis §. VIII. relatis, clariſſime patet, ipſaque conſtructio tubi huius theatralis planiſſime demonſtrat.

Si quis igitur in hac elegantiſſima illuſione optica ſeſe exercere voluerit, ei ſuadeo experimenta cum Luna in quadratura, aut prope eam verſante, facere ea, quae ſupra §. VIII. recenſui; ſi nempe accipiatur tubulus theatralis, qui magnum campum habet, et obiecta, aut non auget, aut admodum parum, quique ex duobus vitris conſtructus ſit, hoc eſt, ex lente obiectiva plano, aut utrinque convexa, aut etiam pro obiectivo habeat meniſcum, vel huiusmodi compoſitum, ut ſunt Dollondiani: pro lente autem oculari habeat vitrum plano concavum, cuius pars concava oculum verſus ſpectet, habeatque praeterea aperturam ad lentem ocularem (ut plerumque fit) ampliorem. Hoc tubo, ſi Lunam aut plenam, aut prope quadraturam verſantem, quis intueatur, oculumque *lentiſſime et cum mora* ad lentem ocularem admoveat in ea a ſuperficie concava lentis oculum verſus ſpectante diſtantia, quae ſit circiter una quarta diametri, aut una dimidia radii concavitatis lentis plano-concavae, fieri nequit, ut multum temporis perdat, in efformando et videndo Satellite Lunae, faciliime enim per hunc tubum ſitus oculi invenitur, in quo ſpectrum nitide compareat, eaque omnia periclitari poſſint, quae §. VIII. recenſita habentur. Idem tentare poterit tempore veſpertino cum flamma candelae etc,

Soluta ergo faciliime difficillima, (ut prima fronte videbatur,) quaeſtione nunc expoſita, de cauſa non apparentiae ſpectri Veneris iis etiam obſervatoribus, qui illud ſemel, vel paucis vicibus viderunt, deinceps autem nunquam amplius videre potuerunt; ſuperſunt adhuc nonnullae difficultates, ex obſervationibus *Domini Montaigne* petitae, quae contra meam explicationem aliquid facere videntur. Et primum illud eſt: *Dominus Montaigne*, (ut §. IV. retuli,) Satellitem Veneris conſpexit ſemel etiam ſine Venere, hoc eſt, tum cum Venus in campo tubi non appareret, et quidem, (ut per littera

ras *Illuſtriſſimi D. D. Baudouin* edoctus ſum,) multo diſtinctius, quam praeſente Venere. Atqui, ſi Satelles iſte ſpectrum Veneris fuiſſet, dicto ſupra modo, per radios refractos et reflexos genitum, ſpectrum hoc ſine imagine primaria Veneris omnino videri non potuiſſet; igitur Satelles *Domini Montaigne* non ſpectrum, aut illuſio aliqua alia optica, ſed verus ac realis cenſendus eſt Satelles. ... Ut quaeſtioni huic ad ſpeciem ſatis difficili ſatisfaciam, etſi non dubitem futuros non nullos, qui exiſtiment, fieri potuiſſe, ut (emoto tubo) campum tubi fixa aliqua ſubingreſſa fuerit, quam *D. Montaigne* pro Satellite Veneris habere potuit; aut etiam fieri poterat, ut *D. Montaigne* lumen aliquod candelae ſub obſervatione hac ad latus conſtitutum habuerit, quod in eius pupillam radiabat, atque ab hac ad lentem ocularem reflexum ſit, (ut §. VIII. in experim. II. Fig. 4. exhibetur) indeque ad retinam delatum, per modum Satellitis, (praeoccupata iam imaginatione,) apparuerit. Ego tamen omnem huic relationi fidem adhibeo, ſolumque deſideraſſem maiorem circumſtantiarum explicationem, num ſcilicet Satelles iſte abſente imagine Veneris aeque magnus, quoad ſuam diametrum, an vero minoris diametri? num phaſis etiam aeque diſtincta, et ad eandem partem verſa, ut praeſente Venere, apparuerit, an ſecus? etc. Si Satelles iſte quoad magnitudinem adeo imminutus apparuit, ut per modum fixae alicuius 5. vel 6tae magnitudinis viſus fuerit, tum ſpectrum hoc generari potuit eo modo, quo Satelles Lunae ſupra §. VIII. Experim. I. Fig. 2. aut Satelles flammae Fig. 4. eiusdem §. VIII. Experim. II. Scilicet, evenire potuit, ut, (emoto tubo,) Venus extra tubum ad latus verſans radios ſuos directe ad pupillam emitteret, ibidemque depicta imago Veneris, reflexa fuerit a pupilla per aperturam tubi ad lentem ocularem, atque a lente, tanquam ſpeculo concavo auctior reflexa iterum fuerit per pupillam ad retinam: quodſi hoc modo viſus eſt Satelles, tum quidem lucidiſſimus apparere poterat, ſed adeo imminutus, ut vix fixam aliquam 5. vel 6tae magni-

tudinis

tudinis aequaverit. Verum ſupponamus, Satellitem hunc ſine Venere viſum, fuiſſe eiusdem diametri, eiusdem phaſeos, et eiusdem phaſeos ad eandem partem verſae, quae erat praeſente Venere; dico, phaenomenon iſtud ſatis probabiliter evenire potuiſſe modo ſequente, maxime ſi aperturam tubi ſupponamus fuiſſe aliquanto latiorem, ut eam ſe latiorem feciſſe ipſe fatetur *Dominus Montaigne* in litteris, quibus reſpondet *Illuſtriſſimo Domino Baudouin*, ad veterem meam demonſtrationem *Domino de la Caille* miſſam, et quidem ea de cauſa ſe feciſſe ampliorem aperturam tubi, ut diſtinctius et facilius Satellitem cernere poſſet.

Sit igitur in Figura 16. A, B, C, D. campus tubi, ſit Q, W, meniſcus ocularis, vel alia lens per modum ſpeculi concavi agens, ſit I, G, apertura tubi paulo amplior, verſetur itaque Venus in parte aliqua campi tubi ex. gr. in E prope limbum aliquem, fieri ergo poterit per ſitum oculi, ut radii refracti E, H, hoc eſt, focus refractorum depingat imaginem Veneris in pupilla ex. gr. in H, non ſupra foramen pupillae m, n, o, ſed ad latus aliquod huius foraminis, ſeu extra foramen pupillae in H, imago ergo primaria H, cum non penetret foramen pupillae, etiam ad retinam pertingere non poteſt, hoc eſt, imago primaria non videtur. Haec imago H, in parte pupillae extra foramen pupillae ſita, reflecti poterit, (ob amplitudinem aperturae tubi I, G,) in lentis ſuperficiem concavam in K, indeque reflecti per pupillae aperturam m, n, o, ad retinam in R, atque inde per lineam rectam referri ad campum tubi in F, ſicque ſpectrum Veneris ſine Venere ſpectari poterit, eiusdem diametri, eiusdem phaſeos, ad eandem partem ſitae, et quidem multo adhuc vivacius apparere debet abſente imagine Veneris, eo quod lucida imago Veneris in retina depicta, vicina ſpectro, lucem ſpectri aliquanto imminuere debere intelligatur. Hoc modo ſatis probabile videtur, phaenomenon hoc apparuiſſe *Domino Montaigne*. Attamen fortasſis alio adhuc modo huic

quaeſtioni ſatisfieri poſſet, ſi circumſtantiae omnes huius viſionis notae haberentur.

Difficultas altera ex obſervationibus *Domini Montaigne* petita ſequens eſt: quod nempe diſtantiae Satellitis a Venere adeo ordinatae, et loca viſa menſurae temporis inter obſervationes intercedentis proportionalia fuerint, quodque motus Satellitis conſtanter in eandem circum Venerem partem, hoc eſt, ab occidente in orientem, vel potius, (*ut Illuſtriſſimus D. Baudouin*, in ſua eleganti diſſertatione ſupputavit,) a ſeptentrione in meridiem fieri viſus ſit, qui ſitus nulli ſpectro, aut illuſioni opticae tribui poſſe videntur: ſi ſpectrum fuit, modo ſupra dicto genitum, cur ſitus iſti non fuerunt perturbati, ut facile perturbari poſſe motu ſolius oculi noſcuntur etc.

Quod ad diſtantias attinet, ſatis patet, ex hactenus dictis, eas aptiſſime etiam huic meo ſpectro convenire; quod vero ad motum ſpectat, non is videtur eſſe, ut demonſtrative perſuadeat, illum etiam ſpectro non poſſe tribui. Periodus certe huius Satellitis circa Venerem, quae ex his obſervationibus ſitus, iuxta combinationes deducitur, iam ſex, iam novem, iam duodecim dierum foret; ex quibus liquet, loca viſa quoad ſitum et motum ſatis fuiſſe perturbata, et potius ſpectro, quam reali Satelliti, convenientia. Accedit, quod Satelles iſte, (ut ex his *D. Montaigne* obſervationibus *Illuſtriſſimus D. Baudouin* egregie demonſtravit in ſua elegante diſſertatione,) praeter omnium nobis hactenus notorum Satellitum morem, non ab occidente in orientem, ſed potius a ſeptentrione in meridiem circa Venerem moveri deberet, ſeu quod orbita eius vix aliquam ad Eclipticam inclinationem haberet, quod certe praeter morem omnium Satellitum notorum eſſet, et potius Cometae alicui circum Solem moto, quam Satelliti circum Planetam primarium verſanti, quorum orbitae haud magnam habere noſcuntur inclinationem ad Eclipticam, tribui poſſet.

Super-

Superſunt nonnullae levioris momenti quaeſtiones ex Obſervationibus ſupra §§. II. III. IV. V. et VI. relatis formandae, ut, ſi quaeratur: cur *Domino Short*, qui hunc Satellitem per horam fere contemplatus eſt, per applicationem diverſarum lentium ocularium varii augmenti ſemper viſus ſit? Ad hoc reſpondendum videtur, cum diverſae hae lentes pertinuerint ad eundem tubum Gregorianum 16½ pollicum, ſolumque ad obtinenda diverſa augmenta obiectorum applicabantur, videntur omnes hae lentes ex eadem theoria conſtructae et combinatae fuiſſe, hoc eſt, primam ad oculum lentem fuiſſe in omnibus applicationibus vel meniſcum, vel lentem utrinque convexam, cuius focus radiorum reflexorum cum foco radiorum refractorum quoad diſtantiam a lente congruebat, ut poſtulat Caſus I. vel III. §. IX. Idem reſpondendum videtur, dum refert *Dominus Short*, Satellitem a ſe per alium etiam tubum Gregorianum conſpectum fuiſſe, nempe et hic tubus erat Gregorianus, fortaſſis ex eadem theoria et combinatione lentium conſtructus; combinationem autem hanc, quae ſpectrum, ſeu Satellitem exhibeat in Gregorianis meniſcum pro oculari prima habentibus, admodum ſaepe evenire noſcitur, ut ipſe, in duobus Gregorianis meis, ſupra relatis, expertus ſum. Optandum fuiſſet, ut *Dominus Short*, tubo alio reflectente methodo Newtoniana conſtructo in hunc Satellitem indagaſſet tunc, cum eidem per Gregorianos apparuit, non dubito, illum idem experturum fuiſſe, quod ego de meis Newtonianis ſupra §. VII. retuli, hoc eſt, Newtonianis Satellitem hunc vix apparitur um fuiſſe; unde facilis fuiſſet illatio, Satelliti Veneris per Gregorianos apparenti, diſparenti vero per Newtonianos, illuſionem aliquam opticam ſubeſſe. Idem factum optaſſem a *Domino Montaigne*, ſi alios praeſtantiores adhuc tubos alterius conſtructionis, maxime Newtonianos, ad manus habuiſſet. Obſervatores quidem *Haffnienſes*, (vide §. V. et animadverſionem III. §. VI.) eodem veſpere, dum per tubum 9½ pedum Satellitem contemplabantur, ad tollendum

ſtendum dubium illuſionis opticae, in eundem per tubum alium 18. pedum, alium item 7. pedum, inquiſiverunt, et omnino his tubis Satellitem ſe videre non potuiſſe faſſi ſunt; quae non viſio per hos tubos argumentum erat omnino convincens, Satellitem per tubum $9\frac{1}{2}$ pedum eſſe debere illuſionem. Si enim erat realis, cur per alios tubos, maxime longiorem 18. pedum, viſus non eſt? verum praeoccupati ſententia de realitate Satellitis a tam Illuſtribus Academiis approbata, non viſionem hanc per tubos 18. pedum, et 7. pedum, adſcribere maluerunt aurorae cuipiam boreali, quae non ſub ipſa obſervatione, ſed poſt hanc primo eiuicuit.

Cur autem *Dominus Short*, caeterique, Satellitem hunc deinceps per eosdem tubos, quibus viſus eſt, videre amplius non potuerint, reſponſum fuit ſuperius, ubi de limitibus foci radiorum reflexorum et refractorum uberius diſſerui.

Porro, ſi his obiectionibus pro evincendo Satellite reali Veneris a patronis huius Satellitis formatis, opponantur aliae ab adverſariis, ſeu ab iis, qui hac mea demonſtratione convicti ſunt, cenſeo, ad quaeſita adverſariorum Satellitis, patronos eius vix aliqua probabilitate reſpondere et ſatisfacere poſſe. Ut, ſi quaerant:

Primo: Si Satelles iſte Veneris vere eſt realis, et circum Venerem orbitam ſuam habet, ſi diameter illius eſt una tertia, vel una quarta diametri Veneris, adeoque Venere in parte inferiore ſuae orbitae verſante, (hoc eſt, quando Venus Telluri appropinquat,) diameter Satellitis tanta fere apparere debet, quanta eſt diameter Mercurii in diſtantia minima a tellure, hoc eſt, ſaltem 14. vel 15. ſecundorum, cur inquam, tam raro hactenus viſus eſt tantae magnitudinis apparentis Satelles? cur tantus operam luſit Obſervatorum exercitatiſſimorum, tubis optimis inſtructorum, Satellitem hunc in circumſtantiis optimis quaerentium, tubis inquam, quibus ipſi debiliſſimi alias Satellites Saturni diſtincte cernebantur? E longo Obſervatorum in Satellitem hunc ſolertiſſime inquiren-

rentium Catalogo, vel unum *exercitatiſſimum, totique Europae notiſſimum* D. Meſſier, *in obſervatorio maritimo Pariſiis Aſtronomum celeberrimum*, nominaſſe ſufficiat, qui, ut me per litteras edocuit, tubo optimo Gregoriano 30. pollicum, quo Eclipſes Satellitum Iovis diligentiſſime obſervare ſolet, Anno 1764. per Menſes Aprilem, Maium, Iunium etc. diebus ſingulis, quos illi coelum ſerenum indulſit, quos certe quamplurimos mihi transſcripſit, Venerem cauſa huius Satellitis detegendi contemplatus eſt, adhibitis etiam variis vitris, factis variis aperturis etc. et tamen fatetur, adhibita omni induſtria, ſe hunc nunquam videre potuiſſe. Ipſe *Dominus Short*, licet iisdem tubis uſus ſit ad iterum videndum Satellitem, quibus eum ſemel viderat, hunc tamen nunquam deinceps vidit. Idem evenit *Domino Montaigne*, atque innumeris aliis, in vanum Venerem cauſa huius Satellitis contemplantibus. Cur ergo, inquam, tam inſignis magnitudinis Satelles, vel per obvium tubum quemvis, imo etiam libero oculo (uti Mercurius) alias videndus, tam raro viſus eſt?

An cauſam rarioris huius apparitionis referent ad neſcio quas Satellitis maculas? dicentque, fortasſis partem globi huius Satellitis ita eſſe conſtitutam, ut inepta ſit reflectendae lucis a Sole acceptae, perſimili modo, uti refertur de quinto Satellite Saturni? Sed reponent adverſarii: Satelles iſte probabilius habet motum rotationis circa axem proprium, cur ergo ita avarus eſt, ut tam raro nobis exhibeat partem lucis ſolaris reflectendae capacem? quintus Saturni Satelles certe multo liberalior eſt, qui tantum in parte ſuae orbitae occidentali diſparere conſuevit, in aliis partibus comparet, et id quidem facit ordinatisſime. Deinde cur iſta periodus vertendi partem lucis reflectendae capacem tam eſt inordinata, ut ab anno 1672. ad annum 1686, quibus Satellitem *Cel. Caſſini* vidit, anni 14. interceſſerint; ab anno 1686. ad annum 1740. quo illum *D. Short* viderat, praeterlapſi ſint anni 54. iterum ab anno 1740. ad 1761. quo

cum *D. Montaigne* contemplatus eſt, evoluti ſint anni 22, denique ab anno 1761. ad annum 1764, quo viſus eſt *Hafniae*, et *Altisſiodori*, anni praeterierint duntaxat 3. An vel tenui probabilitate reſpondebunt, dicendo: quia his intermediis annis obſervatores eidem detegendo non invigilarunt; cum tamen credibile ſit, *Dominum Caſſini*, quoad vixit, huic inquirendo ſaepiſſime invigilaſſe, idem feciſſe haud dubitandum eſt *Dominum Short*, et complures alios, ad quos tam ſingularis relatio novi huius Satellitis pervenerat.

An pro altera tam rarae apparitionis cauſa, dicent, eſſe orbitam huius Satellitis adeo amplam, ut dum Satelles eſt in digreſſione maxima apparente, diſtantia Satellitis a Venere maior ſit, quam ullus ſit campus tubi, qui Satellitem cum Venere capere poſſit. Sed huic reſponſo repugnant obſervationes *Domini Montaigne*, qui a die 3. ad 11. Maii fere duas tertias ſuae circum Venerem orbitae Satellitem confeciſſe vidit, et quidem in orbita tunc fere ad radium viſualem perpendiculari, cuius radius, ſeu ſemidiameter orbitae, non maior viſa eſt 26. minutis, quae certo campum tubi, etiam maioris augmenti, non excedunt. Accedit, quod, etiam ſi ſupponatur, orbitam huius Satellitis contra aliorum Satellitum normam, ita eſſe parum inclinatam ad eclipticam, (ut refert *Illuſtriſſimus D. Baudouin*,) ut eam fere ad angulos rectos ſecet, Venus tamen ſaepiſſime in nodis huius orbitae Satellitis verſari debere intelligitur, quo caſu Satelles quaſi in linea recta circum Venerem moveri apparere debet, ita ut a Venere etiam occultari videri poſſe debeat; cur ergo in tanta vicinia Veneris ſaepius viſus non eſt?

An pro cauſa tertia tam rarae apparitionis aſſignabunt lumen Zodiacale, ſeu athmoſphaeram Solis, cui Venus una cum Satellite fere ſemper immerſa eſt? dicentque: hanc Solis athmoſphaeram veram eſſe cauſam, cur Satelles tam raro radios Solis ad nos in tanta copia reflectere poſſit, ut per tu-

bos

bos etiam optimos conſpici poſſit. Sed, qui id aſſerunt, iis demonſtrare incumbit, illis diebus, quibus Satelles viſus eſt, aut Venerem extra athmoſphaeram Solis verſatum fuiſſe, aut athmoſphaeram Solis ea parte, in qua Venus tum erat, fuiſſe minus denſam: quod quidem oſtendere admodum arduum eſſe intelligitur, ſi calculi ineantur, (ut facile iniri poſſunt,) tum ſitus athmoſphaerae Solis, tum locorum Veneris pro illis temporibus, quibus Satelles in ſupra recenſitis §§. II. III. IV. V. et VI. viſus eſt. Quid autem reponent quaerenti: ſi pars tantum athmoſphaerae Solis, cui Venus immerſa eſt, Tellurem inter et Venerem poſita, capax eſt ſua denſitate impediendi apparentiam Satellitis Veneris, et quidem Satellitis habentis tam ſenſibilem diametrum, cur totius athmoſphaerae Solaris denſitas, (in caſu, quo locus geocentricus Iovis, aut Saturni, eſt poſt athmoſphaeram Solis,) inter Tellurem et Iovem aut Saturnum interiacens, apparentiam Satellitum Iovis, aut Saturni, quorum diametri apparentes multò minores ſunt diametro apparente dicti Satellitis Veneris, non impedit. Caſus iſte, in quo tota athmoſphaera Solis interponitur inter Iovem aut Saturnum, et inter Tellurem, frequentiſſimus eſt, ante nempe, et poſt coniunctionem Saturni vel Iovis cum Sole, qui omni anno contingunt in Saturno, in Iove etiam omni anno fere, neque tamen Satellites Iovis, aut Saturni, hac de cauſa redditi ſunt inviſibiles. An dicent, diſcrimen magnum intereſſe inter Satellites Iovis, aut Saturni, in magna poſt athmoſphaeram Solis diſtantia verſantes, et Venerem atque eius Satellitem, ipſi athmoſphaerae Solis immerſum, qui attractione ſua facere poteſt, ut materia athmoſphaerae Solis circa globum Satellitis ita accumuletur, et condenſetur, eumque perſimili modo involvat, uti exhalationes Cometae ipſum corpus Cometae circumdant. Sed admiſſa etiam hac attractione, quaerent adverſarii, ſi Satelles hac virtute gaudeat, cur Venus ipſa, et multo magis Mercurius, expertes ſint huiusmodi attractionis, qua ſibi athmoſphaeram propriam e materia athmo-

ſphaerae Solis adeo denſam formare valeant, quae globum Veneris vel Mercurii minus viſibilem reddat? huiusmodi certe athmoſphaera praeditam Venerem, vel Mercurium, nemo Aſtronomorum prodidit ſe unquam conſpexiſſe. Quaerent deinde, quonam modo Satelles iſte, dum clariſſime apparuit, uti apparuit *Domino Short* et *Domino Montaigne*, hoc involucro, ſeu athmoſphaera propria, privatus fuerit? Quaerent denique, cur ſaltem dum ſub hoc involucro latet Satelles, lucem aliquam debiliorem perſimilem luci Cometarum conſtanter ad nos reflectere non poſſit, quin ſaltem ſub forma parvi alicuius Cometae criniti, Venerem comitantis, apparere valeat? Maxime certe improbabile eſt, ut hoc involucrum Satellitis ex athmoſphaera Solis effectum eius ſit naturae, quae tam exiguam quantitatem radiorum Solarium ad nos reflectat, ut Satelles plane inviſibilis efficiatur etiam per tubos optimos. Ipſa athmoſphaera Solis, (ſeu lumen Zodiacale,) etſi ſatis rara, tamen capax eſt reflectendi lumen Solis ad nos in ea quantitate, quae oculo ſit ſenſibilis: cur ergo denſior Satellitis athmoſphaera, ex athmoſphaera Solis formata, aut ipſum corpus Satellitis per athmoſphaeram ſuam incapax eſt reflexionis ſufficientis lucis ad conſpiciendum Satellitem?

Et denuum, quid reponent ad quaeſtionem ſimilem, ſi ſupponamus meas quoque viſiones haberi pro Satellite reali, ut fortaſſis ipſemet pro talibus vulgaſſem, niſi in indaganda veritate oculatior fuiſſem; cur ego eundem vidi ab anno 1757. ad hunc praeſentem, quo haec ſcribo, annum 1765. per annos fere novem, et quidem toties quoties volui? nec tantum ipſe vidi, ſed aliis, quibus volui, ſpectandum feci, ut ſupra retuli. Cur ergo aliis non apparuit praeter *D. Montaigne* Lemovicis, 1761. et *D. Roedkier* Haffniae 1764. atque eodem anno Altisſiodori *D. Montbarron*? cur ego eundem anno 1764. per menſes Martium, Aprilem, Maium, et Iunium, ſaepiſſime contemplatus ſum iisdem fortaſſis diebus, quibus eum invenire quaeſiverat Pariſiis *D. Meſſier*, quibus

cum

eum viderunt Haffniae et Altiſſiodori, et quibus eum ibidem amplius videre non potuerunt? cur ergo mihi apparuit toties quoties volui, aliis non item? an dum ego habebam coelum ſudum, ipſi ſemper habuere nubila? quamnam cauſam aſſignabunt, quod eum per binos tubos Gregorianos ſemper videre potuerim, per tubos vero Newtonianos longe maioris praeſtantiae nunquam, licet ſaepius et ipſe tentaverim, et aliis periclitandos dederim? Quid? ſi deinceps a Lectoribus mei ſcripti ſemel viſus, iisdem ſemper ſe videndum praebebit? quid, inquam, reponent ad haec patroni Satellitis.

Sed haec a me diſcurſus potius gratia, quam pugnandi animo, a quo alieniſſimus ſum, dicta velim. Iterum aſſero, me obſervationes aliorum ſuo in pretio relinquere, de meis, etſi aliorum ſimillimis, ſolum affirmo, me certisſimum eſſe, ſpectrum hoc meum omnino nullo modo fuiſſe Satellitem realem Veneris, etſi hunc egregie mentiretur, adeo ut mirum non fuiſſet, niſi cautior fuiſſem, ſi et mihi impoſuiſſet. Veniet itaque tempus, quo illi, qui mea haec legerint, et ſpectrum hoc omnibus modis ipſimet periclitati fuerint, certa proferant argumenta, aut huius a me demonſtratae illuſionis opticae, aut realis exiſtentiae, (quod quidem arbitror futurum nunquam) Satellitis Veneris. Neque hanc meam veram demonſtrationem, quam per novem integros annos ſecretiſſime apud memet ſervabam, adhuc in lucem publicam protuliſſem, niſi ſecretis meis anno 1761. die 1. Iulii ad immortalem *D. de la Caille* datis litteris, et poſt obitum huius mei Amici revelatis, coactus, et amica *Illuſtr. et doct. cel. D. D. Baudouin* exhortatione, animatus fuiſſem. Maturior ergo huius meae demonſtrationis evulgatio, non tam mihi, qui hanc aut nunquam, aut ſerius fortaſſis protuliſſem, quam caſui ſupra dicto, atque amicis monitis *Illuſtr. D. D. Baudouin*, recti, verique amantiſſimi, atque adeo veri Philoſophi, tribuenda erit.

Atque haec, quae ſcripſi, etſi parum fortaſſis ad Aſtronomiae profectum faciunt, plurimum tamen arbitror factura ad *maiorem illius DEI Gloriam*, qui, ut ipſe expers eſt omnis illuſionis, ita menti humanae illuſionis capaci ſufficientibus providit mediis, quibus ſeſe ab illuſionibus et erroribus expediat, modo mens iſthaec advertat ad eas leges, ſecundum quas Ens illud Supremum entia a ſe creata agere voluit. Eſt axioma; *ſenſus non fallere*, et recte: nam ſenſus eſt organum ſenſationis, quod impreſſionem acceptam eo modo exhibere debet, quo facta eſt; mens ergo ex occaſione ſenſationis non rectum de ſenſatione ferens iudicium, ſeipſam fallit, ſibi illudit, ſeque errore involvit. Proponamus homini ignoranti leges dioptricas: vas quoddam profundius aqua repletum, in cuius fundo moneta quaedam ſplendidior poſita ſit; hic homo, (ſi ſolam ſuperficiem aquae videre poſſit) affirmabit, veram ac realem monetam ſuperficiei aquae ſupernatare, et fors etiam indignabitur meliora docenti, atque dicenti, monetam, quam videt aquae innatantem, ſpectrum tantum eſſe, aut imaginem realis monetae illius, quae in fundo vaſis poſita habetur; nec credet ante dicenti, niſi ipſis oculis, ipſisque adeo manibus monetam in fundo vaſis poſitam contingat. Et ita de pluribus aliis illuſionibus ſpeculorum aut cylindricorum cavorum, aut concavorum ſphaericorum, ſentiet. Illudit ergo ſibimet mens, vel ex defectu notitiae, vel rectae applicationis legum notarum naturae agentis, adeo ut veriſſime pronuntiaverit *Phaedrus in Prologo ad lib. IV*.

Non ſemper ea ſunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

IAC. HERM. OBEREIDII ARBORE-FELICE-HELTII, Cnymiatri Lindangia-Acroniani, Academiae Scientiarum Electoralis Boicae Sodalis, univerſalis confortativa medendi methodus: Disquiſitio nova.

Carolsruhae, ex Officina aulica Macklotiana, 1767. 8vo. 10 pl.

Univerſalis confortativae medendi methodi disquiſitionem ita inſtituit Auctor, ut primum quid ſanitas, cauſaeque eius, quid porro morbus, quae tandem cauſae ſint morborum internorum, diſpiciat. Sanitas, ita ait, eſt integritas et alacritas virium corporis, ad functiones ſuas omnes facile perficiendas. Hoc apparet ex contrario. Morbus enim omnis eſt debilitas quaedam, vel moleſtia, functiones laedens corporis, quae, ſi iterum tollitur, reſtituit ſanitatem, pendentem ex vegeto, libero, aequalique humorum per corporis vaſa circulo, qui a viribus ſolidorum, praecipue canalium, elaſticis provenit. Hac vi motrice praecavetur, quo minus ipſis parietibus vaſorum quid adhaereſcat, vel ſtaſin aut impedimentum efficiat, et qua aequilibrium totius corporis conſervatur. Ex his concludit Auctor, perfectum et univerſale ſanitatis fundamentum eſſe robur ſolidorum ſufficiens, et vegeta ubivis motione perpetuo activum ordinatumque: neque tamen hoc ſufficit, ſed noſcendum etiam eſt, unde robur illud ſolidorum elaſticum? Oriuntur ex fluidis ſolida per cohaeſionem particularum terrearum, ſalinarum, viſcidarumque; ex his generatur corpus; ab his augmentum et nutrimentum ſuum ſumit; et ſic a fluidorum vigore fortia naſcuntur ſolida, a debilitate debilia. Solida autem movet laceſſens humorum influxus, quem fluidum nerveum praebet. Solidorum iſte motus a fluidis excitatus in fluida ipſa agit, hinc iuſta quantitas, qualitas, elaboratio, ſecre-

ſecretio, et applicatio fluidorum cum motu eorum libero, primarium exiſtit fundamentum ſanitatis phyſico mechanicum. Neque tamen hoc ſolum ſufficit, ſed requiruntur actiones corporis variae, ut reſpiratio, nutritio, motus, quies, caetera. Itaque ſic corpus durare poſſet ſanum vivumque, niſi et anima ad motus vitales excitandos foret neceſſaria, ſiquidem ſine hac corpus eſſet machina, quae ſe vix nutrire, vix movere valeret, qualis occurrit ubi corpus mortuum eſt; hinc anima corpori iuncta eſt principium, et unicum, et ſufficiens, activitatis corporis ſtructi vivae; hinc etiam plurimum ad ſanitatem conſervandam confert. Cum enim animae imperio totum corporis regimen ſit ſubiectum, ideo etiam multum ab ea ſanitas pendet. Variae enim animi commotiones varios motus et effectus producunt: ſic animi affectus extravagantes, (ita auctor appellat iram, terrorem, caetera,) corpus graviter afficiunt; cum contra moderati affectus animi tantum ad ſanitatem conferant, quantum illi noceant. Uti autem anima corpori varios motus communicat, ſic corpus per obiectorum ſenſibilium impreſſiones, mediante fluido nerveo propagatas, animo communicat, ſenſationes externas, quae animam ad novos motus exſerendos impellunt. Motus hi ad ſanitatem inſervientes ita debent eſſe conſtituti, ut motus fluidorum vegeti, liberique, facile promoveantur. Igitur ut hoc fiat, hygienes naturalis requiritur exercitium rationale in corpore integro, ad quod efficiendum aliquid inter corpus et animum alere debet commercium, quod fluido nerveo efficitur. Hoc ſua ſubtilitate et mobilitate plurimum ad ſanitatem ſtabiliendam confert, ſiquidem illud pro varietate corporum varium invenitur, ut Auctor ex variis experimentis explicari poſſe putat; ſic quoque hoc fluidum nerveum varia ratione mutari poſſe, ex eo demonſtrare annititur, quod non ſolum morbi, verum etiam animi affectus, ut moeror, eius qualitatem mutare poſſint, quoniam, et in utriſque corpus mutatum obvenit. Cum vero a ſanguine hoc fluidum oriatur, et huius mutationes ab eo mutato

imo pendere, credit. Quae conſideratio ipſum auctorem ad ſanguinis exortum ducit, huiusque cognitio eo magis eſt neceſſaria, quoniam, ut auctor dicit, ſanguis eſt fluidum cunctorum in nobis quaſi centrale, unde reliqua fluida et ſolida omnia oriuntur. Fluidorum autem humanorum principia ſunt vel particulae aethereae, vel aereae, vel ſulphureae, vel ſalinae, vel aqueae, vel terreae. Particulas aethereas et ſulphureas A. eo magis explicare ſtudet, cum reliquae ſint ad ſenſum notabiliores; grave enim hic occurrere diſcrimen autumat. Sulphureum principium idem eſſe cum principio aethereo lucido et igneo, materiaque electrica, doctorum tantum non omnium, dicit, videtur opinio; atque ſecundum eos eſt cauſa materialis praecipua tam cohaeſionis, nutritionis, coloris, quam odoris, atque ita volatilitatis calorisque igneſcentis, caetera. Hoc principium ſeſe ſiſtit palpabilius ceu terra ſulphurea in mineralibus, ceu oleum, gummi reſina, camphora in vegetabilibus, ceu materia praecipua pinguedinis et viſcoſitatis in animalibus. Itaque ex his ſatis apparet, eſſe nihil aliud principium ſulphureum noſtri auctoris, quam partem corporum oleoſam. Ceterum, ex his plures demonſtrationes eliciuntur, tandemque principium viſcidum appellatur, quod eſt medium inter ſolida et fluida. Horum principia ſunt aqueum, aereum, et aethereum, illorum terreum et ſalinum, inter haec medium eſt et vinculum principium naturale viſciditatis, ſulphureum et extrema duo, terra ſoliditatis maximae, aether vero fluiditatis ſummae principium. Haud inconcinnus ſane Auctor ſe ipſum miratus exclamat, ordo elementaris, quem poſtea ulterius explicat, et praecipue principio ſuo viſcido valde agglutinatus, illud ut habitaculum facile evolubile, expanſile, fuſibile, ac ſolubile, tenerrimae ac copioſiſſimae materiae igneae, appellat phlogiſton. Capitalis tamen, inquit, eſt obſervatio, quae praedocet, non omne viſcidum eſſe phlogiſton, ut in ſe plane oſtendunt mucilago, gummi purum, caetera; ſiquidem, ut aliquid accedat, quo id reddatur phlogiſton, eſt neceſſe; et hoc qualificans eſt aether igneus. Novum hoc principium

 com-

comparat cum principio mercuriali et arſenicali in regno minerali, et cum eo in vegetabili, quod eſt vaporoſum ſeu halituoſum, ſpirituoſe fermentificum, et quod in animali actus monſtrat exhilarantes, inebriantes, narcoticos, expanſive ſuffocantes, atque orgaſtico putrefactivos, celerrime et effuſiſſime relaxantes, diſſolventesque in volatilitatem expanſivam. Hoc principium, (ut porro cum Auctore loquamur,) in noſtro corpore fit expanſive ſubtiliſans, fluidificum, volatiliſans ſeu halituoſum, elaſticitatis perpetuo activae, atque in ſanguinem et animae ſedem agit. Hic in primis Auctor ſuae doctrinae chemicae copiam monſtrat, dum facili ratione fluidi nervei ſecretionem ab hoc principio aethereo igneo calorifico deducit, et motum eius ita explicat, ut cum lucis celeritate, eius in nervos ingreſſum ab anima, et regreſſum per eos ad animum cum fulgure comparet, adeoque ad luminoſi naturam aetheris propius reliquis accedere dicat. Ex hoc ſuo principio calorifico, humores maxime rareſaciente, varia temperamenta ſtruit: temperamentum ſanguineum eo abundat; melancholicum, huic oppoſitum, vel minimam quantitatem, vel maxime impeditam et involutam habet; phlegmaticum nimia aquoſitate vim vividam calorifici aetheris debilitat; in cholerico tandem principium illud actuoſum acredini ſalini elementi unitum, et fere igneum totum eſt. Hanc ſuam doctrinam de vi aetherea fluidifica, ulterius variis ex narcoticorum effectibus probare, et firmiorem reddere ſtudet ex chemicis obſervationibus Becheri et aliorum; ſimul te varias quaeſtiones Phyſicis reſolvendas tradit, quarum cardo in eo verſatur, ut tandem irritabilitatem elementarem a principio aethereo et viſcido iunctis deducat. Hinc tranſit ad conſiderationem elementi aërei, quod vel in aqua, vel in viſcido, manifeſtius in corporibus melancholicis et phlegmaticis occurrit; ſed ſubtiliſatus valde, ac per aetherem expanſivum diviſus aër, in corporibus ſanguineis, et tenuis compreſſior in cholericis, latet. Aſt redit Auctor iterum ad principium viſcidum, quod eius eſt Protheus, ſiquidem omnia reliqua elementa ſibi habet intertexta, et eorum eſt matrix, ac pro varia complicatione

formas

formas multiplices aſſumit. Triplicem tamen claſſem in univerſum viſcidorum corporis humani proponit, oleoſam, gelatinoſam, et mucoſam. Sanguis haec tria ſimul continet genera, oleoſum in cruore ſuo rubro, in ſero autem gelatinoſum et mucoſum. Sed et terram nunc conſideratione dignam cenſet, quod ſit ſoliditatis omnis cum ſale et glutine ſicciori fundamentum, immo et roboris, non item gravitatis, communicativum principium. Haec enim qualitas gravifica ſali potius primigenio, acido fortiſſimo, tribuenda venit, ſiquidem, quo plus acidi fixioris materia quaedam contineat, tanto eſt gravior. Quam rem in mineralibus ſulphur, ſuccinum, caetera; in vegetabilibus reſinae et ſalia acida, probant: ita ut elementum ſalinum acidum primigenium aperte ſit veriſſima materia gravifica, maxime centripeta. Denſitatem quidem ipſis particulis terreis elementaribus adſcribit, eisque figuram irregularem obtuſangulam tribuit; ſed denſum ſic formare nequeunt corpus, niſi et principio ſalino et glutinoſo connectente baſis ſoliditatis conſtituatur, ad quam conformandam etiam aquae, volatili igne orbatae, vel aethere per acidum fixum conſtricto impraegnatae, conſiſtentia glacialis, vel quaſi gelatinoſa et cryſtallina, haud parum confert. Sed et reliquas partes elementares, aërem et aetherem, aliquid conferre demonſtratur, et ex his progenies primitive mixtarum terrarum, ſecundum elementorum condominium, partitur in terram ſalinam, cryſtallinam ſeu vitreſcibilem, pinguem ſeu ſulphuream, et gelatinoſam, mercurialem etiam ſubtiliſſimam, ſeu aëre et aethere fluidifico cum viſcido vel ſale conflatam. Harum terrarum praeſentiam pluribus demonſtrationibus chemicis, ex tribus regnis naturae petitis, et experimentis chemicorum, evincere ſtudet, quas referre brevitas vetat. Facere tamen non poſſumus, quin notemus, Auctorem a rebus ope ignis aliisque encheireſibus extricatis et repertis, ad earum praeſentiam in corpore vivo concludere, neque cogitare, quantae illis adminiculis adhibitis fieri debeant et ſoleant mutationes, ita ut ea, quae in vitro vel crucibulo inveniantur, pro-

ſus ab illis in corpore vivo praeſentibus differant. Sed haec non curat Auctor, potius varietatem terrarum in temperamentis demonſtrat, atque temperamentorum ſenſibilitatem, irritabilitatem, et elaſticitatem, inde deducit. Varium porro temperamentorum conſuetorum habitum deſcribit; tandemque bina nova addit, alterum a tranquillitate et moderatione animi Socraticum appellandum, alterum heroicum non minus, quam tenerum valde et graviter placidum, ob praeſtantiam ſuam, ab Antonino Philoſopho Imperatore Antoninianum, vel ut Auctor mavult, ab Hallero Hallerianum dicendum. His conſideratis Auctor ad morborum contemplationem progreditur, prius vero quam hoc efficiat, rerum hactenus pertractarum conſpectum exhibet, et quae ad ſanitatem bene ſtatuendam atque ſervandam requirantur, demonſtrat. Requiruntur autem circulus humorum iuſtus; canalium et ſolidorum omnium vigor integer, et ubivis libere activus; ſecretiones bene procedentes, bona reſpiratio, nutritio excretio, motus et quies, ſeu diaeta corporis naturalis. Ad ſanitatem vero tuendam ſpecialior quidem moderationis temperamenti, aetatis, et ſexus obſervatio, ac demum ſecundaria attentio ad uſum inſtrumentalem exteriorum accidentalium ſanitatis adminiculorum, pertinent, ut ſunt temperies climatis, habitationis, apta ratio generis vitae, caetera. Cum vero eſſentialia inſigniora Auctor tantum percurrere velit, in aſpectu accidentalium iſtorum morari haud opus eſſe putat, ideoque ad morborum conſiderationem tranſit. Morbus ei eſt debilitatio vel moleſtatio, functionem aliquam corporis animalis laedens, impediens, turbans, tollens. Niſi enim vires corporis debilitentur, nulla moleſtia ſentiretur, neque morbus eſſet poſſibilis; indeque poſſibilitatem morbi ponit in virium noſtrarum inſufficientia ad ſuperandas, avertendas, evitandas debilitationes et moleſtias omnes. Ex his porro demonſtrat, quomodo viribus vitae debilitatis variae actiones, praecipue fluidorum progreſſus, et eorum ſecretio, varia ratione laedantur, et ipſum commercium actionum animae

et

corporis per mediationem fluidi nervei variis modis turbetur. Ex quibus apparere putat Auctor, maxime in morbis affici fluida; internis nempe in morbis id plurimum et evidentius obtinet, de quibus ergo ſolis in hacce tractatione ei obverſatur quaeſtio. Morbi quidem interni ſolidorum vel fluidorum plerumque audiunt: cum vero omnia ſolida ex fluidis oriantur, illis nutriantur, et conſerventur ad varias functiones perficiendas, ideo omnis morbus ſolidorum internus a morbo pendet fluidorum, quare Auctor, de morbis internis agens, morbos fluidorum ceu proprie internos conſiderat. Horum morborum cauſae primae in fluidis generales hae ſunt: vel motus peccans, vel quantitas vitioſa, vel qualitas prava, vel concurſus unius, alterius, aut omnium priorum. Peccat autem motus fluidorum vel exceſſu, vel defectu, ſic quoque quantitas vel exceſſu vel defectu; qualitatis vitia vel intenſiori ampliorive, quam iuſtum eſt, praedominio, vel defectu proprietatis alicuius peculiaris, ſe produnt; in concurſu denique cauſarum, tam unaquaeque ſeorſim notanda, quam omnes coniunctim pro ſua proportione et agendi ratione ſunt ſpectandae. Sunt vero fluida praecipua, ſanguis, fluidum nerveum, lympha, et bilis, quae varia antea indicata ratione peccare poſſunt. Itaque, poſtquam A. demonſtravit, quomodo cauſae morborum ratione motus, quantitatis, et qualitatis exoriri poſſint, et quantitatem vel qualitatem illam commotam, quae morbum efficit immediate, ut cauſam morbi genuinam completam, ſeu, ut alii dicunt, proximam exhibuit, et quid ſub remotis, vel ad morbum diſponentibus, ſit intelligendum, docuit: morbos a motu, deinde a quantitate, poſtremo a qualitate fluidorum peccante conſiderat. Morbi ab exceſſu motus ſanguinis ſunt febres, in primis acutae, haemorrhagiae plurimae, apoplexia ſanguinea, caetera; a defectu motus ſanguinis ſunt morbi ab antiquis dicti frigidi, caetera. Sic Auctor omnes morbos, pro cauſis ſupra indicatis, percurrit, et variis temperamentis varios morbos aſſignat, ita ut primum morbos a motu fluidorum praecipuorum, ſanguinis, fluidi nervei, lymphae, et bilis, determinet, variisque temperamentis diſtribuat,

 buat,

buat; poſtea ad morbos quantitatis veniens, eos cum morbis a motus exceſſu ortis convenire putet; dein morbos qualitatum fluidorum ut graviſſimos ita conſiderat, ut proportionis principiorum conſtitutivorum in fluidis elementarium, vel mixtionis eorundem, rationem habeat, quoniam a ratione proportionis et mixtionis principiorum, omnis fluidorum qualitas manifeſte pendet. Varias hic Auctor mixtiones particularum ſuarum elementarium componit, et ingenioſus eſt in illis creandis; ex quibus deinceps varios morbos elicit. Vix vero omnium hic recenſionem vel etiam ſummam eorum tradere poſſumus, quoniam verbis valde cumulatis lectorum patientia fortaſſe nimium defatigaretur. Ut vero huius rei veritas appareat, adponimus deſcriptionem §. CV. datam. *Morbi a praedominio principii aërei ſubtilioris, ſolidioris, ſunt morbi a peculiari quodam praedominio principii calorifici ſimplicis et ignei, quatenus expandente et inflante omnia quaſi fermentative per aeſtum ſanguinis orgaſmis volati ſpumeſcentis, ad calidam usque putreſcentiam prorumpentis, hinc exanthemata protrudentis puſtuloſa.* Ad hoc exemplum fere omnes efficiuntur deſcriptiones; quid? quod interdum multo intricatiores occurrunt. Pari ratione morbos motuum et quantitatum fluidorum pertractat, ita ut eorum motus defectum vel exceſſum a variis praedominiis ſuorum principiorum deducat, atque tandem tres ſummas morborum claſſes, *ſecundum cauſas generales capitaliſſimas praedominantes* conſtituat; *morbos a principio igneo, et conſpirantibus cum ipſo maxime principiis; morbos a viſcido frigido et humido, admixtisque ipſi principiis harmonicis; morbos ab elemento terreo, et cohaerentibus ipſi gravius principiis.* Igitur his omnibus praemiſſis, ad hanc triplicem morborum univerſorum claſſem, medendi ſuam methodum dirigit, et nihil aliud neceſſarium eſſe putat, quam ut id, quod deficit, reſtituatur, quoniam alia ratione ſanitatem redire non poſſe ſit evidens. Aſt naturae vires addere deficientes, nihil aliud eſt, neque dicitur, quam confortare iſtam. Confortatio iſta non fit, niſi deficientis alicuius principii reſtitutione in integrum, quae unoquoque requiritur in

morbo

morbo interno. Ex his concluſionem elicit, omnem internam medendi methodum eſſe methodum naturae confortativam, per addita principia deficientia. Hoc ex eo ait apparere, quoniam aliquod principium praedominans ad temperaturam iuſtam reduci non poteſt, niſi alterius principii additione, vel excitatione temperantis, quod vel deficit, vel involutum nimis ac ſuppreſſum eſt; atque ſi eliminari ex corpore vis nimia praedominantis alicuius principii debet, illud ut fiat per aliud additum vel excitatum neceſſe eſt; et hoc ipſum ſi fit, ut debet, modo vires naturae ſervante, et ad alaeritatem potius erigente, quam minuente, eſt etiam vera naturae confortatio. Cum vero ex triplici morborum univerſalium claſſe, vel igneum, vel viſcidum frigidum, vel terreum principium ſit reſtaurandum, triplicem methodum confortativam naturalem generaliſſimam conſtituit, calidam, frigidam, et ſiccam, ſive ſolidam. Hoc ipſum ex conſideratione morborum interiorum inſignium in univerſum, ab irritabilitate vel aucta, vel minuta, pateſcere putat Auctor, et ſimul demonſtrat, quomodo in morbis ab igneo principio, qui ſunt irritabilitatis auctae, eum a viſcidi, frigidi, et humidi penuria proveniant, illico methodi confortativae frigidae convenientia appareat; ſcilicet, per viſcida, minus ignea, ſalina, et aquoſa frigidiora, caetera eſſe temperandum. Sic quoque in aliis morbis, ab irritabilitate minuta, quae ſint efficienda, vel, ut cum Auctore loquamur, quae methodus confortativa ſit applicanda, oſtendit, ſimulque irritabilitatis animalis cognitionem, ab Hallero inventam, non minus valde laudat, quam irritantium ac ſopientium disquiſitionem medicam exactiorem commendat. His praelatis methodi ſuae confortativae veritatem ex eo eluceſcere ait, quoniam et ex celeberrimorum practicorum methodis medendi conſtet, ipſos ſecundum methodum ſignificatam naturalem confortativam actu procedere feliciſſime. Itaque methodi medendi confortativae univerſalis poſſibilitate et actualitate, ut loquitur auctor, adſtructa, obſervationes quaſdam generales, ad praxin felicem potiores, addit. Cum bonus animus ſanitatem maxime confirmet, eo magis curandum erit,

erit, ut is regimine moderato liber conſervetur, et nec meticuloſa, nec nimis ſcrupuloſa vivendi ratione turbetur. Cum porro methodus haec virium in corporibus relictarum conſervationem, et promotionem ad mala quaevis ſuperanda indicet, hinc maxima cautione in illis praeſervandis agere debent medici. Hoc igitur loco Auctor omnes fere evacuationes contemnit, et methodum alterantem, ut ſecuriorem et praeſtantiorem, praefert, et ex hoc probare ſtudet, quoniam non tam quantitas, quam qualitas ſit conſideranda. At enim vero non hic methodi ſuae ſatis memor eſſe videtur, ſiquidem ita conſideratio et diſtinctio morborum, ab exceſſu vel nimia quantitate, ſuperflua eſſe videtur; neque certe ſemper omnes morbi alterantibus abigi poterunt, quomodo enim v. c. hoc fieri poſſet in vermibus, caetera. Neque tamen ſolum morbos abigere, ſed et corpora ſana ſervare convenit, hinc diaeta eſt ſuadenda, quae robur efficit, nec corpus effeminat. Quare talis diaeta traditur, qua corpora ad iuſtum robur ducantur, eaque praecipue ſolidioribus in cibis, motu in aere libero, frigidorum potu, et vita varia, ſimulque in fuga omnium rerum, quae corpus relaxare et effeminare poſſint, eſt poſita. Hanc vero methodum confortativam diaeteticam ſe debere illuſtri Tſchirnhuſio, clariſſimo Carl, aliiſque, libere Auctor fatetur; atque ultimo tandem loco demonſtrat, hanc diaetam confortativam cum balſamicis, amaricantibus, roborantibus, plurimis in morbis pertinacioribus, optimum edere effectum, et vera ſaponacea chemica eſſe ſumma medicamenta et perfectiſſima.

Iam ex his cunctis relatis quilibet in rebus medicis non prorſus imperitus methodum hanc univerſalem confortativam Auctoris ſatis diiudicare, ſed et ſimul perſpicere poterit, qua ſingulari methodo chemica, partes corporis humani disquirendi, eas denominandi, omniaque proponendi ſit uſus, ita ut ſane vix melius ab aliquo Theophraſto Paracelſo proferri potuiſſent. Ceterum negare non poſſumus, Auctorem in chemicis quidem bene ſatis verſatum nobis videri, idem tamen ea, quae Anatome docet, et Phyſiologia, non dubia

princi-

principia, vel neglexit, vel ignoravit. Utilitatem autem et praeſtantiam, quam talis methodus nobis ſpondet, ex illis temporibus aeſtimare licet, quibus ſola florebat chemica vel hermetica medicina, quam vehementer optamus damnari aeterno exilio.

JOH. GEORG. SCHELHORNII ERGOEZLICHKEITEN aus der Kirchenhiſtorie und Litteratur. Dritter Band. IX-XII. Stück.

Ulmae 1764. 8vo, 2 Alphab.

Exſolvimus datam a nobis ſuperiori anno fidem, et operis utiliſſimi Volumen tertium Lectoribus indicamus, quo, ut in caeteris, quatuor Sectiones, eaeque ultimae continentur. Fatemur lubenti animo, ſibi ſimilem per omnia S. V. Auctorem fuiſſe, orbemque eruditum ſperamus etiam hoc poſtremum Volumen eodem, quo priora, animo, h. e. magna cum gratiarum actione ſuſcepturum. Pergit enim auctor S. V. expromere penum Hiſtoriae Eccleſiaſticae et litterariae, protrahere e tenebris litteras virorum ſummorum arcanas, notiores facere qui adhuc vel plane ignoti, vel obſcuriores certe fuerant, quam debebant, indicare cimelia librorum rariorum e bibliotheca ſua inſtructiſſima, et quae id genus alia. Sed accuratius argumentum libri indicandum eſt.

Univerſum Volumen cum ſit, ut diximus, diviſum in partes quatuor, in *nona* inſunt numeri, (nam ſeries *numerorum* per totum opus perpetua eſt, neglecto *Sectionum* ordine,) in *nona* igitur inſunt numeri VII. h. e. ab CXXII. ad CXXVIII, in *decima* IX, ab CXXIX. ad CXXXVII, in *undecima* XIII, ab CXXXVIII ad CL, in *duodecima* denique XII, ab CLI ad CLXII. Quos ideo coniunctim enumeravimus, quia interdum unum argumentum, vel eius continuatio, in alia Sectione, ſub alio numero quaerenda eſt. Nos, quae potiora nobis viſa ſunt, breviter commemorabimus.

3 Sectionis *nonae* numerus CXXII, *decimae* CXXX - XXXI, *undecimae* CXXXVIII - XLI et XLIX, *duodecimae* CLI - LIII. omnes occupantur in eodem argumento, h. e. tradendis iis, quae ad vitam et res Bernhardi Ochini, (qui Saeculo XVI. a Romanenſium partibus ad Tigurinas Proteſtantium tranſiit,) quocunque modo pertinent. Itaque hic reperias narrationem de eius vita, fatis, ſcriptis, perſecutionibus, et morte, fide digniſſimam, quoniam nititur ipſius viri litteris, et ipſorum adverſariorum, certe coaevorum teſtimoniis authenticis. Quo pertinet maxime cum Theologorum Tigurinorum *Spongia adverſus aſpergines Bernh. Ochini*, latino, tum huius *Apologia de exilio ſuo Tigurino*, Italico ſermone, forma dialogica, ſcripta, e quibus de iuſtitia vel iniuſtitia utriusque cauſſae ipſi lectores eo facilius iudicare poſſunt, quod haec ſcripta integra inſerta ſunt.

5 Sectionis *nonae* numerus CXXIII, *decimae* CXXXVI, *undecimae* CXLII, *duodecimae* CLVII. continent Miſſum *quartum, quintum*, et *ſextum*, librorum rariorum Bibliothecae Schelhornianae, in quibus profecto ſunt Phoenices librorum, quos etiam in noſtris regionibus, (ubi tamen magna librorum facultas eſt,) fruſtra quaeſieris. Huc pertinent, praeter editiones Bibliorum rariſſimas, editiones veterum auctorum primae, ac fere principes, *Heliodori* v. c. Baſileenſis, Graeca, ex officina Hervagii, 1534. in 4to. *Diodori Siculi* librorum aliquot, (XVI - XX; nam caeteri ſerius reperti ſunt,) Baſileenſis, 1539. 4to, apud Oporinum, cura Vinc. Obſopoei: *Thomae Magiſtri* Romana, Graeca, apud Zach. Calliergum, 1517, 8. C. *Apicii* Mediolanenſis, 1498, 4to. *Theophraſti Characterum* Noribergenſis, 1527, 8vo. cura Bilib. Pirkhaimeri: *Ottonis Friſingenſis*, et *Radevici Friſingenſis* editio Argentina, 1515. fol. per Ioh. Cuſpinianum: *Abbatis Urſpergenſis* et *Iornandis* Auguſtana, 1515. fol. per Conr. Peutingerum etc. Horum omnium, et reliquorum editores, contenta, fata, aliaque memorabilia, S. V. Auctor maxima diligentia comme-

mora-

monuit, et qui ea volet ex ipſo libro cognoſcere, eum id non ſine magna voluptate facturum confidimus. Unum non poſſumus quin hoc loco palam dicamus, quod nobis paginam 870. et ſeqq. legentibus, non ſine quadam indignatione in mentem venit, ubi inter libros rariores etiam recenſentur, (et rectisſime recenſentur,) *Mich. Neandri Erotemata Gr. Linguae et Hebraicae.* Illud nempe exiſtimabamus, ingratam in tanti viri memoriam videri aetatem noſtram, cum talem, non quidem librum, ſed libellum, inter rariores, imo rarisſimos iam cenſeri paſſa ſit, neque extiterit inter tot viros doctisſimos aliquis, qui vel ſolas horum librorum Praefationes typis repetendas curaret, cum iam videamus prela omnia ſudare libris partim inutilibus, partim, (ut leniter dicamus,) non neceſſariis, interdum impiis. Ipſi tituli librorum iſtorum ſatis indicant, quid, et quantum in ipſis quaeri et debeat, et poſſit. Itaque valde optamus, ut uterque quamprimum in regionibus noſtris, ad uſum non modo iuventutis, ſed etiam virorum doctiſſimorum, recudatur. Atque omnino, quod olim de Ioachimo Camerario, vir ſummus, Io. Guil. Bergerus, fertur dixiſſe, idem nos de Neandro ſolemus dicere: *eius viri quamcunque ſchedulam, auream, ac, ſi vel in via, aut coeno reperiatur, tamen dignam eſſe, quae ſublata domi cum attentione quadam legatur.* Haec obiter.

Sectionis *nonae* numero CXXVI. et *decimae* CXXXV. deſcribuntur duo exempla *Hiſtoriae Ioh. Sleidani*, memoratu dignisſima: *primum* propterea, quod ſunt editionum antiquisſimarum, alterum primae (Argentor: 1555. fol.) alterum ſecundae (eod. ibid.) emendatioris, et ab ipſo auctore recognitae; *deinde*, quod fuere quondam in manibus duumvirorum, ſuae aetatis maximorum, *Ioh. Seb. Schertlini a Burtenbach*, et *Erasmi a Minkwitz*, quorum ille in caſtris Proteſtantium bello Smalcaldico militavit, hic, variis civilibus muneribus functus, Cancellarii Saxonico-Electoralis,

de tandem Palmini, partes habuit, uterque multis rebus, quae ad repurganda ſacra pertinebant, ipſe interfuit; denique etiam, (idque maximum eſt,) quod uterque ſuum exemplum variis acceſſionibus locupletavit, adſcribendis paſſim ad marginem vel notis, vel emendationibus. Et haec quidem ab auctore, praemiſſa utriusque viri brevi vita, ſatis diligenter commemoratae ſunt, easque non ſine voluptate ab omnibus ſcimus lectum iri. Si tamen dicenda nobis libere eſt ſententia, non par nobis utriusque exempli videtur eſſe pretium, quale quidem auctor harum recenſionum videtur velle innuere. Prius, quod Schertlini fuit, plures obſervationes et notas habet parvi momenti, v. c. *Nota monachorum et eius farinae nebulonum caſtitatem! Dignum olla operculum! Hic veretur Papiſta, ne quid decedat culinae etc.* pauciores contra hiſtoricas, v. c. ad pag. 536. (edition. vulg.) *Hic auctor aliter, quam ſe res habet, rem declarat; Schertelius pugnam ſuaſit, non Landgravius, neque Saxo.* Sed alterum, Minkwitzianum, haud paullo meliores et utiliores notas habet adſcriptas, i. e. hiſtoricas. Quarum nonnullas deſcribemus, ut iudicium facere ipſi lectores poſſint. Ad verba Sleidani, pag. 505. (ed. vulgarium) „Altera die Iunii „Proteſtantes adeunt Caeſarem, queruntur de caede Dia„zii etc." notavit haec: *Aderam nomine Saxonis, et verba faciebam.* Ad pag. 583. ubi narratur adventus Philippi Magnanimi in urbem Halam ad Caeſarem, 1547, adiecit haec: *Ipſo urbem ingrediente ingens oriebatur tempeſtas, globis etiam ignitis de caelo pluentibus; aderam enim cum Saxone captivo.* Ad pag. 767. verba: „Liber factus, nihilominus Caeſarem, quocunque iret, comitatur" habet haec: *Ac quidem ea conditione Hiſpanorum cuſtodia liberabatur, ut aulam ſequeretur Caeſaris, nec ſe inſcio diverteret; itaque, fugiente Caeſare, aliquoties per iocum dicebat: libenter maneo*

rem

[illegible], ſecundum fidem datam, modo salva [illegible] conſtaret. Teſtor hoc; quia interfui. Ad pag. 811. verba: „ope conſilioque iuviſti“ notavit ſequentia: *Nequaquam fecit, nec ipſe, nec filii.* Ad pag. 817. ubi narratur de Königsberga, urbe Franconiae, Saxoni reſtituta, haec addidit: *Neque hoc ita ſe habet. Praefui enim iſti tranſactioni, iuſſu D. Friderici.*

Sectionis decimae numerus CXXXVII. continet epiſtolam Melch. Speceeri, Theologi Argentoratenſis, ad Ioh. Sturmium, virum notiſſimum, bene longam, ſed eandem lectu digniſſimam. Occaſio fuit haec: Invectus erat pro concione populi Speccerus in homines impios, cum univerſos, tum eos maxime, qui pacem Eccleſiae rixis turbare conarentur. Id ea ipſa die ab iniquis hominibus defertur ad Sturmium, qui non multo ante de confeſſione illa celebri Tetrapolitana contentiones quaſdam cum miniſtris ſacris Argentoratenſibus habuerat. Eam itaque hic orationem ratus ad ſe pertinuiſſe, ut erat animo ferventiori, e veſtigio mittit ad Speccerum Epiſtolam, quae qualis fuerit, ex ipſo initio poterit indicari: „Quid tu hominis ſis, vide; et co„gita, quid de te debeam ſtatuere, qui in tua ſeditioſa ho„die concione ita acerbus et maledicus in me fueris, ut ne„que caritatis Chriſtianae et pacis et concordiae rationem ha„bueris, neque, quid te aut deceat, aut dedeceat, cogita„ris etc.“ Ad hanc epiſtolam Speccerus neque commotus animo, (noverat enim Sturmium,) neque tamen ſilendum ratus, dedit poſtridie aliam, quam auctor h. l. exhibuit, quaeque exemplum eſſe poteſt defenſionis modeſtae et placidae, repellentis illatam iniuriam, nec tamen retorquentis: itemque imago veriſſima animi, ſentientis ſe inique ab adverſario laeſum, neque tamen negantis, vel certe non agnoſcentis, vel doloſe etiam tacentis maximas eius caeteras virtutes. Eius epiſtolae initium non poſſumus quin h. l. adiiciamus:

 „Quid

„Quid aliud, ad Tua, Doctiſſime Sturmi, convitia reſpon-„deam, quam quod olim Regem cum potentiſſimum, tum „etiam ſanctiſſimum Prophetam reſpondiſſe, ſacrae nobis „litterae referunt, non invenio. Ut enim is, cum in eum „Semei probra et convicia iaceret, reſpondit: Quid tum? „ſi conviciatur? quid, ſi Dominus eum impellat ad maledi-„cendum David? Sinite, ut maledicat; nam a Domino iuſ-„ſus eſt, qui fortaſſis meam miſeriam reſpiciet, et bona mi-„hi pro hodiernis huius convitiis rependet. Idem ego ad Tu-„am iracundam epiſtolam reſpondebo: non, quod vel Te, ſum-„mum virum, cum viliſſimo iſto mancipio; aut me miſerum „atque abiectum, cum tanto rege atque Propheta, ullo modo „comparandum putem. Sed, cum ille tam alto planeque „regio animo iſtius convicia, licet indigniſſima, pertulerit, „cur ego non eandem, vel maiorem, in te modeſtiam aut pa-„tientiam oſtenderem, quo tu maior es, qui in me invectus, „et ego abiectior, qui haec ſum paſſus. Cui, ut verum di-„cam, non tam iraſcor, quam adulatoribus et delatoribus „Tuis, qui haec etiam ad Te, ut cetera, falſo detulerunt. „Quod ut planum faciam, repetam paucis concionis meae „capita etc." Non longe a fine autem ita ſcribit: „Tibi, „doctiſſimo homini, et ab ineunte aetate in omnium Rheto-„rum et Philoſophorum doctrina verſato, ſummam laudem „omnium earum artium tribuimus, iudicamusque, non modo „Germaniam, ſed nec Galliam Italiamque STURMIUM ha-„bere; ob eamque rem et nobis, et reip. noſtrae gratulati ſu-„mus ſemper, et, ut diutius tanto bono perfrui poſſimus, „omnibus votis a Deo contendimus." Quis hodie, qui ſibi vel mediocriter doctus videatur, ſuſtineat, ad virum aſpe-rum et iracundum, praeſertim a quo laeſum ſe putet, tam leniter ſcribere; imo eum tam inſigni laude proſequi? Sed ſcilicet, nunc alia ſunt tempora! — Speccerus quidem tum ſuſtinuit, et longa enarratione concionis ſuae accenſum Sturmii animum mitigare, etiam ſubinde, fraterno more, ſine omni veſtigio ullius irae aut acerbitatis, admonere conatus

eſt,

eſt. Et habebat rem cum viro, quamvis iracundo, tamen generoſiſſimae indolis, quod vel ex fine epiſtolae Sturmianae manifeſtiſſimum eſt. Ibi enim ſic ſcripſerat: „Tu „linguam hodie incontinentem, ego manum habui iracun„dam. Oro tamen Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, „ut, qui noſtrum hac in parte peccat, illius ipſe pro ſua bo„nitate et clementia miſereatur, et cogitationes illius a diſſi„diis atque conviciis ad otium et conſenſionem animorum „traducat.“ Non dubitamus, quin cupidos fecerimus lectores, cognoſcendae reliquae epiſtolae, qua de cauſſa etiam paullo accuratius rem narravimus.

Reliqui numeri quasi eadem diligentia confecti ſunt, et res, niſi maximae utilitatis, et momenti, iucundiſſimae certe et honeſtiſſimae oblectationis, continent. Atque omnino, ut libere dicamus, totum hoc genus librorum, quod monumenta hiſtorica diſperſa undecunque colligit, quanquam eius auctores nunc per contemtum *Collectores* audiunt, nec *Hiſtoricorum* titulo ſatis digni cenſentur, quia verborum apparatum et ornamenta vulgo negligunt: tamen haud paullo fructuoſius arbitramur eſſe eo, quod nunc perverſa ſaeculi vis fere unice probat atque extollit, et quod paene totum operibus (nolumus dicere *opuſculis*) ingenii non tam producendis, quam profundendis continetur. Si quis nunc ediderit fabellam lepidam Romanenſem, aut Comoediam, aut Tragoediam, aut enixus ſit Odam Anacreonticam, is omne punctum tulit: ſin hiſtoriam alicuius regni, aut reipublicae, aut academiae, aut diſciplinae, munitam apparatu monumentorum ac diplomatum, deſtitutam vero ornatu rhetorico, et dictione iucunda, (quis enim prudentior ornatum in eiusmodi materia requirat?) tum paene ridetur, et comparatur cum monachis aevi medii, Chronicorum conſarcinatoribus. Nos quidem, ſi vel unum faſciculum deperditum Annalium linteorum, (quos Livius toties citat,) aut Actorum S. P. Q. R. elegantiſſimis Catulli, Propertii,

perarii; et Marſilii magis redimendum cenſeatur, non dubitamus, quin unumquemque cordatiorem conſentientem nobiſcum ſimus habituri. Quis enim non videt, ſi modo materia hiſtorica adſit idonea et ſufficiens, non tam difficile eſſe eam verbis exornare, dum ingenio et doctrina inſtructus aliquis acceſſerit, quam habere hiſtoriae ſcribendae [illegible] in promptu, cui deſit materia? Nam in hoc quidem genere, non, ut Phaedrus ait de fabulis, *labori faber*, ſed *fabris labor*, noſtris temporibus videtur deeſſe. — Itaque valde optamus, ut S. V. Schelhornius laborem inceptum continuet, aut, ſi id propter ſenectutem ei grave fuerit, iuniori cuidam ex amicis materiam eius continuandi ſuppeditet, quae eius Bibliothecae inſtructiſſimae deeſſe non poteſt.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXVIII.

AMUSEMENS PHILOSOPHIQUES SUR DIVERſes Parties des Sciences, et principalement de la Phyſique, et des Mathematiques;

h. e.

OBLECTATIONES PHILOSOPHICAE EX DIverſis doctrinae humanae partibus, inprimis vero Phyſicae, et Mathematicae: Auct. R. P. BONAVENTURA ABAT, Acad. Regiae elegant. litt. Barcinon. Socio.

Amſtelaedami, (Maſſiliae,) 564 pagg. cum 4 fig. aeneis, in 8vo. Anno MDCCLXII.

Cum non elegantiores ſolum litterae delectent, ſed ii etiam, qui profundiores ſcientias, ad quas merito Phyſica et Matheſis pertinent, colunt, easque non ſine inſigni animi contentione et ingenti labore ſibi cognitas reddunt, uberrimam ex earum cognitione hauriant voluptatem: neminem profecto Oblectationum titulus, ſeverioribus meditationibus ab auctore datus, offendet, inprimis cum concernant res bene multas et novas, et curioſiſſimas, cognituque utiles, quae fere quemvis lectorem alliciant, quin et iis ſe commen-

 dent,

dent, qui alioquin parum phyſica et mathematica curant. Auctori Cl. in iis proponendis et demonſtrandis ſolis Euclidis elementa adhibere placuit. Prima Oblectatio exhibet trium lunularum ex interſectione circulorum ortarum, demonſtrationem: prima eſt Hyppocratis lunula; altera ex interſectione circulorum orta, quorum diametri in ſubtripla; tertia vero prodit ex interſectione circulorum, quorum diametri in ratione ſunt ſubquadrupla. Primum ſe quidem inventorem quadraturae ſecundae ac tertiae lunulae exiſtimabat Auct. Cl. ſed Rev. P. Pezenas, inſignis Geometra, cum eas ad eum, ut Ephemeridibus Mathematico Phyſicis Maſſilienſibus infererentur, tranſmiſiſſet, eum monuit, eadem, et longe plura circulum concernentia, iam ante Seculum conſideraſſe Arturn de Lionne, ac que anno 1654 publicaſſe in libro cui titulum fecit: amoenior circuli contemplatio. Quamvis vero hac annotatione gloria primi inventoris decidiſſet, ipſa tamen nova, ac ab Arturo plane diverſa, eaque ſimplicior demonſtrandi ratio, quam excogitaverat, eum permoverunt, ut demonſtrationes ſuas cum orbe erudito communicaret, inprimis; cum eae ipſi viam munirent, primum demonſtrandi quadraturas bene multorum triangulorum, ex interſectione diverſorum circulorum enaſcentium; ſecundo ex datis lunulis quadrabilibus methodum inveniendi duas alias, quarum ſummae aequentur rectilineo; tertio conſtruendi quadrilateram figuram curvilineam quadrabilem, ac inſignibus praeditam proprietatibus; quarto demonſtrandi, nullam lunulam ex interſectione quorumvis circulorum ortam dari, quae non poſſet addito vel dempto aliquo circuli ſegmento quadrari; tandem propoſitione 32ma et ſequentibus methodum admodum ſimplicem tradendi, qua infinite multae portiones circuli quadrabiles inveniantur, quae tantae magnitudinis eſſe poſſint, ut nonniſi quantitate infinite parva ab integra circuli area differant.

Oblectatione ſecunda, novam ac a nemine adhuc tractatam optices partem, 49 propoſitionibus exhibet. Omnes enim, quae de ſpeculis ſphaericis, ac lentibus ſphaericis, in catoptrica

ac

ac dioptrica exponuntur, propoſitiones, vel ex ſola reflexione, vel ex ſola refractione deduci ſolent. Sed ex ſimultanea in uno eodemque ſpeculo ſphaerico ac lentibus ſphaericis conſideratione reflexionis ac refractionis, quae in iis contingunt, conſideratione, conſequuntur phaenomena rara, curioſa, ac inexpectata, ex quibus accurata meditatione digeſtis, novae, eaeque utiliſſimae propoſitiones opticae condi poſſint. Ex hac itaque conſiderandi ratione deducit Auct. cl. methodum generalem determinandi focos, tam abſolutos, quam reſpectivos, in omni ſpeculorum ſphaericorum ex vitro conflatorum ac compoſitorum genere, ex eaque proprietates eiusmodi elegantes colligit, quarum nonnullae extra nexum ſpectatae ſatis paradoxae videntur; cum e. g. demonſtrat, dari ſpecula ſphaerica exacte convexa vel concava, in quibus imagines obiectis ſimillimae ſint, eaque neque augeant, neque minuant, proinde cum ſpeculis planis plane conveniant; dari ſpecula exacte concava ſphaerica vitrea, in quibus imagines rebus in iis repraeſentatis minores adpareant, et e contra convexa, quae imagines exhibent obiectis maiores. Pluribus eius generis propoſitionibus expoſitis, tandem docet, fieri poſſe ſpecula vitrea ſphaerico-concava, quae praeciſe in centro concavitatis urant: quod problema quidem iam a Mario Bellino, et a Caſp. Schotto ſolutum eſt, ſed methodo difficiliori, quam ut in praxin deduci queat, cum ope ſpeculi ſphaerico-concavi vitrei nulla difficultate prematur.

Oblectatio III. ſex propoſitionibus abſolvitur, iisque de numero focorum, quos optici formales vocant, hoc eſt, in quibus radii in ſpeculis ſphaericis concavis, vel lentibus ſphaericis vitreis collecti, comburunt. Nemo, notante cl. Auct. adhuc ſuſpicatus eſt, unum ſpeculum, vel unicam lentem, immutata plane figura, urendi vim exercere ſimul in pluribus locis; re ipſa tamen id contingere, et quidem in diverſis et a ſe diſſitis locis, comprobatur per experimenta extra omnem dubitationem poſita, deinde etiam ex principiis certis. Copioſe itaque conſiderantur primum ſpecula ſphaerica vitrea, quae in duobus ſimul locis

 urant;

urant; poſtea lentes vitreae, quae ſoli expoſitae in anteriori parte et poſteriori comburant, nec non quae tribus in focis, duobus ante, et uno poſt ſpeculum, vim comburendi habent. Tandem ſolvitur problema conſtruendi ſpeculum cauſticum, quod radiis ſolaribus expoſitum, cum in foco principali res poſitas combuſtibiles comburere pergat, etiam in quovis alio loco circa axem intra certos limites aſſumpto ſimul urendi vim exerat.

In IVta Oblectatione 43. propoſitiones demonſtratae, in compendio ſiſtunt praecipua phaenomena, quae imagines ab obiectis in ſpeculis ac lentibus ſphaericis expreſſas concernunt. Non omittit quidem Auct. cl. ea, quae hac de re in ſcriptis opticis occurrunt; tamen curioſius ac ſagacius ſcrutatur imaginum per ſpecula formatarum phaenomena, quae ex eius ſententia nullibi annotata occurrunt. Notando primum, imagines rerum per ſpecula ac lentes viſarum, vel ante, vel pone ſpecula apparere, determinat caſus, in quibus alterutrum contingat, docetque, pro diverſa ſpectatoris reſpectu ſpeculi et obiecti diſtantia, viſionem eſſe diſtinctam vel confuſam; tandemque inquirit in difficillimum caſum, in quo manentibus oculo, obiecto, et ſpeculo *vel lente*, in eodem ſitu, obiectum videatur tamen diverſimode modo ante, modo pone ſpeculum. Ipſa vero obiecta ſpeculorum ope viſa, vel ſunt puncta, vel lineae, vel ſuperficies, vel corpora. Superficies per ſpecula ac lentes ſphaericas viſas, Optici adhuc conſiderarunt ut plana ante ſpecula ad axem perpendiculariter conſtituta; Auct. cl. vero eas expendit prout vel axi parallele, vel ſub aliquo ad eum angulo conſtituta ſunt, ac plane ſingulares earum proprietates docet. Earum enim imagines alias plane figuras induunt, quam qua ipſae praeditae ſunt; idemque locum in corporibus obtinet, multoque curioſiores metamorphoſes, ac plane inexſpectatae, ſpectatores percellunt, ſi ſuperficies ac corpora motu vel uniformi, vel accelerato, ante ſpeculum moveantur, ſive ipſarum imaginum figuras, ſive earundem celeritatem ſpectaveris. Ad illuſtrandam generalem, quam de his rebus tradit, theoriam, parti-

exularia ac maxime memorabilia experimenta praeſcribit, quae eius veritatem et apud illos, qui ad pervidendam demonſtrationum mathematicarum vim inepti ſunt, extra omne dubium ponant.

Oblectatione V. Phaenomeni in electricitate obvii, eiusque ſingularis, cauſſam inveſtigando, tandem de homine diſſerit, qui ſcintillas electricas, famoſo Leydenſi experimento excitatas, ſine ullo ſenſu excepit.

Sexta dein Oblectatione de ſpeculo, a diverſis auctoribus aeque gravibus ac fide dignis memorato, agit, quod Ptolomaeus Evergetes in Pharo turri conſtruxiſſe fertur, in quo hoſtium naves, et quae terra marique, adeoque in tota Aegypto contingerent, videri poterant. Non diffitetur Auct. clar. multa fabuloſa huic narrationi ab auctoribus, optices imperitis, admixta eſſe, et vel ab ipſo Kirchero, in arte magna lucis atque umbrae libr. 10. cap. 1. de illo eiusmodi, ſi omnino vera eſſent, ſtatui, ut non, niſi diabolicis praeſtigiis, contingere potuerint. Sed Lectori vera a falſis ac fabuloſis diſtinguenti, eaque cum Tſchirnhauſii, Wolffii, Septalii, Scheineri experimentis, lente ſimplici obiectiva ſine oculari aut alio apparatu in teleſcopiis uſitato inſtitutis, conferenti, patebit facile, parari poſſe ejusmodi ſpeculum. Multa in hac inquiſitione curioſe collecta, et ex principiis dioptricis ac catoptricis illuſtrata, occurrunt. Difficilior vero eſt disquiſitio, utrum tempore Ptolomaei pomoeria optices iam eo usque prolata fuerint, ut tale ſpeculum conſtrui potuerit. Veriſimile id videtur Auctori cl. ex rationibus, quas ex Senecae libris naturalibus, et Plinii, aliorumque auctorum graviſſimorum locis deducit.

Oblectatione ſeptima, ex attractione, ſi eam ex ſententia Newtoni, Maclaurini, aliorumque Philoſophiae Neutonianae aſſeclarum, ceu effectum impulſionis conceperis, ſequi neceſſario putat Auct. cl. dari vortices, quorum ope planetae moveantur.

Sed ne limites recenſionis transſiliamus, dabimus adhuc potiora ex Oblectatione VIII. reliquarum ſolum titulos addituri, cum ea, quae protulimus, ad perſpiciendas

 libelli

libelli dotes ſatis ſuperque ſufficiant. Deſtinata illa eſt illuſtrando Plinii loco, in quo Nero Princeps gladiatorum pugnas Smaragdo ſpectaſſe perhibetur lib. 37. cap. 5. adjutusne Nero in videndo ex eo, quod Smaragdus fuerit pellucidus, nitideque politus, ac coloris viridis? an vero talis figura ab artifice ei inducta, ut obiecta auxerit, diſtinctioraque viſui exhibuerit? Commendaſſe ſe Smaragdum Neroni in conſiderandis obiectis non ob polituram ſolam ac colorem viridem, ſed inprimis ob figuram, probat Auct. cl. et cum ea figura nec a Plinio, nec ab alio Auctore ſit deſcripta, annotat curioſe ex lib. 11. cap. 37. Neronem fuiſſe myopem, cui niſi cum conniveret ad prope admota, hebetes oculi: prono hinc fluere putat alveo, Smaragdum habuiſſe figuram neque ſpeculi concavi per reflexionem, neque lenticulae, prolatisque ac expenſis rationibus ſonticis, quae hanc ſententiam admodum veriſimilem reddant, eo tandem propendet ut ſtatuat, Neronis Smaragdo inductam fuiſſe vel figuram planam, eumque eo inſtar ſpeculi plani uſum fuiſſe, vel politum fuiſſe ad figuram lentis concavae. Ex capite enim 5to eiusdem Plinii conſtare, eo tempore artifices non ignoraſſe artem elaborandi ad hanc figuram Smaragdos, iisdemque myopum oculos emendari: et cum duo myopum genera dentur, alterum, in quorum oculis radii ante convergant, quam usque ad retinam perveniant; alterum, quod ob nimiam lucem in nimis ſenſibiles oculi partes irruentem coecutiat, Neronemque ad poſteriorem claſſem eorum referendum ex eo pateat, quod eius oculi fuerint hebetes, niſi cum conniveret ad prope admota: ſatis probabili ratione colligit, Smaragdi Neroniani figuram fuiſſe planam, eumque per illum radios in eum incidentes reflexos multo debiliores directis excepiſſe, atque in videndis gladiatorum pugnis mirifice adiutum eſſe.

Oblectatio IX. de antiquitate ſpeculorum vitreorum agit: X. de artificiis cognoſcendae verae magnitudinis obiectorum viſorum. XI. Experimenta ac obſervationes circa liquores ultra libellam aſcendentes, ac infra eandem ſubſidentes, in tubis capillaribus complectitur: XII. de pugna ſyſtematis attractionis cum rotunditate guttarum liquorum praecipit.

VERSUCH EINER ALLEGORIE, BESONDERS für die Kunſt. Der Königl. Grosbr. Geſellſchaft auf der berühmten Univerſität zu Göttingen gewidmet.

Dresden, 1766. 4to. 158. pgg.

Novo iam munere Winckelmannus V. Cl. (is enim, ne quis ignoret, auctor libri eſt,) eruditorum rempublicam, quae dudum in eius aere eſt, ſibi obſtrinxit, cum imagines in monimentis antiquis, eorumque fragmentis, paſſim obvias, partim ad certa capita redigere, partim explicare, partim etiam, ſi opus eſſet, emendare, opere hoc doctiſſimo, et reconditioris doctrinae pleniſſimo, conatus eſt. Quodſi nihil aliud, niſi *conatus eſſet*, tamen eſſet cur maximam ei gratiam vel pro ſolo conatu omnes ii haberent, qui amant artes liberales, et veterum ea in re opera magnifaciunt. Nunc vir doctiſſimus, vel primo hoc ſpecimine, tanta felicitate, multa veterum monimenta interpretatus eſt, tantam lucem plurimis ſcriptorum locis affudit, ut merito bonis artibus de hac nova acceſſione gratulandum eſſe videatur. Ac neſcimus, an praeter cel. Winckelmannum facile quis ad hunc laborem ſuſcipiendum aptior exſtiterit: non quo dubitemus, alios viros eſſe, doctiſſimos in hoc litterarum genere, eosque non paucos; ſed quoniam requiruntur ad ſcribendum talem librum multa, etiam extrinſecus, quae, cum in aliis tantum ſingula reperiantur, in hoc viro omnia concurrunt, oculi ad videndam pulchritudinem acutiſſimi, et exercitatiſſimi, apparatus doctrinae et lectionis uberrimus, ſcientia linguarum, hiſtoriae, ac mythologiae veteris, accuratiſſima, copia et facultas monimentorum, in ſede antiquitatis praecipua, h. e. in ipſa Italia et Roma, otium denique, cum dignitate, litterarium. Quodſi quis cognoſcere cupiat, quid praeter verba et phraſes, praeter elegantiam ſcribendi, etiam praeter ipſas

res,

res, (quas vulgo ſolas appellant,) Philoſophiam, Matheſin, et hiſtoriam, e veteribus peti poſſit, ei ſuademus, ut hunc librum inſpiciat, eiusque notas vel fugitivis oculis perluſtret. Quo facto videbit, nullum veterem Grammaticum, nullum Lexicographum, nullum denique Scholiaſten, tam ieiunum et infoecundum eſſe, e quo magna ingenia non aliquid in ſuos uſus petere, eiusque e ſtertore aurum quaſi colligere poſſint. Sed explicanda paullo accuratius eſt ipſius libri ratio, quidque de eo ſentiamus breviter indicandum.

Poſt praefationem, (quae et ipſa obſervationes quasdam de Auribus capitum in ſtatuis et imaginibus antiquis, admodum utiles, complectitur,) ſtatim argumenti tractationem cel. Auctor ingreditur, eamque in undecim capita diſpeſcit.

Cap. I. Diſputatur de Allegoria in univerſum, ſic, ut propoſita definitione Allegoriae, (quo nomine Auctor ait, latiſſimo ſenſu, ſe complecti, quidquid vel imaginibus depictum, vel ſignis indicatum exſtet,) priori membro enarrentur fata eius apud populos veteres Aegyptios, (pag. 4. ubi agitur de ſcientia Hieroglyphica,) Graecos, (pag. 7. ſeqq.) quorum aevi cultioris artifices communem Allegoriae fontem Homerum dicit habuiſſe,) et Romanos, (pag. 10. ſqq.) quaeque apud eos Virtutum aut Vitiorum genera imaginibus expreſſa, vel non expreſſa fuerint, doceatur; omnes item veterum imagines ad duo genera, *concretarum* et *abſtractarum*, revocentur; (pag. 12-22.) deinde membro altero, recenſeantur partim recentiorum hoc in genere labores, ut Pierii Valeriani, Caeſaris Ripae, et Io. Bapt. Boudardi, (pag. 22-26.) partim indicentur fontes novis Allegoriis inveniendis idonei. Ii omnino ſunt tres; *primus* ipſae imagines antiquae, ſi iis tribuatur novus, isque a veteri diverſus ſenſus; *alter* ritus, mores, ac proverbia vetera, non nimis ignota; *tertius* denique hiſtoria antiqua, cum heroica, tum vera, et proprie ſic dicta. Singulorum citantur aliqua exempla;

tertii

tertii maxime, ubi copioſe cel. Auctor deſcribit imagines hiſtoricas, a Cardinali Albano, in conclavi quodam ſui palatii nuper poſitas, (pag. 28. 29.) Quam deſcriptionem propterea nominatim N. 1. commemoramus, ut errorem aliquem cel. Auctoris obiter notemus, in narranda celebri illa coena Luculli, qua Ciceronem et Pompeium imperatus, (ut illi putabant,) excepit, admiſſum. Verba Auctoris ſunt haec; „Das dritte Gemählde iſt Lucullus, bey welchem ſich der „große Pompeius und Cicero des Morgens auf eben denſelben Tag zum Eſſen einladeten, um jenen in Verwirrung zu „ſetzen. Er ließ ihnen aber, wider ihr Erwarten, die Wahl, „auf welchem ſeiner nahen Landhäuſer es ihnen am ge„fälligſten ſey; und da dasjenige, welches Apollo hieß, vor„geſchlagen wurde, that Lucullus nichts weiter, als ein „Mittagseſſen ankündigen. Denn deſſen Landhäuſer wa„ren ſo eingerichtet, daß die Koſten einer Mahlzeit daſelbſt „auf einen beſtimmten Fuß geſetzt waren, und er blos nöthig „hatte ſagen zu laſſen, daß er zum Eſſen kommen wollte.“ In his verbis multa ſunt falſa, et pugnantia cum narratione Plutarchi, qui ſolus, quantum ſcimus, eam hiſtoriolam memoriae prodidit: (in Lucullo pag. 378. b. Edit. Baſ 1560.) *Primum* nomen *Apollinis* non intelligendum eſt de villa aliqua Luculli ſuburbana, cui iſtud nomen indiderit, neque enim ullum ſcimus exemplum, quo appareat, Romanos villis ſuis nomina deorum impoſuiſſe, praeſertim maſculina; ſed ſemper neutra, ut *Tuſculanum*, *Pompeianum*, *Pontinum etc.*) verum de conclavi aliquo, ſeu triclinio, in ipſa domo Luculli, quod Plutarchus οἶκον, ac paullo poſt etiam definitius δειπνητήριον adpellat. *Deinde* Cicero ac Pompeius non ipſi *Apollinem* ad coenandum delegerant, ſed tantum Lucullo, ut, audientibus ipſis, ſervo cuidam nominaret coenae locum, permiſerant. Quo facto is clara voce *Apollinem* nominabat. *Porro* etiam iſtud convivium non fuit *prandium*, ſed *coena ordinaria*; nam in tota narratione Plutarchus non aliis verbis, quam δεῖπνον, δειπνεῖν, et δειπνητήριον, utitur. *Deni-*

U qui

qui nec illud dubio caret, Ciceronem ac Pompeium *matutino tempore* Lucullo ad coenam ſe obtuliſſe. Plutarchus enim ea de re plane ſilet; immo potius dicit, eos Lucullum κατ' ἀγορὰν σχολὴν ἄγοντα adiiſſe. Σχολὴν autem Senatores Romani (credo) non agebant matutino tempore, ſed pomeridiano, fortaſſe cum e curia demum redibant. Haec non propterea monuimus, quod credamus, cel. Winckelmannum id ignoraſſe; ſed partim lectorum cauſſa, partim propter ἀκρίβειαν. Ac libenter ignoſcimus viro magno, levem lapſum memoriae, praeſertim qui ad cauſſam praeſentem et argumenti tractationem non proxime pertinebat. Multis enim magnisque aliis bonis hunc ille nobis errorem compenſat. Sub finem huius capitis commemorat requiſita et virtutes Allegoriarum novarum, easque tres: *ſimplicitatem*, ut res ſignandae exprimantur ſignis quam paucisſimis; *perſpicuitatem*, ut ſigna cum rebus ſint quam coniunctisſima; denique *iucunditatem*, ut abſit ab ſigno omnis deformitas, horror, ac turpitudo.

Cap. II. agit de Allegoriis deorum, et Cap. III. de Allegoriis uſitatis notionum, maxime abſtractarum; et haec duo capita regiae quaſi urbes ſunt huius libri, et ſedes reconditioris doctrinae, variaque eruditione pleniſſima. In his enim cel. Auctor incredibili diligentia congeſſit ex Mythologia, nummis, lapidibus, gemmis, et univerſa omnino antiquitate, quidquid de figura cuiusque dii ac deae, itemque notionum abſtractarum, Libertatis v. c. Concordiae, Pacis, Pavoris, Iuſtitiae, Fortunae, Imperii, Iuventae, Noctis, Pudoris, Pietatis, Animae, Victoriae, Calumniae, Taciturnitatis, Temporis, item regionum, Africae, Iudaeae etc. quia in monimentis antiquis exprimuntur, reperiri usquam poteſt. Deos ac deas ſuo, h. e. genealogico, qui e fabulis diſcitur; Notiones abſtractas alphabetico ordine recenſuit. Exempla commemorare, quoniam e libro ipſo peti et poſſunt, et omnino etiam debent, non neceſſarium ducimus, ne ſine cauſſa longiores ſimus.

Cap. IV.

Cap. IV. exhibentur Allegoriae partim hiſtoricae, v. c. Capricornus in numis Auguſti, qui hunc indicat in iſto Zodiaci ſigno natum fuiſſe; partim geographicae, v. c. Violae in numis Ennenſium, cuius floris in illo tractu Siciliae magna copia eſt. Cap. V. habet Allegorias hominum ac rerum, h. e. quibus ad nomina perſonarum, locorum, fluviorum, urbium, certis figuris alluditur, quale v. c. eſt, cum in numis Iul. Caeſaris pingitur Elephas, cuius nomen in lingua Punica cum ſono vocis *Caeſar* fertur conveniſſe; in monimento Leonidae, celeberrimi Spartanorum Regis, figura *leonis*; in numis Rhodiorum *roſa*, a Graeco ῥόδον etc.

Allegoriarum, quae petuntur e coloribus et materia vaſorum et aedificiorum, exempla ſunt cap. VI. Sic flavi crines in monimentis veteribus indicant Apollinem, fuſci cum nudo corpore Iovem. Durities laborum Herculis, in ſtatua eius, apud Pauſaniam, exprimitur ſic, ut hydra, quam ille occidit, *ferrea* ſit. Canis iacens, in clypeis Romanis, vigilandum eſſe militibus ſignificat. Romae quondam contigua erant Virtutis et Honoris templa, ita ut non niſi per illud ad hoc iri poſſet; quo ſignificatur, per ſolam virtutem ad verum honorem aditum fieri.

Cap. VII. exhibet Allegorias dubias, h. e. quarum interpretationem aliquam dedere recentiores nonnulli, ſed non ſatis veriſimilem. Cap. VIII. vero contortas, h. e. quae vel a veteribus ipſis, vel a noſtris, contorte, immo male explicatae ſunt. Earum exempla non citabimus, quum etiam ipſe auctor totum genus non alia de cauſa collegerit, quam ut artifices, ſi quando tales Allegorias repperiſſent, ſcirent, qua fide niterentur, nec pro certiſſimis eas haberent. Cap. IX. continet deperditas, h. e. quarum vel plane vera ſententia periit, vel certe traditur a veteribus exſtare in libris aliis, qui nunc perierunt: v. c. quid ſibi velit Diana, a gryphe in aërem ſublata, in pictura quadam Arigonis apud Strabonem,

nem, L. 8. pag. 143. Sparta urbs, figura et habitu muliebri, lyram tenens, a Polycleto ficta, apud Pauſaniam, L. 3. pag. 255. Cap. X. dicatum eſt Allegoriis quibusdam recentius inventis, quae bonae ſunt, et quarum uſus etiamnum in operibus artis eſſe poteſt. Huc pertinet v. c. moneta Belgica de a. 1633. qua *Labor irritus* indicatur per filias Danai, aquam infundentes in vas rimoſum; imago quaedam Petri de Cortona, in Palatio Barberiniano, Romae, exprimens educationem liberorum per urſam lambentem ſuos catulos.

Denique cap. XI. et ultimo cel. Winckelmannus ipſe ſpecimina dedit, quomodo condi Allegoriae novae poſſint ex mente veterum, eaque ſatis multa, quibus omnibus acumen ſuum, ingenium, et doctrinam, mirifice oſtendit. Poteſtque eorum uſus multiplex eſſe, in ornandis aedificiis, parietibus, hortis, muſeis, nummis, in nuptiis et ſepulchris principum, memoriae poſterorum commendandis. Ex hoc genere ſunt v. c. cum *Falſam opinionem* ſignificari commode, ait, per imaginem Ixionis, nubem pro Iunone amplectentis, *Felicitatem* per navem plenis velis vectam, *Calendas Ianuarias* per clavum annalem a Conſulibus olim in Capitolio affixum, *Iuſtum iudicem*, per ſtatuam humanam, manibus abſciſſis, *Oblivionem* per Lethen, fluvium inferum, et ſimilia. Poſſunt vero nunc, cum viam cel. Auctor ſemel munivit, haec exempla facile mutari et multiplicari. Sic *Amicitiam* v. c. (cui indicandae Theſeum cum Pirithoo aſſignat) poſſent etiam commode exprimere Oreſtes et Pylades ad aram Tauricam, Pythias cummaxime occidendus Syracuſis, accurrente Damone; *Hominem per terras multas circumvagatum*, (quem auctor per Ciconiam pingit,) Ulyſſes cum Eumaeo colloquens; *Fraudem*, (quam ille per larvam, nimis magnam pro facie humana, cui imponitur, exprimit,) Vulpes, apud Phaedrum, caſeum corvo auferens etc.

Appen-

Appendicis loco, capiti ultimo annexa eſt deſcriptio fragmenti ſtatuae cuiusdam Herculis, in villa quadam repertae, cuius non niſi truncus ſupereſt, reliqua omnia, caput, brachia, pedes, et ſuperior pars pectoris, periere. E qua tota deſcriptione elucet felix ille auctoris ἐνθουσιασμὸς, et animus admiratione artis antiquae plenus, nec, dum hoc agit, aliud quidquam videns et audiens, ſed totus in contemplatione venerandi fragminis defixus, ac paene ſepultus, omnesque, vel minutiſſimas pulchritudinis, ut ita dicamus, ſcintillas, acutiſſime perveſtigans, et aſſequens; qualem, valde dubitamus, an praeter Winckelmannum multi ſint habituri. Sed talis eſſe debebat, qui noſtri aevi hominibus, ipſisque adeo Italis, Romae veteris theſauros, etiam ſubterraneos, vellet recludere.

Ceterum, in toto libro occurrunt multa, etiam obiter inſperſa, lectu digniſſima, multi recentiorum interpretum naevi deteguntur et corriguntur, loca ſcriptorum veterum vel illuſtrantur, vel emendantur; cuius rei exempla ſunt pag. 58. 88-89. et 102. Atque optandum erat, ut pergeret in hoc inſtituto, atque omnino in iuvanda re litteraria vir doctiſſimus, niſi eo ipſo tempore, quo haec iam ſcripſeramus, rumor infandus percrebuiſſet, eum nuper in itinere, dum Vindobona redux, Romam contendit, manu ſcelerati cuiusdam correptum, ac multis vulneribus confoſſum fuiſſe. O nuncium vere infandum! O iacturam reip. litterariae irreparabilem! Tam indigna manu virum optimum, doctiſſimum, acutiſſimum, perire? nec tellurem imam perdito iſti percuſſori dehiſcere? — Sed ferendum ſcilicet, quod mutari nequit, et in ſapientiſſimo eodemque occultis, ſummo permittendis providentiae divinae conſilio acquieſcendum. Adeo nihil in rebus humanis certum eſt, neque cautum ulli in horam!

CHRONOLOGIE DES ROIS DU GRAND EMPIRE *des Egyptiens, depuis l'époque de ſa fondation par Ménes, jusqu' à celle de ſa ruine par la conquête de Cambyſe, fils de Cyrus.* Par Mr. D'ORIGNY etc.

Paris chez Vincent, 1765.

Quod ſaepenumero iam, et a multis dictum eſt, hiſtoriam antiquiſſimorum temporum, quidquid habeat lucis et certitudinis, id fere ad admirationis Chronologiae beneficio habere, neceſſarium non eſt hoc loco repetere; neque, quam bene mereantur de illa, qui huius difficultatibus enodandis, temporibusque ad certos fines et ordines revocandis, operam ſuam adhibent, monere. Namque facile apparet, negotium hoc, quo eſt difficilius, ſiquidem nullos ex antiquitate praeter Moſen habemus ſatis idoneos Auctores, quorum veſtigiis in definiendo temporum ordine inſiſtere tuto poſſumus, eo maiori laude praedicandos eſſe, qui, quae ex veterum Chronologorum ſcriptis ad noſtram aetatem pervenerunt, diligentius excutere, obſcuriora illuſtrare, a veris fabuloſa ſecernere, illorumque rationes cum numeris Moſis conferre, et, quantum fieri poteſt, conciliare conantur. Et hoc eſt, quod agit Cl. Orignius in opere praeſtantiſſimo, cuius inſcriptionem in fronte libelli huius dedimus, quocum et conferri poteſt quem alio tempore edidit librum, *Aegyptus Antiqua* (Egypte ancienne.) Videtur opus utilitatis maximae habere hoc, ut, ſi rationes eius viris doctis ſe probaverint, novum inde ſumi argumentum pro integritate textus Moſis Maſorethici poſſit. Quanta enim cunque Chronologorum ſit in reliquis diſſenſio, de hoc tamen inter celebriores omnes convenit, ſi Moſen exceperis, nullum alium eſſe Scriptorem antiquum, cui in traditionibus de tempore fides certa et indubitata haberi poſſit. Sed quum textus Moſis triplex ſit, alius vulgaris et Maſorethicus, alius Samari-

 tanus,

[illegible], aliis denique, quem habet Verſio Alexandrina, quorum in numeris chronologicis maxima eſt diverſitas: factum eſt, ut omnis aetatis Chronologi diverſe ſentirent, cum quaereretur, quisnam horum textuum ſit authenticus, h. e. cuius in rebus chronologicis maxima auctoritas. Ex veteri quidem Eccleſia graeca Chronologi, Iulius Africanus, Euſebius, Georgius Syncellus, nimium tribuerunt, ut in omnibus aliis rebus, ita potiſſimum in rationibus chronicis, Verſioni Alexandrinae, quam fere ſequebantur, depravationis accuſato Judaeorum textu hebraico. Quorum ſententia quamvis hodie, validioribus pro puritate et integritate textus Maſorethici argumentis, ſit profligata, tamen non defuerunt recentiori aetate, qui ad eorum partes accederent, cauſſam adducentes, fieri nullo modo poſſe, ut veterum Chronologorum profanorum, quos Orientales illi adpellitant, rationes cum rationibus textus hebraici vulgaris concilientur. Horum igitur obiectioni ut reſpondeat Cl. Auctor, bene monet, non poſſe ad hunc uſum, nec debere, omnes Chronologorum veterum libros conferri, ſiquidem in iis ſint plerique fabularum et nugamentorum pleniſſimi; ſed enim Chronologiam, quae collationi cum textu hebraico poſſit apta eſſe, aliqua de cauſſa debere legentibus fidem facere, a partium ſtudio abhorrere, Epochas certas habere, et Annalibus fundatam eſſe, in quibus, res quo quaeque tempore, et per quae intervalla geſtae ſint, curioſe adnotatum fuerit. Qualis Chronologia ſcriptorum profanorum quum nullibi adhuc reperta ſit a viris doctis, Auctor, quoad gentem Aegyptiacam antiquam, exiſtimat talem confici poſſe ex Dynaſtiis Manethonis, quas dedit Georgius Syncellus, eamque dicit eo valituram, ut Chronologis, qui rationibus pro integritate textus Maſorethici hodie ſolemnibus non cedant, perſuadeatur, authenticam Chronologiam eſſe textus Moſis hebraici, non Codicis Samaritani, multo minus Verſionis Alexandrinae.

Ut vero magis appareat, quomodo Auctor in tractatione ſua verſatus ſit, ſequemur eius ordinem, praecipua totius

operis

operis momentum indicaturi. Opus ipſum diviſit in Sectiones IV. quarum prima conſtat Capitibus VII. Cap. I. agitur de gentium origine, maxime Aegyptiacae, cuius origo dubium non eſt quin referri debeat ad tempus id, quo confunderentur linguae; ubi ex familia Chami pars una ad Aegyptum tranſiit, duce Mizraim, quem cum Syncello Auctor habet pro Menete, eumque exiſtimat, anno poſt diluvium CI, relicta terra patria, annis LIX. poſt ad ripas Nili conſtitiſſe. Praeterea Aegyptum ſtatim ab initio aliquot provinciis ſeu regnis diviſam vult, ita, ut partim penes Mizraim ipſum, partim ex patris auctoritate penes filios eius, ſumma rerum fuerit; id quod, ſi provincias potiſſimum intelligas, quarum capita fuerunt Thebae et Memphis, ad veritatem proxime accedit. Cap. II. exponitur de Dynaſtiis Aegyptiacis, h. e. de provinciis, in quas Aegyptus antiqua deſcripta fuerit. Commendat Auctor veteris Aegypti rationem, exploraturis inprimis Dynaſtias Aegyptiacas Manethonis; quod antiquitatis monumentum, unde, et quo tempore confectum, quam egregium ſit et fide dignum, multis verbis oſtendit. Manetho, cum iuſſu Ptolomaei Philadelphi conſcriberet hiſtoriam ſuam, deſumſerat has dynaſtias ex aſſervatis a ſacerdotibus libris Mercurii Triſmegiſti, qui et ipſe olim ex vetuſtiſſimis Aegypti monumentis eas confecerat; cuius generis monumenta Auctor vult intelligi lapides hieroglyphicos, in templis omnium provinciarum conſpiciendos, in quibus, quid quoque tempore memoratu digniſſimum videretur, characteribus allegoricis inſculptum fuerit. E ſcriptis Manethonis in Chronica ſua eas tranſtulerat Iulius Africanus; ex his vero in ſuam Chronographiam Georgius Syncellus, ex quo fonte hodie notitiam earum nos haurimus. Cap. III. diſſeritur de regibus Phoenicis, quos Hycſos vulgo dicunt. De iis Auctor ſequitur ſententiam Ioſephi, qui paſtores illos, regnante in Aegypto Timao quodam, cenſet in provinciam Memphiticam irrupiſſe, captaque primum urbe Memphi, provinciarum deinde conſiniam plurimas dicionis

ſuae

ſtas feciſſe; in terra Saitica urbem, Avarim aliis diſtam, muniiſſe, et annis tandem CXI. poſt, magna ſuorum parte per ſubactos nondum principes Aegyptiacos attrita, ex Aegypto ſub ſexto ſuo rege emigraſſe. Hos Auctor paſtores, ſive potius, ſi dialectum Aegyptiorum ſequaris, alienigenas, conïicit veniſſe ex Aſiae parte ea, quae ad Orientem ſpectat, et fuiſſe de exercitu Semiramis; Regina enim ab expeditione Lybica in Aſiam ad oraculum Iovis Hammonis revertente, a reliquis copiis eos diſceſſiſſe, reverſosque ad Aegyptum, cuius terrae amoenitatem ante cognoviſſent, ibi conſediſſe. *Cap. IV. et V.* agitur de Paſtoribus hebraeis, et de eo, quod Ioſephus Iſraelitas, in Aegypto hoc nomine adpellatos, eosdem putet fuiſſe cum paſtoribus Phoenicis; quae opinio, cum parum fundamenti habet, ab Auctore bonis rationibus refutatur. *Cap. VI. et VII.* continent diſputationem bene longam ſuper Seſoſtri, et alia quaedam, quae inde ſequuntur. Epocha enim Seſoſtris cum ſit inter praecipua Chronologiae Auctoris capita, nihil intentatum relinquit, quo confirmetur, Sethoſin, primum in Dynaſtia XIX. regem, eundem eſſe cum Seſoſi Diodori Siculi, et celebris in hiſtoria graeca Danai fratre, Egypto. Hinc Auctor, aſſumtis in ſubſidium Epochis Troiae expugnatae, et Danai Argos adventantis, ponit annum M. C. quo rerum in Aegypto poti-retur Seſoſtris, MDXIII. qui eſt ex ratione Uſſerii MCCCCXCI. antequam Chriſtus naſceretur. Quo eodem anno et emigrationem Iſraelitarum ex Aegypto factam cenſet ea de cauſſa, quod, regnante Amenophi, Sethoſis patre, Manetho apud Ioſephum tradat, Hebraeos per Moſen eductos.

Sect. II. et III. Auctor conatur ordinem Dynaſtiarum Manethonis chronologicum conſtituere: harum licet ſint omnino XXXI. ipſe tamen, quoniam VI. poſteriores a propoſito ſuo ſint alienae, neque adeo multum habeant difficultatis, XXV. tantum priores tractat; quae quam ſcateant difficulta-

ſicultatibus, vel ex ſola Chronologorum diſſenſione patet; qui huc usque in conſtituendo earum ordine laborarunt. Antea enim quam fides haberi certa et indubitata huic vel illi temporis ordini poſſit, certum aliquod adeſſe debet et perpetuum fundamentum, quo ſeries Dynaſtiarum, ſicut illa nectitur, nitatur. Tale vero fundamentum exiſtimat Auctor reperiri in titulis, quos harum Dynaſtiarum cuique praemiſit Iulius Africanus, hac ratione, ut, quae Dynaſtiae unius eiusdemque provinciae nomen prae ſe ferant, ordine quoque ſint ponendae eo, quo illas in enumeratione poſuit Georgius Syncellus, in iisdemque nominati reges ſerie continua ſibi ſucceſſiſſe putandi; niſi forte temporis aliquod intervallum poſſit ex certis rationibus demonſtrari; ubi vero Dynaſtia aliqua regnum habeat in titulo diverſum ab eo, quod in praecedenti proxime Dynaſtia nominetur, debere non ſtatim iudicium ferri, illam tempore hac fuiſſe poſteriorem, ſiquidem haec vel tota, vel ex parte, cum illa ſtare ſimul potuerit. Haec ut clariora fiant, addemus exemplum, ex quo intelligi poſſit, quomodo ratio iſta procedat. Dynaſtiae v. c. III. IV. VI. VII. et VIII. inſcriptionem habent omnes: *Regum Memphiticorum*. Hinc ſequitur, eas ordine ſubſecutas ſe eſſe continuo, ita ut quarta exciperet tertiam, ſexta quartam, ſeptima ſextam, octava ſeptimam; Dynaſtia contra V. cum inſcripta ſit, *Regum ex Elephantine*, Auctor eam non exeunte demum quarta initium cepiſſe exiſtimat, ſed rationes adducit, quare id factum eſſe credibile ſit XVII. annis ante, quam quarta decurreret. Haec eſt ratio etiam caeterarum Dynaſtiarum, quas Auctor, adhibitis in ſubſidium primum facto ab Eratoſthene catalogo Regum Thebanorum, (quos Manetho plane omiſit,) deinde Epochis regni Seſoſtris, et debellatae per Cambyſen Ao. ante C. N. DXXVI. Aegypti, ordini reſtituit ita, ut oſtendat, quae quoque tempore Dynaſtiae in diverſis provinciis ſimul exſtiterint, quae, et quo tempore altera alteri ſucceſſerit, et quo tandem anno M. C. unusquisque harum Dynaſtiarum rex principatum occuparit.

Praete-

Praeterea confert cum Aera Mundi etiam aliam, quam vocat Aegyptiacam, quae ceperit eo tempore initium, quo Mizraim ſive Menes ad ripas Nili ſedem fixiſſet. Quantacunque vero Dynaſtiarum Manethonis, ex ſententia *Cl. Orinnii*, ſit auctoritas, tamen et ipſas quibusdam in locis depravatas ad noſtram aetatem perveniſſe, apparet ex eo, quod Auctor in conſtituendo eorum ordine chronologico crebrioribus utitur emendationibus, quamquam non ſecutus ſit niſi exempla ea, quae Syncellus deſcripſit ex Iulio Africano, quae eruditi omnes conſentiunt minus corrupta eſſe iis, quae idem Syncellus dedit ex Euſebio. Eiusmodi emendationes reperies v. c. in Dynaſtia XII. ubi Auctor delet Seſoſtrim; duodeviceſimam, qualis ea eſt apud Iulium Africanum, abiicit, abiectaeque ſubſtituit illam, quae a Ioſepho contra Ap. L. I. commemoratur ex Manethone; viceſimam quintam et ſextam mutat ita, ut Herodoti et Diodori Siculi traditionibus in omnibus conveniant; decimam ſextam et ſeptimam, quarum ne veſtigium quidem eſt apud Syncellum, reſtituit ex regum Aegyptiacorum quodam catalogo, quem ex Annalibus vetuſtiſſimis huius regni excerpſit Syncellus. Tantum de mutationibus: rationes, quibus Auctor eas defendit, quaeque nobis interdum non leviſſimae viſae ſunt, lectoribus relinquimus examinandas. Cum vero opinemur fore, qui Aegyptiacam Chronologiam Auctoris cum biblica conferre aliisque velint, addemus et iſtorum in gratiam Epochas quasdam Veteris hiſtoriae maxime memorabiles, ſicut ſunt ab Auctore conſtitutae. Regnum in Aegypto Mizraim ſeu Menetem fundaſſe, ſupra iam monuimus, anno poſt diluvium CLX. qui, ſi vulgarem textum hebraicum Moſis audias, eſt annus M. C. MDCCCXVI. Iſraelitae vero emigraſſe ex Aegypto dicuntur anno MMDXIII. eiusdem aerae, et Ioſephus anno MMCCLXXVI. venditus Potiphari, qui quidem aulicus fuerit regis Rameſis, et huius regni ſedes urbs Tanis. Ad Paſtores Phoenicios quod attinet, eorum putat

Auctor regnum in medio et inferiori Aegypto coepiſſe anno M. C. MDCCCCXLVIII. ceſſaſſe anno MMCCVIII. regnante Dioſpoli, duodeviceſimae Dynaſtiae primo rege, Amoſi ſeu Tethmoſi; Pharao rex, cuius filiam duxerat in matrimonium Solomon, dicitur ab Auctore fuiſſe Pinaches, regum Taniticorum in viceſima prima Dynaſtia ſextus; Siſacum, qui regnante Rahabeamo in ſacris literis commemoratur cepiſſe Hieroſolymas, habet pro Seſonchi, rege Bubaſti, et regem So, cuius mentio fit 2 Regg. XVII. pro Sabacone Herodoti etc.

Haec ſufficiant rationem Auctoris chronologicam collaturis cum biblica. Nobis dicenda quaedam ſuperſunt de *Sectione IV.* quae continetur Vol. II. huius operis, eſtque in ſeptem capita diviſa. Summa eorum haec eſt; ut adducendis ex ſcriptoribus antiquis quamplurimis locis, Auctor, quae in antecedentibus ſuper ordine Dynaſtiarum Manethonis chronologico diſputavit, magis explanare, confirmare, et, ſi fieri poſſit, extra omnem dubitationis aleam ponere conetur. Haec quomodo procedant, per ſingula nunc videbimus. *Cap. I.* agitur de monſtroſa illa et fabuloſa Periodo Manethonis, quae continet imperium ſeu Dynaſtias deorum, Semideorum, heroum, regumque mortalium: quas narrationes quidem Auctor demonſtrat maximam partem commentitias eſſe, ſubeſſe tamen ſemper aliquid veri, licet ita abſconditum, ut illud eruere ex tanto fabularum Oceano labor ſit difficillimus. *Cap. II.* ſunt animadverſiones in quaedam Herodoti loca, quae pertinent ad narrationes, ipſi, quoad in Aegypto degeret, a ſacerdotibus factas. Loca iſta Auctor tentat explicare ex Chronologia ſua Aegyptiaca. *Cap. III.* proponit iudicium ſuum ſuper Periodo MDCCCCLIX. annorum, regno Aegyptiaco ad Cambyſis usque aetatem tributorum ab Auctore veterum Chronicorum, quorum Excerpta ſunt apud Syncellum. Quo facto confirmandae Chronologiae ſuae adhibet Scriptoris alius cuiusdam veteris teſti-

monium,

monium, in hiſtoria Conſtantini Manaſſis adſervatam, quo paullo ante commemorata. Periodus revocatur ad annos MDCLXIII. qui quidem numerus uno tantum maior eſt eo, quem Cl. Auctor conſtituit. Sub finem capitis examinatur locus Dicaearchi, qui extat apud Scholiaſten Apollonii, quemque contra Chronologiam ſuam Auctor contendit nihil efficere. *Cap. IV.* excutiuntur loca Diodori Siculi de regibus Aegypti, Pruſinis nomine adpellatis, de Sepulchro Oſimanduae, de conditore urbis Memphis. Quum inter eruditos non conſtet, quo maxime tempore magnifica illa Aegypti opera, (Pyramides vulgo dicunt,) extructa ſint, Auctor *Cap. V.* tempus, quo illorum praecipua videantur condita, definit. *Cap. VI.* eſt diſputatiuncula de regibus Anonymicis, quorum apud ſcriptores temporum Aegyptiacos valde frequens eſt mentio. Cauſſam, cur eorum nomina litteris non conſignata fuerint, Auctor adfert hanc, quod memoria eorum, ob regni vel crudelitatem, vel vitae ignaviam, ſubditis exoſa eſſet et inviſa, ut quam conſervare poſteris contumeliam magis putaverint, quam laudem. *Cap. VII.* quae reliqua ſunt ex Chronologiis Orientis aliis, Phoenicia, Chaldaica, et Babylonica, proponuntur: nihil iis, vel parum fidei haberi vult Auctor propterea, quod nullis fundarentur certis et idoneis monumentis; id quod de Chinenſium potiſſimum Chronologia valere dicit, qualis ea eſt in Excerptis ex Annalibus huius gentis, ab Europaeis ſcriptoribus editis; eandem vero, ſi fabulis et commentis ope artis criticae purgaretur, cenſet cum veris Aegyptiorum et Hebraeorum rationibus conciliari bene poſſe.

Habes, Lector, quae nobis in opere Cl. Orinnii viſa ſunt memoratu digniſſima; et ſint licet etiam in his paſſim, quae ſubortis dubitationibus noſtris ſatis ex omni parte non fecerint, illo tamen viri et ingenio, et diligentiae, detrahere nil quidquam volumus. Partim enim ipſae dubitationes adeo graves non ſunt, quin eas tolli aliquo modo poſſe cenſeamus; partim poſtulandum non videtur, in re tam difficili et obſcura,

ra, quam eſt antiquorum temporum ratio, ubi, ſi ingenium demas, reliquis auxiliis omnibus ſaepe deſtituimur, omnia ita evidenter et perſpicue tradi, ut relinquatur dubitationi plane nullus locus. Quare et Auctoris librum inprimis dignum iudicamus, qui Chronologorum examini et curis adcuratioribus ſubiiciatur. Ut ut enim in rebus ſingulis interdum nimis indulſerit ingenio, at in univerſum tamen Syſtema eius Chronologiae Aegyptiacae, ex Dynaſtiis Manethonis confectum, videtur longe plus habere probabilitatis, quam quae Marshamus, aliique viri docti, iisdem adhibitis in ſubſidium Dynaſtiis, excogitarunt.

INSTITUTIONS LEIBNITIENNES, OU Précis de la Monadologie.

A Lyon, chez les Fréres Périſſe, MDCCLXVII, pagg. 231, in 8.

Fingitur in hoc libello, cuius Auctorem compertum habemus Dn. *Petrum Sigorgne*, Archidiaconum et Canonicum Matisconenſem, Virum de re litteraria apud ſuos praeclare meritum, Gallus quidam militum Praefectus occaſionem nactus, cum variis academiarum Germanicarum doctoribus, et maxime cum *Canzio*, Philoſopho nuper Tubingenſi celeberrimo, a. 1750. de philoſophia Leibnitiana diſſerendi, qui hanc explicat, tuetur, atque illius, cum quo colloquitur, obiectionibus, ſubinde ſatisfacere ſtudet. Atque hoc colloquio abſolvitur libellus hic; neque nos erraturos credimus, ſi mutato eius veſtitu, mentem acutisſimi Auctoris ſequentibus dogmatis fuerimus complexi.

I. Materiam conſtare ſimplicibus, contra diviſibiliſtas demonſtrant atomiſtae cum Zenonicis.

II. Partes illas ſimplices nullius eſſe extenſionis, contra atomiſtas evincunt diviſibiliſtae et Zenonici.

III. Ex-

III. Extenſionem a parte rei ex non extenſis formari ac reſultare non poſſe, contra Zenonicos conficiunt diviſibiliſtae et Epicurei. Igitur

IV. Quoniam materia conſtat ſimplicibus, et a ſimplicibus extenſio formari nequit, eſt haec effectus materiae, non qualitas ipſi inhaerens, aut eam conſtituens, ſed eſt e genere qualitatum ſecundariarum, quae menti a materia ingenerantur, non autem materiae inſunt, ſed pura ſunt phaenomena, ut colores.

V. Facile ergo largiendum diviſibiliſtis, entia ſimplicia ſe tangere ac penetrare, cum ſe contingunt, ſiquidem notio contactus convenire poteſt ſimplicibus. At cum ſe penetrant, non ſe deſtruunt et annihilant: ergo in ipſa penetratione ſuam vim ſervant ſingula diverſam, ſuas diverſas qualitates: ergo etiam penetrata in nos agunt diverſimode, et ſenſum confuſum multitudinis menti ingenerant. Unde mens excitata partes videt aut ponit extra partes, quae cum ob perceptionem confuſam non diſcernantur, ſimilares videntur et male terminatae; atque hinc perceptio naſcitur extenſionis continuae; quae idcirco merum phaenomenon eſt.

VI. Vis ergo aliqua monadibus tribuenda, tum ut ſenſum ſui nobis faciant, tum ut qualitates poſitivas habeant, ac per hoc entia ſint; quicquid tandem de vi illa et modo ipſius agendi ſtatuendum ſit. Nec enim creationis modum attingimus, licet creationem admittamus; neque rationem, qua mens in actum internum cogitationis vel deſiderii erumpit, declarare, aut ullo modo definire poſſumus.

VII. Licet autem vis inſit monadi, non ea tamen cogitat: nam neque vis omnis cogitatio eſt, ut patet ex vi locomotiva; neque cogitatio cum regulis, quas corpora ſequuntur, conſentit. Cogitatio infert ſpontaneitatem: nulla autem in elementis corporum, quae leges fixas et invariabiles ſequuntur, ſpontaneitas.

VIII. Quoniam vero partes extenſionis huius mere phaenomenalis ſimilares ſunt (§. V.) et male terminatae, earum

tum extrema in perceptione ſunt unum, atque extenſio haec eiusdem generis eſt in partibus et in toto; partibus conſtat mere poſſibilibus et indeterminatis, atque hinc ſine fine per mentem, in qua ſola exiſtit formaliter, diviſibilibus. Unde ſuum conſtat geometriae obiectum, quod licet non ſit quaedam ſubſtantia, non tamen merum eſt phantaſma, aut aliqua illuſio, ſed phaenomenon reale, a nobis independens, et menti per obiecta externa neceſſario effectu, ſecundum regulas fixas et univerſales, ingeneratum. Et quoniam Phyſica non ipſam corporis ſcrutatur ſubſtantiam et naturam, ſed qualitates eius ſenſiles, et earum fundamentum immediatum, extenſionem, quae etſi corpori non inhaereat, a corpore tamen provenit: inde ſequitur, Matheſin et Geometriam ſuum in phyſicis habere uſum, quemadmodum in ipſa diviſibiliſtarum ſententia.

IX. Motus igitur aliud eſt in corpore, aliud in ſenſibus; quamvis talis ſit in ſenſibus, qualis ex eo, quod eſt in corpore, ſequi debet. In corpore nihil eſſe poteſt praeter ſucceſſionem evolutionum vis ipſius corporis, qua fit, ut A nondum ſatis evolutum, ut in F agere poſſit, quod tamen penetrat, tandem ſic evolvitur, ut poſtquam in plura alia egerit, iam in illud agere queat. Ubi tria reſpici poſſunt: *terminus a quo*, terminus *ad quem*, et omnia *intermedia*, quae a mente extra ſe poſita formam lineae peragratae induunt, et phaenomenon motus producunt.

X. Inde fluunt notiones praeſentiae et diſtantiae, ac tandem explicatur, quod alia ratione intelligi nequit, attributum Dei, quod *immenſitas* ſeu *omnipraeſentia* dicitur. Si enim materia in ſe ipſa extenſa eſt, Deus ipſi ſecundum ſubſtantiam praeſens eſſe nequit, quin eidem coëxtendatur. Cum vero ſemel oſtenſum eſt, extenſionem eſſe phaenomenon ex ipſa corporum actione in mente reſultans, iam nulla difficultas eſt, et Deus omnibus praeſens eſſe poteſt, ſine ſui multiplicatione et diffuſione. Corpus A enim, quod modo in corpus F agere non poterat, cum nunc in illud evolutione vis

ſuae

ſitae agere poſſit, relationem cum eo habet immediatam, ſic ut nullum intermedium iam concipi queat, ac proinde non diſtans, ſed hac relatione Subſtantiam ſuam afficiente, praeſens eſt. Cum Deus ſine ulla praeparatione in omnia agere poſſit, et agat, omnibus etiam non operatione ſolum, ſed Subſtantia, quemadmodum corpus corpori, et quidem intimius, praeſens eſt; utpote qui non vim tantum corporis extrinſecus limitat, ſed ipſam virtutem agendi omnibus et ſingulis continuo largitur. Non ergo Deus nullibi eſt ſecundum Subſtantiam, ut difficultate victus ſomniavit *Carteſius*, ſed ubique, et omnibus entibus praeſens, ſua efficaci et actuoſa Subſtantia, nec tamen extenſus vel diffuſus. Atque pari ratione oſtendi poteſt, quod ad *Peliſſonium* ſcripſerat *Leibnitius*, corpus idem virtute divina pluribus locis praeſens eſſe poſſe, et eo modo pluribus, quo unum uni naturaliter,

Atque haec Summa eſt praecipuorum capitum, quae maximam partem ex *Canzio* explanare tentavit Auctor, Germanis quidem, ut ipſe iudicat, trita et perſpecta, Gallis vero hactenus ignota, vel certe confuſe et minus adaequate cognita. *Canzius*, ſi viveret, ſuasque *Meditationes philoſophicas*, in Germania non magnis plauſibus exceptas, noſtra aetate ſubtili Gallorum Philoſopho placere, et fundamenti loco poni videret, quam laetaretur!

CAROLI FERDINANDI HOMMELII CORPUS Iuris Civilis, cum Notis Variorum.

Lipſiae, ſumtibus Gaſpari Fritſch, 1768. Alphab. 2. plagg. 6. octonis.

Quae ſaepenumero admirati ſumus in Hommelio noſtro, Viro ſummo, quem honoris cauſa nominamus, laboris patientiam, atque communis utilitatis promovendae incomparabile ſtudium, ea ille praeclaris ad Iuris potiſſimum ſcientiam ſpectantibus libris, iam inde a pluribus annis, litterariae reipublicae abunde adprobavit. Nobis, ne ſimus in mode-

 ſtiam

ſtiam Collegae noſtri, nam et hanc eius virtutem magnifacimus, iniurii, non lubet, cuius hic titulum deſcripſimus, librum laudare, etiam propterea, quod, qui conſilium Viri doctiſſimi eo edendo cognoverit, non poteſt non ei gratias habere, optareque vehementer, ut pergat, bono rei litterariae, atque Iuris ſcientiae inprimis, libris talibus ſcribendis, quidquid ſupereſt otii, impendere, atque adeo, quam nominis celebritatem iam inter nos conſecutus eſt, eam et ad ſeram poſteritatem iſtiusmodi monumentis numquam intermorituris propagare. Sed non poteſt quisquam de hoc Iuris Civilis corpore, melius atque elegantius Auctore ipſo loqui: nos igitur lectoribus praefationem, quam illi, ſcimus, libenter legent, et cum voluptate, hic integram deſcribimus.

„Ex umbra in ſolem, ſub ſpecioſo quidem, nec plane tamen falſo, aut inani, titulo, prodit corpus iuris civilis cum animadverſionibus, quaecunque in ſingularibus libellis ſparſae ſunt, variorum, non criticis tantum, verum etiam forenſibus; perexiguo id quidem pretio, nec portentoſae molis. Ut autem ſtatim uſus cognoſcatur, nemo hic in vulgaribus commentariis facile inveniendas legum explanationes quaerat, ſed illas potius, quae in variis Obſervationum, Diatribarum, Emendationum, Coniecturarum, Diſputationum, Collectaneorum, Animadverſionum, aliisque huiusmodi minutis Iurisconſultorum ſcriptiunculis abſconditae ac propemodum ſepultae latent, quas cum dolerem ſine generali repertorio non inveniri, ſi uſu opus ſit, coepi ea aetate, qua Bibliotheca parva, tempus vero abundans eſſet, ſecundum legum in Corpore Iuris contentarum ordinem, varias haſce interpretum obſervationes colligere, ut ſi lex mihi obveniret obſcura, aut difficilis, cui nec commentatores vulgares, quos Struvii et Lipenii bibliothecae larga manu praebent, nec Accurſii gloſſae ſufficerent, ex angulo quodam praeſto eſſet interpres melior. Nempe indicem legum realem, ex libris, quos habebam, initio paucis, conficiebam, nec, ſi novum emiſſem, prius condebam in repoſitorium, quam excerptis ex eo legibus nova ratione explicatis. Ita evenit, ut quae in minutis huiusmodi libellis hinc inde vagabantur legum ſingularium enodatio-

nes,

nes; illae ordine Triboniano a me ſociarentur, et veluti diſperſi antea palantesque manipuli, aſſignata ſua cuique ſtatione, ſub ſigna revocarentur. Opus laboris plurimi, nullius tamen oſtentationis, quoniam, ingenio exule, id omne digiti fecerunt. Ipſe autem pauca in commune contuli. Nam cum Bibliotheca mea creſceret, tempus autem non modo decreſcere, ſed ad poſtremum omne deficere videretur, ſollicitis et accuratis hoc negotium amanuenſibus commiſi, qui quod coeperam continuarunt; attamen, quod diffitendum non eſt, interdum leges a ſcriptoribus tantum incidenter laudatas, iis immiſcuerunt, quae ex inſtituto explicatae ſunt. Facile autem, collectionem talem, in qua innumera numerorum ſigna, et infinitae allegationes, utramque paginam faciunt, omni non poſſe vitio vacare, praeter malevolos unusquisque intelligit. Quoniam tamen nihilominus vereor, ne ab iis, qui, cum ipſi nihil efficere poſſint gratum populo, ſuam, ne plane nulli videantur, in reprehenſiunculis gloriam collocant, ne, inquam, a talibus id quoque vitio vertatur, dicta ſuperius iterum repeto: vulgarium ſcilicet, atque ingentium commentariorum, ut Brunnemanni, Voetii, Dionyſii Gothofredi, aliorumque huiusmodi ſcriptorum, nullam a me rationem habitam fuiſſe, cum in his leges ordinatim illuſtratae facile inveniri poſſint; ſed tantum minuta curae fuiſſe, et volitantia imprimis opuſcula, quae tam in Ottonis et Meermanni theſauris, quam extra eos nondum collecta proſtant, in quibus varii Scriptores leges, ut fors obtuliſſet, promiſcuas expoſuerunt. Praebuit autem, quem ita curaveram, legum hinc inde tractatarum nomenclator, magnam utilitatem, quoties aliquid meditarer aut ſcriberem; ſi quidem ſenſum reconditum legis, de qua agebatur, in locis, quibus nemo quaeſiturus erat, deliteſcentem, oſtenderet, quem ſine huius indicis miniſterio, utut antea lectum, ignoraſſem. Propter hanc inſignem frugalitatem, quoniam litteratis inſervire ſtudeo, facile me exorari paſſus ſum, ut quod privati commodi cauſa mihi feceram, finerem eſſe publicum. Annotavi in eo diligenter, ubi lex quaelibet in Baſilicis reperiatur, ut alias commoditates taceam, inter quas non poſtremam puto, quod

ius operis beneficio furta litteraria, quae plagia dicere, nec voluntaria ſeu inopinata, facilius evitentur, voluntaria autem detegantur. Neque tamen privatus hic quondam variarum obſervationum index fines Bibliothecae meae limitesque egreditur; unde, ſi ex uno alterove libello, quem ipſe non poſſideam, nihil excerptum lector inveniat, aut, quod ſaepius accidit, ipſi etiam, quos habeo, libelli, mea incuria omiſſi fuerint, quod nimium occupato video mihi aliquoties accidiſſe, alius poſſeſſor calamo ſuo allegationes facile adſcripſerit praetermiſſas. Quis autem ab uno homine infinita exegerit? Rogat potius hic liber, ut operas ſuas in commune plures conferant, ſiquidem pigrum non cupit dominum habere, ſed ſolertem, cuius quidem gratia in fine voluminis Catalogum librorum, quorum contenta huc migrarunt, adiecimus, ut ſtatim ſcire unusquisque poſſit, quibus libris ego uſus ſim, quosque ad excerpendum ipſi reliquerim. Alius index Abbreviationum, quibus, ut chartae parceretur, per totum opus uſi ſumus, ipſam praefationem huius Voluminis excipit."

Quae hic de Libro ſuo praefatus eſt ill. Hommelius, vera ſunt omnia; niſi quod de praeſtantia modeſtius, quam oportebat, locutus eſt. *Notae Variorum*, quas libri titulo poſuit, ipſi libro non inſunt, neque erat hoc conſtitutum; ſed indicant haec verba, nomina eorum laudata eſſe hoc libro, qui ad quamque legem, immo ad ſingulas legum §§os, commentati ſint, quorumque adeo commentarios loco notarum Variorum habere poſſis.

DANIELIS GERDESII SPECIMEN ITALIAE REformatae, ſive Obſervata quaedam ad hiſtoriam renati in Italia tempore Reformationis Evangelii, una cum Syllabo Reformatorum Italorum.

Lugd. Bat. CIↃ IↃ CCLXV. in 4. pag. 354. excepta praefatione pagg. 28.

Auctor, *hiſtoria Evangelii renovati*, et *Scrinio antiquario* olim edito, haud vulgarem huius hiſtoriae notitiam prodidit,

quam

quam ex tertio quoque ſpecimine, quod commemoramus, colligere licet. Elegans tamen hic liber, iam prelo commiſſus, Auctoris obitu parente quaſi orbatus, Evaldi Hollebeccii, eius generi, ſtudio, qui ſimul in praefatione ei laudes tribuit decentes, in lucem eſt editus. Hic igitur liber duabus abſolvitur partibus, quarum prior *obſervata quaedam ad hiſtoriam renati in Italia tempore Reformationis Evangelii*, complectitur. Breviter fatis confeſſorum purioris doctrinae in Italia explicatis, Auct. excitatos Lutheri ſcriptis ac controverſiis motus narravit; Calvumque, librarium Ticinenſem, illius ſcripta undequaque divulgando, quae a quamplurimis ſummo deſiderio excepta ſunt, inter praecipuos, qui emendandis Sacris operam ſuam impenderint, retulit. Quantus in Lutherum amor fuerit, ex eo colligit, quod a Mediolanenſi quodam Epigramma A. 1519. in eius honorem ſcriptum, item a Bernhardo Schenckio, Venetiis, eximium veritatis documentum proditum eſt. Providentiae prorſus ſingulari, maxima incrementa reſtaurationis ſacrorum, paucis annis poſt conſpicua, tribuit: cum neque oratio in Comitiis Norimbergenſibus, a Curiae Romanae Purpurato, Campegio, recitata; neque Busdragi epiſtola, de praeſervanda Italia a Lutheranismo, ullam plane vim habuerint. Clemens VII. quidem, Pontifex Rom. rei Proteſtantium adverſarium ſeſe praebuit, cum in concilium oecumenicum proxime habendum non conſentiret; ſed hunc diſſenſum religioni maximo emolumento fuiſſe, Gerdeſius bene docuit. Nam alio modo Deum ſaluti eccleſiae conſuluiſſe, ſcriptis videlicet Reformatorum, ab Italis aſſidue lectis, iſtos ad amplectendam veram religionem, et reprobrandum cultum electitium, quo innutriti erant, non motos tantum, ſed tractos fuiſſe, oſtendit. Inprimis Monachos Auguſtinianos Italos, praecipue Taurinenſes, multum temporis libris Reformatorum impendiſſe, eosque aliis commendaſſe, A. evicit. Cauſae Proteſtantium aliae quoque res favere viſae ſunt, ad quas referuntur: Catechiſmi utriusque Lutheri, ob ſingularem praeſtantiam, quorum tamen illi auctorem tunc

 igno-

ignoraverunt, verſio Italica typis excuſa; orationis domini expoſitio, Venetiis ſermone Italo edita; Buceri explicatio Pſalmorum, quae ſub titulo Aretii Felini prodiit; et hypotypoſes theologicae Philippi Melanchtonis, quae ſub nomine *Ippoſito da Terra negra* publici iuris factae ſunt. His adhuc maiora adminicula ſunt addita crebrioribus, et maiori cura, quam antea, concinnatis translationibus utriusque foederis librorum. Excepta enim Nicolai Malermi verſione, cuius, quamquam plurimis ſcateat naevis, tamen Seculo XV. et XVI. editiones XXI. extiterunt; etiam Antonius Brucciolus A. 1530. N. T. et A. 1546. totum codicem ſacrum, multo curatius verſum, publici iuris fecit. Sanctes Marmochinus paullo poſt, huius, et vulgatae verſionis praeſidio, Venetiis novam condidit, eamque in folio imprimi fecit. Philippus Ruſticius tandem A. 1562. in folio eam iterata vice prelo commiſit. Sed et Lugduni Maximus Theophilus, natione Florentinus, N. T. forma ſedecima edidit. Neque alia defuiſſe ſubſidia, puriori doctrinae introducendae maxime accommodata, ex Auct. intelligimus; commercium ſiquidem litterarium doctiſſimorum e coetu Proteſtantium virorum cum Italis, ut Lutheri ad Balth. Altherium, Melanchtonis Zwingliique ad diverſos Epiſtolae, nec non Aegidii a Porta, Comani, ad Zwinglium, et monachi ordinis Locarnenſis ad Germanicas eccleſias, de mittendis Zwinglii ſcriptis, A. 1531. data epiſtola, cultui divino repurgando egregie inſervierunt. De amore Italorum erga veritatem etiam ex hoc conſtat, quod ipſi Clerici ſeſe ſcripto cuidam ſeveriori, vulgo Bullae Clementis VII. adverſus reſtaurationem ſacror. oppoſuerint. Studium verae religionis Italorum etiam inde apparuiſſe dicit Auct. quod fama de Melanchtonis cum Pontifice et Purpurato Campegio conſpiratione ad illos delata, quae minus certa fuit, Veneti, per Lucam Paullum Roſellium, litteris eum ad fortitudinem chriſtianam movere tentaverunt. Attamen duae ſtatim, diverſis Proteſtantium libris lectis, extiterunt familiae,

miliae; altera Lutheri, altera Zuinglianorum opinionibus favens, quae tunc communi et uſu recepto nomine Lutheranorum ſunt appellatae.

Tutela ac patrocinium Principum altera cauſa felicis ac celeris propagationis doctrinae verae in Italia fuit. Ita e. c. Renatam, Ferrarienſem Ducem, non ſolum religionis fuiſſe ſtudioſiſſimam, ſed etiam huius cauſa e Gallia et Italia profugos in ſuam recepiſſe tutelam, legimus: et quamquam Henricus II. animum huius feminae vana perſuaſione flectere, ut ad adverſariorum partes tranſiret, tentaverit, tamen Renata pro viribus ei reſtitit. Inter laudes huius Ducis eſt et cura in educanda filia Anna numeranda, quae ſucceſſu temporis reformandis Galliae provinciis operam navavit. Pertinet huc et matrimonium Margarethae, Henrici II. Sororis, cum duce Sabaudiae initum; nam illis oris meliorem notitiam religionis illa invexit.

Anno 1527. Pontifice Romano Clemente VII, in Caſtro S. Angeli ab Hiſpanis, Italis, ac Germanis militibus obſeſſo, Romaque diruta, et per binos annos Pontifice et curia orbata, feliciſſime reformatio proceſſit. Cuius quidem rei multae cauſae eſſe poſſunt. Auctor primo loco collocavit miſeram et ignominioſam Pontificis Romani tunc temporis conditionem; deinde ait controverſiis inter Imperatorem et Pontificem auctoritatem iſtius imminutam fuiſſe, praecipue cum diſſenſus cauſae litteris conſignatae eſſent; tandem palam habitas in Romanam eccleſiam Faventiae, multisque aliis Italiae in urbibus, invectivas, de triſtiſſima eccleſiae Romanae ratione teſtantes, producit. Inſeruit igitur argumentum orationis Ioannis Staphylaei Epiſcopi, qua Auditores Rotae Romanae ille admonuit, ſub Babylone in litteris S. Romam intelligendam eſſe. Palmarium tamen argumentum ab Auct. omiſſum deprehendimus, ferociam videlicet et crudelitatem nefandam Hiſpanorum ac Italorum militum erga devictos, quae odium in Pontificios inflammavit vehementiſſime; cum contra Germanorum milites,

cum

cum Imperatoris exercitu coniuncti, multo lenius cum victis egerint, ſibique adeo favorem illorum conciliaverint.

Quibus explicatis evincit Auct. religionem veram amicos ubique in Italia nactam eſſe. Venetiis tanta libertate uſos Proteſtantes, ut publicus Dei cultus ibi eſſe paene videretur; quod ex Melanchtonis litteris ad Venetos de A. 1539. probavit A. Refert quoque de Venetis, eos litteris per Balth. Altierium Luthero ſuum amorem declaraviſſe, ac profeſſos eſſe, ſe omnia religionis cauſa ſuſtinere velle, ſibique Sacramentariorum controverſiam inviſam eſſe. Commemoratione hic digna ſunt, quae de numero Profeſſorum Vicentiae, Mediolani, et Modenae, in dies aucto, A. protulit, nec non quae de conatibus Pontificum, veram exſtirpandi religionem, diſſeruit; cuius rei cauſa ad litteras Paulli III. ad Epiſcopum Mutinenſem, et ad Senatum Venetorum datas, provocat. At crudeliter etiam impietas in veros Ieſu Chriſti ſervos ſaeviit. Locarni enim, in Helvetiorum finibus, multi iam A. 1546. fuerunt Evangelii aſſeclae, qui orta perſecutione A. 1554. exules facti, Tiguri conſtiterunt, ibique de eccleſia Italica condenda cogitaverunt. Quot modis, fraudibus, ac vi, ſeſe tunc Pontifices oppoſuerint, ex ampla commentatione Auctoris cognoſcere licet. Communicavit quoque cum lectoribus litteras a Bononienſibus quibusdam ad Ioannem Planizium, Legatum Electoris Saxoniae inter eos verſantem, de conſilio reformandae eccleſiae ſcriptas. Neque Neapolitana regio, quamquam Carolus V. edicto anni 1536. cavere voluerit, ne illuc lux Evangelii penetraret, deſtituta fuit viris probis. Ubique multi, iique nobilitate gentis et eruditionis fama conſpicui, Chriſti cauſa exules facti, quorum nomina vitamque Auct. recenſuit, atque ſimul laudavit in exilio ſtudium religionem veram promovendi. Reformationi tamen obfuiſſe teſtatur primum crudele inquiſitionis tribunal, quod Paulus IV. purpuratis ante obitum diligenter commendavit; deinde ſuppoſititios libros, qui nomina haereticorum in fronte gerebant, et publice exuſti ſunt. Longam martyrum Italicorum ſeriem

his

his ſubiunxit Auct. inter quos clariſſimorum virorum coetum, et lectiſſimam feminarum coronam, quae nominis nobilitate, eruditionis fama, et religionis ſtudio inclaruerunt, decentiſſimis laudibus extulit.

Haec omnia in prima parte fuſius tractavit Auctor. Succedit huic pars altera, quae *Syllabum clarorum Italorum, qui Seculo XVI. emendata ſacra vel amplexi fuerint, vel iis votis ſua addixerunt*, *ad ordinem alphabeticum* ſiſtit. De his tamen, quia difficulter in epitomen redigi poſſunt, monuiſſe ſufficiat, cum utilitate inſigni a quovis lecta iri, nam magna rerum copia ſuperbiunt, qua hiſtoriae litterariae, et aliae eruditionis partes, illuſtrari mirifice poterunt.

DE LICENTIA POETICA: AUCTORE CAROLO ANDREA BELIO D. Poeſ. in Acad. Lipſ. Prof. Publ. Ordin.

Humanarum rerum aſſiduos ſpectatores nihil facile obſervare frequentius exiſtimaverim, quam quod ii, quibus multa licent, omnia ſibi licita atque permiſſa putent. Eſt enim haec ingenii mortalium indoles, ut proni in vetitum nitantur, et negata concupiſcant; quotidianis rebus, et in medio poſitis, facile taedium adferentibus, ipſaque legum et finium certorum, quibus circumſcribuntur, neceſſitate, libertatis illud ſtudium, quod omnibus omnino natura ingenuit, gravius offendente. Itaque cum opportunitas quaedam offertur, per quam obſequi tutiſſime animo ſuo poſſint, terminos ſapienter conſtitutos libenter tranſiliunt, velut in vetere verſu eſt,

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas,

Manat autem ea mentis contagio per multa hominum genera. Potentibus quidem, et rerum dominis, quibus hoc potiſſimum conſilio conceſſum eſt in longe plurimos imperium, ut eos quam feliciſſimos et beatiſſimos reddant, placet

ſaepenumero, auctoritatem illam, quae, cum benefica eſt, amatur, mala inferendo terribilem efficere, et quae in aliis reprehenſione atque poenis digna iudicant, quod ipſi poenae metu nullo tanguntur, ea committere, fere ut *Achilles*

Iura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

Non minorem his, quibus diis aequa poteſtas obtigit, audaciam, et ruendi in omnia deſideria ſua facilitatem contrahunt plerumque, qui magnitudine pecuniae et copia laborant. Nam cum intelligant, omnes auro aditus patere, omnia divitum acta leniore cenſura adfici, veniam delictis non difficulter parari, immo nullam eſſe, quod poeta Gallus oſtendit, virtutem, dotem ingenii nullam, quam homo opulentus, propter hoc ipſum quod opulentus eſt, non poſſideat, ſi hominum partem multo maximam audiamus: eo quoque aſcendere conantur, unde eos mediocritas ingenii, rerum agendarum imperitia, et mens gerendis honoribus impar, arcere perpetuo debebant.

Aliud licentiae genus appetunt homines ingenioſi, dicaces, ſalibus et iocis apti, et ab hac ipſa elegantia et venuſtate plurimum commendati. Sentiunt, ſe libenter audiri, ſermones ſuos omnium vocibus praedicari, etiam conſuetudinem et familiaritatem ſuam a permultis expeti. Igitur criſtas erigunt, regnare in circulis omnibus ſtudent, ſe unice proferunt, reliquos tacere iubent, vel certe cogunt, cenſores de rebus ſingulis, etiam parum ſibi perſpectis, non timide ſententiam ferunt; et, modo riſum excutiant, neque amicis parcunt, neque inimicis; quo cenſu illi omnes eos habent, quos ſciunt de grege admiratorum ſuorum non eſſe. Verum et iſtos, et quicunque iure aut libertate ſua abutuntur, perſaepe intra fines et anguſtias, quae illos decent, repelli videas, tandemque ab animo ſuo admoneri, nihil placere longius poſſe, et durare inter homines, in quo non modus inſit.

Sed

IX. Sed maxime omnium celebratur *poetica licentia*; verbo a multis uſurpato, a paucis, ut mihi quidem videtur, intellecto, a plerisque autem in ſiniſtros ſenſus, et parum probandos, converſo. Quo ſi non alii uſi fuiſſent, quam poetae ingenio et doctrina excellentes, quorum acerrimus ſpiritus, altiſſimeque evolans vis imaginum creandarum, vulgatas ſcribendi leges dedignatur, neque adſtringi certae viae, praeſertim humili, poteſt: vix opinor *licentiae* nomine inſignitum fuiſſe quemquam, *felicem* hanc *audaciam*; quo aptiſſimo vocabulo aſſurgentem ad ſumma quaeque *Horatii* Muſam *Quinctilianus* deſignat. Huius ſuper ea re locum, ingenioſiſſimo atque doctiſſimo commentario exornavit Ill. *Klotzius*, amicus meus, litterarum delicium, idemque poeticae artis egregius arbiter. Sed eſt ea vox a malis poetis in defenſionem ſui miſere arrepta, omnibusque naevis atque ineptiis tegendis accommodata; ut adeo, quidquid nullo exemplo, praeceptis nullis, excuſari viderent poſſe, id *poetica licentia*, quaſi clypeo, tegerent atque obumbrarent. Non igitur fruſtra me laboraturum autumo, ſi non tam verae libertatis, poetis conceſſae, vim atque poteſtatem oſtendero, ſatis enim hoc viri praeclari egerunt; quam eam invidioſo *licentiae* nomine liberavero.

Nititur autem illa fere, et quaſi fundamento ſuo incumbit, nobiliſſimo *Horatii* loco, non longe ab Artis poeticae exordio:

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

Sententia quidem ea eſt, ut, ſi vinculis omnibus nudatam, hoc eſt liberatam nexibus orationis, legas, facile animum poſſis ad credendum adducere, nihil eſſe tam abhorrens a veritate naturae et ſenſu pulchritudinis, nihil tam longe fines ingenii et phantaſiae ſupergreſſum, denique nihil adeo legibus et ratione omni ſolutum, quod non attingere et inſerere

operibus ſuis poeta pariter atque pictor queat; modo in admirationem aut ſtuporem lectores et ſpectatores rapiantur. Felicem videlicet licentiam, quam ſibi ſapiens nemo umquam optet, comparandam fere cum ea, quam ab Ephoris Lacedaemoniorum aliquando tributam legimus genti Clazomeniorum, *) de qua nonnulli in loco publico turpiſſime ſe geſſerant, *libertatem nimirum inverecunde agendi: ἐξεῖναι Κλαζομενίοις αἰσχρουργεῖν.*

Verum iſta mens minime omnium ſedere poterat ei poetae, qui primum ipſe ſibi nihil licere putabat, quod non idem elegantiae ſtudioſis placere omnibus poſſet; quique poetam certis regulis includere volebat hoc ipſo libello: quibus omnibus carere poterat, ſi illi non normam aliquam, ſed lubitum ſuum ſequendum eſſe exiſtimavit. Videamus igitur, quo conſilio illam tot iniquis interpretationibus obnoxiam ſententiam propoſuiſſe videri poſſit. Initium Epiſtolae de Arte poetica ducitur a reprehenſione illorum poetarum, qui minime ſibi convenientia iungunt, ſed ad res toto coelo diverſas prolapſi, humano quaſi capiti cervicem equinam addunt. In his caſtigandis dum verſatur *Horatius*, opponitur ei *foecunda licentia vatum*, ut *Ovidius* adpellat, et cum pari pictorum libertate contenditur. Obſervant vulgo ad hunc locum, proficiſci eum ex ore poetarum inficetorum, quorum excuſationem contra ea, quae in ipſis Horatius notaverat, praetermittendam non credebat. Quomodocunque ſe ea res habet, (fieri enim poteſt, ut poeta hac ſubiectione uſus ſit, tamquam privilegio artis poeticae atque picturae omnium confeſſione certisſimo,) illico adiecta cenſura, hanc tantam, qualis videtur, libertatem, cancellis ſuis coercet:

Scimus,

*) AELIANVS *Var. Hiſt.* II. 15. PLVTARCHVS in *apophthegm. Lacon.* idem de Chiis narrat; ſed conciliavit hoc cum Aeliani dictis *Perizonius* ad h. l.

Scimus, et hanc veniam petimusque damusque viciſſim;
Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Horatium ſingulis his verſibus reſpondere defenſioni illi, quam iactatam pro defendenda vaga illa et enormi licentia meminerat, quis dubitaverit? At dubitavit doctiſſimus interpres illius, neque ab ingenio deſtitutus, ſed in iudicandi ſubtilitate ſaepius, ut mihi videtur, lapſus *), qui illud *Scimus* duntaxat Horatio tribuit; quae deinceps ſequuntur,

et hanc veniam petimusque damusque viciſſim,

poetis illis vitio creatis rurſus adſcribit, ut adeo largienti *Horatio* protinus opponant, ſe hoc iure, hac venia, omnia audendi, et ipſos perfrui velle, nec aliis eam negaturos. Mihi vero, fatebor enim, ſuſpecta ſunt dialogorum talium in carminibus obſcura aut abrupta veſtigia, imprimisque loco eo, cui inferre illa, nulla cogente neceſſitate, ſtudeas. Nam, quod ait *Dacerius*, Horatii hanc orationem eſſe propterea non poſſe, quod maioris ſpiritus carmina ille omnino non condiderit, qualia epica ſint et dramatica, quae praecipue poetae nomen auctoribus ſuis conciliaverint: verendum eſt, ne hac iudicii temeritate ea ornamenta detrahat *Horatio*, quae ille ſibi ipſe vindicat. Profecto, qui *Lyricis inſeri vatibus* cupit, qui-

*) DACIER ad h. l. *Oeuvres d'Horace* T. IX. pag. 260. ſqq. cf. *Epiſtolam* ad *Sanadonum* ſcriptam, quae adiecta eſt Volumini II. Carminum Horatii, quae iſte vertit gallice, atque doctiſſime interpretatus eſt. Iam C. annis ante Dacerium, Lovanienſis Profeſſor, Nannius, idem ſcripſerat; quod videtur ignoraſſe Dacerius, qui de hac interpretatione, quaſi a ſe primum inventa, vehementer gloriatur.

quique, conſenſione omnium, principatum in eo genere Romani carminis conſecutus eſt, cur transferre ad ſe poetarum iura non poſſit, equidem non intelligo. Quam aperte autem indicat copula illa verbo *Scimus* ſubiuncta, vim inferri huic verſui, ſi quis duplicem in eo perſonam loquentem quaerat. Sed vel illud unice confirmandae interpretationi vulgatae ſufficere poteſt, quod eadem veteri quoque Scholiaſtae placuit, adnotanti haec pauca ad hunc verſum: *Petimus ut poetae, damus ut critici.* Non videtur certe aptius explicari poſſe univerſae illius ſententiae conſilium.

Sed ne quis nimis liberalem credat *Horatium* in concedenda poetis libertate, ipſe ſatis cavet, dum illam certis locis et finibus circumſcribit. Horum deſignationem e natura rerum petit, eoque ipſo reddit clariſſimam. Componit poetam cum pictore, quemadmodum alio loco: *ut pictura poeſis erit.* Utrumque naturam ducem ſequi iubet, huius veritatem atque pulchritudinem artis ſuae ope exprimere. His conſtitutis, brevis eſt de licentia utriusque diſputatio; etſi longae ac difficiles, de uſu illius iudicando, quaeſtiones enaſcantur. Ars enim utraque imitatione naturae continetur. Quidquid in hac venuſtum, elegans, ad ſenſus et animos movendos aptum conſpicit, id omne ſibi tamquam patrimonium obtigiſſe merito exiſtimat, in quo diſpenſando verſari pro arbitrio poſſit. Poeſis igitur, in hac enim ſola manendum mihi eſt, non modo pulcherrima quaeque conſectatur, et veriſſima; ſed etiam pulchriora quam in parente omnium natura adſunt, modo ne cum hac pugnare videantur. Verum eadem nec horribilia, et quae terrorem incutiant, averſatur; eam tamen illis ſpeciem tribuit, ut voluptate ad lectores non omnino careant. Vagatur per omnem naturae varietatem, arcanas rerum coniunctiones et ſimilitudines argute oſtendit, placitura ubique, et inter ſe ſuaviter conſpirantia, exquirit, rebus omnibus maiorem et celſiorem vulgari illa formam donat, et hoc agit unice, ut mixtam

iucun-

iucundis, iisque celerrimis motibus, admirationem in intuentibus excitet.

Haec autem ipſa ſatis docent, non ita exlegem eſſe poetam, ut omnia, etiam rationi adverſa, audere poſſit. Eadem enim natura, quae *placidis immitia coire* non patitur, non *ſerpentibus aves geminari*, *nec agnos tigribus*, hunc quoque alumnum ſuum ab inſana eiusmodi licentia vult abſtinere. Iungi inter ſe omnia poſſunt; ſed minime placent coniuncta omnia, propterea quod, refragante indole ſua in ſocietatem adducta invicem apparent. Ex hac igitur naturae veritate immutabili praecepta depromenda ſunt, quibus poeta ſubnixus, libere quidem, neque tamen deſultoria et effraeni vanitate, procurrere in campos quoscunque poſſit. Non impedit communis ille poetis cum ſcriptoribus ingenioſis omnibus iudex, veri atque pulchri ſenſus, quo minus omnia conſectentur, in quibus ars ipſorum, quid valeat, experiatur, neque modo ad ſe pertrahant, iisque utantur velut ſuis, ſed plane creare, et primi efficere conentur. Ita vere magnus *Scaliger*, Poetices L. I. p. m. 6. Quae omnium opifex condidit, eorum reliquae ſcientiae tamquam actores ſunt; poetica vero, quum et ſpecioſius quae ſunt, et quae non ſunt eorum ſpeciem ponit: videtur ſane res ipſas, non ut aliae, quaſi hiſtrio, narrare, ſed velut alter deus condere; unde cum eo commune nomen ipſi, non a conſenſu hominum, ſed a naturae providentia, inditum videtur.*)

Hanc igitur quis dubitet ſplendidiſſimam libertatem eſſe poetae conceſſam, ut ubivis locorum capere quae arrideant, transformare ea, et fingendo locupletare poſſit, modo ne fictionibus iſtis vero ſimile laedatutr?

Magnam

*) Nimirum a ποιεῖν.

Magnam igitur laetandi cauſam Poetae habeant neceſſe eſt, quod non modo in tantarum opum poſſeſſionem immiſſi ſe, ſed etiam hanc ſibi legem utendis illis ſcriptam vident. Neque enim ſine eo habituri eſſent in poteſtate ſua luxuriantem vim illam excitandarum multiplicandarumque imaginum, quae cum certa via non continetur, ad portentoſos anfractus quam celerrime declinat. Cernitur autem illa poetarum vera, et vel invidia digna licentia, primum omnium in inveniendi facultate. Univerſum illud ius inventionis audaciſſimum eſt, eoque maxime late patens poetarum poteſtas cenſetur. Non eſt ſatis, rem, quam verſibus exornare parant, praeſentem ipſis eſſe, cognitas res geſtas, virtutes magnorum virorum, vitae humanae viciſſitudines, regendae illius praecepta, motus animorum quibus illa turbatur ſaepenumero, aut ſuaviter adficitur, divina denique et humana omnia, quibus contemplandis erudiri lectores poſſint, aut exhilarari. Tum enim demum, cum haec omnia adeſſe ſibi poeta intelligit, quaerere incipit, qua ſpecie, quo modo inter ſe coniuncta, quibus illuſtrata luminibus, quo minime expectato fulgore ſplendentia, in publicum ea ſibi producenda ſint. Conſtituerint ſecum epici carminis conditores, quem heroa laudandum ſuſciperent: praeclare et fortiter ab eo acta tenent; nondum tamen carminis materiam. Iam illam ingenio ſuo eruendam permittunt; iam deorum, aut certe Chriſtiano ritu geniorum, in rebus humanis arcanas adminiſtrationes, quae convenire eventis videantur, conſilia patefaciunt, et iure quodam ſuo, ut in his ſibi fides habeatur, poſtulant; iam conventus hominum, colloquia, declarationes conſiliorum, quae nunquam fuerunt, quaſi ipſi interfuiſſent, enarrant; iam naturae ipſius commotiones, miracula, prodigia, magnis rerum converſionibus nuntiandis apta, naſci iubent; iam ipſa hominum cogitata, et quae ſoli ſecum reputarunt, exponere aggrediuntur; iam pericula et impedimenta proferunt, quae feſtinantes ad exitum ab eo prohibeant; verbo, ſciunt illi quid cum Iunone

Iupiter

[illegible] intra [illegible] confabulentur, nihilque intentatum relinquunt, quo illam elegantis et admirabilis [illegible] ſibi adſerere gloriam poſſint.

Sed hac via progreſſi, cavent imprimis, ne recta ſemper incedant, et vulgatam illam ſemitam tenaciter conſectari videantur. Hoc ordine, et hac conſecutione, res quaedam geſta eſt; at poeta proponit longe aliam. Vel enim narrando illam mutat; vel re ipſa, ubi conſilio carminis accommodatum hoc videt. Itaque nec *Homerus* Iliada a gemino ovo orditur, ſed ab ira Achillis, quae decimo anno Troiae oppugnatae contigit; omnem tamen ſuperiorem hiſtoriam, ſumma arte intexit operi; nec ille, qui maius Iliade opus moliri ſuae iam aetati videbatur, ab ortu Aeneae, atque genere, initium capit, ſed a Iunonis in eum ira, et disiecta naufragio claſſe eius, quem poſtea ipſum, caſus ſuos, et patriae funus, referentem facit.

Sunt loci quidem communes, e quibus laudum materia hauriri ſolet. Dedignatur iſtos plerumque poeta; vel ſi iis utitur, ita tractat, ut alia omnia, quam tritam illam rationem ſequi videatur. *Pindarus* quidem, Hieronem in Olympicis victorem Oda celebraturus, primum aquae laudes proponit, tum auri, denique Olympionicarum; aptiſſime omnia; et praeter expectationem Lectorum. Quid? aemulus eius, *Horatius*, nonne, cum Auguſti de Perſis deque Britannis victorias verſibus extollit, vix coepta Oda ad Reguli laudes delabitur, et totus eſt in illis? Auguſti ne igitur credamus oblitum eſſe? nequaquam vero. Imo argutiorem et ſublimiorem laudandi eius viam reperire non poterat, quam ſi oſtenderet, quae Regulus, provido et magno animo, cavere, oblata patriae vel vita ſua, voluit, ea ipſa, Auguſti opera, fortiſſime, et multo felicius, a Romano nomine abſterſa eſſe dedecora.

Aa Cupi-

Cupidiſſime in illis verſatur, poëmata, quae nullius adhuc ingenium exercuerunt, amatque *loca nullius ante trita pede* peragrare,

Inſignemque ſuo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarunt tempora Muſae.

In his ſunt loca eiusmodi, quae aliorum quam poetarum manus et veſtigia refugiunt; alia, ad quorum illos maieſtatem aſſurgere poſſe vix credibile erat; argumenta denique eius generis, quae nonniſi religioſiſſimos et verecundos ſcriptores, non adſuetos fingendi licentiae poetas, admittere videntur. Ut uno exemplo utar, eoque nobiliſſimo: cui venit in mentem ante *Miltonum*, triſtiſſimam expulſorum e Paradiſo parentum generis humani hiſtoriam carmine epico complecti, et dignitatem religionis eodem carmine ita tueri, ut in ſumma poetae libertate, animum tamen Numinis reverentem non deſideres? Quod utrum ille penitus conſecutus fuerit, non eſt huius loci diſquirere; magna auſum eſſe, et multa feliciter, nemo abnuerit.

Ac de inventione quidem, liberrima poetae facultate, ſatis. Venio ad oeconomiam poematum, in qua ille ingenio ſuo non minus indulget. Genera ſane eorum longe plurima ſunt, e quibus ille pro lubitu deligit, quae maxime animo ſuo et conſiliis ſatisfaciant. Videas illum et nova nonnumquam creare, vel in iis, quae frequentior uſus commendavit, mutare quaedam, ut certius placeant, diutiusque. Infinita illa in metro, in pedibus, in modulatione univerſa componenda, varietas, eum poetae campum aperit, in quo diſcurrere, ſolutus omni iugo, poſſit, neque eadem ſemper chorda oberrare neceſſum habeat. Iam molem et ambitum carminis, rerum illo concludendarum numerum, et quaecunque veluti corpus illius efficiunt, non eſt neſcius pendere ab

arbitrio

arbitrio ſuo omnia, memor tamen ſapientiſſimae legis, ſed breviſſimae, nihil ſibi niſi vera, congruentia, et placitura licere. Infelicisſimi mortalium videri poſſint, qui chronologiae nodis et ſenticetis perveſtigandis, operam dare coguntur. Poeta et hoc nomine felix et liber cenſendus eſt, quod ei impune in temporum rationes atque notas graſſari licet. Non, quaſi numquam ei obſervandi ſint; ſed quod negligere has curas, maioribus diſtentus, et veluti repletus, poſſit. In quo ille tantum poteſt, ut e diverſis ſeculis coire iubeat, nemine repugnante, illuſtres homines, qui propter fatorum ſimilitudinem, aut coniunctionem reliquam, quae eos intercedit, eidem aetati adſignandi videantur. Nempe, lectorum animis, ingenio, voluptati liberali, poeta ſervit, non hiſtoriae. Sic illa tanto temporum intervallo diſſita *Aeneae* et *Didonis* hiſtoria, in idem aevum coacta eſt a ſummo Poeta. In quam, ſi cetera mittamus, quae ab arte eius fluxerunt, nullis coloribus ſatis exprimenda, in hoc uno moremur, quod ita permixta temporum ſerie, ingenioſiſſime cauſas prodit odii acerrimi, et bellorum ad internecionem usque geſtorum, quibus Roma et Carthago ſeſe invicem adflixerunt. Nam illa morientis Didonis vox,

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor!

hoc infenſiſſimum Aeneae votum, ſatis expletum videtur tot malis, quae a Carthaginienſibus paſſa eſt romana respublica. Itaque non modo reprehenſus non eſt turbatae chronologiae cauſa *Virgilius*, ſed et gratiae a lectoribus illi habitae, quod longe pulcherrimo ſpectaculo eos beaverit. Quid? quod eandem licentiam ſuam fecit poeta eiusdem cum illo aetatis, ingenio par, forte et ſuperior, ſapientia et ſublimitate nequaquam cum illo comparandus. Eam enim ipſam hiſtoriam, egregio artificio delineatam, bis omnino narrat *); imo

 et

*) OVIDIVS *Faſtor.* L. III. v. 544. *Metamorph.* L. XIV. v. 78. ſeqq.

ut Didonem, morti proximam *), ad Aeneam mittere epiſtolam doceat. Ac ne quis dubitet, gratiſſimum fuiſſe haud Virgilii ſynchroniſtarum Romanis, idem haec de Aeneide profitetur **):

Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
Quam non legitimo foedere iunctus amor.

Sed ſi magna eſt poetae, in hac externa poëmatis compage ſtruenda, libertas, longe maximam ſibi vindicat in addendis illi undequaque ornamentis, tam variis, quam eſt ipſa natura. Figurarum primum, quae velut gemmae in opere poetico radiant, quot ſint genera, quam amoena, et non modo orationi commutandae, ſed etiam mentibus leniter flectendis apta, conſtat inter omnes. Atque hae tantae divitiae magis etiam ſunt poetae, quam oratoris, quod illi perpetuam quodammodo a proprio dicendi genere diſceſſionem facere licet, non huic. Ille iam allegorias ſeu alluſiones nectit, quibus aliud dicitur, aliud intelligitur ſimile; iam hyperbolen adhibet, quae multo plus, quam in re ipſa ineſt, tradit; iam proſopopoeia utitur, tribuendo rei aut perſonae, rem aut perſonam, aut modum, aut orationem; iam exclamationibus et acclamationibus attentionem lectorum provocat; iam abrupto ſermone, et quadam velut eclipſi, multo eos magis percellit; iam in auxilium ironiam vocat; iam repentinos tranſitus concitat; ut nihil de reliqua acie figurarum immenſa dicam. Verum poetam quoque in ea inſtruenda falli poſſe, et falli ſaepenumero, ſi licentioſe nimis in his imperii ſui partibus verſetur, equidem facile largior. Neque enim fatigandi ſunt et obruendi lectores, gravi hac armatura, nec in

quovis

*) IDEM *Horoid. Epiſt.* VII.

**) IDEM *Triſt.* L. II. Eleg. I. v. ſeqq.

quovis poemate idem figuris illis tribuendus locus eſt; nec captanda eſt perpetua quaedam ridendi ludendique libido.

Ad hanc autem florentis orationis licentiam, merito mihi mythologiae quoque, ſeu theologiae gentilis, uſum referre videor. Nunquam ſibi hunc poeta eripi patietur; in eo inprimis dominabitur; eum, translata ad gentes, mores, hiſtoriam recentioris aevi, accommodationibus, augebit etiam et ampliorem reddet. Nimirum, ſacri nihil, aut religioſi in omni hoc apparatu quaerit; non deos, aut vana iſtorum auxilia requirit: ſed quaedam optimarum et praeſtantiſſimarum rerum, ut ſapientiae, ut virtutum, nomina, e fabellis ducta, quae praeberent imagines pictoribus atque poetis inprimis deſideratas. Rurſus et naturae univerſae, vitiorum malorumque picturas et exempla, ſuis apte diſtincta characteribus, eadem ex penu depromit. Inepti igitur ſunt, qui illam e fabulis veterum petitam a poetis εἰκονογραφίαν, quaſi iniuriam in ſacra Chriſtianorum temeritatem traducunt: quod fieri hodieque, quis, niſi paene auribus ſuis accipiat, credat? His commendanda ſunt, quae ante hos viginti annos, vir acutiſſimus atque doctiſſimus, mihi etiam propter muneris coniunctionem dum vivam cariſſimus, IO. FRIDER. CHRISTIVS, defendendis poetis ab impacto paganitatis crimine, eloquentiſſime ſcripſit *). Ut uno eius loco utar, de Muſarum quidem invocatione haec iudicat: „Muſae aliquam „faciem honeſtam ſcriptor verſibus finxit, et invocavit utcunque, more poetarum. Scilicet, formam ſcientiae divinae „is animo perſpexerat, et, qualem videre ſe putaret, verbis „expreſſerat, ut hac amatae rei imagine, ingenii coeleſte munus, ab eo invocando per hunc circuitum peteret, qui ſolus poteſt largiri. Qui Deum appellare cupiat, ille Sci-

 „entiam

*) Vid. *Oratt.* eius tres *pro Patrimonio Poetarum*, Lipſ. 1745. 8.

„entiam Dei, Providentiam Dei, alias in Deo virtutes, per „aliquam honeſtam ſpeciem, quae pondus addat ſermoni, „non auſit?“ Ita ſi quis moderetur hanc licentiam theſauris gentilium fabularum ſuperbientem, (quis autem eſt ſani ingenii poeta, qui alio modo frui velit?) non modo habitabit quam libentiſſime in hoc fundo, ſed etiam obtrectatoribus Bonam Mentem propitiam precabitur.

Nunc, ſi poëticae licentiae in verbis denique ipſis, et partibus ſingulis profluentis orationis, veſtigia inquirenda eſſent accurate, qualia a ſummis ingeniis omnium temporum relicta ſunt, etiam atque etiam multa mihi exempla proferenda eſſent, eaque praeceptis nequaquam vacua, quibus iſtius quoque libertatis fines munirentur. Illa verſicolor oratio, verbis ſonoris numeroſisque iactata; illa rerum ipſarum motus et ſtrepitum exprimentia vocabula; graves illae voces, et Gradivi in modum incedentes; et tot alia verborum lenocinia, poetarum arti propria, enarranda mihi hoc loco eſſent. Dicendum eſſet de luſibus quibusdam eidem arti conceſſis, qui, ſi rariores ſint, facile feruntur, ut ille praeclaro poeta parum dignus verſiculus: *Semibovemque virum, ſemivirumque bovem;* ſed quem tamen ſubridens legere poſſis. Etiam nota rerum vocabula frequentant poetae, et inaudita ſeculo ſuo; ſed hac tamen lege ſaluberrima conſtricti, ne vel grammaticam analogiam laedant, vel aures lectorum. Quid? nonne vel in obſoletis vocibus nonnunquam in lucem revocandis ſibi placent? Latina cum poemata pangunt, *Evandri* matrem loquentem inducunt, in Francogallicis *Ronſardum*, in noſtris *Sachſium* ſutorem, fanatico

illo

ille Gothamenſium ſutore multo ſapientiorem. Sed ſatis fuerit haec omnia verbis pauciſſimis deſignaſſe, ut pateat, quot poetae vias ingrediantur, lubitu ſuo, aut delectandi ſtudio ducti, quas calcare nulli de alio genere ſcriptorum liceat.

Hoc autem ipſo quaſi indice, et breviuſcula delineatione verioris *licentiae poeticae*, arbitror me infucatam illam, et ſtolide imperantem, profligaſſe. Quis enim eſt iam, qui non intelligat, delicta, frigus, et nugas multorum, qui poetae audiunt, non licentiae nomine excuſanda eſſe, ſed ſuo vocabulo appellanda, ſtultitiam, vel etiam inſaniam? Qualis eſt illorum, qui dum in hexametris patria lingua condendis furunt, et grammaticos, et loquendi uſum, et ſuarum denique aurium iudicium, ſpernunt. Sunt, qui, cum egregios vates, in creandis comparationibus et allegoriis audaces eſſe videant, ipſi audaciſſimi, vel impudentiſſimi potius, et male loquaces eadem in re ſiunt, ea inter ſe comparando, quae quali ſimilitudine iunganter nemo facile capit, niſi quod animadvertas, ſterile poetae ingenium comparationis tale beneficium efflagitaſſe. Celebratur in vatibus epicis atque lyricis, neglectus ordinis, ut adeo non certum hi tramitem teneant, ſed eum, quem concitatus eorum ſpiritus finxerit. Et hoc quoque puſilli verſificatores in rem ſuam vertunt. Tum demum poetas ſe futuros exiſtimant, ſi ima ſummis miſcuerint, turbaverintque vel naturae et ſenſus communis ordinem, modo ſaepius exclamare didicerint: quo rapior? ubi ſum? quis hunc animo furorem inſpirat? vosne Muſae? an tu Apollo? — imo vero horum nemo, ſed aegrotum cerebrum. Eſt et aliud pravae huius licentiae genus

genus, cum ab humilibus ad ſublimia, ab his rurſus ad illa, periculoſis ſaltibus delabuntur, parum admoniti Phaethontis caſu. Quid de his dicam, qui ſui libertate ſua eo potiſſimum videntur, ut in carminibus ſe ipſos, et ingenium ſuum praedicent; qui, etiam cum alii loquentes inducendi eſſent, ipſi declamant perpetuo, et hac garrulitate vel optimas ſententias intolerabiles reddunt lectoribus. Denique, ut alia multa genera licentiae huius merito reprehenſae nunc praetermittam, frequentius eſt illud, quod in verborum inſolentia, fictis et recens natis, partim etiam peregrinis vocibus, in proiiciendis ampullis et ſeſquipedalibus verbis, et, ut breviter dicam, in eo orationis colore cernitur, cuius tumorem adſcititium ferre, praeter hos artifices, et eorum ſimiles, nemo poſſit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Maii Anno MDCCLXVIII.


IOANNIS ANTONII BATTARRAE, *Ariminenſis, Experimenta ſuper phaenomeno quodam hydroſtatico.*


Ab Hydroſtaticis omnibus ſequens propoſitio proponitur: *Aqua in canalibus curvis curvatura aequabili, quae circuli quartam non aequet, ceteris paribus*, citius et promptius movetur, *quam per rectum canalem inter curvi extremitates contentum*; ſeu, quod idem eſt, *ſi canalis rectus ſit ad curvum ut chorda ad arcum.* Sumptis ego tubis vitreis, curvo et recto in relata proportione, ex recto tres aquae uncias 47. arteriae pulſibus habui, ex curvo autem parem aquae quantitatem tantum 37. accepi; quorum tuborum inclinatio fuit gr. 5. quibus horizontaliter poſitis, rectus unciam dedit 19", curvus 16" tantum. Maiorem hanc velocitatem etiam in canalibus ex lamina ferro-ſtannea paratis obſervare mihi contigit. Attamen cum huiusmodi experimenta, non tantum ut veritatem detegerem, ſed etiam ut variorum amicorum curioſitati ſatisfacerem, ſaepe eſſent mihi repetenda, conſilium cepi, etiam in Eruditorum Actis palam faciendi, quid ea in re experimentis profecerim.

Per-

Perpenſo in tubis vitreis experimento, et cum plus mihi concederet quam optabam, non deſtiti in dubium revocare, utrum omnia a me eſſent recte ordinata Igitur iterum rem ad trutinam revocavi, non tantum vitreis tubis, ſed etiam canalibus; verum ex omnibus, quotquot feci, experimentis, ſemper propoſitionis meae veritatem euere potui. Iam igitur credo me gratiam aliquam initurum, ſi methodum expoſuero, qua uſus ſum in hiſce tentaminibus meis, atque ſi deinceps retulero, quid mihi acciderit. *Tab. II.* In tabula adnexa ſub *numero* 1) adeſt bilanx: 2) Vas, quod continet quatuor aquae libras, quodque mihi pro emiſſario fuit: 3) Quadrans mobilis, ut per eius radium *a a*, et pendulum adnexum, inclinationem canalium cognoſcerem, quam iis dare ſtatueram: 4) Tabella mobilis, ad quamcunque inclinationem ope cochleae ſiſtenda, ut canales in data inclinatione ſuſtineret. Iam pro temporis menſura, in ſuperius notato experimento, pulſu aequabiliori circumſtantis amici uſus ſum, prid. Non. Decembres anni 1763. Illud etiam curavi, ut vitreis tubis, quorum diameter non erat aequalis, orificium cereum conſtituerem, cum foramine diametri lin. pariſ. Quinque inſuper canales mihi comparavi, nempe *A*, *B*, *C*, *D*, *E*, quibus poſtea addidi *F*, et canaliculum *G*, pro experimentis Poleni noſtri repetundis, quae ille refert diſſ. de Caſtellis. Singulis tubis aderat in *r r r r r* foramen rotundum lin. $3\frac{1}{2}$, per quod aqua ab emiſſario in canalem ingrediebatur; in altera canalium extremitate aderat circellus ſemilunaris *H*, omnibus aequale ferruminatum. Canalis *A* ad *B* erat ut arcus ad chordam; ſic etiam *E* ad *D*. Sunt praeterea in hac tabula canales et tubi ſequentes: *A* longus digit. pariſ. 10 : 2. *B* dig. 8 : 5. *C* dig. 9. *D* dig. 7 : 1. *E* dig. 8 : 9. *F* dig. 2 : 4. Latitudo ſingulorum lin. $8\frac{1}{2}$: altitudo laterum lin. 6. Angulus *x* canalis *c* grad. 153, angulus *z* eiusdem canalis grad. 136. Fig. 5. duo tubi vitrei ſunt, quorum rectus eſt pollic. 8 : 7. longitudo curvi, formae cycloidalis, pollic. 9 : 5. diameter utriusque lin. 3. circiter.

Itaque





Itaque XIV. Kal. Februarii anni 1764 iterum rem tentavi. Pro temporis menſura ſumpſi pendulum pollicum 19, repletoque Emiſſario aqua, eique alternatim tubis commiſſis, primum duo tubi recti totam aquam exonerarunt 77″, curvus vero 70″; inclinatio erat fere nulla. Iterum Emiſſario repleto canales exploravi cum duorum gr. inclinatione; quare dato lanci pondere 9 unciarum, canalis *A* proiecit in oppoſita lance 9 aquae uncias 8″ ½, *B* et *C* 9″, *D* vix 14″, *E* paullo plus 13″. Hic adnotari velim, quod in canali *E*, in curvaturae reflexionibus, plus aquae extra latera proiiciebatur, quam quod in lancem deſcendebat; quare utriſque canalibus *D*, *E*, (utpote altero alterius chorda,) orificium ope cerae anguſtius, et quadratum reddideram, latum lin. 1 $\frac{3}{4}$, quibus uſus ſum in modo allato, et in ſequenti tentamine.

4. Quinto Id. Februarii ſumpto pendulo poll. 26, et canalibus, vaſe ſemper repleto, ut numquam non ſoleo, emiſſario alternatim commiſſis, 9 aquae uncias *A* et *B*, et *C* 7″ proiecere, reliqui duo *D* et *E* 13″ circiter dederunt. Atque haec ſunt tentamina illa, quae intra domeſticos parietes coram amicis habui. Verum cum etiam circa temporis menſuram omnino non quieſcerem, conſilium cepi, rurſus experimenta haec omnia cum horologio oſcillatorio repetendi; quapropter Nonis Aprilis ad Comitem Franciſcum Garampium, Equitem, in phyſicis ac praeſertim aſtronomicis verſatiſſimum, me contuli, cui optimum horologium non deeſt, ibique coram eo et amicis rem tentavi. Hic etiam monebo, quod cum elapſis diebus in tubis vitreis pertractandis orificium cereum uni ex iis confracto cecidiſſet, illud, in omnibus renovare compulſus ſum, adeoque curavi, ut aperturae non eſſent diametro linea minores.

5. Decrevimus interim, dum tentamina inchoarentur, obſervare quid nobis accideret circa experimenta illa Poleni noſtri, quae diſſ. de Caſtellis habet; quare ſtatim breviſſimum

mum omnium tuborum dig. 2 : 4. longum curvum adhibuimiſimus, qui 9. aquae uncias in ſubiectam lancem 52″ dedit. Deinde duo tubi recti, quibus in ſuperioribus tentaminibus utebar, eandem quantitatem aquae dediſſe alius 46″, alius 47″; denique curvus tantum 45″ idem aquae pondus eiecit. Inclinatio tuborum fuit omnibus gr. 2. communis. Hiſce repetitis, et conſtantia obſervata, tubos dimiſimus, et ad rem in canalibus explorandam animum convertimus. Data itaque duorum gr. inclinatione, canalis *A* dedit uncias aquae 18, 14″, *B* et *C* pari tempore eandem aquae quantitatem dedere; *D* et *E*, quorum orificia ut dixi minora feci, eandem 18 aquae uncias ſinguli 26″ dederunt. Rurſus mutata canalium inclinatione, eaque poſita tantum unius gradus, tam canalis *A*, quam *B*, eaſdem 18 aquae uncias in lancem ſubiectam tempore 13″ proiecerunt. Haec ſaepius repetita ſemper idem oſtenderunt.

6. Hiſce peractis, atque in tot repetitis periculis certior factus, optavi, ut haec Cl. Praeceptoris olim mei Iani Planci praeſentia firmarentur; quapropter V. Non. Maii apud laudatum Com. Garampium vocatus Plancus pro ſua in me humanitate adfuit, ibique cum amicis, experimenta noſtra iterum tentavimus. Et primo quidem conſilium fuit una explorare, an quae docuerat Polenus de Caſtellis, etiam in canalibus, quemadmodum in tubis, ut ſuperius innuimus, vera reperirentur. Quare canaliculum *F*, et foramen *G*, iam mihi paraveram. Deinde hoc etiam advertendum, quod canalibus *D* et *E* orificium reſtitui aequale ceteris canalibus *A*, *B*, *C*, *F*, *G*, ceram excutiendo, et ne amplius canalis biſcurvus *E* per curvaturas aquam proiiceret, duas auriculas *x x* ex eadem lamina ferruminari ei iuſſeram.

7. Hiſce paratis, pondus 18 unciarum lanci dedimus, et ſingulis canalibus data duorum gr. inclinatione, Canalis *A* par aquae pondus in lancem proiecit tempore 15″, 30‴,

B 13″,

B 13″, *C* 18″, *D* 13″, *E* 12″ 30‴, *F* 12″ 30‴, *G* 12″. Ex quibus cognovimus, experimenta Poleni, quae in tubis vera eſſe noveram, in canalibus ad votum non reſpondere. Hinc tubos vitreos ad examen revocavi, et 9. duntaxat ponderis unciis in lance relictis, emiſſario tubum breviſſimum commiſi, poſtea longiorem; primus 52″, alter vero 47″ idem aquae pondus dedit, ut in §. 5; quod optime Poleni inventis reſpondet. At dum haec agebantur, dubium incidit de reciproca diametri orificiorum aequalitate; igitur ſtatim, ut dubium omne evaneſceret, laminam ex orichalco ſumpſi, et vertigine terebrata, factoque foramine rotundo lin. diametro, eam ope cerae terebinthinatae, ſingulis tubis alternatim adaptavi, unoque poſt alium emiſſario commiſſo, tubus curvus dedit easdem 9. aquae uncias 45″, rectus 46″, tubus breviſſimus 48″.

8. Poſtremo IV. Non. Iunii, ut aliis curioſis ſatisfacerem, iterum ad laudatum Com. Garampium me contuli, et tubis vitreis renovato orificio ex lamina orichalci, cuius diameter erat lin. 2. id eſt duplo maior uſitato, iisque data inclinatione 3. graduum, et duplicato in lance pondere conſueto, nempe unciarum 9: tubus breviſſimus 18 aquae uncias 32″ dedit, longior rectus 44″, curvus vero 40″. Poſtea canalibus aptatis, cum pari 3 grad. inclinatione, canalis *A* dedit idem 18. unc. aquae pondus 12″, *B* 13″, *C* 14″ 40‴, qui per angulum 2 multam proiiciebat aquam, *D* 13″, *E* 13″. Hic ab omnibus circumſtantibus adnotatum eſt, quod aqua per auriculas ferruminatas 22 canalis *E*, ita in arcum ex impetu concepto ſurſum elevabatur, ut infra hos arcus planum fundi canalis deſereret, uti ad rectam redactis huiusce decurrentis aquae tortuoſis flexibus, tam horizontalibus, quam arcuatis, linea aquae per hunc canalem ſuperabat longitudinem canalis *D* poll. 3 : 8. canaliculus vero *F*, et foramen *G*, ſinguli 18. aquae uncias 12″ dedere.

 Haec

Haec ſunt, quae adhuc experimentis meis cognoſcere mihi licuit. Atque his ita poſitis, contra hydroſtaticas theorias receptas nonnulla corollaria deduci poſſent; et quidem

Primo, quod datis cuiuscumque fluminis ſeu torrentis terminis, citius et promptius aqua ad exitum perveniet, ceteris paribus, aut per unam, aut per multiplices aequabiles tortuoſitates, quam per alveum rectum.

Secundo, in alveis fluminum anguloſis, aut tortuoſis, facilius aqua extra ripas in alluvionibus labitur, quam in alveis rectis, ceteris paribus, ſcilicet dato riparum in utrisque parallelismo, dataque altitudine aequali.

Tertio, multo velocius per alveos tortuoſos aqua ferri debet reſpective, quam in noſtris tentaminibus experti ſumus; ſiquidem in ripis convexis non tantum fit corroſio, ſed etiam in fundo alvei corroſionibus illis adhaerentis, unde et ſpiritus fluminis eo flectitur, et cum maior aquae copia prolabatur, velocior erit in motu.

Quarto, aeris ventilationes, quin etiam venti, videntur aliquid efficere, ut motus fluentium aquarum turbetur. In uno experimento obſervavimus, quod apertis ianuis et feneſtris cubiculi, tubus vitreus rectus, per unam et alteram fere oſcillationem, citius datam aquam exoneraris, quam cum ianuae et feneſtrae eſſent clauſae.

Quinto, qui dicunt, luminis diametro duplicato quadruplo maiorem aquam ab eodem lumine, ceteris paribus, exire, experientiae noſtrae ultimo loco recenſitae non reſpondent; quamvis non modo diameter duplicata extiterit, ſed etiam inclinatio fuerit aucta.

Sexto, denique facta comparatione in ſectionibus tam recti, quam curvi canalis, vel tubi, ceteris paribus, velocior ſemper erit motus aquae in ſectionibus curvi, quam recti,

contra

contra Corollarium Grandii, quod ex Propoſitione XIII. *del Movimento dell' Acque* deducit.

BIBLIOTHECA ARABICO-HISPANA ESCURIALenſis: ſive Librorum omnium MSS. quos arabice ab Auctoribus, magnam partem Arabo-Hiſpanis, compoſitos, Bibliotheca Coenobii Eſcurialenſis complectitur, Recenſio et Explanatio. Opera et ſtudio MICHAELIS CASIRI, Syro-Maronitae, Presbyteri, S. Theologiae Doctoris, Regia Bibliotheca, Linguarumque Orientalium interpretatione: Caroli III. Regis Opt. Max. auctoritate atque auſpiciis edita.

TOMUS PRIOR.

Matriti, Ant. Perez de Soto imprimebat, 1760. forma maiori.

Gratiſſimum facturos nos exiſtimamus iis, quibus res literaria univerſa, artiumque bonarum incrementa, curae cordique ſunt, ſi Operis huius Caſiriani, in ſuo genere unici et praeſtantiſſimi, ſed et in terris noſtris adhuc rariſſimi, notitiam, et ſuper eius tum natura, tum utilitate, iudicium noſtrum, cum orbe erudito communicaverimus. Licet enim non defuturos cenſeamus inſipidos eruditionis patriae admiratores, qui riſum vix contineant, ubi editam legerint Bibliothecam Arabico-Hiſpanam, (adeo hodie facetis iſtis hominibus omnia ſordent, quae illecebris vernaculae non commendantur, neque floſculis fragrant ex hortis patriis decerptis:) tamen, ſi paucis modo, et idoneis rerum aeſtimatoribus, ſe probaverit labor Caſiri V. Cl. ineptiorum riſu parum commovebimur, contumeliam eorum laudem interpretaturi. Opus ſuum Cl. Auctor, quia nimiae molis futurum erat,

erat, Diviſit in Partes II. quarum prior, cuius recenſionem mox dabimus, comprehendit 1) Grammatica, 2) Rhetorica, 3) Poetica, 4) Philologica, et Miſcellanea, 5) Philoſophica, 6) Mathematica, 7) Medica, et quae ad hiſtoriam naturalem pertinent, 8) Iuridica, 9) Theologica, et Commentationes in Coranum, et 10) denique alia quaedam, quae ſpectant partim ad dogmata, partim ad hiſtoriam Chriſtianae Eccleſiae. Pars altera, quam brevi editum iri ſpes eſt, continebit, quantum ex verbis Auctoris colligimus, Geographica et Hiſtorica. Antea tamen quam de Parte I. uberius exponamus, conſentaneum videtur, quaedam de totius operis hiſtoria et origine praemittere, ut conſulatur etiam iis, quibus litterae Arabicae huc usque parum dignae viſae fuerunt, quarum fata, libros, et Auctores cognoſcerent. Ferdinandus eſt, rex Hiſpaniarum huius nominis VI. cui orbis eruditus debet, quicquid in hoc genere literarum a *Cl. Caſiro* praeſtitum eſt, et impoſterum, edendis ipſis Arabicis Auctoribus, praeſtitum iri confidimus? Is enim conquirendis et adſervandis ingenii et doctrinae Arabicae monumentis theſaurum congeſſit, et abſcondidit, qui laudabili in omne genus literarum ſtudio, et beneficentia Caroli III. in lucem nunc protrahitur. Philippus quidem II. Monaſterii Eſcurialenſis conditor, iam olim nullis impendiis pepercerat, quibus conſpicua omni librorum genere Bibliotheca pararetur, et Manuſcriptis praecipue Arabicis locupletaretur; atque conſtat, tempore Philippi III. Libros huius generis ter mille amplius Bibliothecae acceſſiſſe, qui partim ad artem medicam et philoſophiam, partim ad Politicam et interpretationem Corani pertinerent; ſed magno literarum detrimento ao. MDCLXXI. accidit, ut eorum fere pars dimidia, ſuborto incendio, conflagraret, atque reliquorum non pauci flammis admodum vitiarentur. Iam ad Librorum partem reſiduam pertinet labor *Caſiri*, qui ao. MDCCXLIX. iuſſus a rege Ferdinando VI. ad Monaſterium Eſcurialenſe eo conſilio commigravit, ut

recondi-

reconditum iſtum theſaurum perluſtraret, ſingulorumque Librorum Arabicorum indicem exararet. Laboris vero difficultas cum impediret, quominus res hoc uno itinere conficeretur, *Caſirus*, monente ſaepius Bibliothecae praefecto, Iohanne de Santander, iter ao. MDCCLII. reparavit, omnia perveſtigavit, librorum indices, et quae alia viderentur neceſſaria, deſcripſit, atque ita, conſumto anno integro, onuſtus quaſi Arabum divitiis Matritum repetiit. Quam arduus fuerit, et paene Herculeus labor *Caſiri*, vel ex hoc intelligitur, quod a nulla alia re ſubſidia petere, quam a doctrina et induſtria ſua poterat. Catalogum quidem Librorum, iam olim Arias Montanus, primus Bibliothecae Eſcurialenſi praefectus, eiusque diſcipuli et ſucceſſores, compoſuerant, ab iis tamen, cum editi nunquam fuerunt, ſcripta vero eorum exempla cum magna parte librorum flammis perierunt, nihil peti poterat auxilii, tamquam a re quae cogitatione ſola ſupereſſet. Neque magis prodeſſe poterant alii duo indices Librorum Arabicorum, qui ſuppetebant, alter Latinus, alter Latino-Arabicus; cum in iis, praeter titulorum ſterilem enumerationem, nihil eſſet, quod laborem levare aliqua parte poſſet. Typis in hoc genere exſcriptum eſt plane nihil, ſi diſceſſeris a Caſtillii Indice 261. Titulorum, quem Hottingerus ad calcem Bibliothecae ſuae Orientalis adiecit. Ceterum, patet et laboris malignitas ex natura rei. Nam cum magna librorum pars eſſet aut flammis arroſa, aut humiditate confecta, in integris vero neque indices reperirentur, neque diviſiones in capita, neque aliae, quae noſtro tempore lectionem et interpretationem librorum iuvant, diſtinctiones, praeterea genus ſcripturae eſſet varium et ambiguum, mendisque et erroribus adeo plenum, ut ingenioſi interpretis ſaepius quam lectoris aut ſcribae partes agendae eſſent: quis non intelligat, quanta perſpicacia, quanta induſtria, quibus laboribus opus fuerit, ut, quantum fieri poſſet, feliciter ſuſceptum negotium cederet. Non raro, ut ſenſum aliquem ſanum erueret, aut e contextis divinaret Caſirus, unius ar-

gumenti plures libros contulit, alios etiam totos perlegit. Nomina Auctorum, quorum plerumque et aetas, vita, patria, et ſcripturae genus attinguntur, arabice et latine tradita ſunt, genus, religio, ingenium, dignitates et munera publica deſcripta, et, ubi fieri potuit, adiectum adeo eſt qua quisque eorum auctoritate apud cives fuerit, quae ſit Mahumedanorum Eruditorum iudicia expertus. Quibusdam in locis etiam adnotatum deprehendes, quam rarus ſit liber, qua in Bibliotheca olim repertus, et in qua adhuc reperiatur.

His praemonitis, iam ad ipſum *Cl. Caſiri* Opus nos convertimus, quod cum lectoribus noſtris, quantum e re erit, perluſtrabimus, ſi quae memoratu digniſſima nobis viſa ſunt, ex praefatione prius adduxerimus. Ordo, quem in recenſendis MSS. libris Auctor ſervat, reſpondet loco, quo quisque eorum in Bibliotheca nunc inſcriptis numeris poſitus eſt. Quod ad externam librorum formam attinet, eam, ut ſupra dictum eſt, adcurate deſcripſit Auctor, ita ut nihil facile praetermiſerit, quod vel ad genus literarum ſeu characterum, quo liber quisque exaratus, ad locum et tempus, quo quisque compoſitus eſt, vel ad Scriptoris gentem, eruditionem, mores, fata cognoſcenda, faceret. In margine paginarum inferiore, arabicis notis nomen quoque Scriptoris, et libri cuiusvis initium et finem, adſcripſit; interdum et inſeruit obſervationes hiſtoricas, in quibus, cum non paucos libros totos perlegerit, non poſſunt non quamplurima reperiri, quae ad interpretationem et intellectum huius vel illius loci utilia ſint, quaeque fruſtra quaeſiveris alibi. Quotiescunque vero eiusmodi obſervationes occurrunt, verſio ſemper in textu poſita eſt, verbis arabicis ad marginem inferiorem adſcriptis. Conſulto hoc monemus, quo utilitas huius Catalogi magis perſpiciatur; ſiquidem colligendis in unum his Excerptis enaſci inde poſſet Chreſtomathia Arabica, qua commode utantur, qui operam addiſcendae linguae Arabicae dare velint, et in tanta librorum Arabicorum penuria careant ducibus et auctoribus,

ribus,

ſibus, quamquam nec artis criticae et hiſtoriarum peritos inſpexiſſe illas animadverſiones poenitebit. Exempli loco afferemus quaedam ex his Excerptis. *Ad Codicem* 530. adnotata ſunt vera nomina menſium et dierum Arabibus conſueta, et multum diverſa ab iis, quae reperiuntur apud Golium in Nott. ad Alpherganum. Negari quidem non poteſt, nomina a Golio tradita olim in uſu fuiſſe apud Arabes antiquiſſimos; ſed obſoleſcere paullatim eo coeperunt tempore, quo principatum Arabes occuparunt, ita ut poſt Muhamedi tempora in eorum locum ſuccederent, quae a Caſiro traditae nunc primum ſunt adpellationes. Sunt vero nomina menſium haec: Banec, Nakid, Talbac, Bakhor, Aslakh, Aphtah, Ahlak, Kaſra, Akrabath, Harad, Lifas, Haudac: Dierum, Man, Sanbar, Vair, Amar, Mutamar, Moallal, Moſtapha Algiamer. *Ad Cod.* 595. obſervantur quaedam, quae utilia ſunt ad extirpandos errores circa vitam et ſcripta Leonis Africani. *Ad Cod.* 625. de vita et ſcriptis Ebn Alkhathibi late diſſeritur; item *ad Cod.* 643. de vita et ſcriptis Abu Naſſar Alpharabii. *Ad Cod.* 706. traduntur memorabilia quarundam urbium, quae deſumta ſunt ex Ezzedini Abdelaziz Ebn Abilcaſſem Babaſri Florilegio. *Ad Cod.* 839. Excerpta ſunt ex Anonymi libro de ponderibus et menſuris, in Aſia et Aegypto ſolemnibus. *Ad Cod.* 865. eſt brevis diſputatio ſuper numeris Arabum. Mathematicos, dicit Auctor, Arabicos, aliosque huius gentis Scriptores, paſſim non uſos eſſe in ſcriptis ſuis notis vulgaribus ad exprimendos numeros, ſed hanc in rem adhibuiſſe plerumque literas, quibus numerorum ſignificationem adderent. Notarum vero Arabicarum, quibus nos numeramus, originem *Caſirus* refert ad Philoſophos Indicos, quae eſt ſententia vulgaris. Nos quidem vehementer optaremus, *Cl. Caſirum*, cui in hoc diſputationis genere nihil fere ſubſidii non erat, paullo diligentius hanc rem tractaſſe, neque acquieviſſe in eo, ut uſum literarum arabicarum in numerando tam late demonſtraret, tamquam rem novam et inſolentem: in quo falſus eſt, cum

nulla fere apud nos Grammaticarum arabicarum ſit, in qua idem literarum uſus non commemoretur. Origo notarum numerandi vulgarium, quam alii cum Auctore tribuunt Indis, alii vero Aegyptiis, res eſt unica de qua laboramus, quamque curatius inter divitias ſuas Arabicas inveſtigaſſe cuperemus *Caſirum*. In recenſendis Codd. reliquis paſſim inſertae ſunt, ex Anonymi Bibliotheca Philoſophorum Arabica, vitae graecorum et arabicorum Scriptorum. Sic *ad Cod.* 980. adiecta reperitur iuſta Biographia Mathematicorum, qui arabice ſcripſerunt, quorum vitas, ex ante dicta Bibliotheca deſumtas, Caſirus arabice et latine enarravit.

Sed age nunc veniamus ad Catalogum ipſum. Primum in eo locum occupant, ut ſupra adnotavimus, *Grammatici*. Cum Arabum lingua, inde a primo Hegirae Seculo, adſtricta fuerit certis regulis, mirum non eſt, antiquiſſimo iam tempore inter eos claruiſſe Grammaticos, ad quorum praecipuos Caſirus refert in Aſſyria Saibuiah, in Perſide Georgianum et Zankhaſchri, in Aegypto Ebn Alhageb, in Africa Agrumum, et in Hiſpania Ebn Malek, quorum ſcripta maximam partem in Catalogo ſuo commemorat. Codex primus, qui eſt literis Cuphicis exaratus, continet *Opus Grammaticae Arabicae*, auctore Saibuiah, qui vixit circa annum Chriſti DCCXCVI. Ex *Schamſeldinaei Alanſaraei Antiquitatum Arab. Hiſtoria* locus hic latine et arabice inſertus eſt, ubi Arabum Grammatici inſigniores recenſentur. In univerſum, ante Muhamediſmum Arabum lingua dicitur ad regulas grammaticas accommodata non fuiſſe, ſed poſt Muhamedi demum tempora, cum plures gentes confunderentur, Imperator Abuthalebaeus, verens, ne lingua Arabica plane intermoreretur, vocato ad ſe Abu Alaſuadaeo demandaſſe negotium conſcribendae Grammaticae Arabicae, quem deinde ſtatim plures ſint ſecuti, qui eidem ſe labori accinxerint. Maiorem reliquis omnibus Grammaticis gloriam conſecutus eſt Ben Malek, qui leges grammaticas concluſit mille verſibus; unde et *Alphia*

inſcri-

inſcriptus eſt liber eius. Hunc inprimis celebrant, ut maximum omnium temporum Grammaticum, Scriptores Arabici, quod vel ex ſola et frequenti Academiarum Arabicarum adpellatione intelligitur, quibus dicitur: *Linguae Arabicae dominus, bonorum Artium magiſter.* Opus eius nitidiſſime ſcriptum eſt, litterae maiuſculae coloribus et auro magnifice pictae. Nec defuerunt poſtero tempore Grammatici, qui in librum iſtum commentarentur, locaque eius difficiliora ex Poetis illuſtrarent, quorum ubi adiecta ſunt Scholia, textus nonnunquam auratis literis ſcriptus eſt totus. Codex 35. inſcribitur: *Hortus auras lenis*, tractatque argumentum de origine et ſignificatione arabicarum literarum. Auctor eius *Ben Nomairi*, Hiſpanus, ut Eberum vult primum promulgaſſe literas arabicas, ita, qui eas invenerit, cenſet fuiſſe regem Iareb. Notari meretur, libros Bibliothecae Eſcurialenſis magnam partem exaratos eſſe literis Cuphicis: qui character, cum ſit potiſſimum Scriptorum Africanorum et Hiſpanorum, libri vero eodem tempore confecti, quo in Hiſpania maxime florerent bonae artes, prona eſt conſecutio, auctores eorum pleroſque fuiſſe gente Hiſpanos.

Grammaticos ſequuntur in Catalogo *Oratores et Poetae* Arabici, quos ſine ulla limitatione Caſirus aequiparat Graecis et Romanis: Alſokakium alterum Ciceronem, Alhakirium nominat Quintilianum. Sed veremur, ne nimis indulſerit Vir Cl. hac comparatione affectui ſuo erga literas arabicas. Utut enim de poetis arabicis, quos oratoribus longe praeſtantiores eſſe conſtat, iudicium eius ferendum ſit, quod nec ipſum tamen ſatis recte fieri putamus: Oratores certe Graecis et Romanis aequiparandi non videntur, neque quoad inventionem, neque quoad elocutionem, quae poſterior praeſertim multum habet nugatorii et cincinnati apud Arabes, atque luſibus ingenii, proverbiis, et frigidis apophthegmatibus ubique ſcatet; cuius vitii Oratores Graec. aut Romanos accuſare nemo facile auſit. Ante Muhamedi tempora, (revertimur nunc ad Auctorem,)

eloquentia apud Arabes fere iacuit incalta et contemta; poſtea vero quanto in pretio apud illos fuerit, vel inde patet, quod neminem inter Scriptores eruditos referri patetentur, niſi regulis grammaticis, rhetoricis, et poeticis bene imbutum. Sed clarior etiam fiet res ex iudicio Dhiaetdini, auctoris *Methodi univerſalis et abſolutae*, h. e. Rhetorices et Poetices, qui oratoris, ait, eſſe ſequentia: ut habeat 1) notitiam adcuratam Grammatices, ſermonis, proverbiorum, et Annalium Arabicorum; 2) ut diligenter legat et perpetuo, et poetas, et oratores; 3) ut iuris peritus ſit, atque in Corani tam interpretatione, quam uſu, bene verſatus; et 4) ut res geſtas, quae pertineant ad regnum Muhamedanum, teneat, omnes, praeſertim celebriores; et 5) tandem, ut metri et rhytmi non ſit ignarus. Poetarum Arabicorum numerus paene infinitus eſt, eorumque poemata maximam partem ſcholiis et gloſſematibus explicita et ad uſum accommodata, nec facile eſt carminis genus, quin ab iis quoque ſit tractatum. Occurrunt in eorum poematis dogmatica, hiſtorica, ſatyrica, heroica: porro, Epigrammata, Fabulae, Odae, Elegi, et amores. Reperiuntur et poematum plures collectiones et iuſti faſciculi, diverſi non modo generis, ſed et auctorum. Unum, quod inter Arabes deſideratur poematis genus, eſt Dramaticum. Licet enim *Caſirus* adducat v. c. *ad Cod.* 497. fabulam arabicam, in qua ſermonicantur quinquaginta amplius perſonae; tamen, ſi quid videmus, eiusmodi confabulatio ad ludos ſcenicos proprie referri non poteſt. In hoc libenter adſtipulamur *Caſiro*, talium colloquiorum conditores non multum abfuiſſe a ſcena, et ſi magis faviſſent ingenio poetarum res externae, Graecorum gloriam in condendo Dramate fortaſſe conſecuturos fuiſſe. In caeteris enim poematum generibus Arabes habent non ſolum, ſicut Graeci, auctores ſuos, ſed et hi primum illud et genitivum, quo Latini poëtae, Graecorum imitatores, carent. Nullus Poeta Arabs ex Mythologia graeca profecit, ſed ſuae unice addictus, viam, qua incedere vellet, ſibi ipſi munivit. Quod ſupra iam monuimus,

Caſirum,

Caſirum, *V. Cl.* qui proprie indicem ſcriberet librorum, in exſcribendis eorum nudis titulis perraro acquieviſſe, ſed hiſtoricis et criticis obſervationibus multis in locis librum ſuum locupletaſſe, eoque utiliorem legentibus reddidiſſe: hoc praecipue valet de parte ea, quae continet recenſionem poetarum, ubi partim commemorandis rebus, quae adhuc incognitae fuerunt, partim removendis quibusdam nondum detectis erroribus, optime meretur de hiſtoria poetica Arabum, immo et Hiſpanorum, quorum poſteriorum poetas recenſet pag. 93. — 102. Pocokium, qui vetuſtos Arabes negat ante Muhamedi tempora poemata feciſſe ſex aut ſeptem verſibus longiora, et Aſſemanum, qui in Biblioth. Orient. T. III. p. 586. ſcripſerat, praeter poemata ſeptem poetarum proprie ſic dictorum, (Moallacat adpellitant et Modahebat,) nulla alia dari, in quibus tractarentur hiſtoria et genealogia, refellit, exemplisque, quantum ſatis eſt, contrariam utrique aſſerto ſententiam demonſtrat. Poeſin in univerſum tanta fuiſſe ſcribit auctoritate apud Arabes, ut maioribus eam honoribus vix Graeci extulerint aut Romani; et Aſiuthaeus, citante Caſiro, adnotavit, ſi qua ex gente produceretur poeta, reliquarum gentium coetus ſolemni ratione conveniſſe, tantam ei felicitatem congratulantes; neque ulli ſumtui aut magnificentiae peperciſſe, quibus communem ſuam de iſta re laetitiam ſignificarent. Praeter has congratulantium voces, praemia quoque, quae poetis facta a regibus leguntur, vehementer excitarunt omni tempore ingenia; quod genus incitamenti in terris noſtris fere ignoratur. Poterant fortaſſe hoc loco plura et utiliora a Caſiro, ex tanta librorum opulentia, proferri, quam quae in animadverſionibus eius frequentiſſimis congeſta ſunt; noſtris certe deſideriis fatemur ſatisfactum non eſſe, cum videremus, diligentiam Auctoris circa externa poeſeos arabicae, quae copioſe deſcribuntur, maiorem fuiſſe, quam circa interna, quae leviter tantum attigit. Pag. 91. reperiuntur Excerpta ex *Abi Beker Ben Abdelmalek Almocri*, *Gemmis humaniorum litterarum*, *et Poetarum Theſauro*,

in quibus Arabum poetae praecipui in claſſes deſtribuuntur, ita ut hiſtoricam eorum notitiam facili opera inde haurire poſſis.

Medicis, Philoſophis, et Mathematicis imprimis, videtur commendandum literarum arabicarum ſtudium. Nam non eſt facile graecus aut Medicus, aut Philoſophus, aut Mathematicus, cuius non ſcripta Arabes vel integra verterint, vel Commentariis illuſtrarint. Praeter verſiones ipſas, collegit et in Catalogo ſuo Caſirus plurimorum, ut Porphyrii, Hippocratis, Galeni, Platonis, Ariſtotelis, Euclidis, et aliorum vitas, ſicut deſcriptae eae ſunt a Commentatoribus Arabicis. Quibus omnibus tamen maius etiam emolumentum accedit hoc, quod Graecorum non pauca ſcripta, quae huc usque pro deperditis habita fuerunt, in Verſionibus Arabicis adhuc ſuperſunt; ex quibus, ut exempla habeant lectores, nobis ſuffecerit notaſſe *Apollonii Pergaei Conicorum Librum V. VI. et VIII*, quos Abrahamus Echellenſis ex Mediceo Cod. arabico latine vertit; porro *II. III. IV. et VI. Commentarios Galeni in Hippocratis Epidem. Lib. II*, item *VII. et VIII.* eorundem Commentariorum in Epidem. Lib. VI. Quam gratum facturus eſſet Caſirus non ſolum Medicis, ſed orbi etiam litterato in univerſum, ſi, poſtquam tot librorum indices et notitiam nobis impertivit, iisdem edendis uſum quoque ad exteras provincias propagare, ſibique ea re immortalem apud poſteros gloriam comparare velit. Paucis lubet attingere quaedam ſuper verſionibus arabicis iudicia Eruditorum, de quibus adiri poteſt Fabr. Bibl. gr. L. II. c. 24. antequam pergamus ad Libros, qui ad hiſtoriam naturalem pertinent. Scripſerat Theophraſtus Renaldotus ad Andr. Dacerium, ut de univerſa Arabum eruditione contemtim, ita praecipue de verſionibus graecorum Auctorum arabicis, quod factae eſſent ex Syriacis exemplis, adeoque parum haberent fidei: qua ut obtrectatione Arabes ſuos liberet Caſirus, non modo maximorum virorum, qui multo honorificentius de iis ſtatuere, teſtimonia adducit, ſed et ſe, ait, potiſſimum in

Ver-

verſionibus Hippocratis nihil unquam reperiſſe, quod non plane conveniret textis graecis. Optima Hippocratis verſio arabica eſt Honaini Ben Iſaac, viri in utraque lingua non ſolum verſatiſſimi, ſed Medici quoque peritiſſimi, ut qui labi in vertendo facile non poſſet.

Iam addemus pauca de Auctoribus Arabicis, qui tractant *Hiſtoriam Naturalem*. Non dubium eſt, quin reperiantur in iis multi, quibus publicandis orbem litteratum Caſirus ut maxime ſibi obſtricturus ſit: partim quia locis quibusdam Scripturae S. obſcurioribus inde lux accendi; partim quia genio ſaeculi noſtri oeconomico non parum nutrimenti peti inde poſſet. Ad priorem claſſem referimus v. c. Hiſtoriam animalium Ali Ben Mohamed Abilphat Ben Alderachem, cui titulus eſt: *Animalium utilitates*; quo in tractatu animalium et inſectorum magna pars, additis ſingularum ſpecierum adpellationibus, deſcribitur, nec non et frequentes eorum imagines, quas Caſirus laudat, adiiciuntur. Huc porro pertinet Abilrihan Albiruni *Notio Gemmarum*, quarum ut naturam, colores, praeſtantiam, defectus, pondus etc. adcurate deſcriberet Auctor, adeo non pepercit cariis et moleſtis per omnem Orientem peregrinationibus, ut nonnunquam et viam ad theſauros regum Perſarum ſibi aperiret. Iam quis eſt qui neſciat, quantis difficultatibus adhuc laboret in ſacris literis doctrina gemmarum, quam nomina earum ſint obſcura et ambigua, quam diverſae de iis opiniones? His igitur difficultatibus, unde plus auxilii et lucis ſperandum foret, quam a libro, ubi, quidquid in Oriente gemmarum unquam repertum fuit, tam diligenter deſcriptum eſt et explicitum? Ad alteram claſſem librorum, quos ut utiles Oeconomis commemoravimus, referendi potiſſimum ſunt ii, quorum argumentum pertinet ad agriculturam. Horum ex adparatu non parvo Caſirus *Tractatum Ebn Alvam de Agricultura*, cum verſione et animadverſionibus ſuis, editurum ſe pollicetur, polliceri ſaltem videtur. Quod opus, quan-

tum indicare licet ex argumentis capitum, quae hic commemorantur, Philologis pariter ac Phyſicis et Oeconomis utiliſſimum fore ſperamus propterea, quod in eo conſcribendo Auctor optimis Chaldaeorum, Graecorum, Romanorum, Africanorum, Arabum, et Hiſpanorum ſcriptis dicitur uſus eſſe. Poſthaec recenſentur nomina Arabum omnia, qui de Agricultura aliquid ſcripſerunt; et quum horum plerique ex Graecis et Romanis ſcriptoribus profecerint, eorum etiam nomina ſubiunguntur, quotiescunque apud Arabes occurrunt.

In Libris rariſſimis, ſub finem Catalogi, Caſirus numerat certam quandam *Collectionem ſacrorum Canonum ad uſum Hiſpanae Eccleſiae ab anno* Aerae Hiſp. MLXXXVII. quam impenſis regiis aliquando prelo ſubiectum iri ſpes ſit. Nos optamus, (et quis eſt literarum amans, quin idem nobiscum optet?) ut non haec ſolum ſpes rata ſit, ſed et in univerſum divitiae Monaſterii Eſcurialenſis Arabicae, quas nunc ſcimus quantae ſint, cum orbe erudito communicentur; ut, quorum Auctorum notitia nobis impertita eſt, etiam impertiatur uſus. Debetur hoc officii literis, debetur etiam Auctoribus Arabicis ipſis: illis, ut, quemadmodum eſt utilitas, ita et ſtudium earum proferendarum commune fiat; his, ut ne ſcripſiſſe Bibliothecae Eſcurialenſi ſoli videantur. Conſulendum eſt famae tot tantorumque virorum, qui, quo tempore apud Graecos adeo et Romanos literae neglectae iacerent, inter ſuos vigorem earum non ſolum conſervarunt, ſed multis modis etiam adauxerunt. Utrum vero edendis eorum ſolis nominibus, librorumque titulis deſcribendis, tantorum hominum memoriae ſatis fiat; utrum literis ea re magis conſulatur, quam ſuperbiae hominum procacium, qui vel nudis librorum arreptis titulis ſapere ſibi mire videntur, reliqua vero omnia quae ſunt in libris bona et utilia egregie ignorant, hoc eſt quod dirimendum relinquimus lectorum iudicio. Certe, uti hodie res ſunt, index eiusmodi librorum, qualis eſt *Cl. Caſiri*, iactatores Arabicae doctrinae facere quamplurimos poterit,

rit,

rit, arabice doctum neminem, niſi et Auctores ipſi, quorum nomina edita habemus, proferantur in lucem.

IO. IACOBI REISKE ANIMADVERSIONUM AD graecos auctores VOLUMEN V. quo LIBANIUS, ARTEMIDORUS, et CALLIMACHUS pertractantur. Accedunt eiusdem praefatio ad ſua Polybiana, et epiſtola ad OEFFELIUM V. C. de nova editione Demoſthenis, item GUIL. CANTERI curae ſecundae ad Ariſtidem.

Lipſiae, literis Loeperis, 1766. Alph. 2. pl. 5. octonis.

Non incognitum eſſe poteſt cuiquam, niſi qui plane alienus ſit a literis graecis, quo modo conſilioque Cel. *Reiskius* ſcribere haec Animadverſionum Volumina inſtituerit: ipſique adeo nos in his Actis de ſuperioribus egimus. Nihil ergo reſtare nunc videtur, quam ut Scriptorum, hoc Volumine illuſtratorum, particulas quasdam percurramus, ut, ſi quis conferre Reiskianas animadverſiones cum iis velit, ſtatim intelligat, eum nunc quoque ſui ſimilem eſſe. Quod cum dicimus, doctrinam eius et ingenium dicimus, cum inſigni aſſiduitate, profligatamque opera hac Reiskiana magnam laboris partem agnoſcimus, quo exerceri alioqui tardarique debuiſſent et lectores, et editores Libanii atque Artemidori: nam in Callimacho iam ante ſatis elaboratum erat. Ne tamen ſupervacuas iudicare Callimachias obſervationes videamur, (quid enim impediat, quo minus poſt multos alios quilibet ſententiam dicat?) ab iis in praeſenti facere initium placet.

Agamus ergo de Hymno in Apollinem, cuius v. 74. *καρνεῖε primam coſeriem* interpretatur, quam ſacrare Apollini

ſoliti ſint, qui matrimonium inire vellent: nam τεῦχος ἐπίξεῖν in ἀρχαίοις Θεμέθλοις de iis capiendum eſſe, qui rem familiarem in aedibus paternis adminiſtrent, ἐστήξειν autem conſtituere, non, ſtare. Nobis quidem, niſi alia argumenta acceſſerint, antiquior utriusque verſus interpretatio praeferenda videtur. Similiter dubitamus, v. 24. μόρμυρον, terriculamentum, pro μάρμαρον poni poſſe, quoniam et fabula de lapide agit, et poeta tribus verſibus deinceps ter eamdem notionem repetiit, πέτρος, λίθος, μάρμαρον, ad quae verba commode refertur ἀναβάλλεται ἄλγεα, non item ad μόρμυρον. Defenditur v. 51. ἐπιμηλάδες villoſae ſeu molliculae μαλλώδεις, nam μῆλον μαλλὸν, μαλλωτὸν, ab eodem fonte derivari, omniumque eſſe eumdem ſignificatum, ſi quis originem ſpectet. Legi poterit v. 67. vel καὶ ἐπὶ ἄμοις vel καὶ τεύχεα δ' ὠμοφορεῦσιν. In quo ut prius concedamus; poſterius, certe propter illud δ', diſplicet. Ultimo verſu Φθῖνος malit, quam Φθόρος: Momum enim eo amandari, ubi Φθόνος, frater eius habitet; eum vero in Morbonia habitare.

In Hymno in lavacrum Palladis poterit v. 3. εὔτυκος dea vel ornata rebus omnibus, quibus opus eſt, dici, vel ἀέντευκτος, fatalis acceſſu. Quod v. 18. τὰν Ἴδαν tentatum fuerat ab interpretibus, Reiskius etiam ſuadet τὰν ἐν Ἴδᾳ: ſed, quantum nos meminimus, prior verbi *Ida* producitur. Poſito commate v. 37. poſt πρώϊον, locum ſic intelligit: Iubar ſolis orientis procurrit caelo; inſtat ergo ſacrorum tempus. Et nobis ſemper moleſtus hic locus fuit, donec τὸ δ' in τοι mutari poſſe viſum eſt: ſententia enim haec enaſcebatur inde a v. 23. Dea, longum curſum emenſa, unguentum parat. *Tum vero* rubor roſeus rediit. Igitur (τοὶ) *et nunc* unguentum parate. Sed nolumus noſtra haec nimis commendare. Verſum 45. ſic conſtituit: Σάμερον, ὑδροφόροι, μὴ βάπτετε σάμερον ὕρνας ſeu ὕρνως. *nolite urnas fluvio mergere.* Ac profecto durior locus ita emollitur; modo ne omiſſum eſſet illud *fluvio*; quamquam trahi huc e v. 46. poteſt. V. 63.

ſuſpi-

ſuſpicatur ἢ χαιρωνίας, quoniam bis poſitum Coroneae nomen aliquid difficultatis habet. Repetitionem v. 72-74. tribuit ſtudio poetae, inculcantis rudioribus, non eſſe meridie in agris et ſilvis vagandum. Nobis autem videtur poeta non operoſe inculcare debuiſſe, quod omnes, rudiores praeſertim, ſcirent crederentque, ac facturi adeo ſponte eſſent. Nam ſi quid videmus, illa admonitio de meridiano ſilentio excuſare videtur poenae acerbitatem: erat enim illa unius Tireſiae culpa, qui, quo tempore homines vulgo latitarent, vagaretur; cum dea e contrario crudelior videretur, ſi tum, cum facile accedere aliquis poſſet, ad lavacra veniſſet. Quae ſi vera fuiſſe, non opus erat bis eamdem rem dicere. Inter alia, quae de v. 82. dicuntur, et hoc notari meretur, verba, ἐμμάτεσι νὺξ ἔβαλεν, verti poſſe, *ferlit oculos, ingeſſit ſe, penetravit ut telum.* Recte: et nobis ſemper viſum eſt, de teli ſimilitudine cogitandum eſſe. Οἶτον ἄγειν v. 94. verti poteſt, *in longum producere luctum*, ἐν pro ἐκ ſuperiore verſu poni, ibidemque βαιλοῖσα pro λαβοῖσα legi. Lacunam v. 136. aut ſic explet: τί. μᾶλλον φεύοντας, aut etiam hoc modo: πατρὸς ἔχει πᾶν γέρας.

Finiemus haec, notandis quibusdam ex Hymno in Cererem, in cuius initio ipſo κατιέναι de *reditu poſt annuam abſentiam* interpretatur, et mox v. 5. ἁ pro ἃ ponit, hoc eſt, ἃ ὥρα: *quando crinem ſolvit*, veſperi, praeſertim cum ſexto verſu de matutino tempore dicatur. Tum ſtudium poetae, in arborum diverſarum multitudine colligenda, ad v. 28. ideo praeſertim reprehendit, quod nulla humana arte ſolum cultum fuerit: ſed poetas luxuriare in hoc genere ſolere. Si v. 35. ſublata parentheſi, ἄρχιδς (i. e. ἀρχιδῖς) ſcribatur, ut Theocr. Id. 10, 54. τὼς φακὸς procedet oratio uno tenore. V. 73. ἦν ἐς ξυνδείπνια ſuſpicatur: profecto numeroſe. Νεῖται v. 82. vertit, *veniet ad nuptias.* Locum, multis modis tentatum, ἐξάλλετο γαστὴρ, v. 89. ponendo ἐξάνετο ſic explicat, *conſumebatur, exinaniebatur venter* quod verbum an ſic dicatur,

tur, vehementer nos quidem dubitamus, omninoque miramur, neminem interpretum animadvertiſſe locum Homeri Od. ξ, 228, ἀναλτος γαστὴρ, e quo hoc Callimachium fluxit.

Epigramma 39. totum hoc modo conſtituit, ut, verſibus cum Daciera diviſis, pro ἐθηκε τῇ κεραῖοι legeret ἐζηκέτης γέρας τοι, in quo ἐζηκέτης foret ἐξηκοντούτης, idque ferri poſſet in poeta, qualis fuit Callimachus. Sententiam autem ſic nectit: Lyctius Menoetas, clara voce numen adpellans, inquit, dedico tibi etc.

Sequitur, ut de *animadverſionibus ad Libanium* dicamus, quibus maxima huius voluminis pars abſolvitur. Primo orationes tantum tractavit, quae ſecundo tomo Morellianae editionis, quam ſecutus eſt, continentur, neglecto plane tomo primo. Epiſtolas tamen, quas etiam latinas fecit, vel alio tempore tractabit, vel ſeorſim edet cum verſione, vel verſionem ſaltem. Monet autem lectores Libanii, ne ex epiſtolis eius res Theodoſiani Seculi magnopere illuſtrari poſſe exiſtiment, quoniam fictae ſint pleraeque, quippe a Sophiſta ſcriptae: ſe certe damno ſuo intellexiſſe, quam parum prodeſſent in hoc genere. Orationi ſecundae adverſus Icarium, quam Coberus V. C. edere parat, Reiskius notas quaſdam addet. Atque haec viſa nobis ſunt e praefatione neceſſario indicanda. Iam nemo expectabit, ut multas orationes percurramus, et Reiskianas animadverſiones hoc loco repetamus. Sufficiat quaſdam attigiſſe, cum ne intelligi quidem vel coniecturae, vel interpretationes poſſint, niſi quis tenore uno perlegat orationem, ac ſingulorum nexum examinet. Itaque nos quidem *Orationem pro profeſſoribus* perlegimus, e qua quae notata habemus, hoc loco iam ponimus. P. 86, 5. editionis Morellianae ἐποιήσατε μαθόντες coniungit: *facti eratis vos fuiſſe, ſi quis modo docuiſſet.* Inter ὑπὲρ τῶν v. 15. ponit τοῦ, quod haud dubie neceſſarium eſt; verſu autem 40. τὸ βέλτιον pro τὶ β. P. 87, 29. εἴροιτο mutat in ἔροιτο, et

ad v. 98. p. 89. illuſtrat verbum καταδύεσθαι, quod Libanius ſaepe pro αἰσχύνεσθαι poſuerit, hoc modo, *velut terram ſubire prae pudore:* ſimilia quaedam Libanii loca collecta ſunt. P. 90, 15. dubitat, quidnam in his, γεωργεῖτε τοὺς ἀγροὺς τῆς πόλεως σχεδὸν, poſt σχεδὸν intelligendum ſit, utrum πάντας, an μόνους, praefert tamen prius. Sed cauſam non dixit, quare nequeat σχεδὸν τῆς πόλεως coniungi: fortaſſe quia Libanius paullo poſt, ut de publicis agris, locutus eſt. Verum ne ſic quidem, cum res hominibus illis nota eſſet, opus erat, ut *agri* diſerte *publici* adpellarentur, et ἀγροὶ τῆς πόλεως coniungeretur. Inſequente pagina extrema, τῇ ἀρετῇ ὑπέχειν δίκην Reiskii coniectura eſt, Libanii verba τῆς ἀρετῆς εὐθύνας. Sed hic quoque nos vulgatam defenderimus. Verſum 27. p. 93. duabus coniecturis illuſtrat, ut vel τῷ δὲ τὰ παρὰ τῶν μαθητῶν, omiſſo τίθησι, legatur, vel poſt τὸ δὲ παρὰ τῶν μαθητῶν intelligatur, ἐν ἴσῳ λόγῳ ἔχειν. Paulo poſt veriſſime monet, ἐκ τοῦ παιδεύειν ſcribendum eſſe: non poteſt enim ferri ἐκ τῶν. Quamquam hoc operarum erroribus, quibus plena eſt Morelli editio, et quos ſaepe numero notavit Reiskius, adnumerari poteſt. Similiter ἐπανιόντι p. 94, 42. huc referimus, libenterque Reiskianum ἐπιλέγειν probamus. Μεμψιμοιρουμένους p. 95, 26. Ciceroniano verbo *ſuſpicantes* interpretatur. Occaſione verbi νυνὶ p. 96, 38. admonitus oſtendit, non multo poſt Libanii reditum in patriam habitam videri hanc orationem, cum Zenobius, in cuius locum Libanius ſucceſſit, exterus fuerit.

Liceat his quaedam ex oratione in Aeſchinem adiungere. Probata marginis lectione, δικαιότατα, p. 682, 19. locum omnino ſic conſtituit: ἐμοὶ δὲ καὶ τὰ πάντων δικαιότατα λέγοντι πανταχόθεν ἀπήντα ἂν θόρυβος, quae correctio, quo facilior eſt, et ad ſenſum commodum dilucidior, eo magis nobis placuit. P. 683, 21. εἶθ' pro οὐθ' ponendum cenſet, et, quoniam duobus verſibus poſt deeſt aliquid, addendum poſt ἐνταῦθα, ἀποδιδράσκειν ἐπιχειρεῖς. Ibidem, verſu trigeſimo, cum

neceſſe

neceſſario intelligendum aliquid ſit, viſa eſt Reiskio ſententia ipſa hoc poſtulare, κἀν τῇ πόλει, κἀν τῇ ἀξίᾳ. Omnino vero, ut hoc obiter moneamus, nullus facile locus aſteriſco notatus eſt, quem non aliquo ſaltem modo tentarit Reiskius. De quibus additamentis etſi cuilibet liberum relinquitur iudicium, et ſuus ſenſus; illud tamen commodi haec res habet, quod docti cuiusdam viri ſententia de multo loco intelligitur, quam ferre non niſi eius eſt, qui multarum ſit literarum, ac diuturnae in hoc genere exercitationis. Si eadem pagina v. 31. γραφόντων ſervetur, eos dicit Libanius, qui plebiſcita ſcribunt: poſſit tamen γραφέντων (crimina) legi, hoc ſenſu: pro magnitudine mercedis, quam iudices ſperant, abſolvitur aut damnatur reus. Forent ergo, ſi mentem Reiskii recte cepimus, τὰ γραφέντα hoc loco, quae Demoſthenes centies τὰ κατηγορημένα dicit. Mox γραφῆς τιμωμένων interpretatur, qui tympana pingunt, quoniam frater Aeſchinis pictor fuerit: quod tamen argumentum nobis non ſufficere videtur. P. 684, 9. poſt μέλλουσι ἀναρρηθῆναι ſententiam finit; ſenſum enim eſſe: altius repetendum habet. Ibidem v. 24. ſqq. rectis orationem hoc modo: οἰηθήσονται (reiecto δ') δέξεσθαι, κρινεῖν, σπάζειν; et profecto, ſi progrediare, ſequentia futura neceſſariam reddere videntur hanc animadverſionem. Neque tamen vellemus, v. 31. potius ἐπεισιόντας, ingerentium ſe, quam ἐπεισιόντα, a Reiskio probari, cum illud ἐπεισιόντων Demoſthenis verbum ſit, cuius generis multa in hac oratione occurrunt: quamquam non plane reiectum eſt ἐπεισιόντα. P. 685, 23. ſqq. ſic legi poterunt: οἱ δὲ, τοῦ τῆς πόλεως ἤδη τὸν Πελαργικὸν περιϊόντες κ. βάτων, ἔφασκον, ὅτι ἀπτεται τῆς — Sic δὲ Φίλιππος, e nota marginis δ' Φίλιππος, hoc eſt, δηλονότι Φίλιππος, illatum in textum, eiicitur rurſus a Reiskio. P. 689, 19. ſic adiuvatur coniectura: χώραν (ſcil. γῆν οἰκεῖν) καὶ ἐλάττω ἔχον β. τ. ἐπὶ Mox v. 39. αὐδ' ἴσως τὸν ἵππον, ἐφ' οἷς ἀδικούμεθα, ἐγγράφομεν. P. 693, 15. poſt τριήρης ἔπλει (nam hoc vult pro ἔπλευσε) punctum poſuit, tum ἐκκλησία δευτέρα, omiſſo ἐγένετο, vel παρῆλθεν, vel ſimili verbo.

Sed

re. Sed non patitur exiguitas ſpatii, ad Volumen hoc tractandum nobis conceſſi, ut plura ſimili modo repetamus, praeſertim cum alia reſtent. Sequuntur enim *Guilielmi Canteri* animadverſiones ad Ariſtidem, quas ut margini editionis Iuntinae adſcriptas, acceptasque a Cel. Burmanno, deſcripſerat Cl. Abreſchius, ita Reiskius eas huic animadverſionum Volumini a p. 585. ad 624. inſeruit.

Ineſt etiam praefatio Reiskii ad ſua Polybiana. Eius prior pars iudicat in utramque partem de Polybio, et non nullas ſat graves eius vituperationes continet, in quibus pag. 766. et haec occurrit: non ubique a Polybio verum exſpectandum eſſe, non quo ſenſus veri aut recta voluntas ei defuerit, ſed quod beneficiis, amicitiis, adpoſitisque vigiliis ſaepe numero fuerit impeditus. Etiam Livium, quo loco eum Polybio confert (p. 768), vehementer deprimit. Poſterior pars praefationis Polybiani textus hiſtoriam continet, et copioſe ſcriptam illam, et diligenter. Cum vero non niſi nomina et numeros transferre ex illa omni diſputatione in hunc locum poſſemus, dabitur haud dubie nobis, ut ab hac tenuitate abſtineamus. De Urſino, Caſaubono, Valeſio, et Gronovio, ſatis explicatam reperient lectores Reiskii ſententiam. Gronovii quidem operam, in hoc Scriptore collocatam, tantopere probat, ut, quidquid ab eo ad Scriptores graecos illuſtrandos usquam profectum ſit, id ſecundum Polybianis videatur.

Ad calcem Voluminis exſtat epiſtola ad Oeſſelium, de nova Demoſthenis editione, quam Cel. Reiskius parat. Hic nos vehementer optamus, ut, cum nuper admodum ſententiam omnem et conſilium editionis inſtituendae aperuerit Reiskius, quam multi ei contingant, qui nomina emtioni profiteantur: eſt enim valde optabile, ut tot copiis inſtructus editor, isque laborioſiſſimus ac indefeſſus, permultos ad emendum alliciat, et vel hunc laboris fructum ferat. Oeſ-

Ee felio

filio autem potiſſimum ſcripſit, quoniam per eum codicem Demoſthenis Bavaricum nactus eſt, e quo in editionem ipſam multa bona derivabuntur.

DECRETA ROMANORUM PRO IUDAEIS FACTA, e Ioſepho collecta, et commentario hiſtorico - grammatico - critico illuſtrata. Adiunctum eſt Decretum Athenienſium, pro Hyrcano etc. illuſtratum a IO. TOB. KREBSIO etc.

Lipſ. 1768. 8vo, 1 Alph. 7 pl.

Si quis putet, *Krebſium* V. Cl. ea de cauſſa haec Decreta tam copioſo commentario illuſtraſſe, quod ſine tanta obſervationum mole ea plane non poſſint a quoquam intelligi, haud dubie multum ea in re a vero aberraverit; ſiquidem vel in decimam huius voluminis partem facile poterat compingi, quidquid ad intelligentiam et rerum, h. e. antiquitatum, et verborum, maxime eſt neceſſarium. Nunc longe aliam, ac ſatis gravem cauſſam, probe ſcimus, edendi tam ampli commentarii eum habuiſſe. Nam cum a multis inde annis, verſetur in munere eo, quod maxima ſui parte (totum, nec velimus, nec poſſumus quidem, ſalva veritate dicere,) continetur obſervatione grammatica et hiſtorica rerum et verborum, non exiguam, e tam diuturna ſcriptorum veterum lectione et tractatione, talium obſervationum multitudinem, neceſſe eſt, virum tam aſſiduum congeſſiſſe. Quas quia videbat iuventuti ſibi concreditae fructum aliquem afferre poſſe, praeſertim cum libri alii maiores, e quibus eas congeſſit, in iuvenum manus propter raritatem aut caritatem venire non facile ſoleant; ideo eas in unum volumen veluti coniiciendas, et per hanc Decretorum occaſionem cum orbe erudito communicandas, recte cenſuit. Unde etiam ſaepius in

hoc

hoc libro reperias longiores excurſus, diſputationes, de notionibus verborum, et antiquitatibus vel Graecis, vel Latinis, admodum eruditas, et id genus alia. Neque vero illud reprehendendum eſt in hoc opere, quod multa ab aliis iam dicta auctor cl. iterum dixerit, ab aliis iam illuſtrata iterum illuſtraverit. Nam, ut taceamus, multa etiam ineſſe, quae primus ille obſervaverit, et ipſe ſe ſatis aliquot locis adverſus hanc reprehenſionem defendit, et ea eſt adhuc multorum e noſtris hominibus vel caecitas, vel pertinacia, ut, quanquam centies Grammatici aliquid de huius vel illius verbi uſu monuerint, tamen non deſinant ea interpretari recepto more, h. e. vel e dictionariis, vel e ſyſtematibus. Quod maxime evenire ſolet in tractatione librorum ſacrorum N. T. Unde magnas, vel eo nomine, gratias auctori V. Cl. agimus, quod haud ſpernendam Commentarii ſui partem voluit eſſe obſervationes eas, quibus N. T. locis vexatis, vel male intellectis, (Evangeliorum maxime et Actuum,) novam et inſignem lucem affunderet, et b. Wolfii Curas, ubi ille vel erraverat, vel certe tacuerat, ſuppleret atque emendaret.

Continentur autem parte priori et maiori voluminis, Decreta Romanorum in favorem Iudaeorum, partim a Senatu, partim a Iulio Caeſare, facta, et apud Ioſephum in Antiquitatibus paſſim obvia; parte vero altera et minori Decretum Athenienſium pro Hyrcano, Pontifice M. Alexandri regis et Alexandrae filio, Ariſtobuli fratre, quo corona aurea, et ſtatua aenea, in templo Demi et Charitum ei decreta eſt. In his illuſtrandis verſatus eſt Vir Cl. primum ſic, ut ea decreta, quae in opere Ioſephi perperam tranſpoſita a librariis eſſent, ſuis locis reſtitueret; deinde annum decreti cuiusque ex hiſtoria erueret, ac difficultates chronologicas, quoad fieri poſſet, tolleret, tum ſingula verba, ſi opus eſſet, grammatice explanaret, verſionem latinam vulgarem corrigeret, lectiones examinaret, res denique ipſas ex antiquitate Iudaica, Graeca, et Romana, ſatis copioſe illuſtraret.

ret. Sic v. c. ea decreta, quae poſuit ſub n. V. et VII. utraque, firmis argumentis docuit, ineptis locis poſita, et poſterius in prioris, prius autem in multo ſuperiorem locum Ioſephi, coniiciendum eſſe. Quod ad obſervationes grammaticas attinet, quae maximam voluminis partem conficiunt, inter eas multae ſunt, uti diximus, ab aliis iam occupatae; ſed tamen etiam haud paucae, quas non meminimus, alibi, vel accuratius, vel copioſius confirmatas legere. Huc referimus p. 22. et ſqq. diſputationem de verbo χειροτονεῖν, eiusque vario uſu; p. 188 ſqq. de quadruplici notione *Imperatoris*, (αὐτοκράτορος) apud Romanos, quae interdum a recentioribus perperam confunditur; p. 386 ſqq. de uſu verbi τελεῖν, ubi ſimul locus Matth. XI, 1. bene explicatur, et illuſtratur; et alias. In decreto Athenienſium late et erudite de univerſa reip. Athenienſis forma, de Tribubus, Prytanibus, Strategis, Proedris, Epiſtatis etc. diſſeruit, quae loca, plurimum ſtudioſos adoleſcentes iuverit attente cognoviſſe. Interdum etiam refutationes aliorum immiſcuit, modeſtas illas et veras; Saliani v. c. paſſim, Sigonii autem n. VI, qui in libris de rep. Hebraeorum ſcripſerat, *Iudaeam a Pompeio in provinciae formam redactam, et ei Aſcalonitam procuratorem impoſitum eſſe*. Hunc viri, alioqui doctiſſimi, errorem, erudite pariter ac modeſte arguit et correxit p. 150 ſqq. qui locus eſt lectu digniſſimus. Denique etiam in componendis locis, quae pugnare inter ſe videntur ſubinde, elaboravit, nec infelix in tam lubrico negotio, in quo vel doctiſſimi tam ſaepe verum non cernunt, videtur fuiſſe. Eius rei exemplum inſigne reperimus n. VI. p. 142 ſqq. ubi difficultatem chronologicam de regno Hyrcani, et Ariſtobuli, fratrum, noſtro quidem iudicio, dexterrime ſuſtulit.

Sed ſunt tamen pauca quaedam in hoc libro, de quibus nobis monendum videtur; quae, etſi non magni momenti ſunt, tamen, cum bona Krebſii doctiſſimi venia, indicabimus. — P. 12. ad conciliandum cum ſua de anno Decreti

ſenten-

ſententia Librum I. Maccabaeorum, ſancit canonem hunc: „*Scilicet in univerſum hoc tenendum, et in veteribus hiſtoricis pro„pe obſervandum eſt, eos non ſemper eo temporis ordine, quo „quid geſtum ſit, tradere, ſed ſaepe etiam res, etſi temporibus „diverſas, ob materiae ſcribendi ſimilitudinem, una narratione et „filo quaſi coniungere.*“ Si hic canon verus eſſet, quid fieret de officio boni hiſtorici, cui praecipua ſemper lex eſſe debet, ut *ordinem temporum* conſervet? (v. Cic. de Or. L. II. c. 15.) Itaque ſi nos ſcripſiſſemus, adiecîſſemus haec: *niſi ex inſtituto aliquam rem cum cauſſis et eventibus ſuis omnibus narrent; nam tum ἀκρίβεια, ut omnia, ita et anni ac menſes exigendi ſunt.* Tum demum non in univerſum modo verus canon futurus erat, ſed etiam ſententiam Viri Cl. confirmaturus. — P. 66. habet canonem Grammaticum, quem ſic expreſſit: „*Elegans „eſt τῆς διὰ, cum Subſtantivo uſus, quo Subſtantivum ponitur „pro illo verbo, cuius ſignificationem Subſtantivum cognatum, et „praepoſitione reſtitutam habet, adeo, ut Subſtantivum illud, una „cum praepoſitione, reſolvendum ſit in verbum cognatum, et Sub„ſtantivo ſignificatione affine.*“ Haec quanquam veriſſima ſunt, tamen haud dubie hic nimis verborum eſt, ut etiam ipſa canonis intelligentia iis impediatur. Quanto brevius et luculentius Vir doctiſſimus dixiſſet: *Elegans eſt τῆς διὰ cum Subſtantivo uſus, quo utrumque ponitur pro verbo cognatae ſignificationis, addito alio verbo, quod motum aut ſtatum aliquem indicat, v. c. ἄγειν, ἐλθεῖν, εἶναι, γίγνεσθαι etc.* Imo vero etiam accuratior iſta adiectione canon fieret. Nam ex illa bene longa Viri Cl. deſcriptione nihil aliud efficitur, quam v. c. pro φυλάσσεσθαι poni διὰ φυλακῆς, quod non ſufficere, ex ipſis exemplis ab eo commemoratis apparet. Debet enim accedere verbum aliud, motum aut ſtatum indicans, ut ἄγειν, ἔχειν, et ſimilia. — P. 148. num. VI. (quem ſupra iam aliquoties citavimus, et qui optimam narrationem de ſtatu Iudaeorum inde a Iohanne Hyrcano ad natum Chriſtum complectitur,) dicit, in expugnatione Hieroſolymae, per Pompeium ſexageſimo A. C. N. anno facta, vaticinium morientis

 Iaco-

Iacobi (Gen. XLIX, 10.) initium eventus habuiſſe. In quo liceat nobis ab eius ſententia diſcedere. Etenim credimus, vim eius vaticinii omnem, quam hiſtorica hac interpretatione voluit oſtendere, ea ipſa maxime everti. Nam cum verba vaticinii ſint: „Non recedet ſceptrum — donec „venerit Schilo.“ Futurum autem Hebraicum, quoniam unum eſt, exprimat omnia Futura, etiam Futuro-Perfecta; ſequitur, ut, cum ſceptrum receſſit, certe *incipit* recedere, (ut placet Viro Cl.) Schilo ſ. Meſſias iam adfuerit, vel certe adhuc adſit. Qui profecto ne venerat quidem tum, cum Hieroſolyma a Pompeio caperetur. Senſiſſe quidem videtur Vir Cl. hanc difficultatem, unde p. 150. tres gradus ſeu periodos eventus vaticinii Iacobini finxit: primam, quam diximus; alteram, cum Iudaea, expulſo Archelao, provincia facta eſt; tertiam, cum tota reſp. a Tito everſa fuit. Sed, ut taceamus, repugnans aliquid eſſe in *initio eventus*, eventus enim ſemper *evenit*, nunquam *incipit*; etiam hoc libere dicemus, nunquam nobis hanc, quam Vir. Cl. h. l. ſequitur, vaticiniorum explicandorum rationem placuiſſe, quoniam induxit illud genus vaticiniorum, quae *ſucceſſiva* vulgo appellant, et quae ſemper nobis ſuſpecta ſunt; faciunt enim interpretationem incertam, et verba divina exponunt libidini firmandarum hypotheſium. Nos unum ſemper cuiusque vaticinii eventum, eumque plenum, eſſe exiſtimamus, nec ſucceſſivum ſtatuendum, niſi verba ipſius vaticinii diſerte ſucceſſionem indicent. Imo ne tum quidem ſucceſſivum vere dici amplius poteſt, ſed potius dicendum, tot eſſe vaticinia minora et ſingula, in quot partes ſeu diſtinctiones minores temporum verba totius vaticinii maioris diſſolvi poſſunt. Quare etiam h. l. unum tantum, et plenum vaticinii Iacobi eventum, putamus fuiſſe, everſionem urbis ac totius reip. Iudaicae per Titum Veſpaſianum. Haec monuimus, non tam propter Krebſium V. Cl. quam propter eos, qui noſtra aetate vaticiniis ſucceſſivis nimium indulgent. — P. 268. in verbis Decreti Iuliani: ὅσα τε μετὰ ταῦτα ἔσχον, καὶ ἐπεμήθη-

dem, pro *μετὰ ταῦτα ἴσχον*, legendum coniicit: *διακατέσχον*, quod *μετὰ ταῦτα* ſenſum commodum non habeat. Statim autem interpretationem Erneſtii noſtri adiungit, qui nihil mutandum cenſeat, ſed *μετὰ ταῦτα* reddat: *inde ab hac ſocietate* ſ. *ab hoc decreto* Nos quidem interpretatione Erneſtiana nihil planius et melius vidimus, adeoque miramur, cur ſuam coniecturam Vir doctiſſimus non ſtatim ipſe reiecerit? — P. 327 ſqq. Vir Cl. valde laborat, quale diſcrimen fuerit inter *ἄρχοντας* et *ϛρατηγὺς*, quorum mentionem fecit Lucas Act. XVI, 19. 20. ſed, ut nobis videtur, ſine neceſſitate. Nos quidem ſine dubitatione cum Grotio credimus, nullum diſcrimen hic eſſe, ſed *ἄρχοντας* et *ϛρατηγὺς* plane eosdem fuiſſe. Notum eſt omnibus, vocabulum *ἄρχοντος* latiſſimae ſignificationis eſſe, et quamcunque in alios poteſtatem externam denotare. Itaque Lucas v. 19. poſuit verbum generale *ἄρχοντας*, *magiſtratum*, v. 20. autem definitius dixit, quem magiſtratum intelligat, nempe *ϛρατηγὺς*, *Praetores*, ſeu, quocunque nomine eos appellare libuerit. Et quotusquisque bonus Scriptor non idem centies facit, ut diverſis locis, primum *παχυλῶς* deinde *ἀκριβῶς* loquatur? Itaque non opus erat tam moleſta disquiſitione alicuius diſcriminis, nec querelis de ſilentio veterum, quas Vir Cl. ibi movit.

Haec ſunt, quae pace Krebſii, Viri doctiſſimi, monere voluimus, non cauſſis vilibus aut impuris, ſed ſincero veritatis ſtudio, et humaniſſimis viri per totum librum invitationibus inducti; quapropter nec putamus eum haec in deteriorem partem accepturum eſſe. Ac lubenter fatemur, praeter ceteras libri virtutes permagnas, mirifice nobis placuiſſe modeſtiam viri inſignem in proponendis coniecturis, etiam feliciſſimis, quae rara ut plurimum virtus eſt apud Grammaticos. Sed tanto maiori laude dignus eſt, et rogandus, ut, cum primum fieri poſſit, Wolfium ſuum, maiori ex parte ſupplementum atque emendatum, in publicum prodire iubeat, atque inde plurimis N. T. locis non contemnendam lucem accen-

dat.

dat. — Appendicis loco aliquot ſphalmata typographi indicabimus, quae tirones in errorem forte inducere poſſint; P. 142. l. 11. eſt: A. V. C. DLXXXIV. pro DCLXXXIV, ibidem l. 19. A. V. C. DXC. pro DCXC. Pag. 284. C. IUL. CAESAR — OVANS — EX MONTE LIBANO pro ALBANO. Sed haec nullius momenti ſunt.

DISSERTATIO HISTORICO ECCLESIASTICA, de ſtatu praeſenti Eccleſiae graecae in Dalmatia, quae ritum Slavo Servicum ſequitur, Auctore M. IO. FRIDERICO LE BRET, Philoſophiae Lectore, Academiarum Roboretanae et Florentinae Membro.

Stutgardiae, typis Chriſtoph. Godofr. Metzleri, in 4to, pl. 6.

Haec diſſertatio, quam proponimus, ab Auctore, Viro clariſſimo, famaque doctrinae, et multarum, in Italia potiſſimum, peregrinationum, celebri, poſt reditum ex itinere Italico conſcripta, et rerum novitate, et gravitate argumentorum, ſeſe nobis mirifice commendavit. Repererat amicos, qui, ut quae ſcriberet certa eſſent, libros ineditos ei multos ſuppeditarent: inter hos *Excell. Viri, Franciſci G**** Iudicium *de ſtatu eccleſiaſtico Graecorum in Dalmatia*, primum locum tenet. Igitur hiſtoriam hanc conſcribere coepit, et multa notatu omnino digna protulit. Noſtrum eſt, quid hac commentatione Vir doctiſſimus praeſtiterit, curatius indicare. Praemiſit obſervationem, de politica Graecae Nationis fatis, qua quidem docuit, ad eam Dalmatiam proprie ſic dictam, et regiones Albaniae, ſceptro Veneto ſubiectas, referendas eſſe. Ratione reddita de amplitudine Nationis, et indole, Tem-

Templorum, Monaſteriorum, Clericorum denique, in Dalmatiae et Albaniae territorio, numerum ſupputavit, miſeramque conditionem litterarum inter Clericos deſcripſit, qua factum ſit, ut rariſſime ex cathedra ſacra orationes audirentur, aut iuventutis ingenia examinando exercerentur. Praeterea Simoniae vitio, imperandi libidine, et rixarum cupiditate illos infectos eſſe oſtendit, unde cum romanae eccleſiae clero ſimultates perpetuas alant.

Breviter his commemoratis, Auct. antiqua huius eccleſiae fata recenſuit, docens, ante bellum Cyprium A. 1570. aliud liberum religionis exercitium nullum obtinuiſſe, praeter ſolum eccleſiae latinae ritum. Deinde Venetos Graecis facultatem tria templa exſtruendi, *Sebenici* nempe, *Iaderae*, et *Leſinae*, eo quidem conſilio, ut ad modum graecorum orientalium ſacra facerent, conceſſiſſe: quibus et alia deinceps addita ſunt. Quo quidem tempore ſimultates inter graecos et latinos non tantae fuerunt, quantae nunc ſunt; quid quod quibusdam locis ſimultaneum religionis exercitium habuere. Venetorum tamen clementiae tribuenda eſt propagatio graeci cultus divini in Dalmatia et Albania, quae maiora adhuc incrementa cepit, facultate A. 1718. fervente bello Turcico Scanderienſi graeco Epiſcopo data, quippe cui plenaria iurisdictio in provincia recentiſſime occupata, et adhuc occupanda, una cum poteſtate templa nova erigendi, collapſa reſtaurandi, conceſſa eſt. Infelix autem cum Hungaris bellum, quo graecorum aliorumque populorum res male ceſſerunt, illos dominationi Turcarum ſubiecit. Tunc Bulgari ultro ſe graecis, cum Patriarcha Conſtantinopolitano unitis, adiunxerunt; quorum exemplum et Slavi, Dalmatiam incolentes, ſecuti, Conſtantinopolim miſſis legatis, in graecorum ditionem tranſire, et ſacra Chriſtianorum ſe amplecti, nuntiarunt. Imperatores etiam Germani, ex Auſtriacorum Archiducum familia, ritum graecum ſingulari exceperunt benevolentia, adeo ut res eccleſiaſticas Slavo-Servicas inſpectioni et directioni

Epiſcopi Pechenſis delegaverint, qui non ſolum titulum *Patriarchae Serviae, Bulgariae, totiusque Illyrici* ſibi vindicavit, verum etiam rei eccleſiaſticae Graecorum in Veneto territorio ſeſe ingerere non dubitavit. Latini contra Epiſcopi graecos hos ferre recuſarunt, niſi eſſent Λατινόφρονες; altius igitur ius ſuum repetendo, motibus variis anſam praebuere, quorum cauſas Auct. bene narrat. His deinceps ſedandis Veneti graecis caput, quod Pontifici Romano nulla ratione ſubordinatum eſſet, praefecerunt, cui vices Patriarchae Conſtantinopolitani mandarentur, titulusque *Archiepiſcopi Philadelphiae, ſive Exarchae*, tribueretur. In Dalmatia idcirco Epiſcopi, vel Patriarchae Pechenſi, vel Patriarchae Conſtantinopolitano ſubordinati ſunt. At eodem quoque tempore Graecos in Illyrico, quos olim benevole exceperant Latini, vel vi, vel fraude, ſibi ſubiicere tentaverunt. Verum enim vero Graeci de iniuria conqueſti, a ſupremo Tribunali impetrarunt, ut Illyricis populis *Archiepiſcopus contribulis* concederetur. Iam igitur Auctor demonſtrat, vias, quibus Latini Graecorum libertatem infringere conati ſunt, Syſtemati hierarchico in Graeciae provinciis ultramarinis adverſas: nam in eadem civitate duos morari Epiſcopos, alterum Latinum, alterum Graecum, ſumma rerum tranquillitate, non eſt inſolens; in compluribus eccleſiis ius ſummum circa ſacra penes Praetorem, adminiſtratio vero ſacramentorum et rei ſacrae curae Clericorum commiſſa eſt. Uberius declaravit Auct. iniuſtitiam Epiſcoporum Latinorum, eccleſiaſticam in Illyrico poteſtatem ſibi arrogantium, ex comparatione cum graecis Auſtriaco imperio ſubiectis. Diſtinxit quoque gentes ritui Serviano addictas in *Graecos unitos*, ac *toleratos*, diſſeruitque de diverſis eos gubernandi modis; denique et de graecis in regionibus Regis Neapolitani ſuum addidit iudicium.

Pergit errores commemorare, quorum cauſa Graeci Epiſcopi a Latinis in iudicium vocentur. Nimirum *Donatiſtarum, Anabaptiſtarum, Albigenſium, Origeniſtarum, Iconoclaſtarum*, et *Pho-*

tiano-

tinorum haereſibus, illos quam maxime favere clamitant, qua de re ita egit Auctor, ut ſtatu controverſiae dilucide explicato, ingenue ſuum interponeret iudicium.

De ritu liturgico docet, graecos, tum Conſtantinopolitano, tum Servico ſeu Illyrico more viventes, Sacram coenam eodem quaſi modo diſtribuere, ſecuti per totum annum Liturgiam *S. Ioh. Chryſoſtomi*, exceptis vigilia Natalis, Epiphaniae, Quadrageſimae Dominicis, feſto Palmarum excluſo, nec non S. Septimanae feria quinta et ſexta, et S. Baſilii feſto die, quibus omnibus *Liturgia Baſilii* adhibetur.

Refutantur, quantum fieri potuit, ab Auct. alia crimina graecis obiecta, v. c. Simoniae, ignorantiae, vitaeque diſſolutae, quae quidem ex parte negavit, ex parte conceſſit. Profitetur enim, ſe vidiſſe ſacerdotes litteris operam egregie navantes, morumque bonorum ſtudioſos. Loquitur dein de Seminario *Thomae Flangini* A. 1644. pro Graecis fundato, ubi undecim iuvenes ſub directore inſtruuntur; provocat item ad *Patuſae Encyclopaediam*, ex Patribus in uſum iuvenum collectam, et ad alia, quibus eiusmodi criminationes diluantur.

Ceterum, ait Auctor, Epiſcopos Latinos hoc valde offendit, quod Parochi graeci fidei profeſſionem ex formula Pii IV, quam integram ex *Enchiridio Graecorum* a *Quirino* edito A. 1717. inſeruit, recuſent; ex quo colligit, et reliquas Bullas, quibus Papa Conciliis ſuperior dicitur, ab ipſis reprobari. Laudat tandem legem a decemviris Venetis A. 1751. latam, qua orthodoxiam in Graecis ita probandam, ut in Symbolum Apoſtolicum, et fidei definitionem Concilii Florentini, iurent, praecipitur, quod Graeci non recuſant. Sunt autem iſti a Romana de propaganda fide Congregatione, in hoc potiſſimum laeſi, quod eos non minus ac Proteſtantes, in epiſtolis ad Epiſcopos miſſis, tanquam haereticos traducunt, qui carceribus, catenis, ac exilio ſint ad reverentiam Epiſcopo Romano praeſtandam

 adigen-

adigendi. Quare, ne hic conſilia violenta de eiiciendis Calogeris, et introducendis Franciſci aut Loiolae ſodalibus exſequatur, aut alio modo libertas conſcientiae Graecorum turbetur, iſti imperio Turcico lubentius ſubſunt, quam pontificio.

Neque tamen motus ob doctrinam Proteſtantium, a primis reformationis principiis, his quoque in terris defuiſſe, exemplo *Vergerii* ad nos accedentis, et *M. Ant. de Dominis* ad Anglicanos migrantis, A. probavit, narrando et perſecutiones *Cyrilli Lucaris* in Illyrico, quarum plurimas a curia Romana profectas eſſe, ex inſtructione Archiepiſcopo *Antiatae*; Spadae dicto, data declaravit. Deſcripſit eas Thom. Smit, Anglus.

Ad Archiepiſcopum Philadelphiae contribulem Graecorum quod attinet, illum ſumma cum hilaritate a populo exceptum fuiſſe legimus, quamquam Curia Romana multa propterea moneret. Obiter commemoravit A. exempla Leonis X. et Pauli III. graecos a Latinorum iurisdictione eximentium, itidemque Clementis VII. qui Bulla peculiari graecos in fermentato Miſſam celebrare, alia forma baptizare, S. Coenam ſub utraque adminiſtrare, permiſit. Propoſuerat olim Bened. XIV. P. M. Senatui Veneto medelam, ſanandis malis, quae Graecos in Dalmatia vexent, aptiſſimum. Sed erat malis peior medela: 1) ut libri liturgici, cathechetici, dogmatici, dono Petri I. et ſucceſſorum, populis hiſce miſſi, ex omnibus illis provinciis eiiciantur, ſubſtitutis aliis, iisque purgatis, in Seminario Patavino imprimendis: 2) Ut in Seminario Illyrico Iaderenſi Clerus Secularis Slavus educetur, ex quo Seminario Parochi eſſent eligendi. 3) Ut auxilia praeſtent Veneti in uniendo Epiſcopo Montis Nigri cum eccleſiae ſinu, qui iura Leoni IV. tribuat, et omnem unionem cum eccleſia Romana reſpuat.

Coronidis loco librorum mentio facta eſt, quos Collegium de propaganda fide inter Illyricos diſpergere ſolet; acceſſit Breve recentiſſimum in hac cauſa a Papa Clemente XIII. ad Venetos miſſum, quod tamen non videatur, a vetere opinione,

nione, eaque iuſta et aequiſſima, ſapientisſimam rempublicam iſtam avertiſſe. — Dabimus propediem libellum *Bretti* V. Cl. alium, qui aeque pertinet ad Eccleſiae Graecae, apud Venetos inprimis, hiſtoriam; de qua in univerſum, nuper admodum, *Tomo tertio* Hiſtoriae Neapolitanae *Giannonii*, quam ipſe vertit ex Italico germanice, praeclare meruit ultima praefationis parte, quae tota, inde a Caſtriotarum viciſſitudinibus, hiſtoriae graecae Eccleſiae in Italia dicata eſt. Legimus eam cum voluptate, etiam propterea, quod vix alio loco reperias, quae ibi e documentis authenticis, fideque digniſſimis, pulcherrimo ordine, et facunde narrata ſunt.

VERA PATREM PATRIAE, ANNUENTE DIVINA clementia, ſanum et longaevum praeſtandi, methodus, ex praeceptis omnis aevi diaeteticis, atque recentisſimis artis ſalutaris principiis, deducta a BALTHASARE LUDOVICO TRALLES, Medico Vratislavienſi etc.

Vratislaviae, 1767. in 4to, 2 Alph. et 6 plagg.

Eramus adhuc in eo errore, ſi quidem error eſt, unam eſſe eandemque Medicorum, ſanos atque longaevos praeſtandi homines promiſcue omnes, methodum: ſed cum libri huius titulum, quem ſupra poſuimus, legeremus, tum demum intelleximus, Patris Patriae ſanitati longe alia ratione proſpiciendum eſſe videri. En igitur opus titulo ſuo egregie reſpondens, prolixum et ingens, quod Auctor ipſe ſub finem *Meteorologicum* appellat, inque duo capita diviſit: quorum prius, prooemii loco, ſanitatis curam Regi Poloniarum commendat, alterum de aeris ad ſanitatem uſu ſalutari et noxio praecipit. Flores hiſtoricos et philologicos Auctor abunde medicae doctrinae interſperſit, ſuntque in hoc libro propo-

ſita bene multa, quae nemo ſub hoc titulo facile quaeſiverit; e quorum numero proponemus quedam, ut fidem dictis faciamus.

Principes, ut homines reliqui omnes, naſcuntur, aegrotant, moriuntur; attamen ab Archiatris, a plurimis morbis, bonorum conſiliorum interventu, praeſtari immunes poſſunt: haec eſt occaſio huius Operis. Sanitas maximum bonum eſt, valetudinarius ſtatus taedioſus, et quidem hominibus promiſcue omnibus: maxime tamen intereſt reipublicae, Patrem Patriae ſanum eſſe. Rex, qui nunc eſt, videtur ſanus ex Phyſiognomia, ſaepius fallente, at ſaepe tamen verum indicante. Regis Poloniarum imago ab A. talis deſcribitur: „ iuſta ipſi ſta„tura, color faciei candidus, grato rubore in genis ſuffundi„tur, naſus aquilinus, oculi nigri et grandes, nigri capilli, in „omni geſtu gravitas et maieſtas.“ Commendat tandem A. Regi, per propriam cognitionem et tutelam ſui, ſtudium ſanitatis; atque per eam occaſionem plura ſcripta hac de re allegat, inter quae caput erigit *Ramazzini* tractatus, de Principum valetudine tuenda. Sed, quid, quaeſumus, haec huc pertinebant?

Alterum caput initio topographicum eſt, nam de ſitu Varſaviae loquitur. Poſita eſt urbs ea in elevatione poli ſecundum longitudinem intra 42. et 45. gradum, ſecundum latitudinem cum Vratislavia intra eandem. Circumcirca planities, quam penetrat Viſtula, verſus ſeptentrionem ſaltus denſus, umbroſus. Inde aeris naturam diſquirit. Aer eſt elaſticus et gravis, in athmoſphaera impurus, omnia corpora penetrat, etiam humanum, in quod per deglutitionem, inſpirationem, et cutim, fertur; primum, variolarum contagium, opium, etc. alterum volatilium vaporum ad pulmones ductorum efficacia, tertium balnea, cantharides, et Mercurius, confirmant. Ad ſanitatem requiritur aer nulla qualitate prava imbutus, nec denſitate, nec raritate peccans; potiſſimum ſalubris eſt montanus. Sed nullibi invenitur aer

omni-

omnibus numeris bonus et purus. Aer Varſavienſis nativus frigidior eſt, attamen ſalubris, licet vulneribus infeſtus, ut urbanus vero laborat ſuis vitiis, ob copiam hominum, fumos, et altas domus, perflatum non permittentes, magis inquinatur immunditiis in plateis fluctuantibus, inundationibus Viſtulae, et paludibus vicinis, quas arena Viſtulae exſiccare ſuadet. Arx regia ponitur ad ſuburbium Cracovienſe, in quo foſſae putridum aerem exhalantes, latus arcis aliud Viſtulam, ſpurcitiis totius urbis refertam, latus ſeptentrionale ſylvam Bielanenſem paludoſam, (Cl. Auctoris conſilio comburendam, aut ſaltem exſcidendam,) introitus urbem ſpectat. Mutet itaque Rex ſaepius ſedem, et in locis altioribus vitam degat, e. g. in praedio Ujazdov; caveat tamen ſibi a conclavibus ibi recens dealbatis, nonnunquam et migret per provincias. Porro aerem Varſavienſem impurum faciunt fimeta, et ſepulchra; peſſimus enim mos eſt ſepelire cadavera in urbe, triſtis effectibus. Bina A. affert exempla: alterum de feminis duabus ſepulchro recenti inſidentibus, brevi mortuis, alterum de femina coemeterium praetervecta, quae vento leni excitato, a putridis effluviis nauſea et aliis ſymptomatibus correpta, intra quatriduum periit. Nec minus depravant aerem officinae plures male olentes, inde ex urbe abigendi Iudaei, Coriarii, Pelliones, Fullones, Saponarii etc. porro ellychnia candelarum ex ſebo confectarum. Profert tandem fodinas aerem inquinantes, huc non pertinentes, quippe longe ab urbe remotas. Hae qualitates aeri Varſavienſi non ſunt propriae, nativus enim frigidus eſt, partim ob planitiem, partim ob montes Tatros et Carpathios, acceſſum Auſtri haud permittentes. Iam ad conſiderationem frigoris, eius effectuum, et remediorum contra aerem frigidum, accedit. Frigoris definitio latet, effectus edit inſignes, corpori noſtro frigus praeternaturale, ſiccum roborat idem, et ſaepe a corpore vincitur; multum autem ad frigus ferendum facit connata firmitas, et conſuetudo. Contra acrius non omnibus; contra intenſiſſimum nemi-

nemini ſeſe tueri licet. Gradus frigoris tolerabilis determinatur a cuiuslibet individui diſpoſitione; ſalubris videtur, qui calorem praeternaturalem ad naturalem reducit. Ob molliorem nervorum habitum caveat ſibi Rex a frigore paulo acriori. A frigore multi oriuntur morbi, potiſſimum rheumatismus, arthritis, podagra, qui potiſſimum inducuntur ab equitatione in frigore. Contra frigus praeſidia ſunt plurima. Potus paululum ſpirituoſi, quo excitentur vires; motus muſcularis, cavendum enim aeque a quiete, quam a motu rapidiſſimo, et a nimia vectione in trahis; veſtes, potiſſimum pelles. Bene vero tegantur pedes, pectus admota manu ori, et caput. Transgreditur A. ad balnea frigida, quae roborare dicuntur: ipſe hoc putat ad tempus fieri tantum, conſtringendo fibras, cum tamen cutaneae tantum ſtringantur, cordi nimiae fiant reſiſtentiae, et a copia humorum interiora diſtendantur, igitur caute adhibenda, potius loco eorum alimenta et medicamenta exhibenda eſſe. Nec minus tuetur contra frigus caminus, quod et vetulae ſciunt, ſit tamen calor moderatus, et caveatur a fumo carbonum; adhibendus eſt et potus calidus. Sed non tantum frigidus, verum et humidus eſt aer Varſavienſis, magis noxius, hinc aer veſpertinus et nocturnus vitandus; quo vero a noxis caveatur, eligatur conclave altum, ſpargatur in pavimento arena bene ſicca, cum ſale decrepitato mixta, et pulvis ſiccus vegetabilium, inſtituantur ſuffitus, et ignis in camino accendatur ex ligno reſinoſo. Aeſtate aer Varſavienſis, nullo flante vento, intenſe calidus eſt. Calor ab igne elementari in corpus humanum ab attritu oritur, qui pro diverſis ſubiectis diverſe tolerari poteſt. Calor humanus ad 96. gradus, athmoſphaericus Varſavienſis ſummus ad 93.

gradus

gradus aſſurgit. Nocet nimis calidus aer, potiſſimum magis calentibus, idem vero mitigatur, ſi eligatur conclave ſeptentrionale, altum, apertum, multis hominibus non repletum, in cuius pavimento ſpargantur folia, vel aqua fontana, cum aceto aut ſale remixta, in eoque ſerventur flores grate exhalantes, applicentur quoque aeolipilae, conducunt et veſtes albae. Nocet tamen magis aer calidus et humidus; quem vero vel evitare fuga, vel corrigere oportet igne, vento, exploſione tormentorum, fumis et vaporibus acidis, vel praecavendum noxiis ipſius effectibus, ientaculo aſſumto, exſpuitione ſalivae, temperantia victus, potu tenui acidulo, et tranquillitate animi. Noxiae pariter ſunt viciſſitudines aeris, nempe eius mutatio ex calido in frigidum, et ſic ex frigido in calidum, quippe inde rheumatiſmi, quin et ſubitanea mors; corpora itaque diſponantur eo, ut has mutationes ferre poſſint. Praeter haec omnia, Varſavia, ut tota Polonia, ventis admodum eſt expoſita; hi quidem aerem renovant, et placidi proſunt, impetuoſi refrigerando, ut et boreas, nec non qui noxia effluvia afferunt, nocent. Vere et autumno ea valent, quae de aeris viciſſitudinibus, aeſtate et hyeme, quae de calido et frigido dici poſſunt. Horum effectus ex Hippocrate Cl. Auctor allegat. Solſtitia et aequinoctia plures morbos producunt. Diaetam vero, pro diverſis anni temporibus, ex Hippocratis libello de ſtructura hominis, Cl. Auctor repetit, votum religioſum pro Regis ſalute addit, et totum Opus epilogo brevi finit.

ANNI RUSTICI, IANUARIUS. AUCTORE GERARDO HEERKENS.

Groeningae, MDCCLXVII.

Conſilium cepit *Heerkenius*, V. Cl. duodecim anni menſes, Poemate latino, quod operas colonorum cuiusque menſis exprimat, proponendi. Dici nequit; quantopere iſtud nobis conſilium placeat: eſt enim in hoc Viro tanta latini carminis facilitas, elegantia, et ille romanae antiquitatis ſenſus, ut perfecti quid, atque abſoluti, expectare liceat. Cum igitur iam inciderit in manus noſtras *Ianuarius*, latiniſſime ſcriptus, cuius neque Virgilium pudeat, non poſſumus impetrare a nobis, quin carmen hic integrum demus, credamusque, inituros nos ea re gratiam apud Lectores noſtros. Ita vero habet:

Ianus adeſt, riget acris hiems; noſtrasque per oras,
  Frigidior nullis menſibus annus erit.
Diffugere noti, tenuataque flatibus aura
  Non niſi cum glacie lumina Solis habet.
Marmoris inſtar humus, quaecunque obnoxia coelo,
  Quaeque vitris tegitur, nec calet igne, riget.
Scilicet in vitrea quibus hortulus aede per artem
  Aeſtuat, aeſtatis commoda praebet hiems.
Sed quia divitibus liceant ea commoda ſolis,
  Pluribus et facili quod licet arte, canam.

Venatus

Venatus leporum, perdicum funera ceſſant;
  Ianus et his pacem lege favente dedit.
Quaeque peregrinae veniunt unde unde volucres,
  Ruſticula et turdi, iam procul eſſe ſolent.
Chortis aves igitur, gallinas, ruſtice, cura.
  Ova parent, toſtis elicienda cibis.
Piſa iuvant toſtaeque fabae; ſed matribus eſcam
  Divide; quas iuvenes altera cernit hiems.
Eſt, ubi gallinis vix tertius incipit annus,
  Sed ſenior pullos optima mater alit.
Chortis aves, villae lucrum et ſolatia magna,
  Sint modo, quae metuant pullus et ova, procul.
Ningat et horriſonis aquilonibus inſonet imber,
  Altaque ſub liquida terra ſit uda nive;
Nec vultum nec ferre foris veſtigia poſſis;
  Area bis centum tunc tua monſtret aves.
Indicus uxorem gallus circumſtrepet alis,
  Quasque habet in plumis, Pavo levabit opes.
Anſer, et hoſpes aquae frigentia ſtagna peroſus
  Ut recreet, tectum cum grege quaeret Anas.
Omnibus, unde iuvent, ſua laus, ſua gratia detur;
  Sed gallina frequens eſt mihi chortis honor.

Aſpice paſcentes, aut corpora paſta ſcabentes,
Aſpice, quas pugnas dant amor atque fames!
Quodlibet intereà potes exercere diurnum,
Non omnes oculos, quod ſibi poſcit, opus.
Forte domi faber eſt; ſimul aſpiciatur, et arma
Quae repares horto ruricolisque tuis.
Servus et ante oculos tibi tergora pectat equorum,
Qui modo plus alio tempore pecten amant.
Sylva die claro te poſcit, inutile lignum
Diſplicet immodica quod Tibi fronde cadat:
Et cadat, apta fabro quaecunque requiritur arbor,
Sectilis in plancas, ſeu dabit alta trabes.
Hoc age, ſeu currant, ſeu frigore flumina conſtent;
Si conſtant, alia dote placebit hiems.
Ferrea per glaciem volet adita calcibus ala,
Sumptibus et nullis grande capeſſis iter.
Non aeſtiva dies ciſiis te transferet ullis,
Qua pede luce brevi nec pede feſtus eas.
Saepe puella, tuum faciens iter, ore placebit,
Porrige de tergo, quam premet illa, manum.
Baſiolumque iuvet, tibi quod deducta rependet,
Triſtis hiems multis eſt recreanda modis.

Tem-

Tempus et hoc glaciem ſpecubus committit opertis,
Quasque bibet ſicco Iulius ore, nives.
Sed nihil hic gelido poſitis in climate prodeſt
Luxus in Auſonio forte ferendus agro.
Si labor et nimios ſtomacho dat Sirius ignes,
Plurima carnivoram temperet herba gulam.
His dapibus laetus Calabros bene Friſius aeſtus
Vimque tuli curſus ſulphureique ſoli.
Quem tamen aeſtivis hiemem decet addere menſis,
Nunc nive, nunc glacie ſi locupletet, opus.
Sed cave, ne faciens tibi dona ſuperflua frigus,
Plura brevi ſpatio damnaque vera ferat.
Perſicus, et muris quaecunque cohaereat arbor,
Non bene ſtramineo tegmine, nocte carent.
Claude etiam vites, et quidquid in aede vel hortis
A nimio tactum frigore funus habet.
Si ficus et muris non addita, morus in agro,
Truncus veſte, fimo iuncta caleſcat humus.
Rara tamen gelidos noſtris regionibus annos
Sic fata de multis forſitan una feret.
Ut quaedam ſervare velis, ut plurima: plura,
Quae nimium creſcunt, perdere iure velis.

Nam rubus et cultis ubi dumus inambulat agris,
  Ferrum eat et ſervus, ſtirps modo caeſa perit.
O ſi formicas ſic perdere, perdere poſſes
  Rure tuo talpas ſi prope regna tenent!
Magnaque perdatur, vicino maior ab horto
  Turba redit: mediae traiiciuntur aquae.
Teutonas innumeros Latium tumularat et Hunnos;
  Turba recens toties dum redit, hauſit opes.
Sed tamen haud animum deſpondet, et omnibus annis
  Villicus inſidias et nova bella parat.
Qua iacet Armoricae confinis Neuſtria terrae,
  Et rigat immenſos Olina parvus agros;
Plurima gens alitur, talpis ſtudioſa necandis:
  Quo minus everſas fleret arator opes.
Cum ſit hiems, rigeatque ſolum, nihil officis illis.
  Et tua quo fallas otia, praebet hiems.
Piſcibus in glacie captandis adiice curam,
  Praedaque piſcinas impleat illa tuas.
Qua lacus aut fluvius toto riget aequore clauſus,
  Scinditur aſtrictis grande foramen aquis.
Aëra piſcis amat, magnaque cupidine captat,
  Retiaque agminibus, qua patet unda, ſubit,

Nocte

Nocte tamen quam luce magis, piſcator ad ignem
  Dum ſedet, et poſita lampade tingit aquas.
Sed cave, ne ſimili privum vacuetur ab arte
  Stagnum, praecipue ſi ſit in igne domus.
Margine fixus aquae piſcinam muniat hamus,
  Utque pedes caveant, picta tabella monet.
Si brevis exiguis piſcina gelabitur undis,
  Longaque piſciculos aëre privat hiems,
Fac ut hiet glacies; aut commorientur ad unum,
  Et ſine piſce macri prandia veris erunt.
Nunc etiam curabis apes, et frigore magno,
  Ne penetret ventus cerea texta cave,
Deque columbinis ſit cura penatibus: omnem
  Cottidie per agrum nunc videare, iuvat.
Nolo, pigro male tradat hiems tua corpora ſomno,
  Inque toro iaceas ſemper ut ante focum.
Exhilarant animum labor atque exercita curſu
  Corpora, quae pariter frigore ſtricta vigent.
Nec coelum, nec terra madens, nec ſylva pruinis,
  Nec nive candentes res mihi triſtis agri.
Sed cui pigra fugit, cum grandine cumque procellis,
  Cum nive, cum glacie, tota videtur hiems.

Quippe,

Quippe, ſimul miſeros vitiavit inertia ſenſus,
Advenit ingratis omnis imago genis.
Vana dapes faciunt, et gaudia vana ſodales,
Vana paſtum vegetis ſenſibus addit amor.
Fer igitur ventum atque nives, fer rure laborem,
Et facile et tota mente beatus eris.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iunii Anno MDCCLXVIII.

REFLEXIONEN EINES ITALIAENERS UEBER die Kirche überhaupt, über die regulare und saeculare Geiſtlichkeit, über die Biſchöfe und Römiſchen Päbſte, und über die kirchlichen Rechtſamen der Fürſten. Aus dem Italiäniſchen überſezt.

id eſt:

ANIMADVERSIONES ITALI CUIUSDAM SUper Eccleſia in univerſum, ſuper Clericis regularibus et ſaecularibus, ſuper Epiſcopis et Pontificibus Romanis, et ſuper iuribus Principum eccleſiaſticis.

Friburgi Brisgoviae, 1768. Alphab. 2. plagg. 9. in 8.

Egregium indicamus librum, dignum quem omnes, qui veritatis indagandae amore ducuntur, diligentiſſime cognoſcant. In ipſa enim Italia, vir laudabili veritatis ſtudio inflammatus, multa, quae per monachorum et clericorum artes moresque deperditos in eccleſia pontificia rebus publicis oriuntur damna, demonſtrare annifus eſt. Et quum inſignis hic liber, in Italia, metus enim erat a iudicio Pontificis, edi non poſſet, miſſus fuit Tigurum, ubi Germanice verteretur.

Tribus omnino abſolvitur partibus. Prima pars narrationes quasdam de regno Cumbae continet, quarum conſilium eſt hoc, ut detrimenta a pontificiis, ut vocant, Miſſionariis, huic regno illata, oſtendantur. In altera parte eruditae ſuper his narrationibus continentur animadverſiones, quibus ex iis, quae priori parte dicta fuere, aliis etiam regionibus per monachos eandem perniciem imminere, colligitur. Tertiae denique parti inſunt ea, quibus totius libri titulus conſtituitur.

Cumba, de qua in prima parte agi diximus, ad eas pertinet regiones, quae imperium Chinae et Braſiliam Luſitanorum interiacent. Cives Cumbae ante hos centum et quinquaginta annos iis virtutibus praediti erant, quibus populorum ſalus haud dubie ſemper firmatur. Erant enim modeſtiae, labori, temperantiae, iuſtitiae, fortitudini, aliisque virtutibus quam maxime dediti. Sed magna morum talium ſequebatur commutatio, poſtquam Miſſionarii id regnum ingreſſi erant. Hi quidem principio colenda muſica, aſtronomia, arte pingendi et ſtatuaria, medicina, *aliisque* eiuſmodi bonis artibus, fingendis vero etiam miraculis, ita ſibi conciliarant omnium animos, ut elapſo brevi temporis ſpatio, omnes fere cives religioni ab iſtis traditae nomen ſuum darent. Sed aperiendis ſcholis, inſtituendisque ſocietatibus, in quas nonniſi magnis ingenii dotibus, largisque divitiis inſtructi reciperentur, cives a conſuetis laboribus detenti, paupertatis incommoda perſentiſcebant. Exſtruendis etiam ſplendidisſimis templis, quae certorum ſanctorum nomine inſignirentur, auram popularem captare ſtudebant iſti religionis pontificiae praecones. Iam de amore populi confirmati, eorum religionis ſuae capitum, quae huc usque conſulto tacuerant, tradendorum, initium faciebant.

Hae vero doctrinae in Cumbanorum animis efficiebant hoc, ut civium quidam divitias ſuas monachorum manibus traderent, alii coniugium deteſtarentur, alii agros ſuos incultos eſſe paterentur, alii aliter ſalutem publicam imminue-

rent. En triſtia doctrinae a miſſionariis propoſitae effecta! Quum porro illi novas leges condendi neceſſitatem demonſtraſſent, eligebant e ſocietate Ieſu decemviros, qui conſilio huic ſatisfacerent. Novis vero legibus a rege receptis, librum quendam adiungi volebant, legibus canonicis repletum. In quo quum rex eorum precibus locum concedere nollet, monachi vehementer commoti, auctores erant civibus, regis vel deiiciendi, vel interficiendi. Nec mora. Rex interficitur. Quam fortunam ut effugeret eius filius, canonicarum legum liber ab eo recipiendus, atroxque inquiſitionis tribunal inſtituendum erat. Neque etiam huius regnum per eos fuit diuturnum. Eo enim malitiae progrediebantur, ut hoſtia veneno infecta eum interimerent. Huius autem filio, quum fidi cuiusdam aulae ſuae purpurati ſuaſu, iſtos e republica vellet eiicere, eadem parabatur pernicies. Quam ut effugeret, regnum reliquit, atque in Siciliam, cum quibusdam aliis, commigravit. Atque hic ipſe eſt, quem harum narrationum auctorem eſſe, ex fine earum apparet. Iſtae vero narrationes, quum in manus Itali noſtri veniſſent, hic, perpenſa omnium omnino monachorum conditione, eandem etiam aliis regionibus per monachos imminere perniciem, non ſine ratione intellexiſſe ſibi viſus eſt. Hinc animadverſiones altera libri parte exhibitae.

In hac vero parte, demonſtratis damnis, a monachorum ordinibus profectis, tantorum malorum remedia diligenter enumerantur. Principio iam inter gentiles fuiſſe quosdam oſtendit auctor, qui peculiarem vitam agerent, quod etiam de quibusdam inter Iudaeos dicere potuiſſet. Poſtea vero Evangelium, eosque qui illud primo et ſecundo Saeculo profitebantur, ordines monachales plane ignoraſſe, ex loco quodam Tertulliani luculenter probat. Saeculo demum tertio Paullus quidam, et poſt eum Antonius, in locis deſertis habitare coeperunt. Et quum horum veſtigia multi premerent, monaſteria fuiſſe exſtructa dicit. Sed iſta monaſteria, non eiusmodi, quae nos hodie hoc nomine appellamus, fuiſſe

aedificia, ſed domicilia tantum in quibus habitarent eremitae, cum Holſtenio crediderimus, qui in diſſertatione de originibus vitae monaſticae, coenobia ſerius, circa ſaeculi nimirum ſeptimi tempora, fuiſſe aedificata probat. Paullum et Antonium, Ammonius, Pachomius, Hilarion, monachiſmi in Palaeſtina auctor, multique alii ſequebantur. Athanaſium Romam aliquando profectum, multi comitabantur eremitae et monachi, unde ingens mox oriebatur et in occidente eorum numerus. E legibus Imperatorum, nunc pro monachis, nunc contra eos conſtitutis, apparet, iſtos eo tempore poteſtati civili adhuc fuiſſe ſubiectos. Ex ordine dein ſ. Benedicti, ſaeculo ſexto inſtituto, multi alii orti ſunt monachales ordines. — Iam vero circa tempora mediae aetatis peſſima facta eſt monachorum conditio, quum defraudanda plebe ingentes undique corraderent divitias, luxuriaeque et multis aliis ſceleribus fores panderent. Quibus malis ut medela afferretur, conſtituti ſunt mendicantium ordines, his vero mala iſta non imminuta, immo aucta fuere. Dominicus enim et Franciſcus, praecipui mendicantium ordinum auctores, amplificando peſſimis artibus pontificis Romani dominio, ingentia orbi damna intulerunt. Omnino autem miſeranda horum ordinum facies, tam vividis coloribus ab auctore paſſim depingitur, ut de iis ſine indignatione legi non poſſit. Ac quum Ieſuitae reliquos calliditate ſuperarent, factum etiam eſt, ut ditisſimi omnium fierent.

Quantae vero ex omnibus omnino monachorum ordinibus oriantur noxae, quanta reipublicae ex iis incommoda naſcantur, luculentisſimis argumentis ab auctore oſtenditur. Primo enim in inſtituendis pueris pernicioſi ſunt. Docetur quidem ab iis latina lingua, ſed multorum barbariſmorum ſordibus inquinata; docetur hiſtoria cum civilis, tum eccleſiaſtica, at fabulis depravata; docetur eloquentia, ſed vero elegantiae ſenſui noxia; docetur philoſophia, ſed rixis atque futilibus quaeſtionibus mixta. Impediunt porro monachi legitima matrimonia, quorum quanta in reipublicae ſalute

promo-

promovenda vis ſit, oſtenditur. Corradendis etiam divitiis noxii ſunt, quod et civibus facultates eripiuntur, et vectigal, adeoque aerarium principis, imminuitur. Iam, monachi aut principem, aut cives, infenſo animo proſequuntur. Aut enim auctoritate principum ad evertenda civium iura, aut concitatis civium animis ad deprimendam principis poteſtatem, abutuntur. Neque id de iis tantum, qui ſunt e ſocietate Ieſu, ſed et de aliis ordinibus dici poſſe, perſpicuis exemplis declaratur.

Inprimis autem acerrimo in eos odio ſaeviunt, qui non omnibus ab iis propoſitis aſſentiri, ſive poſſint, ſive velint. Immo etiam inter ipſos alii ſe ordines invicem graviſſime inſectantur. Accedit et hoc, quod plerumque traditionibus, fictis miraculis, inutilibusque quaeſtionibus religionem, et praecipue morum doctrinam, vehementer corrumpunt. Denique etiam eam ob cauſam vituperandi ſunt, quod privatorum domus tam ſaepe ingredientes, pernicioſas ſuas ſententias ſpargere ſtudent. Tantis autem noxis medela eſt adhibenda. Quare primum de mutando in melius Clero, qui ſaecularis vocatur, ſolliciti ſint Principes. Quo facto, de monachis paullatim e republica abigendis cogitent. At quum huic conſilio paullo difficilius ſatisfiat, emendandi ſaltem ſunt eorum ordines. Quod ita fiet, ut ipſe ordinum numerus minuatur; ut inſcio Principe nemo in monaſteria unquam recipiatur; ut parentibus eripiatur facultas liberos ſuos pro lubitu coenobiorum terminis cohibendi; ut monachis libertas ſcholas aperiendi, et munera eccleſiaſtica obeundi, dematur; ut a privatorum domibus arceantur; ut vectigal ab iis quoque exigatur, atque eiusmodi alia quaedam. Neque vero ſilentio a nobis praetereundum eſt, auctorem ſaepius commemoraſſe ea, quae ipſi ab adverſariis opponi queant, eaque diligenter refutaſſe.

Venimus ad tertiam libri partem, in qua recenſenda breviores eſſe poterimus, quum pleraque ab auctore hac parte tradita, ex optimis doctorum virorum cum noſtrae et

reformatae, tum pontificiae eccleſiae ſcriptis depromta ſint. Neque hoc nomine vituperamus auctorem, imo vehementer laudandum eſſe putamus, quum ſua, ut in veritate inquirenda eo felicius verſaretur, ex purioribus fontibus haurire voluerit. Conſtituta eccleſiae notione, copioſe oſtendit auctor, neminem eſſe vi poenisque cogendum, ut ſincerum ſe eccleſiae membrum praebeat. Progreditur poſt haec ad doctores eccleſiae, de quibus multa bene, hoc vero non ſatis accurate diſputaſſe nobis videtur, quod Epiſcopos ex inſtituto Apoſtolorum, adeoque primo iam poſt Chriſtum natum Saeculo, Presbyteris ſuperiores fuiſſe contendit. Provocat inter alia ad Concilium Tridentinum, cui tamen ipſum non multum tribuere ex iis colligimus, quae infra pag. 275. de iniuſtis huius Concilii inſtitutis, pravisque artibus tradit. Nihilo tamen minus in eo nobis placet auctor, quod indicatis optimis fontibus, e. g. Salmaſii et Blondelli libris, ſententiam ſuam lectori examinandam relinquit. — Excommunicationis faciem prioribus Saeculis longe aliam fuiſſe, quam quidem nunc eſt in eccleſia pontificia, recte contendit auctor — Quae de iuribus Principum eccleſiaſticis diſſeruntur, magna animi laetitia a nobis lecta ſunt.

Non minus lectu digna ſunt, quae de Conciliis dicuntur: in eo tamen eccleſiae ſuae placita ſecutus nobis videtur, quod Concilium Nicaenum ſecundum ab Irene, et Conſtantinopolitanum a Baſilio Macedone convocatum, pro generalibus habet, utrumque enim ab orientalibus repudiatum fuit. — De *immunitatibus* clericorum in eccleſia pontificia fuſe diſſeritur, accurateque confutantur argumenta a Pontificiae eccleſiae doctoribus, pro defendendo harum immunitatum iure divino, prolata. De canonibus decretisque a Dionyſio Exiguo, Pſeudo Iſidoro, Rheginone, Burcardo, Ivone, et Gratiano collectis, iure affirmatur, iis Pontificis Rom. dominium auctum fuiſſe.

Poſteaquam auctor de metropolitanis et patriarchis egit, de origine et incrementis auctoritatis pontificiae diſpu-

tationem

rationem inſtituit. In tanta vero, quae ei affulſit, veritatis luce, mirati paullulum fuimus, quum eum Pontificis Rom. originem a Petro repetere videremus. Iſtam enim ſententiam iamdudum a viris doctis, e. g. a Blondello (quem auctor ſaepius laudat,) fuiſſe exploſam, cum inter omnes veritatis ſtudioſos conſtet, nec ipſum fugiſſe credere poſſumus. Ceterum de artibus, quibus Pontifices ad tantum paullatim dignitatis faſtigium pervenerint, diligentiſſime nobis dixiſſe videtur. — Quae de famoſa illa Pſeudo Iſidori collectione dicuntur, verisſima eſſe putamus. Nolimus tamen cum auctore credere, hanc collectionem a Riculfo ex Hiſpania fuiſſe arceſſitam, iis nixi argumentis, quibus *Blondellus* in Pſeudoiſidoro, et fratres Ballerinii Tomo tertio operum Leonis M. demonſtrarunt, fraudatorem iſtum Germano-Francum fuiſſe. — Variae clericorum in coacervandis divitiis artificia, bene ab auctore enumerantur. — De Salviano, ac praecipue de libris adverſus avaritiam clericorum, ea pronunciat auctor, quae plerumque non animadvertuntur. Nam hi libri toti pertinent ad artes monachales in divitiis eccleſiaſticis augendis, quod plerique, titulo fortaſſe decepti, ignorant. At quod Salvianum, qui alias propter libros de gubernatione Dei vehementer commendandus ſit, a diabolo obſeſſum vocat, id irae eius fervori condonabimus. Denique de modo, quo civili poteſtati ſe ſubtraxerint clerici, ita agit, ut illum etiam hac de cauſſa laude ſua non defraudandum putemus.

Sic paucis adumbravimus libri iucundiſſimi, utiliſſimique, argumentum. Vehementer vero optamus, ut multi ſint in eccleſia pontificia, qui hunc libellum diligenter cognoſcant, eiusque lectione errorum vinculis liberari ſe patiantur. Neque etiam ex noſtris legiſſe hunc librum quemquam poenitebit, quod argumenti a nobis enarrati praeſtantia atque utilitas ſpondere videtur.

VETE-

**VETERUM TESTIMONIA DE DIDYMO ALE-
*xandrino Coeco, ex quibus tres Libri de Trinitate nu-
per detecti eidem aſſeruntur.* FERDINANDUS
MINGARELLUS, *S. Th. L. Camald. et S. Ind.
Congr. Conſ. collegit, atque animadverſiones
adiecit.***

Romae 1764. 16 plagg. Quaternis.

Lectio Patrum, priorum maxime Saeculorum, quantum lucis afferat cognoſcendae doctrinae veteris eccleſiae orthodoxae, ceremoniis, ritibusque, et refutandis eorum temporum haereſibus, non eſt quod pluribus hic referamus. Laudanda tamen virorum doctorum opera in eruendis patrum ſcriptis vel adhuc ineditis, vel pluribus ignotis. Id quod et edendis cum Verſ. Latina III. libris de Trinitate, qui Didymo Alexandrino doctori ab Euſeb. H. E. VI. et Sozom. IV. 25. V. Cl. *Ioh. Aloyſius Mingarelli*, frater auctoris noſtri doctiſſimi, laudabiliter praeſtandum reip. litterariae promiſit. Ille enim, quum ante annos aliquot in MS. Graeco Patris cuiusdam incerti III. libros de Trinitate detexiſſet, de eorum origine et auctoritate Tractatum iamiam ſermone Italico, et ſeparatim, et To. XI. Calogerae Nuova racolta d'Opuſcoli editum, compoſuit. Quare Doctiſſ. noſter *Ferdinandus Mingarellus*, fratris veſtigia ſecutus, authentiam illorum librorum III. de Trinitate, ex plerorumque opinione deperditorum, quos celebris ille Didymus Alex. auctore Socrate loc. cit. circa finem Saeculi IV. ſcripſit, hoc opuſculo contendit aſſerere. Ut autem Didymum lectoribus quibusdam redderet notiorem, collegit p. 5-28. loca veterum de Didymo, inde a Ruſino ad fragmentum usque MS. Barocciani, a Dodvello Diſſert. in Irenaeum additum, quod ille ad excerpta veterum a Nicephoro Calliſti collecta referebat.

Tracta-

Tractatio ipſa copiam animadverſionum et illuſtrationum complectitur; in quarum prima Vir Doctiſſ. multis momentis docet, hunc Didymum Coecum Alexandriae monachum fuiſſe: quam rem recentiores obiter tantum tetigerunt, nec ſatis evidenter probarunt. Ex veteribus ſolus Theodoretus H. E. IV. 29. ipſum Aſcetis adſerit; contra quem tamen multa adhuc dici poſſunt. Argumentum igitur palmarium Auct. doctiſſ. ex Niceph. Call. H. E. L. XI. c. 41. depromit, ubi Didymus Alex. utrumque philoſophiae genus, τὴν κατ' ἄμφω φιλοσοφίαν, calluiſſe dicitur. Qua forma loquendi et doctrinam et vitam aſceticam exprimi, haud difficile ii intelligent, quibus conſtat, monachos philoſophos ecclesiae, et monachatum vitam et diſciplinam philoſophicam, apud veteres vocari. Praeterea idem teſtimonio veterum probat, é quibus Sozomenus maxime hac loquendi formula utitur, v. c. H. E. I. 12. 13. 14. III. 14. et de Didymo, VI. 1. In Palladii autem Hiſt. Lauſ. c. 3. Didymus adeo ipſe de cubiculo ſuo loquitur, ἐν τούτῳ τῷ κελλίῳ. Denique infra p. 77. 78. e Victor. Tunnun. Chron. (Caniſ. Baſnag. T. I. p. 333.) teſtimonium affert, Didymum Alex. monachum fuiſſe.

Animadv. II. Vir doctiſſ. examinat primum tempus, quo Didymus doctor ſcholae Alexandrinae factus fuerit? Nimirum, admodum probabiliter demonſtrat, illum ao. 335. ab Athanaſio praefectum fuiſſe. Allegat deinde celebriores quosdam ex eius diſcipulis, Ambroſium Alex. Rufinum, et Hieronymum; neque locum illum omittit, quo Rufinus Hieronymum reprehendit, quod non erubeſcat ſe diſcipulum Didymi appellare, cuius tamen lectionibus per 30. dies non interfuiſſet: ubi tamen ſe Hieronymi defenſorem gerit.

Animadv. III. tractat quaeſtionem, quamdiu Didymus vixerit? Cuius diem ſupremum anno 395. tribuit, refutans ſimul Tillemontium, qui annum emortualem 399. poſuit. Etiamſi vero contra ipſius ſententiam multa adhuc

Ii dubia

dubia poſſent proferri, quippe quod in loco quodam Hieronymi huc pertinente, lib. de Vir. Illuſtr. MS. Veronenſe aliaque a vulgari lectione diſcedunt; eiusmodi tamen animadverſiones dubiae ſua ceteroquin gaudent utilitate. Evidenter etiam contra Tillemontium A. demonſtrat, verba Palladii ἐπὶ δέκα ἔτη haud neceſſario per decem annos continuos, ſed *intra decem annos, interiectis intervallis quibusdam*, verti debere.

Animadv. IV. operam dat demonſtrare, Didymi libros III. de Trinitate, ex aliorum opinione deperditos, eosdem eſſe, quos frater ipſius ab umbris revocaſſet. Qua in re illi frater iamiam in tractatu ſupra laudato argumentis quibusdam proluſerat, v. c. Auctorem MS. anonymum mortuo Baſilio demum vixiſſe; nullius haereſeos Seculi V. aut VI. ab eodem mentionem fieri, ſed contra Macedonianos inprimis diſputari; et ex Nilo, cuius fiat mentio, cognoſci poſſe, eundem iis in tractibus degiſſe: quae momenta omnia Didymi ad perſonam egregie quadrant. Ad eum prae reliquis Macedonianum, contra quem anonymus ille diſputat, quod attinet, Vir doctiſſ. vel Lucium Alexandr. vel Eunomium Cizicenum, intelligi autumat. Ille quidem Arianus; eius tamen ſecta, uti et Eunomiani maxime, erroribus ſimul Macedonianis erant imbuti: hic autem, cui teſte Hieronymo de V. Illuſtr. Didymus reſponderat, itidem Macedonii errores literis defenderat. Vir Doctiſſ. denique verifimillimum eſſe exiſtimat, Didymum libros II. contra Arianos Eunomio, et III. de Trinitate Lucio, oppoſuiſſe.

Huic charakteri, ex quo frater eius auctorem libri anonymum vult agnoſci, ipſe plures addit, inter quos primum ſtilum ſeu ſcripturae genus refert. Hoc enim maxime convenit Didymo, de quo Hieronymus: *imperitus*, ait, *ſermone eſt, ſed non ſcientia.* Frater autem auctoris in Tract. ſupra laudato 83. vocabula ex opuſculo detecto collegit, quae vel linguam graecam medii aevi ſapiunt, vel prodigioſa quadam gaudent ſignificatione: quaedam praeterea loca confuſa obſcuran-

ſcurantur conſtructione. Didymus ipſe ſub finem libri de Sp. S. menda ſcripturae ſuae profitetur, et Baſnagius in Lectt. Caniſii T. I. p. 197. ſſ. eundem de Commentario ſuo in Epp. Canonicas verborum nundinatorem appellat, quippe qui ex ſingulis verbis res arcanas vellet eruere. Eiusmodi etiam methodum in libro anonymi huius reperitur, qui verbis, *Spiritus Dei erat motitans in ſuperficie aquarum*, interpretationem fere Cabaliſticam protulit.

Accedunt ad haec, veſtigia Origenianiſmi in hoc opuſculo latentia, in uno ſaltem alterove loco, cuius fundamentum Origenis ſententia de angelis malis eſſe videtur; itemque in altero, quo eiusdem doctrina de coniungenda gratia divina cum libero hominis arbitrio proponitur. Omnibus autem conſtat, qualis in ſectando Origene Didymus fuerit; quanquam eiusmodi opiniones in ſcriptis eius adhuc editis non tantopere animadvertuntur. Scriptor quidem ille nuper detectus, inferno ἀεδίαν φλόγα tribuit; Auctor vero doctiſſ. Origenem ipſum non omnem prorſus poenarum infernalium aeternitatem negaſſe, reſpondet, uti ex ipſius etiam libris περὶ ἀρχῶν oſtendit; Didymum vero ea in re eiusdem ſaltem doctrinam limitibus circumſcripſiſſe.

Verum enim vero primarium argumentum, ex quo opuſculi de Trinitate Didymus agnoſcatur auctor, Vir doctiſſ. deducit ex collatione eiusdem cum Didymi libro de Sp. S. [Hieron. Opp. To. VI.] et cum Interpretationibus Biblicis, in Bibl. PP. T. IV. et in Corderii Catena in Iohannem. E quibus p. 65-74. copiam locorum profert, quibus alia ex opuſculo anonymi ex adverſo opponit, quae utraque in doctrina orthodoxa de Sp. S. de proceſſione eiusdem a Filio, de baptiſmo in nomine P. et F. et Sp. S. etc. optime conſentiunt. De proceſſione Sp. S. uterque auctorum, ut Vir doctiſſ. animadvertit, non directe loquitur, ſed ea tantummodo doctrina uſi ſunt, ut divinitatem et conſubſtantialitatem Sp. S. cum Filio doceant. Ex Didymi ſententia Filius a Sp. S. miſſus eſt, tempore nimirum incarnationis.

 Prae-

Praeterea quoque notatu dignum, anonymum p. 72. verbo ἀσυγχύτως de Christo uſum eſſe, quae tamen vox in refutanda demum haereſi Eutychiana fuit adhibita. Ea vero in ſe ſpectata non eſſent ſufficientia, quo minus ipſi tempora recentiora tribuerentur; ſiquidem ſcriptor ille hac voce longe alio ſenſu uſus videtur, Chriſtum nobis ſimilem factum fuiſſe, inquiens, ἀσυγχύτως καὶ δίχα [illegible]. Praeterea etiam Vir Doctiſſ. animadvertit, a Didymo, eadem ratione, qua ab anonymo illo, librum Sapientiae et hiſtoriam Suſannae canonica donari auctoritate; cui utrique etiam conſuetudo eſt, ſcripturam ſacram ſenſu magis, quam literis allegare. Didymi etiam librum de Trinitate pro eodem Volumine Sectarum, cuius in libro de Sp. S. mentio fit, valde haberi, quoniam omnes in illo ante Macedonianam haereſes co-tas memorat.

Reſpondet deinde obiectioni ex obſervatione fratris orta, qua anonymus ille prolem ſuſcepiſſe dicitur, qui tamen Didymus monachus fuerit. Nimirum contendit, non eſſe quod in locis prioris illius filii revera ſint intelligendi, ſed quos ipſe eduxerit diſcipulos, aut monachorum, quos docuerit, contubernium. Neque tamen plane perſuaſum dici poteſt, an huiusmodi generis loca p. 79. v. c. [illegible], itemque τῶν ἐξ ἐμοῦ, καὶ τῶν ἀπ' αὐτῶν ὄντων τε καὶ ἐσομένων, hunc in modum ſint explicanda. Praeterea Vir Doctiſſ. p. 82. etiam concedit, Didymum, antequam veſtem monachalem induerit, maritatum fortaſſis fuiſſe.

Multa etiam quum extent a Damaſceno in Parallelis ſacris fragmenta Didymi Alex. collecta, inter quae alia ex dicto opuſculo eſſe videntur, eadem omnia omnino Vir Doct. p. 83-94. libello ſuo inſeruit. Ut vero hoc MS. in bibliothecis viris doctis reddat obſervatu digniſſimum, animadvertit, idem tribus conſtare libris, communicante ſimul initium finem-

finemque ſuis lectoribus, praeterquam primi, in cuius initio lacuna.

Animadv. V. reliqua Didymi Alex. ſcripta partim edita, partim inedita adhuc, perluſtrat. Excerpſit nimirum p. 68-162. animadverſiones quasdam, quas in Catena Graeca in Pſalmos 104. quae in *Ioh. Nani*, Abbatis et Patricii apud Venetos, manibus eſt, ſe reperiſſe fatetur; quarum plures aut apud Corderium non extare, aut ab iis, quas recenſuit, diverſas eſſe, animadvertit. Quae Collectio tota, ſedulae diligentiae documentum, inſignem prae ſe fert utilitatem. Sub finem opuſculi reſpondet adhuc in Additamento 10. foliorum, anonymo cuidam Romanenſi, qui in *Gazette Litteraire de l' Europe* 1764. operam dederat aſſerendo, librum illum laudatum non agnoſcere Didymum auctorem. Summum, quo ille nititur, argumentum, in eo poſuit, quod occurrerent in eo dictiones, quae aetati magis Petri Lombardi, quam Didymi Alex. conveniant, quibus v. c. Deus dicatur ἀμεγέθης καὶ ἀνείδεος, quibus vox ἀνεθελγεία adhibeatur, etc. Ad quae Vir Doctiſſ. admodum eleganter reſpondet, allegans ex Theologis fere coaetaneis phraſes vel easdem, vel paene ſimiles. Sic cum ἀνεθελγεία comparat Cyrilli Alex, ἀνεθέλγειν et ἀκουσιοβουλίαν, itemque Tertulliani *nolentiam* et *involuntatem*. Praeterea notat, MS. anonymi, quod Didymo tribuit, 200. ſaltem annos Lombardo prius a viris doctis agnitum eſſe. Ex eodem etiam, ſub finem, copiam vocum dictionumque inſolitarum, quibus frater ipſius aliorum virorum ſuffragia expetiit, in lucem profert, iisque illuſtrationem addere molitur: v. c. ubi Deus vocatur ἀκινητός, id quod ex Theologia Platonica deducit, ex qua τὸ αὐτοκινοῦν occurrit etiam apud Cic. Tuſc. I. itemque ubi anonymus ille ἱυκτηρίοις et μαρτυρίοις iungit verba: ὡς ἐν ἄλλοις ἱερωσύνοις, quibus Vir Doctiſſ. intelligit Κιβώρια, tabernacula rotunda (canopea) columnis ſuffulta. Hinc vero Auctor ad refutandum, ut ait, haereticos, qui multos Eccleſiae Rom. ritus ficiant

ciant recentiores, miras derivationes graecarum latinarumque vocum ex hebraicis in medium profert: ſic v. c. Κιβώριον ex hebr. קבר ſepulcrum, et voc. Miſſae ex hebr. מסה *oblatio*, derivare ſtudet; in cuius explicatione Hieronymum iamiam inanem egit interpretem.

Ipſa denique eiusdem Tractatio latam doctrinam, artisque criticae peritiam haud immaturam, prodit: quum etiam fratri editoris partes ſurripere nollet, eius tantummodo excerptis ex dicto MS. uſus eſt, quippe alioquin, ſi totum opuſculum perluſtraſſet, opinionem ſuam ſine dubio firmioribus probaſſet argumentis, niſi ex eodem quoque obiectiones adhuc potuerint afferri. Quare optandum eſt, ut totum opuſculum proxime in lucem prodeat.

MICHAELIS CONRADI CURTII, PROF. HIST. et Eloquent. in Academ. Marburg. Commentarii de Senatu Romano poſt tempora reipublicae liberae. Praefatus eſt CHRISTIANUS ADOLPHUS KLOTZIUS.

Halae, ſumtibus et typis Io. Iac. Curt, MDCCLXVIII.
2 Alph. in 8.

Multa ſunt, quae hunc librum vehementer commendent: auctoris, alio iam tempore apud viros doctos famam conſecuti, nomen: Klotzii, in omni litterarum genere verſatiſſimi, praefatio: argumenti denique, a nemine, eo, quo a Cl. Curtio factum fuit, ordine pertractati, dignitas atque amplitudo. Priusquam vero ipſam inſignis huius libri recenſionem aggrediamur, quae in eo praecipue laudanda ſint, indicabimus. Atque id non accuratius a nobis fieri poſſe putamus, quam commemorandis Klotzii eam in rem verbis. Quis enim ſuaviſſimum elegantiſſimumque Klotzii

ſermo-

ſermonem non lubenter audiat? „Magnae, inquit vir acutiſ„ſimus in praefatione, gratiae habendae ſunt eruditiſſimo „Curtio, qui ſe nulla moleſtiarum magnitudine, laborum „difficili copia nulla, quos ſuperavit feliciter, ab utiliſsimo „opere perficiendo deterreri paſſus eſt. Non exiguo pro„fecto ſtudio in unum quaſi locum congeſſit, quae huic ar„gumento illuſtrando inſervirent, quamplurima diligenter „excuſsit, varios ſcriptores, eosque, quos, qui paullo delica„tiores ſumus, non illubenter aliis relinquimus, libros, cum „examinavit, tum comparavit inter ſe ſollerter: multa, quae „antea dubia eſſent, firmavit cum teſtimoniorum auctorita„te, tum coniecturarum ſubtilitate: alia obſcura et abdita in „locum protulit: omnia vero ita expoſuit explicuitque, ut „aliis ex aliis annexis, omnibusque inter ſe partibus colligatis, „luculenta hiſtoriae continuatio, rerumque geſtarum ſeries „exiſteret.“ Ingenue vero fatemur, nos acutiſſimo huic iudicio lubentiſsime calculum adiicere noſtrum. Ipſum opus in octo omnino libros deſcriptum eſt, de quibus ſingulis videbimus.

In *primo libro* de Imperatore, capite et principe Senatus, quatuor capitibus exponitur. *Cap. I.* Triplici nomine ſumma poteſtate praediti apud Romanos appellabantur: Caeſaris, Imperatoris, et Auguſti. Singulorum nominum vis non e vulgarium libellorum rivulis, ſed ex optimis auctorum idoneorum fontibus derivatur. In explicando Auguſti nomine eorum error exploditur, qui nomen ſemper Auguſti inde a Friderici I. temporibus originem trahere putant, docteque e lapide quodam Romano probatur, iam Septimium Severum nomine ſemper Auguſti fuiſſe inſignitum. Id tamen non negat auctor, Friderici I. aetate frequentiorem huius nominis mentionem in monumentis publicis fieri. *Capite II.* de iuribus et poteſtate Imperatorum agitur, recteque eam in rem copioſus Dionis Caſſii locus (lib. III. c. 17.) commemoratur. Imperium proconſulare, Auguſtis in omnes Romani imperii provincias decerni ſolitum, diverſum fuit a procon-

proconſulari privatorum poteſtate, quod his in urbem redeuntibus, dignitas proconſularis abrogabatur, Imperatores vero hanc poteſtatem nunquam dimittebant. Cenſoriam dignitatem receperat Caeſar ad tres annos, ſub nomine praefecturae morum. Auguſtus magiſtrum ſe morum in quinquennium creari paſſus eſt. Sed cur, quaerit h. l. auctor, cur Iulius Caeſar et Auguſtus tantopere Cenſoris nomen reformidarunt? reſpondet vero, hoc ideo eſſe factum, ne plebem laederent, externae ſpeciei, et vanis nominibus ſtudentem, aegreque ferentem, ſi inaudito exemplo Caeſari et Auguſto ſolis hic magiſtratus mandaretur. Poſtea autem, firmato iam imperio, Imperatores Cenſoris appellationem receperunt; qua tamen eos Dionis aetate non amplius uſos fuiſſe, dicit auctor. Agitur porro de Pontificatu maximo, et quis Imperatorum primus hac dignitate ornatus fuerit, numque plures ſimul fuerint pontifices maximi, diſquiritur. Non tamen definit auctor, quis primus cum Auguſti nomine et poteſtate pontificatus maximi nomen auctoritatemque coniunxerit. Potuiſſet vero id certo definire, ſi hunc Zoſimi locum (lib. IV. hiſt. cap. 36.) commemorare ipſi placuiſſet: Μετ' ἐκεῖνον Ὀκταβιανός τε αὐτὸς καὶ οἱ μετ' ἐκεῖνον τὴν Ῥωμαίων διαδεξάμενοι μοναρχίαν· ἅμα γὰρ τῷ παραλαβεῖν ἕκαστον τὴν τῶν ὅλων ἀρχήν, ἡ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν ποντιφίκων αὐτῷ προσεφέρετο· καὶ παραχρῆμα Ποντίφεξ Μάξιμος ἀνεγράφετο, ὅπερ ἐστὶν ἀρχιερεὺς μέγιστος. Ex hoc loco intelligi poſſe arbitramur, ab Auguſto inde Pontificatum maximum cum imperatoria dignitate arctiſſimo vinculo fuiſſe coniunctum. Tribunitiam poteſtatem aſſerebant ſibi Imperatores, ut potentiam ſuam firmiſſimo ſuperſtruerent fundamento. Placet h. l. modus, quo auctor duo, Dionis Caſſii et Taciti, loca, quae inter ſe pugnare videntur, conciliare ſtudet. Ille ſcilicet initia tribunitiae poteſtatis, ab Imperatoribus uſurpatae, ad Caeſarem, hic ad Auguſtum refert. Hanc ſcriptorum diſcrepantiam ita tollit auctor, ut dicat, Dionem de re ipſa, Tacitum de nomine loqui. *Caput tertium*, in

expli-

explicanda lege regia verſatur, qua Imperatorum iura ſanciebantur. Sunt, quibus haec lex ſuſpecta, Tribonianique commentum videatur. Ac commemorat quidem diligenter Cl. Curtius eorum argumenta, a quibus ſententia haec refutata eſt; ipſe tamen ingenue profitetur, ſubortas ſibi eſſe circa hanc legem dubitationes eas, quibus ſolvendis ſe imparem agnoſcat. *Capite quarto* enarrantur reliqua Imperatorum iura. Vi tribunitiae poteſtatis Imperatoribus habendi ſenatus ius erat. Coacto ſenatu conſul ad ſenatum referebat. Auguſto, tribunitia poteſtate praedito, permiſſum eſt, ut quoties ſenatus haberetur, etiamſi Conſulatum non gereret, relationis unius iure uti poſſet, idem ſucceſſoribus eius uſurpatum. Senſim ad res plures extenſum eſt hoc ius, ita ut in quolibet ſenatus concilio de tribus, quatuor, vel quinque rebus Imperatori referre liceret, quod multis ab auctore exemplis oſtenditur. Ad Comitia quod attinet, alia eorum facies ſub Caeſare, alia ſub Auguſto, alia ſub Tiberio, alia ſub Caligula ceteriſque Imperatoribus fuit; qualis vero fuerit, id Cl. Curtius accurate demonſtrat. Disquirit porro de eo, quomodo Imperatores ſoluti legibus dicantur, et cum Cuiacio Graevioque monet, eos non ideo ita dici, ac ſi nullis omnino legibus tenerentur, ſed quoniam certis quibusdam legibus non obſtricti eſſent. Gaudebant etiam Imperatores iure belli, pacis, foederum, legumque condendarum. Patris patriae nomen decernebatur iis, monente Dione Caſſio, non poteſtatis, ſed honoris gratia. Denique etiam Patricii Senatoriaque dignitate ornatos eos fuiſſe, docetur.

Venimus ad *librum II.* in quo de Dignitatibus Magiſtratibusque Senatus Romani, ab Auguſto ad Conſtantini M. tempora, diſſeritur. Lectio Senatus, de qua in *primo* huius libri *capite*, alia fuit tempore reipublicae liberae, alia ſub Sylla, Caeſare, et Triumviris, alia ſub Auguſto, alia denique ſub Tiberio, ceteriſque Imperatoribus. Senſim obtinebat mos, ut Imperatores in ſenatum legerent, quoscunque vel-

 lent,

ſent, ſive digni eſſent, ſive non eſſent. Nulla enim habiti Cenſus veſtigia iis temporibus occurrunt. Sub Claudio quidem Cenſurae actae fit mentio, ſed eam ab Auguſto inde fuiſſe intermiſſam, auctorem Suetonium habemus; Veſpaſianus vero et Titus filius, remotis indignis, digniſſimos quosque in ſenatum legerunt. *Capite ſecundo* de Conſulibus ordinariis, ſuffectis, honorariis, eorumque iuribus traditur. Magnam, mutata republica, Conſulatus perpeſſus eſt mutationem. Imperiali enim faſtigio in dies maiores vires nacto, Conſulum potentia ita imminuta eſt, ut Imperatores paucis tantum menſibus quemvis eo magiſtratu fungi permitterent. Ortum hinc diſcrimen inter Conſules ordinarios et ſuffectos. Ordinarii erant ii, qui annum inchoaverant, quorumque nomina toto anno actis praefigebantur. Suffecti vero, qui per quosdam tantum menſes Conſulatum adminiſtrabant, non vero eum ſub initium anni inibant. Hi initio ab iis, quibus toto anno Conſulatus mandatus fuerat, conſtituti, poſt in Comitiis deſignati, dein ab Imperatoribus pro lubitu creati. Fuere etiam Conſules honorarii, qui Conſulis nomen, non vero magiſtratum ipſum gerebant. Hanc honoris ſpeciem ideo excogitatam fuiſſe putat auctor, ut Imperatores plurium animos ſibi devincirent. Negandum vero non eſt, multa adhuc Conſulibus tributa tum fuiſſe iura: quae illa fuerint, luculenter oſtenditur. Sequitur *capite tertio* Praetorum, iuriumque, quae iis tum competebant, deſcriptio. Praetorum numerus ab Imperatoribus nunc imminutus, nunc auctus eſt, prout eorum imperio maxime conſentaneum videretur. Iura illorum cernebantur in eo, ut ius dicerent, curam aerarii gererent, ludosque procurarent. Erant etiam Praetores qui honorarii dicerentur. Aedilium, de quibus *Capite quarto*, a Caeſare auctus eſt numerus. Dividendo enim inter plebem frumento atque oleo, duos Aediles propoſuit, Cereales ideo dictos; quod ad intelligenda veterum auctorum loca notandum eſt. Exolevit vero paullatim Aedilitia dignitas, Praefectis urbi omnia fere Aedilium negotia ad ſe trahentibus.

Errant

Errant tamen, qui ſub Claudio et Nerone eos intercidiſſe perhibent. Imminuta vero etiam fuit, ſub Imperatoribus, Tribunorum plebis poteſtas, de quibus ſermo eſt *Capite quinto*, omnia enim eorum iura Imperatores ad ſe rapiebant, ſolo iis relicto nomine. Non minori mutationi Quaeſtores obnoxii fuere, quorum dignitas et iura *ſexto capite* deſcribuntur. Multa erant tum Quaeſtorum genera: Quaeſtores urbani, provinciales, militares, Candidati; illuſtres praecipue ſunt Candidati Quaeſtores, qui et Caeſarum Quaeſtores vocantur. Hi ab Imperatoribus deſignati, iis ab epiſtolis et edictis fuerunt, eorumque libellos in Senatu legerunt. Muneribus Quaeſtorum Claudius adiunxit hoc, ut ſpectaculum gladiatorium, per omnes annos celebrandum, eorum ſumtibus ederetur. *Capite ſeptimo* de Cenſoribus, Proconſulibus, Propraetoribus, deque Senatoribus generatim agitur. Cenſoriam dignitatem, licet plerumque ſine nomine Imperatoribus decreta fuerit, Auguſtus Paullo Aemilio Lepido, et L. Munatio Planco, tribuit. Poſt hos non cum privatis communicata, ſed arctiſſimo nexu cum imperatoria dignitate coniuncta fuit. Saeculo vero tertio Decii ſenatus ſuffragiis Cenſorem conſtituendum cenſuerunt, quare Valeriano Cenſura delata fuit. Proconſulum nomine ſub imperatoribus ii fuere inſigniti, qui provincias Senatorias ſeu populi regere iuſſi eſſent, nullo diſcrimine habito, poſt Conſulatumne, an poſt Praeturam, aut denique privati provinciam obtinerent. Eorum poteſtas latiſſime patuit. In provinciis enim pleniſſimam exercere poterant iuriſdictionem. Propraetores tum ii vocabantur, qui Imperatoris provinciis regendis praepoſiti erant, licet e numero Conſularium eſſent. Senatorum quidem auctoritas ſub Imperatoribus arctioribus limitibus circumſcripta fuit, manente tamen honoris et dignitatis, qua ſub libera republica gaviſi fuerant, externa ſpecie integra. *Caput octavum* de novis dignitatibus ab Auguſto excogitatis, et quidem de Praefectis Praetorio, exponit. Praefectus Praetorio in locum Magiſtri Equitum ſurrogatus eſſe videtur.

 Vulga-

Vulgaris eſt opinio, ad Alexandrum usque ſolis Equitibus hanc Praefecturam mandatam fuiſſe. Sed refutat hoc Cl. Curtius, et recte quidem, quum ſub primis iam Imperatoribus, ea dignitas cum Senatoria coniuncta fuerit. Auctoritas praefectorum Praetorio arctis initio limitibus circumſcripta fuit, ſeriusque ad adminiſtranda imperii negotia ſe exſeruit. Apicem eorum auctoritati impoſuit Alexander, legum ferendarum iis conceſſa poteſtate. Praefectura urbis, de qua eſt *Capite nono*, ſub Regibus iam inſtituta fuit, aucta eius vis ab Auguſto. Ac duplex ſub Imperatoribus Praefectura urbis fuit, altera extraordinaria, ordinaria altera. Illa, feriarum Latinarum tempore, illuſtri cuidam iuveni ante ullos honores geſtos, commiſſa; haec a ſpectatae fidei et virtutis viris adminiſtrata fuit. Praecipua Praefecti urbi negotia in criminibus coercendis, in cura politiae, morum, ludorumque verſabatur.

Progredimur ad *Librum III.* in quo doctiſſimus Curtius iura, Senatui ab Auguſto ad Conſtantinum relicta, copioſe enarrat. Ac *Capite* quidem *primo* de iure Comitiorum, conferendarum dignitatum, et decernendorum honorum, dicit. Licet vero haud paucae dignitates Senatus ſuffragiis ſub Imperatoribus conferrentur; negandum tamen non eſt, in deſignandis magiſtratibus Imperatoris partes paullatim ſuperiores factas eſſe. Inprimis notanda ſunt iura Senatus in imperio conferendo, confirmando, et abrogando, quae diligenter ab auctore recenſentur. *Capite 2.* Senatum porro poteſtate valuiſſe ius dicendi, inprimis in Senatores, ius conſtituendi, legibusque ſolvendi, probant multa, quae a Tacito, Suetonio, aliisque idoneis auctoribus, huius rei narrantur exempla. Competebat etiam Senatui ius provincias populi Rom. procurandi, quod *Capite tertio* demonſtratur. Facta eſt ſub Auguſto diviſio provinciarum in imperatorias, et Senatorias ſeu populares. *Capite quarto* de Aerario populi Rom. diſſeritur. Sub Imperatoribus, quatuor aeraria fuiſſe videntur, aerarium publicum, fiſcus, aerarium militare,

priva-

privatum Imperatoris patrimonium. Diſquirit etiam hoc capite auctor, ad quemnam ius percutiendi nummos ſpectaverit. Ad hanc vero quaeſtionem ita reſpondet, ut dicat, nummos aureos et argenteos ab Imperatore, aeneos autem a Senatu fuiſſe cuſos. Reſtant alia quaedam Senatus iura, de quibus *quinto Capite* diſputatio inſtituitur. Senatus curam ſacrorum habebat, vel eo adhuc tempore, quo eius auctoritas vileſceret. Habuit porro ius hoſtes reipublicae iudicandi, ius nundinarum, atque alia quaedam, quae accurate enumerantur. Ex omnibus vero quae de Senatus forma ab Auguſto ad Conſtantinum M. diſputata fuere, exhibetur *Capite ſexto* ſuccincta Senatus hac aetate delineatio, quae et diligentia, et brevitate laudabili, vehementer ſe nobis commendavit.

Tranſeamus ad *Librum IV.* de dignitatibus Senatus Rom. a Conſtante ad Carolum M. exponentem. De lectione Senatus ita tradit auctor, ut alios Senatores ab Imperatore fuiſſe lectos dicat, aliis vero iure naſcendi, ſi ſcilicet Senatorum filii eſſent, viam in curiam patuiſſe. Cuius rei praecipuum argumentum ex Codice Theodoſiano profertur. Conſules, de quibus *Capite ſecundo*, hac aetate creati ſunt ut olim, Ordinarii, Suffecti, Honorarii. Suffectorum tamen paullo rarius in ſcriptoribus eius aetatis occurrit mentio. Conſulatus etiam ſub his Imperatoribus ſummum dignitatis faſtigium fuit, primumque Conſules poſt Imperatores obtinuere locum. Eorum vero creandorum penes ſolos Imperatores hac aetate poteſtas fuit. Inprimis lectu digna hoc loco ſunt ea, quae de mutationibus Conſulatus poſt Conſtantinum M. narrantur. Hic enim Conſulem alterum Romae, alterum Conſtantinopoli deſignari iuſſit. Hinc occidentis, hinc orientis Conſules. Poſt Baſilii Conſulatum, qui in annum 541. incidit, Conſulatus privatorum Iuſtiniani iuſſu plane abrogatus fuit, ipſique Imperatores Conſules facti. Creati tamen fuere Conſules Honorarii. *Caput tertium* Praeturam eius aetatis depingit. Praeturae cum auctoritas valde fuit imminuta,

 omnem

omnem fere illius poteſtatem, Praefectura urbis ſibi vindicante. Reliqui magiſtratus Imperatorum arbitrio conferebantur, excepta ſola Praetura, quam Senatus conferebat. Ceterum, hanc dignitatem ſub Oſtrogothis evanuiſſe, vero ſatis ſimilis auctoris conjectura eſt. Sequitur *Capite quarto* Tribunatus, Quaeſturae, Cenſuraeque deſcriptio. Tribunos plebis ea aetate adhuc creatos fuiſſe, vix credibile eſt, neque eorum unquam, niſi ſub Honorio et Theodoſio, fit mentio. Quaeſtorum magna tum erat dignitas. Deſierant enim ultimo loco in Senatoribus cenſeri, creditaque iis erant graviſſima ab Imperatoribus negotia. Cenſura iamdudum exoleverat. Pergit auctor *Capite quinto* ad maximi momenti diſputationem, ad hiſtoriam ſcilicet Praefectorum Praetorio et Urbi. Ac Praefectis quidem Praetorio abſtulit imperium militare Conſtantinus M. tradiditque illis, quae adminiſtrarent, civilia negotia. Quatuor autem omnino conſtituit Praefectos Praetorio, ita ut Oriens ſive Aſia cum Aegypto, Illyrici maior pars cum Graecia, Italia cum Africa et parte Illyrici, ſingulis Praefectis parerent. Optaremus vero ut auctori hoc loco placuiſſet, aliquid monere de Dioeceſibus, in quas Praefecturae, et de Provinciis, in quas Dioeceſes diviſae erant, deque ſingularum magiſtratibus. Nam hanc diſtributionem diligenter eſſe cognoſcendam, a Pagio in Critica Baroniana, a Spanhemio in hiſtor. eccleſ. aliisque, luculenter demonſtratum eſt. Praefectura urbis ſola fere hac aetate a mutationibus libera fuit. Docte hic Cl. Curtius conciliare ſtudet ea, quibus Contelorius probavit, Praefectum urbi fuiſſe omnibus magiſtratibus ſuperiorem, et haec decreti Gratiani, Theodoſii, et Valentiniani verba: Diverſa culmina dignitatum Conſulatui cedere evidenti auctoritate decernimus. Conſtitutae etiam ſunt a Conſtantino M. novae dignitates, de quibus *ſexto Capite* agitur. Maxima omnium poſt Imperatoriam dignitas fuit Nobiliſſimatus; plus tamen honoris, quam dignitatis habens. Ad Patricios quod attinet, eorum nomen cum ipſa urbe Roma fere genitum fuerat, at

dudum iam tot bella et ſeditiones Patricias gentes exſtinxerant. Conſtantinus vero creavit iterum Patricios, coniuncta tamen cum hoc nomine alia vi. Zoſimo enim affirmante, qui hoc titulo ornati fuerant, ipſis Praefectis praetorio ſuperiores erant. Sed quaeritur, utrum Patriciorum dignitas cum munere quodam coniuncta, an vero merum nomen fuerit? Reſpondet auctor, Patricios nulli certo muneri alligatos, ſed pro arbitrio Imperatorum vel exercitibus, vel provinciis, vel aliis civilibus negotiis praefectos fuiſſe. Prolixa poſt haec de Patriciatu Caroli M. ſequitur diſputatio, ex qua ſi excerpere vellemus, quae inprimis lectu digna putamus, tota ea nobis transſcribenda eſſet. Disquirit etiam auctor, an Pontifex Maximus Patricius fuerit? Negat quidem hoc Pagius; ſed docte reſpondet auctor cum du Cangio, diſtinguendum eſſe inter Patriciatum Ravennatenſem, quem Pontifices Romani a Regibus Francorum obtinuerint, et inter Patriciatum Romanum, cui urbi Reges Francorum nomine et poteſtate Patricii imperaverint. *Caput ſeptimum* de Magiſtris militum et officiorum, Praepoſito cubiculi, Comitibus aerarii, et Illuſtribus, generatim agit. Magiſtri militum Conſtantino M. originem debent; qui a Praefectis praetorio ad hos militare imperium transtulit. Praepoſiti ſacri cubiculi iam ante Conſtantini M. tempora creati ſunt; meminit enim eorum Herodianus, eosque thalami curam geſſiſſe ait. Hi etiam inter Senatores referebantur. Magiſtri officiorum totius Palatii curam gerebant. Quis dignitatem hanc inſtituerit, difficile dictu eſt. Nec quando inter Senatores relati fuerint, liquet. Comites aerarii ad Conſtanti M. aetatem referuntur, et ſub Gothis adhuc floruiſſe dicuntur. Omnes, qui enarratis hucusque honoribus ornati erant, Illuſtres vocabantur. Poſt Illuſtres notandi ſunt Spectabiles, de quibus *Capite octavo*. Qui autem hoc nomine inſigniti fuerint, diligenter ab auctore recenſetur. Copioſe etiam hoc capite de Comitibus primi ordinis agitur. Originem Comitum Io. Seldenus et Henr. Valeſius ab initio imperii Caeſarum; Cuia-

cius vires et Godafredum a Conſtantino repetendam eſſe contendunt. Quam controverſiam ita dirimere ſtudet doctiſſimus Curtius, ut Comites ante Conſtantini tempora fuiſſe non neget, ſenſim tamen eorum conditionem, ac praecipue ſub Conſtantino M. fuiſſe mutatam, affirmet. Clariſſimi, qui nono *Capite* deſcribuntur, omnes olim Senatores vocabantur. Solus Clariſſimatus vero tertius dignitatis gradus fuit. Non tamen defugerunt Clariſſimorum nomen Illuſtres et Spectabiles. At quinam ex tot honoratis Senatores fuerunt? Reſpondet auctor, a Conſtantino usque ad tempora everſi imperii occidentalis, tres gradus Senatorum fuiſſe, aliosque Illuſtres, Spectabiles alios, alios denique Clariſſimos vocatos.

Videamus nunc *de libro V.* qui iura Senatus a Conſtantino ad Carolum M. complectitur. *Capite primo* oſtenditur, Senatum quibusdam adhuc conferendorum honorum reliquiis uſum fuiſſe, in deſignandis ſcilicet Praetoribus. Nonne vero in eligendo vel confirmando Imperatore Senatui cum ius quoddam competiit? Affirmat hoc Cl. Curtius. In conſtituendis Gothorum regibus, nullas Senatus partes fuiſſe certum eſt. Deſtructo iſtorum imperio, Romanisque imperio orientali adiectis, Roma eum Imperatorem revereri coacta eſt, quem Byzantini hoc honore dignum iudicaverant. Ius porro dixiſſe et conſtituiſſe Senatum, *Capite ſecundo* probatur. Ius dixit praeſertim in eos, qui maieſtatis rei, vel ſalutis publicae perturbatores eſſent. In conſtituenda nova lege, Imperatores Senatum conſulere erant ſoliti. Atque hanc conſuetudinem diu obtinuiſſe, ex eo probari poteſt, quod Leo peculiari eam lege abrogavit. Aerarium, de quo eſt *Capite tertio*, cum publicum, tum privatum, Imperatoris arbitrio adminiſtratum fuit; quamquam negandum non ſit, Senatui populoque Rom. non omnes omnino reditus ereptos fuiſſe. *Capite quarto* de cura ſacrorum monet auctor, eam, qualiscunque fuerit, Senatum reſpexiſſe. Electio Romani Pontificis a clero et populo pependit, habente tamen Senatu primas in hac electione partes. Ceterum, ſub Imperatoribus

ribus

ribus Graecis auctoritatem Senatus Rom. plane conciſiſſe, et Auguſtos Senatui Conſtantinopolitano plus quam Romano tribuiſſe, per ſe patet. Conſicitur *Capite quinto* ex iis, quae hoc et quarto libro dicta fuere, brevis, eaque accurata Senatus Romani ſub Imperatoribus Occidentis, ſub Regibus Gothicis, et ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis, deſcriptio. *Capite ſexto* celebrem, maximique momenti quaeſtionem, auctor profert, utrum ſcilicet pontifex Romanus primas, ſeu ullas omnino partes, in Senatu Rom. tenuerit? Summa eorum quae auctor reſpondet huc redit: ſub Imperatoribus Occidentis poſt Conſtantinum, et ſub Regibus Oſtrogothorum, nulla occurrere auctoritatis pontificiae in rebus civilibus veſtigia; at ſub Imperatoribus Graecis coepiſſe eos civilibus ſe immiſcere negotiis. Quod vero auctor hoc capite dicit, Pipinum, debellato Aiſtulpho, pontifici Exarchatum, a Longobardis occupatum, tradidiſſe, id ut paullo accuratius dictum fuiſſet, vellemus. Traditus quidem fuit Exarchatus pontifici, ſed ita, ut tantum dominium utile in eo haberet, ſummum vero imperium penes reges Francorum eſſet. — Excuſſo Imperatorum Graecorum iugo, et Francis in omni Italia dominantibus, penes quem arbitrium rerum Romanarum fuerit non adeo exploratum eſt. In tanta tamen rerum caligine, haec quatuor auctori veriora videntur. 1) Errat Fontaninus, dum Carolum M. non Domini, ſed Advocati tantum eccleſiae perſonam ſuſtinuiſſe contendit. 2) Pontifex Rom. neque Exarchus, neque Patricius fuit, licet hanc poteſtatem Ravennae adeptus ſit. 3) Rom. Senatus ſponte ſua partem iurium ſuorum cum pontifice communicaſſe, eique primas detuliſſe, videtur. 4) Sub Francis eminentiorem poteſtatem in Romanos adepti ſunt pontifices, etſi ſummum imperium penes Reges eſſet.

Liber VI. complectitur res geſtas Senatus Rom. a Carolo M. ad tempora reſtituti Senatus Anno MCXXXXIV. Ac *primo* quidem *Capite* enarrantur ea, quae inter Imperatores et Senatum populumque Rom. Saeculo nono acta fuerunt,

ſunt. Fuit, viguitque Senatus, ſub Imperatoribus Carolingicis, ſibique imperii dandi ius vindicavit. Deſcribitur etiam hoc capite Senatus conditio ſub Guidone, Arnulpho, Lamberto. Poſt Lamberti mortem, adminiſtrandae reipublicae molem ſoli Romani ſuſtinuerunt, ita tamen, ut pontifices primarum partium eſſent. *Capite ſecundo* explicantur ea, quae inter pontificem Senatumque Saeculo nono acta ſunt. Paruiſſe dicit auctor urbem pontifici, pontificem Imperatori. Nec tamen omnino iuris pontificii factus eſt Senatus, ſed in eligendo pontifice magna auctoritate gaviſus eſt, et iura ſua contra pontificum molimina maſcule defendit. Reliqua Senatus Rom. hoc Saeculo conditio non adeo manifeſte apparet. Hoc *tertio Capite* oſtenditur. Nulla Praetorum, Aedilium, Tribunorum plebis, occurrit mentio, obſcura tantum Patriciatus ſuperſunt veſtigia. Conſulum paullo certiora. Iſtorum vero tum longe alia fuit ratio quam olim. Ipſi Imperatores ſibi hanc dignitatem vindicabant, adeo, ut non annos imperii, ſed conſulatus numerarent. Privatis tamen etiam Conſulum nomen tributum, atque inprimis Comites eo inſigniti fuere, imo tum Conſulis et Ducis nomen aequipollere coepit. *Caput quartum* copioſam et doctam de dominatione Theodorae, Maroziae, Alberici Senatoris et Patricii ab anno 900. ad annum 954. diſputationem continet. Ex quo capite, propter rerum multitudinem, pauca tantum delibabimus. Sunt qui Adalbertum, cuius ope imperiali faſtigio potitus erat Ludovicus, Senatorem Rom. vocent, e. g. Gundlingius, Loeſcherus; ſed veretur Cl. Curtius, ne docti hi viri, ſimilitudine nominum decepti, Albertum Patricium et Conſulem Rom. cum Adalberto divite, Marchione et duce Tuſciae, confuderint. — Theodora, famoſa illa femina, quo iure, quave via, ad tantam dignitatem pervenerit, non conſtare dicit auctor, ſatiusque eſſe ducit, ignorantiam hic fateri, quam coniecturas, certo fundamento deſtitutas, proferre. Albericus, filius comitis Tuſculani cognominis, et Maroziae, quum principatum urbis Romae obtinuiſſet, Si-

genio hortante, novam reipublicae formam constituit. Monet tamen doctiſſimus Curtius contra eundem Sigonium, Consulum nomen tum non renovatum fuiſſe, ſed ſemper in republica Rom. viguiſſe. — Albericus, et ſucceſſores eius, nullo diſcrimine habito, principes, Senatores, Patricii dicti ſunt. Iuſſu Alberici pontifex maximus Patriarchis Conſtantinopolitanis perpetuum pallii uſum, abſque praevia ſedis Romanae venia, indulſit. *Caput quintum* deſcribit res geſtas Ioannis XII. pontificis, ac Ottonis Magni. Multa ſunt quae hic laudari merentur, praecipue vero placent argumenta, quibus auctor utitur ad refutandos eos, qui celebre illud Ottonis M. diploma, quo pontifici maximo immenſa dona contuliſſe fertur Imperator, pro genuino venditant. Cuius diplomatis falſitate demonſtrata, concidit ſimul, ut auctor bene monet, pontificum eius temporis poteſtas in urbem Ducatumque Romanum. — Duplex Senatusconſultum hac aetate conditum occurrit apud Scriptores: alterum, quo Romano imperio cuncta reſtituuntur, quae a Regibus et Imperatoribus Romanae eccleſiae collata fuerant; alterum, quo pontifex cum Senatu populoque Rom. Ottoni omnem poteſtatem conferunt, ſimulque pontificis ordinandi arbitrium ei et ſucceſſoribus permittunt. Utriusque documenti fidem dubiam ſuſpectamque reddit auctor, argumentis quidem iis, quae non contemnenda videantur. Scite porro expoſuit auctor, *Capite ſexto*, res Romanas ſub Ottone II. et III. geſtas. Placet etiam, quod perſpicuitatis gratia ſtemma Marozianum appoſuit. — Creſcentii Patricii, in iſtius temporis hiſtoria celeberrimi, conatus, dominatio, et mores, accurate depinguntur ab auctore. — Poſt mortem Creſcentii Senatoriam et Patriciam dignitatem coniunxit Otto, recenti exemplo edoctus, quantos motus Romanorum princeps ciere poſſit. Magna tamen fuit Senatus exiſtimatio: quod ex conſtitutione quadam Ottonis apparet, in qua Conſules Senatusque populi Rom. ante Archiepiſcopos collocantur, qui magnis magnarum gentium ducibus praeferri ſolebant. *Caput ſeptimum* inſcri-

inſcribitur: Roma ſub Patriciis, eiſque ad mortem Henrici III. Imperatoris et Patricii. Deſcripto Ioannis Patricii, qui erat Creſcentii filius, dominio, propoſitoque Creſcentii et Benedicti ſtemmate, progreditur ad comites Tuſculanos, quos diu Creſcentiis parere coactos fuiſſe, ſed ſibi tandem ſacros et civiles urbis honores vindicare auſos fuiſſe, dicit. Docte hic obſervat auctor, a Muratorio Creſcentii filium, Ioannem Patricium, cum Ioanne Duce et Marchione, Benedicti filio, permutari. Inde de Henrico II, rege Germaniae, Patricio et Imperatore creato, agit. Quas proferunt pontificii Henrici II. tabulas, ut demonſtrent, pontifici Rom. civitatem Rom. cum ducatu fuiſſe conceſſam, eas rite ut ſpurias explodit. Hinc Romanum Senatorem, Pontificem, ſub nomine Ioannis XIX, coemtis cleri populique ſuffragiis, fuiſſe creatum monſtrat. Deinde Conradi II. imperium deſcribit, ſub quo Senatus Rom. et auctoritatem, et nomen manſiſſe, docet. Neque etiam omittit turbidum Benedicti noni pontificatum, et res ſub eo geſtas. Denique Henrici III. imperium depingit. Res Romanae tempore Henrici quarti Capite octavo enarrantur. Celeberrima nobis videntur iſta tempora, quoniam in ea incidit pontificatus Gregorii VII. Optaremus vero, doctiſſimus auctor in deſcribendo Gregorii VII. pontificatu paullo prolixior fuiſſet, quum tantam hic pontifex poteſtatem ſibi arrogaverit. Cupiebamus inprimis intelligentiſſimi Curtii ſententiam de famoſis iſtis pontificis huius dictatibus, ut vocantur, audire; qui, ſi genuini ſunt, ad deprimendam etiam Senatus auctoritatem pertinebant. *Caput nonum* res Rom. ſub Henrico V. et Lothario II. geſtas exponit. Celebris erat iis temporibus Ptolomaeus II. Conſul, hunc dicunt a ſtirpe Octaviana originem duxiſſe. Sed Cl. Curtius, in tanta Saeculorum iſtorum barbarie, nexum ſanguinis inter Octaviam et Ptolomaei gentem teneri haud potuiſſe, arbitratur. Neque etiam aſſentitur vir acutiſſimi iudicii iis, qui negant, Bertham, Henrici V. filiam, Ptolomaeo nupſiſſe, quum Scriptores quidem tradant, Henricum ſine li-

beris

beris obiiſſe. Iſtos enim ſcriptores loqui putat auctor de liberis legitimo matrimonio procreatis, quibus caruit Henricus. Quare Bertha iſta, quae Ptolomaeo nupſit, illegitimo matrimonio progenita videtur. Omnino autem iſta tempora fuiſſe ea tradit auctor, quibus pontifices, potentiſſimis familiis oriundi, multa de iuribus Senatus detraherent.

Sequitur *Liber VII.* qui verſatur in enarrandis rebus geſtis Senatus Rom. a reſtituto Senatu ad Tribunatum Nic. Laurentii anno MCCCXLVI. *Caput primum* inſcriptum eſt ſic: Romani epocham reſtituti Senatus condunt. Romani, a pontifice Innocentio II. iniuria affecti, ruperunt vincula, quibus Roma pontifici obſtricta fuerat, abrogant pontifici poteſtatem civilem, mutant formam reipublicae, novum Senatum conſtituunt, novamque epocham condunt, ut anni poſt reſtitutum Senatum numerentur. Non exiguam harum turbarum cauſam, in ſparſa Arnoldi Brixienſis doctrina quaerendam eſſe, docet auctor. Agit porro de litteris Senatus ad Conradum regem ſcriptis, prudenterque indagat cauſas, ob quas vindicandae tum ſibi Romae Conradus occaſionem neglexerit. Tum etiam Senatum ius cudendae monetae habuiſſe, oſtendit. *Caput ſecundum* continet res Romanas usque ad ancipitem electionem Alexandri et Victoris MCLIX. Eugenius III. initio quidem Senatum confirmare recuſat, at tandem pacem cum Romanis init, ita, ut Senatorum auctoritas illibata maneret quidem, ſed ut pontifici dicto audientes eſſent. Succeſſit Eugenio Anaſtaſius, huic Hadrianus, atque ſub his Senatus auctoritatem ſuam retinuit. Quae inter Fridericum I. et Senatum Rom. geſta fuere, diligenter ab auctore expoſita ſunt. *Caput tertium* complectitur res Romanas ab electione Alexandri et Victoris usque ad mortem Alexandri MCLXXXI. Fuſe hic narratur bellum Romanorum cum Albanenſibus Tuſculanis, ipſoque Imperatore Friderico I. geſtum, quod, quum multis converſionibus in civitate Romana tam celebre ſit, iure hic tam copioſe narratum eſt. *Caput quartum* habet res geſtas ab

 obitu

obitu Alexandri III. ad annum MCXCVIII. quo poteſtas Imperatoria in urbe ad Pontificem translata eſt. In tanta rerum hoc tempore geſtarum celebritate, haec praecipue notabimus: Friderici I. ſucceſſor, Henricus, Romanum imperium a Pontifice et Senatoribus petit; manifeſto indicio, eam tum fuiſſe Senatus Rom. dignitatem, ut, illo invito, Pontifex et Rex Imperatoris nomen dare et accipere non auſi ſint — Nimius Senatorum numerus offendebat Romanos, quare unum tantum Senatorem conſtituunt Benedictum, anno MCXCI. et biennio poſt Ioannem Capucium. At quum iis iterum diſpliceret penes unum tantum rerum eſſe arbitrium, conſtituunt denuo quinquaginta ſex Senatores. — Sed etiam hic Senatorum numerus non fuit diuturnus. Sub Innocentio III. enim, Romanis ita cupientibus, Senatores magiſtratu abire iubentur: arbitrum, ut Saeculo iſto vocabatur, Medianum conſtituit Pontifex. Tum Senator pariter ac Praefectus urbi, ceterique proceres et cives, Sacramentum dicunt Pontifici. Quo factum eſt, ut ſumma ad Pontificem maximum pedetentim poteſtas tranſiret. In *Capite quinto* inſunt res geſtae ab anno MCXCVIII. usque ad pacem cum pontifice anno MCCXXXV. conſtitutam. Prolixe hic narrantur variae inter Innocentium III. et Romanos diſſenſiones. Innocentio III. ſucceſſit Honorius tertius. Ac quum etiam huic cum Romanis diſſidium eſſet, hortatus eſt Fridericus II. Romanos ad reverentiam pontifici praeſtandam. Romani, ut Friderico Regi obſequium monſtrarent ſuum, litteras ad eum dederunt, quas ſubiecit auctor. Poſt Honorium creatus eſt Pontifex Gregorius IX; cuius pontificatus bene ab auctore depingitur. Huic ut ſe Senatus probaret, haereticos perſecutus eſt. — Sequuntur *Capite ſexto* res Romanae ab anno MCCXXXV. usque ad conſtitutum Senatorem alienigenam MCCLII. Gratioſus apud Romanos erat Fridericus, hinc Romani eius conſilio, loco unius Senatoris, duos elegerunt, quorum alter alterum coerceret. Refert id Du Cangius ex Matthaeo Pariſienſi: negat vero hunc locum in

Mat-

Matthaeo Pariſienſi legi S. R. Chriſt. Wilh. Franc. Walchius. At exſtare haec verba dicit Cl. Curtius in edit. Wilh. Wats p. 291. Conatibus Friderici vehementer ſe oppoſuit pontifex, et quum huius factio in urbe praevaleret, aſperrimas Fridericus ad S. P. Q. R. dedit litteras; Romani vero bellarunt adverſus Imperatorem. Haec omnia copioſe a Cl. Curtio narrata ſunt. Proſequitur auctor *Capite ſeptimo* res geſtas Romanorum ab anno MCCLII. ad annum MCCLXXVIII. quo alienigenae Senatores eſſe vetiti ſunt. Inſignis mutatio facta eſt Romae anno MCCLII. Hactenus enim civibus ſuis adminiſtrationem urbis permiſerant Romani: iam vero alienigenam conſtituerunt Senatorem, Brancaleonem, civem Bononienſem, qui Friderico II. ſtrenuam in bello Italico operam navaverat. Huius varia in regimine urbis facta diligenter enarrat auctor. Poſt eius mortem Romani Caſtellanum ab Andalo, Bononienſem, inconſulto pontifice, Senatorem creant. Atque etiam poſt hunc varii Senatores alienigenae electi ſunt, inter quos praecipue notandus eſt Carolus, Comes Provinciae, Ludovici IX. Regis Galliae frater, de quo Cl. Curtius bene expoſuit. *Caput octavum* complectitur res Romanas ab anno MCCLXXVIII. usque ad Senatoriam dignitatem Roberti Regis anno MCCCXIII. Indagatis cauſſis potentiae Nicolai Pontificis, progreditur auctor ad deſcribendam Martini IV. pontificis Rom. dominationem. Poſt haec de Honorio IV. Nicolao IV. Coeleſtino V. Bonifacio VIII. Benedicto X. Clemente V. pontificibus, deque rebus ſub iis geſtis, dicit. Inde ea narrat, quae de Ludovico Sabaudo, Senatore Rom. et Henrico VII. notanda ipſi hoc loco videbantur; quae omnia, propter diligentiam ab auctore adhibitam, lubenter legimus. Nec minus diligens fuit auctor *Capite nono*, in enarrandis rebus Rom. a Senatoria dignitate Regis Roberti anno MCCCXIII. usque ad Tribunatum Nicolai Laurentii anno MCCCLXVIII. Inprimis vero lectu dignam hoc loco putamus narrationem auctoris de Ludovico V. Imperatore, item et de Carolo IV.

deque

deque rebus Romae ſub iis geſtis. Ingenue tamen fatemur, nos vehementer optaſſe, ut auctor in commemorandis Pontificum vel Imperatorum nominibus paullo accuratior interdum fuiſſet, eosque, quibus cum uno pluribusve anteceſſorum ſuorum unum idemque nomen eſt, numero a ſe invicem diſtinxiſſet.

Reſtat Liber VIII. ex quo cognoſci poſſunt res geſtae Senatus Rom. a Tribunatu Nicolai Laurentii ad noſtra tempora. *Capite primo*, res Rom. ſub Tribunatu Nicolai Laurentii, usque ad mortem eius MCCCLIV. narrantur, eo quidem ordine eaque diligentia, ut lectu digniſſimum hoc caput putemus. *Caput ſecundum* eſt de rebus Rom. a morte Nicolai MCCCLIV, usque ad mortem Bonifacii IX. anno MCCCCIV. Innocentius VI. Senatores alienigenas creat; et quoniam iſti Senatores non omnis urbis curam haberent, adminiſtrarunt praeter eos urbem, ſecundo ab iis dignitatis gradu conſtituti, delecti ex qualibet urbis regione viri, qui capita Regionum atque Bandereſii vocabantur. Anno MCCCLXII. infima plebs rerum potitur, nullaque Pontificis habita ratione, ſummum urbis rectorem conſtituit Lellum Pocadotum. Innocentii VII. ſucceſſor Urbanus V. Romanis ſemeſtres Senatores dedit nobiles exteros. — Erudite dein diſſerit auctor de Gregorii XI. dominio, deque Urbano VI, et Bonifacio IX. *Caput tertium* continet res geſtas a morte Bonifacii IX. ad Nicolaum V. anno MCCCCXLVII. Luculenter deſcripſit hoc capite auctor ea, quae Innocentium VII. inter, Romanosque et Ladislaum geſta fuere. Bene porro agit de Pontificatu Gregorii XII, ſub quo Ladislaus Rex urbis Dominus eſt factus. Ladislaus ſub Alexandro V. urbe expulſus, ea denuo potitur. Poſt haec deſcribitur Martini V. dominium urbis. Huius ſucceſſor Eugenius (IV.) non iis viribus valuiſſe dicitur, quae ad coercendos proceres Romanos ſufficerent. Hinc Romani urbis regimen ſibi arrogabant. Sed qui huic ſuccedebat Nicolaus V. auctoritatem pontificiam, ſummamque in urbe poteſta-

veſtatem, ita ſtabilivit, ut S. P. Q. R. ex hoc tempore ne tentaverit quidem iugum excutere. Pergimus ad *Caput quartum*, in quo eſt brevis recenſio rerum geſtarum Senatus Rom. ab anno MCCCCXLVII. ad noſtra tempora. Atque etiam hic perſequitur auctor ea, quae ſub ſingulis Pontificibus praecipue digna videantur. Supereſt *Caput quintum*, quod praeſentem Senatus Rom. formam depingit. Magnum inter Senatores mediae aetatis, eumque, qui nunc eo nomine Romae appellatur, intercedit diſcrimen. Ex quo electionem Senatoris ſibi vindicavere pontifices, alium ſibi magiſtratum conſtituerunt Romani, vocaveruntque eo fungentes urbis Conſervatores, qui urbanas res curent, ſola iuris dicendi poteſtate Senatori relicta. Sub Senatoribus tres Iudices ius dicunt, ex quibus duo vocantur primus et ſecundus Collateralis, cauſſasque civiles tractant, tertius eſt Iudex maleficorum ſeu latrunculator, qui in crimina inquirit. Praeſides Senatus ſunt Conſervatores urbis, tres numero, quorum munia auctor recenſet. Excipiunt Conſervatores Capita Regionum. Defenſores Decretorum ſunt quatuor Nobiles, qui a publico conſilio eliguntur, annuum magiſtratum gerunt, et curant ne quid detrimenti reſpublica patiatur. Conſilium Secretum omnia populi Rom. negotia adminiſtrat, bisque quolibet menſe a Conſervatoribus convocatur. Publicum Conſilium quolibet menſe congregatur, et graviora negotia conficit, quae ſecreto conſilio nimis ardua viſa ſunt. Quod vero in enarranda recentiorum temporum hiſtoria paullo brevior eſt auctor, id culpa eius factum non eſſe, teſtantur haec eius in praefatione verba: „Ea, qua decuit, eruditos Romanos adii obſervan„tia, adminicula rogavi, quae doceri vellem expoſui. Quin „Romae enim plura lateant monumenta, quae lucem nondum „adſpexerunt, non eſt dubium, quorum mihi quidem copiam „factum iri ſperabam: at ſpes iſta me fruſtrata eſt.“ Ex iis vero quae hucusque de virtutibus huius libri diximus, colligi poſſe arbitramur, maximis eum laudibus dignum, hiſtoriaeque ſtudioſis vehementer commendandum eſſe.

Mm CHRIST.

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII HISTORIA NUMORUM Contumelioſorum et Satyricorum.

Altenburgi ex Officina Richteria MDCCLXV. plagg. 15. in 8.

Magnam habet res numaria, cum veterum, tum recentiorum temporum, commendationem ſuavitatis: praeſertim ſi eius ſcientia tradatur ab iis, qui inſigni doctrina ingenioque inſtructi, ad hoc ſtudium ſe contulerunt. Quantae igitur gratiae illuſtri Klotzio habendae ſunt, qui et exquiſitae doctrinae, et acutiſſimi iudicii, ingeniique elegantiſſimi praeſidiis ſuffultus, hoc libro eam rei numariae partem illuſtravit, de qua neminem adhuc ex inſtituto expoſuiſſe ſcimus. Non enim quemquam adeo invenuſtum et inhumanum fore putamus, quin, numorum contumelioſorum et ſatyricorum cognitionem maxima cum iucunditate utilitateque coniunctam eſſe, ingenue fateatur.

Principio neminem, cum antiqua, tum noſtra aetate fuiſſe dicit auctor, qui ſibi hanc rei numariae partem illuſtrandam ſumſerit, aut in talium numorum originem inquiſiverit. Atque id eo magis miratur, quum hocce ſtudium hiſtoriae multum lucis affundat. Nam exemplis oſtendi poteſt, ipſos principes iniurias, quas numis contumelioſis ſibi illatas eſſe putarent, aegerrime tuliſſe, atque etiam illas cauſſis belli adnumeraſſe. Iam in ipſam numorum contumelioſorum originem inquirit. Ac pictores aliquot, petulantibus et ignominioſis operibus claros, Plinius commemorat. Cuiusmodi operibus notos etiam fuiſſe ſculptores quosdam, Suidas auctor eſt. Habuit igitur antiqua aetas picturas famoſas, quas e tabulis in alia monimenta migraſſe, cur quis neget? Progreditur elegantiſſimus operum antiquorum interpres ad gemmas antiquas, in quibus perſpicua ſatyrae veſti-

gia

gia inveniſſe ſibi viſus eſt, ac ut res eo clarior fiat, quasdam ex hoc genere gemmas diligenter indagat. Inde ad numos ipſos tranſit. Ac primum ſcite monet, in iudicio de iis pronunciando cavendum eſſe, ne varias figuras, quae inſoliti aliquid habeant, et novitate ſua nos aliquantum turbent, ideo contumelioſos cenſeamus. Res duobus exemplis perſpicue demonſtratur. Omnino vero in perluſtrandis his numis ita verſatur auctor, ut et afferat ea, quae viris doctis ſuper quibusdam numis in mentem venerint, et quae illius de illorum opinione ſit ſententia, indicet, atque etiam, quae ipſe in numis primus obſervaſſe ſibi viſus ſit, exponat. Sunt Agrigentini numi, quorum altera pars habet aquilam leporem unguibus prehendentem, petentemque roſtro, altera cancrum marinum. Hos numos Satyricos cenſet Begerus. At docte oſtendit illuſtr. Klotzius, iſtiusmodi in his numis apparentia indicare copiam et abundantiam talium animalium in iis locis. Nec Satyricus eſt Phocaeenſium numus, qui habet Delphinum, cui a lupo vis infertur, conculcante illum aut fauce appetente. Faliſcorum numo, ubi aquila ore vel unguibus leporem diſcerpit, ſymbolum venationis exhiberi cenſet. Ita etiam ſtatuendum putat de numo Velienſium, ubi leo cervum proſternit. Facillima ſane, et ſimpliciſſima interpretatio! Omnino non putat auctor aliquid in Graecis numis inveniri, quod contumelioſum aut ſatyricum videatur. Videamus an forte in Latio tales numos invenerit. Ac multos ſane profert, qui nonnullis contumelioſi viſi ſunt. Primum ſunt quidam, qui numos, Spintriarum nomine appellatos, et altera parte numerum aliquem, altera monſtroſas libidines exhibentes, ad irridendam Tiberii libidinem cuſos fuiſſe, exiſtiment. Negat id illuſtr. Klotzius, eosque numos ipſius Tiberii iuſſu cuſos fuiſſe oſtendit; multos autem, Spintrias non eſſe, qui tamen pro iis habeantur, docet. Neque aſſentitur Io. Georg. Eccardo, qui in numo Vipſaniae Agrippae, Tiberium Iuliae ſceleſtos amores exprobrare voluiſſe, ſibi perſuadet. Erudite porro diſſerit de illo numo,

quem Seguinus edidit, ſatyricumque cenſuit. Eſt is numus plumbeus, in altera parte corona conſpicitur; in altera digamma, cui inſertus eſt palmae ramus cum hisce notis: IO. SAT. IO. Non vero putat Illuſtr. Klotzius hunc numum ad contumeliam cuiusquam cuſum fuiſſe, quum ea, quae in illo eſt exclamatio, Saturnaliorum hilaritatis propria fuiſſe videatur. Id hoc Martialis verſu egregie illuſtratur:

Clamant ecce mei, io Saturnalia! verſus,
Et libet, et ſub te praeſide, Nerva, licet.

Et, data hoc loco de numis Saturnalibus ſententiam ſuam explicandi occaſione, monſtrat auctor, plumbeos numos Romae haud incognitos fuiſſe, ſed praeſtitiſſe eandem Romanis in feſtis diebus Saturnalibus operam, quam noſtra aetate aenei iis, qui non lucri, ſed temporis fallendi cauſſa, ludunt. Erat etiam mos Saturnalibus, ut ſibi varii generis munera mitterent amici. Hoc perſpicuis auctorum exemplis probatur. Donatos vero etiam fuiſſe numos, Martialis et Suetonius confirmant. Eos igitur numos, qui figuras, aut ridiculas, aut quae alias non conſpiciuntur, habent, eos item, quos non ad hiſtoriam pertinere clarum eſt, omnes Saturnalitios eſſe cenſet Illuſtr. Klotzius, i. e. Saturnalibus, cum ad hilaritatem augendam, tum ad ludum, tum ad donanda munuſcula, atque etiam ut teſſerae eſſent in ludis ſpectandis, e variis metallis confectos. Plures eiusmodi numi proferuntur, examinantur, feliciterque explicantur. Non vero tam facile explicari poſſent, reiecta Cl. Klotzii de iis ſententia. At exſtant numi, qui ad contumeliam Iudaeorum cuſi eſſe videntur? Exſtant ſane. Sed docte refutat auctor eos, qui, quum in his numis porcus appareat, Satyram in iis vident; multisque antiquitatis monumentis adiutus exiſtimat, talibus numis Romanorum primordia indicari, et felix omen Aeneae oblatum. Eſt porro numus plane ſingularis, a Chamillardo inventus, explicatusque in Trivultinis ephemeridibus, atque ad Fauſtinam matrem relatus.

Habet

Habet ille caput Fauſtinae matris, cum epigraphe: DIVA FAVSTINA. In averſa eſt Ceres globo inſiſtens, quavis manu taedam tenens, cum verbo: SOVSTI. In hoc numo explicando mirifice ſe torſerunt viri docti, et pleraeque eorum interpretationes meris coniecturis nituntur, nulloque argumento firmantur. Sed monetarii peccatum deprehendit Illuſtr. Klotzius. Enimvero talia peccata aut ſtupore, aut negligentia, ſaepius fuiſſe commiſſa, exemplis comprobatur. Videtur vero ſibi vir doctiſſimus numum reperiſſe, cuius ope ille optime poſſit explicari. In altera parte eſt epigraphe DIVA FAVSTINA; in altera Ceres cum duabus facibus, et verbum AVGVSTA, apparet. Illum igitur numum a Chamillardo exhibitum, nullum eſſe alium dicit, quam hunc, ſed recuſum, talique modo corruptum. Neque etiam ſatyricus eſt numus ille Fauſtinae iunioris, qui habet altera parte caput Fauſtinae, altera militem nudum cum clypeo tantum et galea, quem ſeminuda femina brachio retinere velle videtur. Epigraphe eſt VENERI VICTRICI. Commemoratis variis doctorum virorum de hoc numo ſententiis, profert ſuam Illuſtr. Klotzius, atque ex Gemmis aliisque monumentis antiquis monſtrat, exhiberi Fauſtinam ſub Veneris figura, Aurelio, cui Martis perſona per adulationem tributa, blandientem, ſuisque illecebris eum demulcentem. Quemadmodum vero hunc numum ſatyricorum numero exemit: ita ingenue fatetur, parum abfuiſſe, quin alium Fauſtinae numum iis accenſeret. Exhibetur is a Patino in Numism. Imp. p. 252. Re vero diligenter expenſa, exiſtimat probatque auctor, populum quemdam, aut urbem aliquam, cultum Priapo exhibere voluiſſe, ſine Fauſtinae irriſione. Oſtendit ſimul exemplis, veteres ſaepe paullo obſcoeniora in ſuis monumentis propoſuiſſe, in quibus tamen nihil ſatyrici eſſet. Sequitur copioſa diſputatio de illo Gallieni numo, cuius inſcriptio eſt: GALLIENAE AVGVSTAE. Ac primum virorum doctorum de hoc numo ſententiae recenſentur examinanturque: omnia, quae in eo ap-

parent, diligenter indagantur: tandem hunc numum monetarii errore corruptum, et in honorem Gallieni cuſum fuiſſe, probabiliter oſtenditur. Perſpicue igitur demonſtravit Illuſtr. Klotzius, inter eos, quos nunc habemus, numos antiquos, nullos eſſe ſatyricos, nullos contumelioſos.

Progreditur deinceps ad recentiora tempora. Si hic fabellis quibusdam fides habenda eſſet, non diu nobis quaerendi eſſent numi ſatyrici primi. Numulos enim quosdam, manum extenſam habentes, ab Imperatore Henrico IV. in contumeliam Rudolphi, cui in praelio prope Merſeburgum a. 1080. manus abſciſſa, cuſos eſſe putant. Sed horum numorum patria eſt Hala Suevorum: fuere illi deinde in aliis urbibus cuſi: ille cum roſa debetur urbi Altenburgo, cum et manus ſit urbis, et roſa olim fuerit Burggraviorum Altenburgenſium inſigne. Neque ſatyricus eſt numus a magna illa Septentrionis Regina, Margaretha, cuſus, qui datur a Koehlero (in libro: *hiſtoriſche Münz. Beluſtig.* P. VII. p. 241.) aliisque. Tradit et auctor quaedam de picturis ignominioſis, quas iis et paullo poſt ſecutis temporibus non ignotas fuiſſe dicit. Ingreditur Saeculum XVI. cuius primo anno numus ſatyricus tribuitur hic:

A. Facies viri cum mitra coronata. FERDINANDVS. R. AR. VETVS. VVLPES. ORBIS.

B. Lupus agnum rapiens et mordens. IVGVM. MEVM. SVAVE. EST. ET. ONVS. MEVM. LEVE. Veroſimile videtur auctori, hunc numum non a Friderico II. Sicil. et Neap. Rege, ſed ab aliis, qui Ferdinando non faverent, percuſſum fuiſſe.

Nullum vero, qui huc pertineret, numum antiquiorem, invenit illo, quem Ludovicus XII, Galliae Rex, odio erga Iulium II. pontificem Rom. ductus, a. 1512. cudit, cum his verbis: PERDAM BABILONIS NOMEN. Omnino,

alii

alii numi eo tempore cuſi teſtantur, non peperciſſe homines pontificis maieſtati. Memorantur duo huius rei exempla. Maxima vero eiusmodi numorum copia provenit eo tempore, quo de religionis purioris doctrina reſtauranda, pontificisque Rom. auctoritate minuenda, ſumma inter principes diſcordia orta fuit. Utraque enim pars alteram ſatyris, inprimisque picturis contumelioſis, cum ad pontificem, tum ad Lutherum irridendum factis, perſtringere et exacerbare ſtuduit. Plures huius generis numi recenſentur, docteque examinantur. Non exiguum etiam horum numorum numerum protulit bellum inter foederatos Belgas, et Hiſpanos, turbaeque in illis regionibus ortae inde ab a. 1566. usque ad a. 1609. Confirmatur hoc ab auctore exemplis iis, quibus hiſtoria illorum temporum non parum illuſtrari poteſt. Pertinent porro ad hoc Saeculum duo numi maxime memorabiles: alterum, nobiles de Saldern, ab Henrico Iulio, duce Brunſuicenſi, in ſui ignominiam cuſum fuiſſe, conqueſti ſunt; alter eſt is, qui in contumeliam uxoris Io. Caſimiri, ducis Coburgenſis, cuſus fuiſſe dicitur.

Iam Saeculo XVII. maximus ſatyricorum numorum numerus editus fuit. Ex his praecipui tantum afferuntur. Omnium enim ſi auctor dare voluiſſet indicem, illud ſolum Saeculum totum librum poſtulaſſet. Commemoratur igitur numus in Belgio, in caedem Regis Galliae Henr. IV. cuſus: porro numus, qui memoriam belli inter Hiſpanos et Belgas a. 1621. iterum orti conſervat: poſt haec afferuntur numi ad hiſtoriam Cromwelli pertinentes. Facete numo quodam irriſit Regina Sueciae, Chriſtina, eruditos quosdam viros. In hoc numo eſt verbum: ΜΑΚΕΛΩΣ, quod in lingua Suecica ſignificat *excellenter*. Hoc verbo torſit Regina eruditorum ingenia, qui, quum id Graecum putarent, fruſtra eius ſignificatum quaerebant. Sed non ſunt numi toto hoc Saeculo magis memorabiles iis, qui poſt pacem Aquisgranenſem cuſi ſunt, et complurium animos exacerbarunt. De his numis

Illuſtr.

Illuſtr. Klotzius eleganter praecipit, ac praecipue explicat eum, quem Galli aegerrime ferebant, cuiusque inſcriptio eſt: STA SOL, aut: STARE FECIT SOLEM. Nec minorem altera huius Saeculi pars numorum ſatyricorum numerum protulit. Ex his praecipue affertur, ſolerterque explicatur ille, quo Epiſcopus Monaſterienſis, Bernhardus de Galen, tantopere ſe laeſum putabat. Dedit etiam eo tempore Dania numos quosdam, quorum nonnulli ab auctore deſcribuntur. Anglia varios numos ſatyricos dedit, certe illorum cudendorum occaſionem praebuit. Inprimis annus 1688. quo Iacobo filius natus erat, et ſequentes, quibus et regno exutus, et illud ope Gallica recuperare ſtuduit, feraces fuerunt numorum ſatyricorum, ex quibus quidam commemorantur. Cauſſa etiam multorum talium numorum fuit bellum, quod a. 1688. Ludovicus cum Anglis, Hiſpanis, Belgis et Germanis geſſit.

Reſtant numi ſatyrici Saeculo XVIII. cuſi, quorum ingens eſt numerus. Ne vero totum Saeculum ſilentio praeteriiſſe videretur auctor, e primo decennio numos maxime memorabiles ita indicat, et explicat, ut iis varia hiſtoriae huius Saeculi momenta illuſtrari queant. Fuere etiam tales numi noſtra aetate cuſi, ſed ab his commemorandis abſtinere ſatius duxit. Non denique ſilendum eſt hoc, auctorem in praefatione dixiſſe, ſe hiſtoriam tantum numorum contumelioſorum ſcribere, non omnes omnino commemorare voluiſſe. Ceterum, quod auctor in eadem praefatione dicit, ſe lubentiſſime emendare ea, quae ipſe non ſatis accurate ſcripſiſſe videatur, id cum in appendice, ubi ſunt quaedam addenda et emendanda, tum alio loco *), luculenter demonſtravit. Edito enim iam hocce libro monuit p. 227. lin. 18. emendari debere verba ſic: *Cuius a tergore Caſtor:* et pag. 228. lin. 2. pro VII IAR legendum eſſe VIIVIR.

Ex

*) In actis litterariis, Vol. II. parte II. p. 218.

Ex iis igitur, quae de argumento huius libri diximus, apparere arbitramur, Illuſtr. Klotzium, cum eam rei numariae partem, de qua antea nemo expoſuerat, feliciter explicuiſſe, tum variis veterum monumentis inſignem hoc libro lucem affudiſſe.

CAROLI FERDINANDI HOMMELII PALINGEneſia librorum Iuris veterum, ſeu Pandectarum loca integra, ad modum indicis Labitti et Wielingii oculis expoſita, et ab exemplari Taurelli Florentino accuratisſime deſcripta.

Lipſiae, impenſis Theoph. Georgi. Tom. I. 1767. pag. 619. Tom. II. 1767. pag. 549. Tom. III. 1768. p. 622. 8.

Quantum utilitatis bonus iuris civilis interpres ex diligenti fragmentorum veterum ICtorum in Pandecte hinc inde diſperſorum comparatione capiat, non opus eſt dicere, cum nemo fere ſit noſtrorum iurisperitorum, (quod quidem ſperamus,) qui hac de re dubitet. Sane ex quo tempore primum *Labittus*, deinde alii, (inque his noviſſime *Wielingius*,) iuſtos et accuratos indices contexuerunt, quibus egregia loca divulſa coniungendi ars maxime iuvatur, extiterunt quamplurimi interpretes melioris notae, qui his inſtructi ſubſidiis, legum ſcientiae, veras earum rationes indagantes, magnam lucem attulerunt. Unum tamen poſt *Labitti*, *Auguſtini*, *Freymonii*, atque *Wielingii* labores ſupererat incommodum, idque graviſſimum, ut ſingula loca, quae coniungenda index tantum ſignificabat, in ipſo corpore iuris viginti aut pluribus titulis diſperſa, ſigillatim eſſent evolvenda, quod, ſicut remoram iniiciebat diligentiae lectoris, ita eiusdem patientiam valde exercebat. Hoc vero impedimentum etſi *Brencmannus*, et poſt eum *Brunquellus*, removere tentaverant, neuter tamen perfecit. Uterque enim praematura morte extinctus eſt. Quod igitur diu multumque deſideratum fuit ab omnibus ſolidioris iurisprudentiae ſtudioſis, opus, in quo ſingula Pandectarum loca, ſecundum ſeriem librorum ICtorum,

ex quibus ea deſumta ſunt, ad modum indicis Labitti congruo ordine diſpoſita apparerent, tandem adgreſſus eſt illuſtr. *Hommelius*, vir ad Iurisprudentiam ornandam et amplificandam natus, tribusque voluminibus, quorum titulum indicavimus, veterum prudentum oracula, hac, qua diximus, ratione congeſſit, praeſtititque id, in quo ſummum meritum ponendum eſſe omnes uno ore affirmant. Certe, ſi nec aliis egregiis libris editis de nominis immortalitate auctor ſibi iam proſpexiſſet, hoc unum incomparabile et ingentis laboris opus, ad perennem gloriam conſequendam ſufficeret. Ut autem praeſtantia huius inſtituti magis innoteſcat noſtris lectoribus, ſingulas virtutes breviter recenſebimus. Non contentus fuit *Hommelius* digerendis iis ICtorum reliquiis, quae in Pandectarum corpore tamquam e naufragio ſervatae ſunt; ſed omnia, quaecunque extant, et apud *Schultingium* occurrunt, fragmenta eorum iuriſperitorum, ex quorum ſcriptis Digeſta compilata fuerunt, ſuis libris reſtituit, iuſtisque inſeruit locis. Sic v. c. quae de Caii et Ulpiani libris extra Pandecten ſuperſunt, etiam hic reperimus ex *Schultingio* adiecta. *Fragmentum* quoque *Regularum veteris ICti*, a *Doſitheo* ſervatum, quod *Ulpiano* tribui ſolet, non quidem ex *Schultingii*, apud quem tantum latine deprehenditur, ſed ex eleganti graeca *Roeveri* editione, graece ac latine addidit. Ut adeo omnia, quae ex cuiusvis veteris ICti ſcriptis ad nos pervenerunt, ſecundum iuſtam ſeriem collecta, uno quaſi momento intueri poſſis. In aſſignandis vero cuilibet ICto locis, ordinem tenuit literarum, ita ut *primo* Tomo Africani, Alfeni, Anthiani, Aquilae, Arcadii, Caii, Calliſtrati, Celſi, Florentini, Galli, Hermogeniani, Iavoleni, Iuliani, Labeonis, Macri, Maeciani, Marcelli, Marciani, Mauriciani, Maximi, Menandri, Modeſtini, Mucii, Neratii, Papiniani, atque Papirii reliquiae appareant: *altero* Paulus, Pomponius, Proculus, Rufinus, Sabinus, Saturninus, Scaevola, Tarruntenus, Terentius, Tertullianus, Tryphoninus, Valens, et Venuleius ſiſtantur: *tertium* denique volumen ſolius *Ulpiani* monimenta contineat. Ad haec inſignia merita acceſſit etiam hoc, ut lectio Florentina ex Taurelli editione quam adcuratiſſime exprimeretur. Qua in re illuſtris *Hommelius* omnes ſuperavit,

qui

qui ante eum id tentarunt, ne *Contio* quidem ac *Charonda* exceptis. Quod beneficium agnituros eſſe credimus omnes, qui non ignorant, quantum praeſtet veram ac genuinam legis explicandae lectionem noſſe, quibusve de raritate ac ſumma caritate editionis Taurellíae conſtat. Unum reſtat a doctiſſimo editore abſolvendum, ut easdem manus obſtetricias ſingulis conſtitutionibus in Codice Iuſtiniani diſperſis, ad ſeriem Principum, a quibus datae ſunt, eas diſponendo, adhibeat. Sane ſe hoc facturum eſſe, interiecto ſimul Codice Theodoſiano, nec non Gregoriani atque Hermogeniani particulis inſertis, in praefatione promiſit. Quod ut proxime fiat, iurisprudentiae cauſſa optabile eſt.

ACTA ECCLESIAE GRAECAE ANNORUM MDCCLXII, et LXIII, ſive de Schismate recentisſimo in Eccleſia graeca ſubnato, commentatio: Auctore M. IOANNE FRIDERICO LE BRET, Ill. Gymn. Stutg. Profeſſore Geographiae Ord. Acadd. Robor. et Florent. Socio.

Stutgardiae, apud Io. Bened. Mezler, MDCCLXIV. pl. 8. octonis.

Schismatis in Eccleſia graeca nuper orti accurata deſcriptio, quam *Auct.* hoc ſuppeditavit libello, hiſtoriae eccleſiaſticae amicis non niſi gratiſſima eſſe poteſt, quoniam omnia ad hanc rem ſpectantia e genuinis fontibus ſunt deducta. Duobus vero capitibus haec tractatio abſolvitur. *Primo argumenta curiae Romanae ex Actis pertractantur, cum anacriſi.* Quae capita Venetis obiiciantur, ex Brevi in hac cauſa tunc a Papa Clemente XIII. ad ipſos miſſo, ſtatim ab initio libelli propoſito, conſpeximus. Primam obiectionem, *de antiquae Venetae pietatis et ſtudii erga eccleſiam catholicam diminutio*, ſic diluit, ut ex conſenſu cum catholicis in fidei capitibus et morum doctrina, impietatis crimine Venetos liberet, eosque auctoritatem Papae non tantam, quanta iactitatur, agnoſcere, principiis eccleſiae gallicae clam favere, et a Brevibus

Bullis, Sanctisque, v. g. Gregorio VII, ſi ullo unquam modo Principis auctoritas petatur, abſtinere dicat. Studium contra in catholicam religionem ex concilio Florentino Tridentinoque probatum dedit; obiter tamen monuit, ſtudio Venetorum nequaquam, id, quod diſſentientes, Lutheranos, Calvinianos, et Graecos tolerent, et antiquas leges in ipſa forma reipublicae fundatas retineant, obeſſe, quoniam haec ad iura principis maieſtatica pertineant. Alteram de *epiſcopo, cuius eligendi poteſtas graecis facta, eum ſchismaticum eſſe, illicite ordinatum, manuumque impoſitionem extra eccleſiam ſuſcepiſſe*, ſic refutavit: eccleſiam graecam ſemper a romana avulſam fuiſſe, quare *ſchismatis* definitionem ad illam non applicari poſſe, quae et inter Pontificios arbitraria ſit; deinde, an *Facea* ſit *Schismaticus*, hoc pertinere ad rem ſingularem. *Illicitam* autem *ordinationem* Faceae fuiſſe, hoc modo retudit, quia *canonice* electus, et a Senatu, cum Patriarcha Conſtantinopolitanus quibusdam de cauſis id *recuſaſſet*, *confirmatus* eſt. *Examen* vero, quod ſubire debent ordinandi, multi vel ob dignitatem reipublicae, vel ob iura nationis et eccleſiae orientalis, ſubire non tenentur. Ergo hac quoque ex cauſa Facea eximendus, qui praeterea ordine legitimo, tum ratione ſubordinationis, tum ratione conſecrationis, Corcyrae inauguratus eſt, quam propterea non illegitimam nominandam exiſtimavit, quia, etiamſi nullius penes Latinos, at penes Graecos tamen haud exigui ſit valoris. Tertium momentum verſatur in declaratione propenſae Papae voluntatis, qua omnem conferre operam promiſit, ut *Graecorum res iam diu confuſae ac perturbatae ad priſtinam ſinceras doctrinae ſanitatem reducantur*. Auct. ratione reddita de cauſis confuſionis, inter quas temporum iniuria, mutata imperii forma, abuſus varii, et exercitii religionis publici in quibusdam regionibus denegatio, facile eminent, oſtendit, fieri plane non poſſe, ut voluntati Papae exitus reſpondeat, cum ipſi vires deſint, graecaque natio a tali abhorreat Medico. Quare et Benedicti XIV. conatus irriti facti ſunt, et fortaſſe Clementis XIII. tentamina parem exitum habitura ſunt. Quartum

tum caput eſt *ignominia, quam Papa in Venetos redundaturam ſuſpicatur, ex inquinata pietate et religione.* Adverſus quod A. bene monuit, religionem dominantem tolerantia civili non inquinari, nec illius iura infringi. *Conatus perverſorum contra legem Dei,* ad quos diſſentientes provocant, de Venetis Senatoribus, qui de Capite Graecis praeponendo cogitarunt, interpretatus eſt, et nullam in univerſum dari legem Dei ſcriptam, de non tolerandis ſecus ſentientibus, docuit. *Laeſam eſſe unitatem eccleſiae* ex eo refutat, quia ſtilo Romano non niſi illi unitatem convellere dicuntur, qui ab ea ſe avellunt; Graeci autem eam nunquam acceperunt, igitur nec hoc argumentum eos ferit. Tandem monitum Papae *de apoſtolica auctoritate* ex eo retundit, quia haec non eius fori ſint, ſed ad iura Principum maieſtatica pertineant. Quinto: *provocare Papam ad facta hiſtorica,* v. c. *a) a Leone X. impetraſſe Venetos et Graecos, ut S. Georgii aedes immediate ſedi Rom. ſubiiceretur.* Teſtimonio hoc nititur Flaminii Cornelii, qui ex monumentis eccleſiae Venetae probavit, templum iſtud, at alio prorſus fine, ſubiectum fuiſſe Sedi Rom. Item Petri Antonii Muazzi apologia MS. pro graecis, negat, fundatores huius eccleſiae unquam-fuiſſe Graecos Unitos; conſtat quoque inter omnes, neque Graecorum huius coetus aliquem Inquiſitionis tribunali eſſe obnoxium, neque reliquas ſeſe eidem poteſtati ſubmiſiſſe eccleſias. *b) Sanctiones Decemvirales proſtare A. 1534. et 1542. de Catholicis Presbyteris regendas eccleſias praeponendis, qui ſe catholico Patriarchae probaſſent.* Notari meretur, Graecos ſano ſenſu vocari *Catholicos,* eosque nunquam Romano-catholicos dictos. Princeps quoque Venetus, minis ac obiurgationibus Archiepiſcopum Candiae. A. 1578. Graecos ad profeſſionem fidei Rom. impellentem, ne Graecorum libertatem conſcientiae turbaret, ad obſequium revocavit; quid? quod Veneti eandem libertatem lege A. 1569. lata iam Graecis conceſſerant. *c) Sanctiones has hominum pravitate labefactatas, A. 1720. renovatas fuiſſe, remoto ſacrorum miniſtro, Schiſmatis opinione infecto.* Sexto *queritur* Pontifex Max. *invalere Schiſmaticos, genere*

Catholicos, et afflictos iacere, ſchiſmaticam perfidiam religioni inſidias ſtruxiſſe, lupum in ovile dominicum induci, altare profanum erigi, cathedram erroris et peſtilentiae conſtitui. Septimo, *eſſe ſe Speculatorem in domum Iſrael, agi de fide et de ſervanda illa incorrupta.* Querelas Papae duobus Brevibus contentas, ea inſerendo ſuae tractationi, nobis A. ante oculos poſuit, quorum alterum d. 22. Ian. 1763. alterum d. 30. April. datum eſt. Totius vero rei ſummam obſervationibus doctis non propoſuit ſolum, ſed et illuſtravit, non iura Graecorum tantum vindicavit, ſed etiam confirmavit. Tandem ab A. 1722. usque ad 62. de capite Graecis dando fuit deliberatum, quod cum conceſſum eſſet, Schiſma inter Graecos denuo exortum eſt.

Secundo iam capite *Acta Patriarchae Conſtantinopolitani proponuntur.* Summam eorum A. quae Conſtantinopoli acta fuerunt, ex epiſtola Patriarchae graeci, *Ioannichii*, throno ſuo iam detruſi, ad Patriarcham Corcyrenſem data, quam inſeruit, exhibet. Ex hac epiſtola colligit: 1) Patriarcham novae Romae Patriarcham veteris in formula benedicendi, qua remiſſionem peccatorum offerat, imitari, quam formulam, optative ſi interpreris, non eſſe reprehendendam ait. 2) Seſe nominare Patriarcham ex miſericordia divina, id notare, eum a ſede romana quoad electionem non pendere. 3) Eum ſubiectioni, quam ipſi praeſtant reliqui epiſcopi, gratiam tribuere, appellari ab eo dignitatem Patriarchalem fontem, principium, et caput huius gratiae, coniungere cum eadem gratiam Sp. S. efficacem. 4) Inquiſivit A. in ſenſum verborum: *annexam eſſe vim Sp. S. efficacem.* 5) Ex mente Patriarchae hanc gratiam per conſecrationem ſive ordinationem aliis communicari, fuſius declaravit. Deinde Patriarcha de obſequio ab inferioribus praeſtando diſſerit; quae omnia ſelectioribus obſervationibus ex hiſtoria eccleſiaſtica depromtis ab A. illuſtrata ſunt. Reliqua autem epiſtolae verba ad caſum praeſentem accedere docuit, nam notavit: primo Patriarcham ad uſum antiquum provocare, quo Graeci Veneti

Metro-

Metropolitam Philadelphiae Epiſcopum ceu caput eccleſiaſticum venerabantur. Secundo nos de diſciplina eccleſiaſtica illorum fieri certiores, quae *a*) Principi committat decidere, an ſit e republica, ferre eiusmodi caput, (quale fuit Gregorius,) an vero minus; quae, *b*) ne Princeps offendat, orthodoxis Chriſtianis, (ex epiſtola Patriarchali,) poteſtatem concedit, eligendi ſibi Archiepiſcopum, accedente tum clero, tum populo, in partes ſuffragiorum; quod vero *c*) Metropolitani titulum Faceae, ſive cuivis a natione graeca electo tribuant, id dignitati reipublicae Venetae reſpondere; quod autem *d*) Patriarcha de Synodo ſua dicit, (in ea videlicet eſſe proponendum, ſi quid obſtaculi in electione eſſet,) id inſtitutis antiquae eccleſiae quam maxime convenire. *e*) Patriarcha praeterea urget, ad conſilium in Synodo ineundum pertinere profeſſionem fidei, ab Archiepiſcopo et orthodoxis graecis ſubſcribendam, quam ipſe cum Synodo mature conceptam, ipſi coram eccleſia recitandam, ſuaque manu confirmandam miſerat, tum demum Bulla patriarchali et Synodali perfectam iri electionem. Dies ſequentibus epiſtolae verbis Faceae dicitur, provocando ad can. VI. Conc. Nicaeni I. et ſecundum conc. II. quibus Faceae repugnat inauguratio, cum valor antiquarum conſuetudinum, ibi commendatus, ſit laeſus. Removit igitur eum Patriarcha ab Epiſcopali dignitate, et effectus huius degradationis in eum caſuros eſſe, ut divina gratia omnique beneficio privaretur, pronuntiavit, et poteſtate veſtibus ſacris, relato quippe iam inter Laicos, utendi, ei interdixit. Haec ſunt capita *prioris* epiſtolae, Menſe Septembri 1762. datae. *Alterum* documentum eſt de d. XI. eiusd. anni, quo declaravit, Epiſcopum Leucadis et S. Maurae, Chryſanthum, itemque Cephaloniae Epiſcopum, Sophronium, propter conſecrationem Faceae factam, quia legitima non eſſet, eſſe deponendos. Haec A. erudite examinavit, ſimulque evicit, Philadelphiae Metropolitam, eccleſiae graecae Venetae Metropolitam eſſe αὐτοκέφαλον, ſed a nexu tamen cum Patriarcha Conſtantinopolitano immunem ſe gerere non poſſe. *Tertium* denique documentum huc redit, ut eccleſiam Vene-

torum

torum graecam a Facea removeat, dat. a. d. 8. Novembr. eiusd. anni. Inſertis his epiſtolis, ſuccinctam facti ſpeciem A. ſuppeditavit, hunc fere in modum: *Georgius Facea*, Sacerdos eccleſiae Graecae Venetorum, variis artibus Archiepiſcopus Philadelphienſis electus; *Milia* autem, eousque vicibus Epiſcopi per ſeptennium functus, reprobatus eſt. Facea igitur conſecrationis cauſa ſe Corcyram contulit; Patriarcha vero Conſtantinopolitanus certior ea de re factus, ne ordinationem, antequam quibusdam abuſibus, iuribus eccleſiae Orientis adverſis, medelam paraſſet, ſuſciperet, monuit. Fautores Faceae nihilominus, ut conſecraretur, Sedique Epiſcopali immitteretur, urgebant. Princeps contra, Bullis patriarchalibus deſtituto, omnibus Epiſcoporum iuribus interdixit. Tempore electionis et conſecrationis, per bina Brevia Papae uterque actus irritus declaratus eſt. At eccleſia Orientalis, praerogativam dignitatis, non auctoritatis, Papae concedens, Concilio eum voluit ſubiici. Fautores Faceae epiſtola falſa de proxime exſpectandis bullis Patr. Graecos deluſerunt, ut ſacris immitteretur. Die 45. poſt Bullae Conſtantinopol. Venetias perlatae, ſacro charactere Faceam privandum, omnesque, qui ſacra cum *ipſo* facere auderent, puniendos declararunt. Facea aliquot diebus poſt in templo comparuit: omnes fugiunt, ita ut ſolus fere relinqueretur. Recuſavit tamen ipſius nomen ex Diptychis, Miſſa etc. deleri. Quare, cum commemoratio Faceae omnes in templo profanaret, nemo hanc aedem adiit. Acceſſit denique tertium Breve Romanum, quod aeque ſine effectu fuit. Tandem evenit, ut, conſecratus et conſecrantes Conſtantinopolim de conſecratione ſcriberent: quo facto Patriarcha Synodum convocavit, quae omnes in Faceae depoſitionem conſenſerunt. Patriarcha *Ioannichius* autem throno detruſus eſt. Brevem hic habes totius rei narrationem.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iulii Anno MDCCLXVIII.

ΠΟΡΦΥΡΙΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΠΕΡΙ ἈΠΟΧΗΣ ἘΜΨΥΧΩΝ ΒΙΒΛΙΑ ΤΕΣΣΑΡΑ:

PORPHYRII PHILOSOPHI DE ABSTINENTIA ab eſu animalium Libri IV. cum notis integris PETRI VICTORII et IOANNIS VALENTINI, et interpretatione latina IO. BERNARDI FELICIANI: Editionem curavit, et ſuas itemque IO. IAC. REISKII notas adiecit IACOBUS DE RHOER. Accedunt IV. Epiſtolae de apoſtaſia Porphyrii.

Traiecti ad Rhenum apud Abrah. a Paddenburg MDCCLXVII. Alph. 2. plagg. 10. quaternis.

Quanto maiore, cum doctrinae et ingenii praeſtantia, tum uſu ad cognoſcenda accuratius recentiorum inprimis Platonicorum placita, ſed multorum quoque in antiqua Eccleſia rituum naturam et originem, eruditis ſeſe omnium temporum libri commendaverint, quos περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων Porphyrius ſcripſerat: tanto melius haud dubie de orbe erudito merebitur is, qui his libris, iis quidem ad intelligendum haud ita facilibus, eam explicandis impenderit operam, quae raro, aut nunquam, lectorem curioſum deſtituat.

Cui operae praeſtandae cum Cl. *Iacobus de Rhoer* viribus ſufficeret, nec tanti laboris moleſtia deterreri ſeſe paſſus eſt, quo minus litterarum elegantiorum progreſſum, quem eo ſuſcipiendo egregie adiuvari poſſe videbat, otio ſuo anteponeret. In quo conſilio capiendo ut laudari omnino meretur, ita in eo perficiendo, cum nusquam, quantum nos vidimus, per negligentiam aut incogitantiam id commiſerit, ut quidquam, quod iure et merito deſiderari poſſet, deficeret, magnam haud dubie gloriam conſecutus eſt. Neque enim in locis depravatis ſarciendis eam ſecutus eſt rationem, qua multi hodie delectari ſolent, qui cum aliter ſe expedire neſciunt, illico in verba Autoris, atque adeo ſententias, reſcindendo, oblitterando, interſerendo, temere graſſantur. Exiſtimavit enim, in tuenda magis, dextreque explicanda, quam mutilanda pervertendaque Autoris ſententia, poſitum eſſe boni Interpretis officium. Quod ut aequitati magis conſentaneum eſt, ita maiorem haud raro ingenii vim, laborem ſaltem et diligentiam, deſiderare videtur. Quocirca ad emendandum quoque tum primum acceſſit, cum nihil in verbis ipſis aut contextu ſupereſſet praeſidii, quo defendi poſſent; idque ita effecit, ut ſignis, quibus oratio diſtingueretur, loco ſuo movendis, atque adeo ſine verborum ipſorum iniuria: aut litteris, quae, cum ſimili modo pingerentur, in figuras alienas deflexerant, reſtituendis: aut vocabulo denique, quod Autori ſimilibus in rebus exprimendis uſurpatum fuerat, aſſumendo: difficultatibus, quibus ſenſus impediretur, ſubveniret. Coniecturis ceteroquin virorum doctorum, inprimis Cl. Reiskii, ſi aliquid eſſe viderentur, minime quidem ita repudiatis, quin multo magis, cum exemplis, tum, ſi quid duri ineſſet, molliendo, maximam ſaepenumero vim iis adiiceret. Tum in vocabulis explicandis ſic verſatus eſt, ut in quibus iam a Viris longe eruditiſſimis, Weſſelingio, Hemſterhuſio, Reiskio, Valkenario, aliis, laboratum fuerat, hoc modo leviter tangeret, ſenſu, qui ſubeſſet, brevius exponendo, ceteris, quae ad ſtabiliendum et amplificandum pertinerent, in

eum

eum locum reiectis, ex quo copioſiſſima eorum cognitio rectiſſimaque hauriri debet: in quo tironibus ad veram eruditionem comparandam, fontibus eius detegendis, operam ſane haud levem praeſtitiſſe videtur; quae vero diligentiam eruditorum exſpectare adhuc viderentur, haec ipſe ita tractaret, ut exemplis, ſi non multis, at idoneis ſaltem et perſpicuis, veram eorum ſignificationem conſtitueret. Nec vero hiſtoriae, ceterisve eruditionis partibus, quarum magna in Porphyrio varietas et copia deprehenditur, ita defuit, ut quidquam, quod accuratius et copioſius diceretur, temere aliis relinqueret. Eruditionem denique, neſcimus, an ingenium maius et ſolertiam prodiderit in locis inveſtigandis inveniendisque, quae vel ex Scriptoribus ſacris, tum Ioſepho, Platone, Plutarcho, Porphyrius; vel ex ipſo Scriptores Eccleſiaſtici, Hieronymus, Euſebius, Cyrillus, Theodoretus, alii, tranſtuliſſe, et in uſum ſuum convertiſſe videntur. Quibus omnibus magnam ineſſe doctrinae Cl. Viri commendationem exiſtimamus. Quae, ne ſoli iudicio noſtro lectores confidant; exemplis, quae infra ſubiungemus, ut putamus, ſatis ſuperque declarabitur.

Operi autem praefatus docuit, ſaepius a Viris doctiſſimis, Caſaubono, Galeo, Daviſio, aliis, eius edendi conſilium fuiſſe agitatum, nec tamen ad finem perductum eſſe, ne ab ipſo quidem Io. Fr. Thoma, Gymnaſii Suidnicenſis in Sileſia Rectore, quo tamen nemo pluribus adiumentis, cum et Vaticanum exemplar antiquum, et lectiones Codicis regii Pariſienſis, nec non animadverſiones et emendationes Galei, la Crozii, Petiti, ipſi praeſto eſſent, uſus fuerat. Quibus omnibus, quod nec Exemplar Vaticanum, nec Codex Pariſienſis, cum inquirerentur, reperiri poſſent, animadverſionum autem iſtarum nulla ſpes eſſet, Noſter deſtitutus fuit. Itaque hac inopia laboranti ſubvenere Viri docti in Hollandia et Germania, qui vel ipſi lectiones Codicum, a ſe collatorum, communicarunt: quod, praeter Cl. de Vries, qui in itinere Bri-

 tanni-

tannico ante aliquot annos duos Bibliothecae Bodleianae Codices cum editis libris comparaverat, inprimis fecit Cl. noſter Reiskius, ille quidem haud contentus, Codicem Bibliothecae Paulinae Lipſienſis ad lectionum varietatem animadvertendam percurriſſe, niſi ſimul, quod corrigi debere videretur, aut verbis melius intelligendis ſerviret, ingenioſe admodum et erudite ſingulis fere in locis monuiſſet: in quo ſimilem fere operam Cl. F. L. Abreſchius praeſtitit; vel quos ipſi poſſidebant Codices utendos miſerunt, in quo Cel. G. Meermannus benevolum ſe praebuit. Adiectam deinde Graeco textui monet Verſionem latinam Io. Bernardi Feliciani, quod eam, ut omnium, quae haberentur, optimam, ita emendandis Graecis, aut ſtabiliendis, aptiſſimam, cum Cl. la Crozio iudicaret. Tum varias, quae prodierunt, operis huius Porphyriani Editiones, P. Victorii, F. de Fogerolles, Io. Valentini, deſcribit, quam ultimam, erroribus prius Codicum autoritate emendatis, textui exprimendo ſubiecit. Pergit in genere ſcribendi, quo uſus eſt Porphyrius, diiudicando, quod Attico quidem accedere, nec elegantiae expers, at durius tamen eſſe, et nimia traiectionum frequentia offendere, cenſet. Modice deinde de ſuo labore loquitur, atque uſum, qui ad ritus Chriſtianorum antiquorum intelligendos hiſce libris legendis manabit; tum ſtudium Porphyrii in imitandis Chriſtianae religionis praeceptis, breviter attingit. Atque haec Praefatio habet. Huic ſubiecta eſt vita Porphyrii e Commentariis Eunapii et Suidae, cum interpretatione Feliciani. Totum vero opus claudunt 4 Epiſtolae, in quibus mutuo ſcriptis Io. Fr. Thomas et L. Urb. Siberus quaeſtionem diſceptarunt, qua quaeri ſolet, an Porphyrius, relictis Chriſtianis, cum quibus aliquando vixerat, ad caſtra Platonicorum tranſierit.

Exempla eruditionis et ingenii Autoris noſtri, quorum tamen multo plura aciem oculorum feſtinanter legentis haud dubie fugerunt, pauca haec ſunto: Lib. I. §. 7. n. 5. et §. 8. n. 1. duo loca Paulina illuſtrantur: quorum alterum 1 Tim.

4, 6. ἡ (διδασκαλια) παρηκολουθηκας, confertur cum loco Porphyrii, quem in manibus habemus: οἱ παρακολουθησαντες τῳ συμφεροντι τυ διωρισμενου — et Strab. L. 1. p. 5. τῳ πολιτικῳ παρακολουθειν, ad oſtendendum, in verbo παρακολουθειν apud Paulum nihil eſſe aliud, niſi animo conſequi et percipere, quod docearis. Alteri 1 Tim. 1, 8. ἐαν τις ἀυτῳ (νομῳ) νομιμως χρηται — lux affunditur ex Porphyrio, Plat. in Min. p. 565. et Thuc. L. 5. c. 105, quibus χρησθαι νομῳ peculiari locutione de iis dicitur, qui legem obſervant, vel quibus ad obſervandum lata eſt. §. 10. Locus ad bene intelligendum aliquanto difficilior occurrit, dicit enim Porphyrius: ἐξῃρημενων των ἀλλοφυλων ζωων και της παρασπασεως, ἐπιλογισμον ἐλαβον τινες τυ συμφεροντος ἐν ταις προς ἀλληλων τροφαις, ὀυ μονον ἀλογον μνημην. Cui Cl. Reiskius ſubvenire volebat, legendo περισπασεως, quaſi cum animantibus exſtirpatis ſimul ſublata eſſet laborum moleſtia, quibus animus in varia diſtraheretur; vel της παρ' ἀυτων περισπασεως, cum homines aegre, et non ſine multis negotiis, beluas exterminare potuiſſent. Editor vero noſter difficultatem ſuſtuliſſe ſibi videbatur, ſi, mutata interpunctione, hoc modo legiſſet: και της παρασπασεως ἐπιλογισμου ἐλ. τ. ὀυ μονον ἀ μνημην τυ συμφ: ἐν τ. π. ἀ. τ. In quo fatemur nos aliquantum haeſiſſe, cum ſententiae quidem initium §. ſequentis vim aliquam addere, nec tamen vocabulum παρασπασεως ſatis convenire videretur. Nec vero a nobis impetrare potuimus, ut in hanc Autoris ſententiam, cetera ingenioſam, diſcederemus, cum paulo infra legebamus: παρα το μαλλον ἠδη τυ συμφεροντος ἐν τῃ μετ' ἀλληλων ἀθροισει λαμβανειν ἀισθησιν — quibus verbis cum nihil fere aliud, niſi quod in iſtis ſuperioribus, dicatur, ut ἐπιλογισμος ad το συμφερον referretur, neceſſarium duximus. Itaque Reiskius hoc in loco magis placebat. Cuius Viri excellentisſimum ingenium aeque mirabamur, cum §. 12. n. 4. videbamus, eum legere maluiſſe: ὐ γαρ ἐςιν ὀυτω (ὁπως) ἐχον (ἐχοι) τυτο, ἀλλ' ὀυπερ (ἀλλουπερ) τροπον ἢ (, ἡ) ἐπι των λοιπων —; et §. 13. lacunam, quae praecedit verba: πινακας παρεθηκεν ἀειρας

 παν-

παντοιων — hiſce verbis inſerendis: *ἐπι τῃ της παλλαδος ὑποδοχῃ παρα τȣ τηλεμαχȣ ὁ δαιτρος κρειων πινακας* — ſic explevisſe, ut nihil ſaltem melius nobis occurrat. Neque tamen ea eius admiratio nos ceperat, ut non videremus, melius §. 17. n. 3. egiſſe Editorem noſtrum in retinendis verbis *λοιμȣτε κατασχοντος*, quam ipſum, cum *λιμȣ* mallet, quod nihil iſtam habere locutionem, quod inſolens eſſet, vel ex commemoratis ab illo exemplis intelligeremus. §. 31. n. 4. Egregie exemplis docet, non ſolum corpus ipſum, ſed affectus quoque, pravosque habitus, Graecis, atque adeo Scriptoribus Eccleſiaſticis, *χιτωνας* fuiſſe appellatos, atque hos eſſe *χιτωνας*, *ὁυς*, quod Porphyrius vult, *ἐσωθεν ἠμφιεσμεθα*, ſicut contra, *ὁ χιτων ὁρατος τȣτος και σαρκινος*, ut idem loquitur, ſit corpus ipſum. Iuſtinus quidem Dialog. cum Tryphone pag. 385. vocat *τας ἁμαρτιας ῥυπαρα ἱματια*. §. 34. n. 10. illuſtratur vox *λυγιζειν*, quod proprium ſit eorum, qui in palaeſtra ictus adverſarii, caput aliamve corporis partem ſubito inflectendo, eludebant. Hinc dici de athletis, qui ſaltando corpus in molles quoscunque motus frangebant; ac tandem a flectendo et torquendo in ſignificatum cruciandi tranſiiſſe; quem Porphyrius ipſe L. 4. §. 13. adhibet. §. 42. n. 1. Quaeritur: quinam ſint *οἱ βαρβαροι*, quos Porphyrius dicit *το ὑιεσθαι κατα την αισθησιν παθαινομενον, προς τοις νοητοις ἐνεργειν, ἐκτραχηλισαι*, quique *ἐπι παν ἐιδος ἡδονης προηλθον ἐκ καταφρονησεως* —? Merito exploditur ſententia Petiti, qui Salomonem ſe hic reperiſſe exiſtimabat. Nec vero de Epicureis, quod Thomaſio placebat, Porphyrius cogitaſſe videtur, quos, cum ex Graecia oriundi eſſent, nec tantum, ut Editor vult, quod mitius de iis loqui ſolet, ſi recte coniicimus, vix *βαρβαρȣς* fuiſſet appellaturus. At vero, cur ampla illa ſignificatione vox hoc in loco capienda ſit, ut Iudaeos et Chriſtianos etiam in univerſum comprehendat? Ergone hi, et eo quidem tempore, inprimis poſteriores, *ἐπι παν ἐιδος ἡδονης* profuſi erant? et num *ἐκ καταφρονησεως*, quod nullam voluptatibus corporis ad animum corrumpendum vim ineſſe cenſebant,

bant, adeoque indifferentes eſſe exiſtimabant? Haec enim vocabulo *καταφρονησεως* ſignificari, et quae praecedunt, et quae ſequuntur, declarare videntur. Quidni de Gnoſticis cogitemus? quos Platonicis recentioribus inviſos fuiſſe conſtat, quique, ſi non omnes, attamen haud pauci, nominatim Carpocratiani, hunc errorem fovebant, quo nihil voluptates habere, quod animo noceret, crederetur. Ceterum locum, qui in ſequentibus Reiskio videbatur corruptus, eleganter concedimus ab Editore vindicatum, verbis hos ordine conſtruendis: — *ἐκ καταφρονησεως, λεγοντες, και των προς ἀλλοις ὀντας δυνασθαι τῃ ἀλογιᾳ ἐπιτρεπειν χρησθαι τουτοις.* §. 54. n. 9. Locum difficilem: *δει δε και το σωμα ἀπεθιζειν ὡς οἱον τε, της του κορου ἡδονης, οὐ της κατα την πειναν πλησμονης, και γευσασθαι, ἱνα δια παντων διελθῃ,* quem ipſe Reiskius, niſi multis interponendis, ſarcire neſciebat, Editor ſic explicat: corpus eſſe avocandum ab illa voluptate, quae e nimia ciborum copia naſcitur, *ὀυ της* — (ſublata diſtinctione maxima,) non ab ſatietate, quae eſt *κατα τ. πειναν*, quae ad famis tantum depulſionem pertinet, (vel *κατα τ. πενιαν*, quae minimis eſt contenta, ut naturae paupertati ſuccurratur; conf. L. 3. §. 27.) Haec bene ſe habent. At reliqua vix commode intelliguntur. Pergit enim ſic: et ſic experiri, ut vera illa voluptas (*ἡδονη ἀκραιφνης*) per omnia ſe extendat, totamque mentem ac corpus permeet. Nos ex coniectura Fogerolli *μη* (non *αἰσθησιν*) poſt *ἱνα* aſſumimus, nihil praeterea in verbis poſtremis, niſi quae in ſuperioribus commendata erat, temperantiam, quaerentes, cum ſenſus hic ſubeſſe videatur: oportere cibo tam parce frui, ut tantillum modo eius, quod praeſto ſit, quod apponatur, nedum totum abſumatur; aut forte *δια παντων* ad genera ciborum pertinebit, ut adeo non quolibet cibo, v. c. carnibus, veſci liceat. §. 57. n. 1. nota quidem occurrit obſervatio de verbo *ὑποστελλεσθαι*, qua docetur, eſſe in eo eiusmodi diſſimulationem, quae ex metu proficiſcatur; at vero vel exemplorum cauſa, quae afferuntur, ſi qui legerit, haud eum poenitebit. Lib. 2. §. 6. Locum difficillimum ingenioſa

con-

coniectura ſanare tentabat Cl. Reiskius, quam heic adſcribere placet, ceteris, quae ibi habentur, lecturo relictis. Nimirum in libris legi ſolet: *πομπευει γαρ ειλυσπωα αγρωσεις επι πορηιων ηγηρεως, ὀσπρεα δρυς — — ηγητηρια* — Is vero putat, in *ειλυσποα* latere Scholium, illud quidem, cum in textum irreperet, depravatum; nam vocabulo *αγρωστεως* adſcripſiſſe aliquem in ſuo Codice *ειδος ποας*, quo doceret, eſſe herbae quoddam genus: *ηγηρεως* eſſe tollendum, *ηγητηρια* autem ſic emendandum, ut legatur *επ'* (*επι* ſc. *επομπευεν*) *ητρια*. §. 21. Ceteris palmam in verbis; *μαρτυρουσι δε ταυτα ου μονον υπο των εν κυρβεων στηλων* — Noſtrum pene dixerim praeripuiſſe, legentem *ὑπο των* (ſc. *θυσιων*) *εκ κυρβεων και στηλων*, quae duo vocabula, quemadmodum exemplis docet, Platoni et Euſebio iungi ſolent, conſentientem habens Cl. Abreſchium, qui aliud ex Themiſtio exemplum adiecerat. Referuntur eodem in loco litterae Cl. Rhunkenii ad Noſtrum ſcriptae, in quibus docet, librum *περι ευσεβειας*, quem Voſſius, alii, per errorem Theopompo Hiſtorico tribuerunt, habere Theophraſtum autorem. §. 29. n. 8. oſtenditur, proprie eos dici *επερωτᾳν τον θεον*, qui oraculum conſulunt: Thuc. 1, 118. *πεμψαντες ες Δελφους επηρωτων τον θεον*. §. 32. n. 3. inſigne occurrit exemplum ingenii et ſolertiae Editoris in locis pene deſperatis ita explicandis, ut nulla tamen verbis ipſis fiat iniuria, modo a conſueto conſtruendi ordine paululum diſcedatur. Nimirum ſcripſerat Porphyrius: *παλιν αξιωθειημεν αν εις ουρανον και το συμπαν γενος των εν ουρανῳ θεων, ους νυν ὁρωντας τιμωμεν τουτοις*, (ſic enim Fogeroll. et Valent. pro *τυτυς*) *αν συναιτιοι χαρπων ἡμιν ισων* etc. Reiskius hic multa interferebat, at noſter locum tuetur, legendo: *αξιωθ. αν. εις ουρανον* (pro *εν ουρανῳ*) *και τιμων παλιν το συμπ.* — *ὀυς* (pro *τους*) *νυν ὁρωντας τουτοις* (ſc. *ἡμας τιμαν*, *αν καρπ. συν.* — *απαρχομ*: *μεν κατα παντων* etc. Similem ingenii vim Lib. 3. §. 6. n. 4. adhibuiſſe videtur, quem Lectoribus legendum relinquimus. Idemque facit §. 12. n. 2. tollenda, ut ſaepius, interpunctione, verbisque in conſtruendo aliter diſponendis. Nec certe diſpli-

cebit

cebit §. 13. n. 1. levis mutatio τȣ ἔπειτα in ἐπει, cum ſenſus inde, quemadmodum explicat, commodus naſcatur. Sed haec hactenus.

PSALTERIUM SYRIACUM. RECENSUIT ET Latine vertit THOMAS ERPENIUS, Notas Philologicas et Criticas addidit IOANNES AUGUSTUS DATHE, Profeſſor Linguae Hebr. Ordin. in Academ. Lipſ.

Halae, ſumtibus Orphanotrophei, MDCCLXVIII.
1 Alph. 8. mai.

Non eſt quod vereatur doct. *Dathius*, ne labor, moleſtus ſane, et perdifficilis, in hac Pſalterii editione ſuſceptus, viris doctis et linguarum orientalium peritis diſpliceat, aut inutilis videatur. Etenim dudum ab ipſis deſiderata fuit peculiaris V. T. Syriaci editio, quae cum faciliorem copiam daret, de pretio verſionis Syr. accuratius iudicandi, tum apud alios, in primis S. literarum ſtudioſos, uberiorem linguarum Orientis cognitionem aemulantes, et ſupra vulgus ſapere cupientes, ſtudium excitaret, totius verſionis legendae, et ad criſin V. T. accuratioremque linguae Hebr. ſcientiam diligentius adhibendae. Cui deſiderio ex parte hoc libello ſatisfecit Cl. Dathius, vir acutiſſimi iudicii, plurimae induſtriae, quodque in primis V. T. interpretem decet, praeclarae et non vulgaris linguarum orientalium omnium eruditionis; atque ita quidem ſatisfecit, ut ſpem facere poſſimus certiſſimam, fore, ut ſtudium, in hoc labore collocatum, et viris doctis ſit iucundiſſimum, et adcognitionem linguae Syr. atque adeo accuratiorem V. T. interpretationem fructuoſiſſimum. Quod ut eo luculentius intelligatur, virorumque doctorum ipſius libri legendi cupiditas incendatur, paullo accuratius totius libri argumentum indicabimus, et quam in

eo edendo rationem, quodque conſilium, et quomodo ſecutus ſit, paulo copioſius exponemus.

Ac primum quidem praefatio, cum, ut omne id, quod in hoc libro praeſtitit, plena ſit varia eruditione, quae ſe utilitatis, et novitatis etiam gratia commendet, digna nobis viſa eſt, in qua diutius moraremur. Abſolvitur autem quatuor omnino partibus: prima agit de aetate verſionis Syr. altera de auctore, de uſu critico tertia, conſilium denique, quod in Pſalterii editione ſecutus ſit, enarrat ultima.

Antequam vero de priori parte exponat, ipſe quid ſentiat, profert, laudabili, quae ei propria eſt, modeſtia, dubitationes, easque, ut nobis quidem videtur, valde graves, contra coniecturam, novam ſane, et eleganti ingenio S. R. Semleri dignam, qui nuper P. I. Praeparationis ad Theol. Hermeneut. pag. 382. ſq. repudiatis narrationibus Syrorum, ad Salomonis usque tempora, aut ad Chriſti aetatem Verſionis Syr. antiquitatem referentium, tempus ei aſſignavit longe poſterius, exiſtimavitque, eam probabiliter factam eſſe ex Origenis Hexaplis, adeoque non longe poſt eorum editionem, ex laterculo, in quo textus hebraicus literis hebraicis ſcriptus fuerit. Cuius coniecturae tres attulit rationes, quarum prima nititur verſione Syriaca loci Gen. I, 1. *initio creavit Deus* ܝܳܬ ܫܡܰܝܳܐ ܘܝܳܬ ܐܰܪܥܳܐ *coelum et terram*, quae verſio ad Aquilae ἀκρίβειαν formata ſit, vertentis: σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν. Sed egregie monet Dath. primo, Syrum interpretem admodum raro, ſcilicet praeter hunc locum ſepties tantum, iſto ܝܳܬ ad exprimendum hebr. את uſum eſſe, ſed potius alias, ut ſtatim in verſibus ſequentibus huius ipſius cap. non ita hebraice, aut potius chaldaice (nam eſt Chaldaeorum paraphraſtarum ית) vertiſſe, ſeque in ceteris linguae Syr. bene peritum probaſſe. Hanc igitur iſtius formae raritatem per totam verſionem ſimplicem haud obſcure indicare, illam in paucis his locis invito quaſi auctori excidiſſe.

diſſe. Fortaſſe etiam interpretem, quia gente Iudaeus fuit, illud ית patriae linguae proprium, non omnino ignotum Syrorum linguae exiſtimaſſe. Deinde non intelligi poſſe, ſi Syrus interpres iſtam nimiam Aquilae ἀκρίβειαν ante oculos habuerit, cur omnis iſta imitatio tantum intra voculam ית ſubſtiterit, cur non etymologias vocabulorum hebr. ut ille conſtanter fecit, in ſua verſione indicaverit, ſed potius textum hebr. eiusque verum ſenſum ſecutus ſit, quod multis exemplis probavit Cl. D. in his Pſ. II, 12. V, 5. 11. reliquis, in quibus Aquila etymologiam, Syrus genium linguae ſecutus eſt. Ex his locis, et longe pluribus, luculenter patet, hunc verſionem ſuam non ad vitioſitatem illius compoſuiſſe.

Sequitur altera ratio Semleri, eaque inde ducta, quod Gregorius Bar-Hebraeus, aliique ſcriptores Syri, Origenis Hexaplis cum notis eius criticis ſemper uſi ſint, immo MSS. exemplaria Syriaca et Arabica cum illis notis et ſignis Origenianis extent, ex quibus magna illa textus graeci confuſio non infeliciter poſſit corrigi. Id veriſſimum quidem putat Dath. ſed negat inde colligi poſſe, verſionem ſimplicem ex Origenis Hexaplis eſſe factam. Uſus enim verſionis graecae notarumque Origenis toto coelo differt ab aetate verſionis ſimplicis, de qua quaeritur. Praeterea ex eodem Gregorio, quem locum affert D. luculenter patet, uſum verſionis graecae fuiſſe tantum inter Syros occidentales doctiores, eundemque non attigiſſe aetatem uſus atque auctoritatis verſionis ſimplicis, cuius aetas antiquitus potius ex hoc ipſo uſu atque auctoritate, quam tuita eſt, poſtquam nova verſio Syriaca ex ſeptuaginta virali facta, innotuerat, huic, atque adeo operi Hexaplari Origenis ipſi, praeponenda videtur.

Huic argumento Semleriano ſimile eſt ultimum, ſcilicet, fieri vix potuiſſe, ut interpres Chriſtianus textum hebr. Iudaeorum, de quibus Chriſtiani multas ob cauſas male ſentiebant, praeferret Hexaplis Origenis, viri ſummi, et maxi-

mae auctoritatis, cuius opus poſtea quoque ab interpretibus Syris ſaepiſſime ſit adhibitum. Cui Dath. ita reſpondet: *Primo, quis non videt, Virum Cl. ſumere in hac ratiocinatione id ipſum, quod eſt in quaeſtione, nempe aetatem verſionis ſimplicis poſteriorem eſſe Hexaplis Origenis. Etenim interpreti Syro optionem tantum relinquit inter textum hebr. qui in Hexaplis Origenis legebatur, et inter Codd. hebr. Iudaeorum eiusdem aetatis. Deinde, quid impedit, quo minus interpres ipſe fuerit Ex-Iudaeus, qui vel non haberet copiam Cod. Hexaplaris, vel malebat uti Codice et textu cui erat adſuetus.* In eo quidem aſſentitur Semlero, ex fragmentis, quae apud doctores veteris eccleſiae ex Hexaplis Origenis ſub nomine του Συρου commemorentur, nihil poſſe tuto ad aetatem verſionis ſimplicis colligi. Etenim ut certo dici nequit, utrum Origenes ipſe illam notam in opere poſuerit, an Patres ſequioris aetatis lectiones verſionis Syriacae, quaecunque illa fuerit, margini Hexaplorum adſcripſerint; ita certiſſimum eſt, iſtas lectiones non pertinere ad verſionem Syrorum ſimplicem. Quod ut pateret, recenſuit p. XVI. ſq. lectiones του Συρου, quas hoc nomine Patres ex Pſalmis laudant, eas certe, quae a Monteſalconio collectae in Hexaplis extant, indicata ſimul lectione verſionis ſimplicis. Atque hic tanta varietas conſpicitur, ex qua facile quisque poſſit intelligere, non eſſe verſionem Syrorum ſimplicem, quae Syri nomine in Hexaplorum fragmentis laudatur.

His praeclare demonſtratis, ſuam profert de aetate verſionis ſimplicis ſententiam. Tantam quidem eam non eſſe putat, quantam ei Scriptores Syri tribuunt, neque etiam Origene iuniorem: ſed media via incedit, atque ei tempus aſſignat ſub finem Sec. I. aut initiis II. Quod quidem tempus diſerte non determinat, ſed tamen ex iis, quae dixit, id poteſt ſatis perſpicue colligi. Non omnino repudianda ipſi videntur teſtimonia Syrorum de aetate verſionis ſimplicis, *non ut plane iis aſſentiatur, ſed ut eam eius aetatem, quae quidem ei per reliqua facta hiſtorica tribui poteſt, his teſtibus non*

temere

temere neget. Etenim de origine verſionis ſimplicis aeque inter eos conſtare debuit, ac de alterius ex graeco factae, ſi utraque communem fontem, Hexapla Origenis, habuiſſet. Quum vero huic non maiorem, quam vere habet, aetatem tribuant, cauſa patet nulla, cur illam ad remotiorem aetatem retulerint, ut ei maiorem auctoritatem conciliarent? Ea iam tum fuit maxima; quod ipſum antiquiorem aetatem prodit. Quod vero Syri ei originem adeo remotam tribuunt, id videtur factum eſſe ex defectu teſtimoniorum hiſtoricorum, quibus tamen non prorſus deſtituuntur ii, qui aetatem eius ad finem Sec. I. aut initia II. referunt, ut Pocockius et Waltonus, apud quos haec teſtimonia, qui velit, poterit legere.

Pergimus ad alteram quaeſtionem, aeque difficilem, *de auctore huius verſionis, utrum Iudaeus fuerit, an Chriſtianus, utrum unius, an plurium in ea conficienda partes fuerint?* In qua quidem tractanda ita verſatur Dath. ut, breviter commemoratis Syrorum teſtimoniis, diverſis illis, atque adeo incertis, ea argumenta proferat, quae, cum hiſtorica extent nulla, ex ipſius verſionis indole petita ſint. Interpretem igitur fuiſſe putat gente Iudaeum, patria Syriae partis incolam, religione Chriſtianum. Ac primum quidem maxime probabiliter inde colligit, quia interpres, ut facile intelligi poteſt, ſi verſio Syr. una continuatione legatur, linguae hebr. fuit peritiſſimus, qui ut ſenſum verborum hebr. ipſe vidit, ita eundem non quidem ſemper, (nam interdum etiam erravit, quorum errorum alias, quam ignorantiam, cauſas eſſe patet, ſed tamen utplurimum, clare indicare conatus eſt; quae peritia non Syrum arguit, nam cur Syri operam darent linguae iam dudum mortuae? ſed potius interpretem ex Iudaeis, qui a prima pueritia imbuere ſolebant liberos lingua maiorum. Quoniam vero uſus eſt dialecto Aramaea, ſ. Antiochena vel Comagena, inter reliquas elegantiſſima, eum partis illius incolam fuiſſe, cum magna veri ſpecie colligitur. Nec probabilitate caret, quod Chriſtianus fuerit. Solet enim

ſaepe tropos verbis propriis exprimere, aut cum aliis faciliori-bus mutare, ut Pſ. XVIII, 3. et fere ſemper in eiusmodi nominibus, quae Davides Deo tribuit ad ſpem ſuam indicandam, v. c. petra, et reliqua; quae breviter dicta ſunt, uberius explicare, ut Pſ. XLIX, 15. interrogationes affirmantes in propoſitiones affirmantes mutare. Quid? quod Pſ. CX, 3. fidem ſuam de aeterna filii Dei generatione a patre teſtatur; quae omnia non facile exſpectes ab homine Iudaicae religioni adhuc dedito. Alteram huius quaeſtionis partem, pluresne, an unus tantum huius verſionis ſit auctor, ita tractat Cl. D. ut non quidem ſimpliciter neget, verſionem Pſalmorum admodum diſcrepare a verſione Pentateuchi, ceterorumque librorum, quod quisque harum rerum peritus facile poteſt intelligere, ſi leviter modo hanc verſionem inſpexerit. Neque enim ullus verſionis Syr. liber, praeter unum Pſalmorum, tot habet verborum tropicorum difficiliumque explicationes, tot errores ſcribarum, magnum a recepta lectione diſſenſum efficientes, tot denique hallucinationes interpretis, aut vitia codicis, quo uſus eſt, ex literarum ſimilium confuſione orta. Atque haec diverſitas poteſt ſane ſuſpicionem movere, uno plures fuiſſe interpretes. Verum non ita eſt. Aliunde enim, quam ab auctoribus diverſis, originem trahere potuit haec diverſitas, ut ex coniectura oſtendit Vir Cl. non imbrobabili, et valde ingenioſa. Non quidem aſſentitur Rich. Simonio, qui Syros accuſat auctores inaequalitatis obviae in verſione ſimplici, quippe qui eam paſſim correxerint ad verſiones alias, ipſis uſitatas, et ex verſione τῶν ό factas. Quam quidem correctionem, ſive interpolationem, non prorſus negat D. nec tamen eam factam eſſe putat in huius generis lectionibus, de quibus iam quaeritur, nimirum, quarum ratio ex diverſa lectione peti nequit, et quae a verſione graeca diſſentiunt. Deinde, cur plures in Pſalmis occurrunt eiusmodi mutationes, quam in reliquis libris, atque etiam in quibusdam Pſalmis plures, quam in aliis, ſi Syri verſionem ſimplicem ſeptuagintavirali conformem reddere voluerunt? Cauſam

ſam igitur inſoliti huius diſſenſus repetendam eſſe putat ex frequentiori uſu Pſalmorum, in ſacris publicis praelectorum, ac propterea peculiaribus voluminibus a Syris Chriſtianis deſcriptorum: quo factum ſit, ut partim in parvos hoſce Pſalmorum libellos plures ſcribarum aberrationes irreperent, quod frequentius deſcripti fuerint; partim ii, qui eos ſibi deſcribendos curarint, margini explicationes vocum phraſiumque difficilium adſcriberent, quae deinde, ut factum eſt in aliis libris, textui ipſius verſionis ſint inſertae. Quae coniectura ut eſt in ſe probabilis, fit tamen probabilior ex eo, quoniam, cum in deſcriptionibus rituum obſervandorum a Syris in ordinandis eccleſiae miniſtris, ſaepe mentio fit Lectionariorum et Pſalteriorum, ſatis tuto colligi poteſt, eccleſiaſticos huius generis libros vere apud Syros fuiſſe in uſu. Atque ex eiusmodi Pſalteriis edita eſt verſio ſimplex in Polyglottis Pariſ. et Anglicanis. Ex his igitur colligit, in Codd. integris verſionis ſimplicis, qui Pſalmos non in hunc uſum eccleſiaſticum ſcriptos contineant, neque ex eiusmodi libello deſcripti ſint, cuiusmodi Codd. aliquos commemorat le Long, librum Pſalmorum fortaſſe multo cum minoribus mutationibus legi, adeoque hanc partem huius verſionis non magis, quam reliquas, a textu hebr. diſſentire.

Veniamus ad tertiam quaeſtionem, *de uſu critico* huius verſionis. Ac neque inhac aſſentiri potuit Simonio, qui exiguam omnino huius verſionis utilitatem eſſe iudicat, ob vitia ſcribarum, paſſim obvia, interpolationesque ad verſiones Syriacas et Arabicas, factas ex graeca. Quodſi enim propter has cauſas verſio aliqua ſua deſtituatur ad rem criticam utilitate, ſane nulla ſupereſt ex univerſa antiquitate, ex qua fructum aliquem ſperare poſſis. Nam omnes eiusmodi mutationibus et vitiis ſcatent. Immo vero plura deprehendi dicit in verſione τῶν ό, quam in verſione ſimplici Syrorum, quod luculenter patet ex collatione utriusque verſionis, ſi modo in uno Ieſaiae libro inſtituatur, in quo Syrus interpres plerum-

plerumque cum in univerſum, tum praecipue in locis c. IX. XXV. XXIV, 3. in quibus, ut in toto Ieſaiae libro, οἱ ό tantopere hallucinati ſunt, cum textu hebr. conſentit, et ſenſum dat planum et perſpicuum. Ac propter has ipſas cauſas plane non audiendus eſt Gregorius Bar-Hebraeus, qui parum honorifice iudicat de hac verſione, eamque *concuſſum fundamentum* vocat, permotus, ut haud obſcure intelligitur, nimio erga verſionem graecam favore. Longe aliter ſentiunt alii, iique celeberrimi Syrorum doctores, qui maximopere laudant hanc verſionem, eiusque dotem praecipuam commemorant hanc, quod textui hebr. bene reſpondeat. Id quidem negari nequit, neque etiam a doct. D. negatur, paſſim eam ex aliis verſionibus eſſe interpolatam, nec tamen ita interpolatam, ut omnem ipſi denegare poſſimus auctoritatem criticam. Quodſi enim interdum conſentit cum verſione graeca, id ex Codicum diverſorum conſenſu habere poteſt originem; ad quod recte dignoſcendum *iudicio critico* opus eſt, ſine quo omnino parum in his rebus proficitur. Et profecto requiritur adhuc, quod valde probat Cl. Dathius, Semleri iudicium, criticum huius verſionis examen, idque, quam quidem factum eſt, accuratius, antequam uſus eius ad collationem cum textus hebraei, tum reliquarum verſionum antiquarum, tutus eſſe et fructuoſus poſſit. Quem laborem, quantum quidem poſſit, in ſe ſuſciperet D. doct. vehementer optandum eſſet, in primis cum iam in hac Pſalterii editione laudabile fecerit initium. In qua quid praeſtiterit, nunc reſtat dicendum.

In textu Syr. deſcribendo, et verſione lat. adiicienda, ſecutus eſt exemplum editionis Erpenianae Pſalmorum, quae quaternis Lugd. Bat. prodiit MDCXXV. cui tamen plane novam dedit ſpeciem. Primum enim vocalium notas adſcripſit, quibus editio Erpen. caret, ut neque tirones, neque magis exercitati, primo ſtatim adſpectu moleſtiae fuga a lectione deterrerentur. In quo quidem labore, taedioſo ſane et valde moleſto,

moleſto, ſecutus eſt lectionem, quam Angli in Bibliis Polyglottis vocalibus adiectis indicarunt, quamque b. Michaelis in Syriaſmo regulis comprehendit. Propter hanc cauſam puncta diacritica, quibus inſtructus eſt textus Erpenianus, et quae Syri, cum ſine vocalibus ſcribunt, literis quibusdam adiicere ſolent, ad genera et perſonas in verbis facilius dignoſcendas, delevit, relictis tantum punctis Ribbui et ſubſcripta literis, ubi regulae grammaticae requirunt, linea occultante. Tertio literis Eſtrangulo, quibus numerus Pſalmorum in editione Erpen. indicatur, mutavit cum uſitatioribus, verſuumque numeros ex ordine Syrorum omiſit. Sphalmata denique, quae in Erpenianum textum irrepſerant, non multa quidem, ſed nonnulla tamen, correxit. Obſervarat in transſcribendis vocalium notis ex textu Anglorum ad Erpenii textum frequentem diſſenſum Codicum, quibus Angli uſi ſunt, ſcilicet unius Uſſeriani, et duorum Pocockianorum, ab Erpenianis valde diſcrepantium. Igitur ab initio libri usque ad finem omnes lectiones diverſas diligenter annotavit; quae, etſi non ſunt ſemper maximi, nec tamen nullius momenti. Contulit etiam quosdam ex Pſalmis cum Cod. MS. Bibliothecae Orphanotrophei Hal. (nam quo minus omnes conferret, impediit eum nimis ſera eiusdem oblatio,) ſed nullas obſervavit varias lectiones, niſi leviores, attamen inſcriptiones alias, quam quae in Polyglottis Lond. leguntur, easque ut plurimum breviores. Ceterum inſcriptiones, ſicut etiam Erpenius fecit, plane omiſit, quia ſunt nimis longae, nec magnae utilitatis, ſed verſionem addidit Erpenianam, tenacem eam quidem verborum Syriacorum, et parum latinam, ſed tamen ad ſignificatum vocabulorum cognoſcendum non inutilem, quippe quae eſt inſtar indicis, quem iuſtis de cauſis doct. D. non placuit addere. Nec tamen prorſus immutatam adiiciendam curavit verſionem Erpenii, quin potius in multis locis correctam et emendatam, cuius rei ſpecimina quaedam infra dabimus. Ac propter has mutationes, quas experta eſt editio Erpeniana, magnum profecto huic Pſalterio

rio Syr. ſtatuendum eſt pretium, maximum tamen propter notas, quas D. addidit, quarum nunc quasdam afferemus, ut de iis iudicare poſſint lectores.

Sunt autem duplicis generis, vel criticae, vel philologicae, in quarum priori deſeruit Auctor morem plurimorum Criticorum, res minutas et nullius utilitatis anxia cura enarrantium, aut ſterilem quendam coniecturarum indicem exhibentium. Ampla ſane ipſi data fuiſſet obſervationum materia. Sed praecipuas tantum commemoravit, *quae fortaſſe non cuivis lectori ſtatim in mentem venirent, aut attentionem eius dirigerent, aut viam oſtenderent ad alia loca rectius diiudicanda.* In his igitur vel emendat loca vitioſa verſionis Syr. et quid legerit interpres in textu hebr. et unde vitioſitas orta ſit, plerumque coniectura indicat, quae ingenium Auctoris et acumen prodit; vel lectiones Syri faciliores receptisque meliores commendat, ea tamen, quam iam in ipſo laudavimus, modeſtia, et quae decet Criticum, in primis librorum S. vel in locis memorabilioribus conſenſum Syri ad vindicandam receptae lectionis integritatem commemorat; vel denique, ut paulo ante diximus, diſſenſum, qui eſt inter textum Erpenianum et Anglicanum, diligenter obſervat, adhibitis ſemper ceteris V. T. interpretibus antiquioribus. Ac prioris quidem generis ſunt: Pſ. II, 9. ubi pro תְּרֹעֵם, confringes eos, Syrus legit: תִּרְעֵם, paſces eos, ut et οἱ ό et Arabs, ſed Chaldaeus cum noſtra lectione conſentit. Pſ. IV, 7. ſecundam perſonam Syrus mutavit in tertiam: *expandet* ſuper nos lumen faciei *ſuae*, quae mutatio inde orta eſt, quod cum ultimo huius verſus vocabulo, *Iova*, ſequentem verſum incepit, atque haec verba, ſicut proxime antecedentia, pro verbis optantium ſalutem habuit. VII, 7. loco בְּעַבְרוֹת, literis transpoſitis, et ב cum פ mutato, legit: בְּעָרְפּוֹת, vertitque: ſuper cervicibus. Male! nam עֹרֶף eſt maſcul. XV, 3. loco וְחֶרְפָּה legit: וְשֹׁחַד, quae lectio, haud dubie ex v. 5. orta, non eſt probanda, cum ob

con-

conſenſum interpretum omnium in noſtra lectione, tum ob contextum. XVIII, 46. יַחְרְגוּ vertit: claudicarunt, ut *οἱ ό* et Arabs, literis transpoſitis legit יחגרו, quod Chaldaice et Syriace eſt claudicare. XXXI, 4. male Syrus תְּגַחְבִּי confudit cum תְּכַחֲמְבִי et praeterea ultimum verbum תְּבַחֲלְבִי prorſus omiſit. Utrumque recte legerunt *οἱ ό* et quoad ſenſum bene verterunt. XXXVIII, 20. pro חַיִּם legit: חִזִּים. XXXIX, 2. pro מַחְסוֹם legit: מַחְשָׁא, literarum non magno diſcrimine, aliisque punctis ſubiectis. Non melius *οἱ ό*. Interdum deceptus fuit interpres noſter, aut Codex, quo uſus eſt, vitia multa habuit, ex ſono ſimili vocabulorum orta: v. c. Pſ. XXXVIII, 19. omnes interpretes אֶדְאַג vertunt: ſollicitus ero, ſed ille: mundabor. Scilicet non multum differt quoad ſonum ab אֶדְכָּא, cui hebr. זכה reſpondet. Hoc igitur Syrus in textu hebr. legit, aut legere ſibi viſus eſt, quanquam דכא in linguis chald. et ſyr. tantum eſt in uſu. XXXIX, 12. loco עָשׁ, tinea, legit קַשׁ, ſtipula. XLIX, 9. pro חדל legiſſe videtur עמל, quae lectio ex confuſione duarum literarum gutturalium ח et ע, gutture rauciori ex more Orientalium pronunciatarum, facile oriri potuit, et ד cum מ mutata. Confudit Syrus etiam verba, ſuae linguae propria, cum verbis hebr. ut Pſ. XXXIX, 3. verbum Syr. חַשׁ doluit, cum hebr. חָשָׁה, ſiluit. LXX, 4. loco עַמּוּדֶיהָ legit עמוריה, vertitque: incolas eius, ex ſignificatione Syriaca, quam lingua hebr. ignorat. LXXXIX, 48. חֶלֶד vertit: fovea, quae ſignificatio linguae Syr. propria eſt, hebraeae inuſitata. Alias recte vertit; hl. autem error ortus eſt ex eo, quod loco מָה legit מִן. Interdum addit interpres noſter quaedam, ut Pſ. CVI, 29. integrum comma, quod tamen apud nullum interpretem antiquum reperitur; continet autem explicationem praecedentis. Idem fecit CXIX, 48. ubi tamen *οἱ ό* etiam eiusmodi additamentum videntur legiſſe, quamquam non omnino idem. Pſ. CXLV, qui eſt alphabeticus, omiſſa eſt in textu hebr. una litera נ. Sed Syrus hunc defectum

ſupplet, et v. 13. ſubſtituit integrum comma, in quo conſentientes habet omnes interpretes veteres, uno Chaldaeo excepto. Nec tamen in ullo Cod. reperitur. Sumtum autem eſt prius eius membrum ex Deut. VII, 9. poſterius ex v. 17 huius ipſius Pſalmi. XLV, 13. explicationis cauſa ex v. antec. repetit: ſupplicabit tibi; quae explicatio, ſive lecta fuerit in Cod ſive non, placet D. Eadem ratione ὁι ὀ, modo in Plur. Omiſit etiam nonnulla, interdum ſingula verba, ut Pſ. X, 9. יַחְשֹׁף עָנִי, male! quia hoc modo magna vis et elegantia ſermonis periret. XXVII, 11. לְמַעַן שׁוֹרְרָי, quae verba ὁι ὀ bene exprimunt. In eodem Pſ. v. 13. omittit verbum notabile לוּלֵא, ut omnes interpretes, praeter Chaldaeum; interdum vero etiam verſus integros, ut Pſ. LX. ult. et CIX, 10. quem tamen, ut et illum, reliqui interpretes omnes habent, quanquam hunc cum aliqua mutatione. Interdum in uno eodemque verſu omittit quaedam, et ſubſtituit alia, ut XXXV, 7. in quo ceteri interpretes cum textu hebr. conſentiunt.

Haec ad notas, in quibus textum verſionis Syr. correxit. Veniamus ad eas, in quibus lectiones *Syri* probat, receptisque praeferendas, vel faciliores eſſe oſtendit. Pſ. XI, 1. legit נוּדִי et הָרִים pro הַרְכֶם, quo ſenſus commodus efficitur, ſcilicet: fuge in montes ſicut avis, i. e. quam celerrime. Eodem modo ὁι ὀ et Aquila. Originem lectionis receptae inde repetit, quod lectum fuerit: נודי הר כמו צפור, et ſcribae vitio duae literae particulae כמו ſubſtantive הר iunctae ſint. XXII, 6. יָפִיחַ aliter legit, fortaſſe: אוֹפִיעַ, aut: הוֹפִיעַ, ita et ὁι ὀ et Symmachus, quo ſane ſenſus facilior efficitur. XXVIII, 8. pro לָמוֹ, cum τοῖς ὀ, Arabe, et Vulgato legit: לְעַמּוֹ, quod contextus et locus parallelus Pſ. ſeq. v. 11. requirere videtur. XXX, 13. כָבוֹד vertit in accuſat. cum in hebr. textu ſit nominat. hoc modo: *pſallam tibi gloriam*, ex verſione Erpenii. Ad hunc verſum egregiam obſervationem reperies de ſignificatu poetico

vocis

vocis מבור, pro anima, quam tamen non hl. ſed tum tantum obtinere putat, quando affixum habet pronomen primae perſonae. LXXIX, 7. cum reliquis interpretibus antiquioribus omnibus, loco: אכל legit: אָכְלוּ, quam lectionem praeter contextum, et allegationem huius ipſius loci Ier. X, 25. confirmant etiam duo Codd. MSS. a Kennicotto laudati. LVI, 9. *Ponis lacrimam meam* בְּנֹאדֶךָ, *in utre tuo:* Phraſis plane inuſitata! Sed Syrus cum ceteris, praeter Chaldaeum, leviſſima mutatione facta, legerunt: בְּנֶגְדֶּךָ, aut: לְנֶגְדֶּךָ. CIV, 11. *Onagri ſitim ſuam* יִשְׁבְּרוּ, *frangunt*. Syrus: ישׂבעו ſatiantur, ſ. ſitim explent. Οἱ ὁ paulo aliter, ſed non ad Syri facilitatem. Nec tamen ubique varias lectiones ſibi viſus eſt reperire D. ſed admonet potius lectores ſaepius, ut diſcant ſibi cavere a κρίσει temeraria. Ita XXXVII, 31. putares, Syrum et ceteros pro תְּמִעַד legiſſe: תְּמַעֲרָבָה, aut ita legendum eſſe, propter ſequens Subſtantivum pl. num. אֲשֻׁרָיו. Sed non ita. Elegans enim eſt apud Arabes conſtructio nominis pl. cum ſingulari foem. gen. ut Schultenſius probavit, et clarum eſt ex multis locis. XCVII, 11. lectio textus hebr. אור זָרֻעַ Cappello ob metaphoram inuſitatam dura videtur. Syrus ſane et ceteri clarius: orta eſt lux. Sed recepta lectio non eſt ſollicitanda, modo teneatur, verbi זרע ut et cognatorum זרה et זרח ſignificationem primariam eſſe in *ſpargendo*. Inſunt etiam in hac verſione lectiones quaedam, quibus uti poteſt Criticus in lectionibus textus hebr. dubiis diiudicandis vindicandisque, ut Pſ. 40. ubi in notabili illa voce Singularem Syrus expreſſit. XXII, 17. ſtat pro lectione כרו ſ. כָּאֲרוּ. LV, 22. et aliae eiusmodi, de quibus diligenter admonuit Cl. D. In primis digna eſt obſervatio ad Pſ. CV, 28. quae in hanc rem legatur.

Obſervationes Philologicae, quarum nunc quoque ſpecimina quaedam dabimus, pertinent vel ad integra loca, vel ad ſingula verba, cum hebr. tum Syriaca. Prioris generis ſunt: ad Pſ. XVIII, 4. ubi probat explicationem Geieri: *mente*

fere alienatus ad Deum clamavi, cum ob initium v. 7. quod manifeſte refertur ad v. 4. tum ob ſimilem phraſin Pſ. LXI, 3. ad eundem Pſ. XVIII, 34. admodum probabiliter ex parallelismo ſententiarum, et loco Hab. III, 19. colligit, בָּמוֹתַי eſſe ſynonymum τοῦ רַגְלַי. v. 35. נְחוּשָׁה, in quo valde ſe torquent interpretes, deducit a נחת, et conſtruit cum זְרֹעֹתָי nomine plur. num. ex Arabismo et Hebr. atque ita ſenſus efficitur commodus, atque adeo elegans: *validiſſime attrahunt et incurvant brachia mea arcum aeneum.* Ad v. 41. prius membrum, quod Syrus non male explicat, ita vertit: *hoſtes meos mihi necandos tradis*, coll. Exod. XXIII, 37. et parallelismo ſeq. membri. XXII, 30. defendit in ultimis verbis, in quibus Syrus et οἱ ό legerunt: נַפְשִׁי, integritatem lectionis receptae, explicatque per ellypſin אֲשֶׁר, hoc modo: *qui animam ſuam h. e. ſe ipſum ſervare non poteſt,* ſenſu plano et facili. CXXXVII, 5. probat explicationem, quam interpres noſter dat verborum hebr. תִּשְׁכַּח יְמִינִי, adiecto affixo primae perſonae: *obliviſcatur mei dextra mea,* i. e. non amplius munere ſuo fungatur, luxetur, aut torpore corripiatur. Nam verſus ſeq. manifeſte hanc interpretationem confirmat, et ſimilis quoque phraſis eſt Iob. XXVIII, 4.

Haec de interpretationibus integrorum locorum et phraſium; venimus ad verba ſingula. Pſ. XIX, 4. vocem valde vexatam קַוָּם cum Pocockio interpretatur per clamorem, ex ling. Arab. in qua verbum קוי ſignif. clamare. Hinc veteres interpretes, hanc ſignificationem non ignorantes, ut οἱ ό, per φθόγγον exprimunt, ex quibus et Paulus ita Rom. X, 18. Symmachus per ἦχος, Hieronymus et Vulgatus per ſonum. XXXVII, 3. אֱמוּנָה intelligit de *ſecuritate*, hoc modo: tunc terram inhabitabis, et ſecura quiete frueris. XCI, 4. סֹחֵרָה ſignificare *clipeum*, cum ex voce צִנָּה, cui ut ſynonymum iungitur, tum ex etymologia oſtendit. Nam סחר in primaria ſignificatione eſt: *circumivit*, hinc ſecundariae, *negotiandi* in lingua hebr. et *mendicandi* in ſyriaca: de qua ad Pſ. CXXI, 7. latius egit. CXXXVII, 3. diligenter egit de voce admodum

dum difficili חלל, cuius ſignificationem primariam ex lingua Chald. vel Syr. repetit, in qua eſt: *exaltavit*, affertque fragmentum graeci cuiusdam interpretis anonymi, quod Druſius exhibet: οἱ καταλαζονευόμενοι ἡμῶν, *qui arroganter ſe gerebant adverſus nos*. Atque haec verſio noſtri loci bene conciliari poteſt cum ſignificatione exaltandi, ſi dicamus, hanc primariam ſignificationem translatam eſſe in lingua hebr. ad faſtum et elationem animi, eodem modo, quo Hebraei גבה uſurpant. Addere potuiſſet Vir Cl. etiam in lingua hebr. ut nobis quidem videtur, primariam ſignificationem non plane eſſe inuſitatam; occurrit enim Ezech. XVII, 22. ubi de monte dicitur, et τῷ גבה ut ſynonymum additur. Quod ſi ita eſt, multum ſane facit ad ipſius explicationem probandam. CXXXIX, 5. protulit eruditam obſervationem Schultenſii de verbo זרה, quod hl. ex lingua Arab. ſit: *cognoſcere*, ut etiam Syrus vertit; idque probat partim ex phraſi, Arabibus valde uſitata, qua *cingere aliquid ſcientia* dicunt pro: *accurate aliquid noſſe*, ſive ſimpliciter *cingere* pro *cognoſcere*, partim ex collatione verbi Arabici דרה, ſcire. CXL, 11. vocem ἅπαξ λεγ. במהמרות, quam Syrus omiſit, erudite illuſtrat ex lingua Arab. Scilicet a verbo חמר eſt ſubſtant. מחמר, quod omni ex parte reſpondet hebr. מַהֲמֹרָה et ſignificat effuſionem et impulſionem vehementiorem aquae, et ſpeciatim pluviae; atque haec ſignificatio, ut facile quisque ex contextu poteſt intelligere, aptiſſima eſt huic loco. His obſervationibus ſimiles ſunt, quibus dictionem Syriacam illuſtravit. Pſ. X, 17. docte agit de vocabulo ܛܘܝܒܐ, quod reſpondere monet graeco ἑτοιμασίας, omnemque apparatum ad alacriter aliquid agendum indicare, a quo deinde traductum ſit ad alias quoque res vitae communis. Igitur Syrus interpres non inepte *preces piorum* vocat *praeparationem ſ. potius apparatum cordis eorum*. atque etiam οἱ ό eodem modo, quanquam a textu hebr. alieno, hunc locum verterunt: τὴν ἑτοιμασίαν τῆς καρδίας αὐτῶν. Eodem verbo Pſ. XXI, 3. Syrus exprimit vocem hebr. ἅπαξ λεγο-

μένων אֲרֶשֶׁת quam οἱ ὁ per δέησιν verterunt, et Arabs שואלא, petitionem. LXVIII, 14. explicat vocem ܫܘܦܐ, quae eſt a ܫܦܐ, polire, limare, ſicut chald. שָׁפָה terere, atterere; hinc Subſtantivum in lingua Syr. ſignificat ſtimulum, ſ. ſpinam pungentem, quo nomine Orientales in ſtilo ſubliniori hoſtes ſolent inſignire, ut 1 Sam. XXIX, 4. In N. T. legitur 2 Cor. XII, 7. de ſtimulo Paulum pungente.

Reſtat, ut emendationum, quas experta eſt verſio latina Erpenii, pauca quaedam exempla afferamus. Pſ. V, 13. verba: ܐܝܟ ܣܟܪܐ ܡܩܒܠܬܐ verterat Erpenius: ſcutum complacentiae. Parum accurate! Nam nomen non eſt in ſtatu conſtructo, neque ܡܩܒܠܬܐ eſt nomen, ſed participium in Pael, quod in eadem forma legitur Luc. IV, 19. et in maſc. Pſ. XXII, 6. Igitur vertendum erat: ſcutum acceptum. XLI, 7. Erpenius, ut antecedentem verſum, *interrogative* verterat. Non bene! Nam ܐܟܠܐ ſequente? ut aliae particulae, ita conſtructae, amittit vim interrogandi. CXXIX, 3. ܢܓܘܕܐ non bene verterat: flagellantes, quia tum eſſe deberet Particip. in Pael, in qua coniugatione verbum ipſum hanc ſignificationem tantum habet. Sed hl. eſt nomen, flagellatio, plaga, cuius pluralis etiam in N. T. legitur. Deinde ܡܬܟܬܫܢܐ active verterat, cum contextus ſignificationem paſſivam requirat, quam etiam in quibusdam locis habet, quorum nonnulla hic allata ſunt. CXXXIX, 17. verſionem textumque ipſum mutavit doct. D. ſcilicet loco ܪܚܡܝܟ, miſericordiae tuae, ſubſtituit ܪܚܡܝܟ, amici tui, quae lectio eſt in Bibliis Angl. et textui hebraico conveniens. Sed haec ſufficiant.

ONOSANDRI STRATEGICUS AD CODD. MSST. *fidem expreſſus, et ex antiquorum Tacticorum potiſſimum collatione, notis perpetuis criticis emendatus, nec non figuris aeri inciſis illuſtratus, cura et ſtudio* M. NIC. SCHWEBELII.

Norib. 1762. fol.

Paullo ſerius indicamus librum, de cuius acceſſione gratulandum eſt reipublicae litterariae, potiſſimum criticae, ſed nihil, ſperamus, tarditate noſtri iudicii pretio eius ac laudibus deceſſurum. Nos quidem, qua in aliis iam uſi ſumus fide atque induſtria, eadem in hoc quoque recenſendo utemur. Partiemur autem rem omnem ſic, ut primum de univerſo Cl. *Schwebelii* conſilio aliquid diſputemus, deinde vero de ſingulis aliquot locis ſententiam noſtram dicamus.

Ante multos iam annos laudabile conſilium ceperat vir doctiſſimus, edendi huius Strategici; ſed deficiente, (ut fit,) bibliopola candido et liberali, (quot enim ſunt talium?) perfici res diu non poterat. Interim tamen, quum Scriptores huic inſtituto neceſſarios, cum cura iam pervolutaſſet, haberetque in promtu non modo excerpta e variis lectionibus quatuor codicum MSS. quos iam *Rigaltius* contulerat, verum etiam duo alios, Bavaricum et Nagelianum, et Florentini cuiusdam lectiones, praeterea accepiſſet ab Cl. *Oudendorpio*, Ioſ. Scaligeri et Iſ. Voſſii in Onoſandrum emendationes criticas: tandem adduci ſe paſſus eſt Lichtenſtegerus, Chalcographus Norimbergenſis, ut, ſuſcipiendis in ſe huius novae editionis ſumtibus, operis utiliſſimi evulgationem promoveret. In quo quidem Cl. Schwebelius verſatus eſt ſic, ut textum vulgarem, h. e. Rigaltianum, ſecutus, ſuam de locis corruptis, (qui in hoc libro fat multi ſunt,) ſententiam, in notis ſubiectis diceret. Ac negandum non eſt, has

notas eſſe longe doctiſſimas, et Cl. Schwebelium multa loca corrupta partim codicum ope, partim ingenii acumine, integritati ſuae reſtituiſſe. In quo non parum adiutus eſt, conferendis ſcriptoribus reliquis Tacticis, Arriano, Aeliano, Mauricio, Conſtantino Porphyrogenneta, ſed et aliis cognatis, ut Xenophonte, Polybio, Polyaeno, Frontino, et Vegetio, quos omnes, inſtituti huius cauſſa, eum diligenter legiſſe, non modo ipſius verba, (ut interdum in aliis vidimus,) ſed et ipſa res, et aſpectus libri docent. Maximum vero uſum ei praeſtitit Leonis Imperatoris liber argumenti eiusdem, cuius loca permulta ad verbum exſcripta ſunt ex Onoſandro. Atque utinam multi eſſent e veteribus, in quibus haec ratio locum haberet, quam in paucis quibusdam tam felici cum ſucceſſu a viris doctis adhibitam conſtat, velut in Paullo Oroſio, et aliis ſequioris aevi ſcriptoribus, ad emendandos antiquiores, Livium v. c. quos illi ſuo quidem dedecore, ſed magno poſteritatis criticae commodo, ad verbum ſaepe exſcripſerunt. Eſt enim ea ratio tutiſſima, ac tantum non codicum ipſorum vicaria, ut vel ex ipſa hac Onoſandri editione legentibus apparebit. Quod ad ipſas Cl. Schwebelii notas attinet, maxima pars earum ſunt e genere critico, eaeque, ut iam diximus, eruditiſſimae; pauciores e grammatico, quod ſenſum auctoris breviter declarat, et aliis exemplis illuſtrat; pauciſſimae reales, ut vocant, h. e. ad rem militarem aut prudentiam ſpectantes. Atque hae ipſae quoque, ſine ullo lectorum diſpendio, poterant abeſſe. Qui enim Onoſandrum graece legunt, profecto non ſunt ipſi milites aut duces bellici; qui vero huius generis ſunt, non legunt textum Graecum et notas, ſed verſionem Francicam. Nos optaremus potius, ut eorum loco maior eſſet copia grammaticarum, qui vere eſt campus, et quaſi fundus boni veterum editoris atque interpretis. Iam etſi Cl. Schwebelium diffiteri non poſſumus, multa verba ſingula Onoſandri bene explicaſſe, et locis parallelis copioſe illuſtraſſe, quod vel index Graecus, operi adiunctus, (quem confecit Cl. Gottlebe-

rus,

rus, ſcholae Annaemontanae nunc Rector dexterrimus,) abunde docet; tamen non adeo frequens eſt in eo genere, quod nos h. l. per grammaticum maxime intelligimus, h. e. quod SENSV LOCORVM explanando, et παραφραςικῶς vertendo, indicandis conſtructionibus raris ac difficilibus, συγχύσεσι, συνέσεσι, idiotiſmis, et huiuſmodi aliis continetur. Ac profecto, ſi uſpiam alibi, certe in hac editione genus hoc erat neceſſarium, propterea, quod placuit Cl. Editori verſionem latinam omittere. De criticis denique notis, quae ſunt et numeroſiſſimae, ut iam diximus, et optimae, hoc tantum monebimus, Schwebelium doctiſſimum ſaepius videri ſine cauſſa operoſum fuiſſe, partim in demonſtrando modo, quo duae voces cognatae figurae a librariis ineptis permutatae ſint, partim in confirmandis lectionibus. Nam illud prius hodie ab omnibus facile conceditur, nec, in ſingulis locis, demonſtratione nunc eget, poſtquam a tot viris doctis, in tot locis, demonſtratum eſt. In poſteriori vero, quanquam accuratiſſime verſatus eſt; tamen nimis interdum copioſus fuit. Nam etiam tum, cum incidit in lectionem manifeſte abſurdam, cui refragetur non modo aliquis codex, ſed et ipſe Leo, aliquot ſubinde loca ex auctoribus aliis citat, quibus vera lectio confirmatur. Cui bono? Reperimus huius rei exempla multa, v. c. p. 43. n. 6. ἐᾶν pro corrupto ἐτᾶν: p. 63. ἀνακόπτειν pro corrupto ἀνακάπτειν: p. 111. ἀδικῆσαι pro ἀδικεῖσθαι, quod ſenſui repugnat: p. 124. τοιαῦτα pro ποικῖτα etc. In his et ſimilibus locis pro vera lectione ſtat: 1) ſenſus ipſe et ratio, 2) conſentit unus codex aut plures, 3) favet denique Leo; quid pluribus opus eſt teſtibus? Cur citantur loca aliorum, duo vel tria, in quibus quidem pariter illa vera lectio occurrit, ſed longe alia de re ſermo eſt? An ſequitur inde, quod v. c. apud Polybium alicubi legitur: ἘΩΝ — ῥαθυμεῖν, ideo etiam h. l. legendum eſſe: μητ' ἀγχεῖν ἐᾶν, non ἐτᾶν? Nullo modo. — At haec vera huius loci lectio eſt, ἐᾶν. — Recte; ſed non propter illum locum Polybii, verum propter ſenſum, propter codicem, propter Leonem. Itaque

que haec copia nihil aliud, niſi ad augendam ſine cauſſa libri molem ac pretium pertinet. Ac volebamus etiam Cl. Schwebelium propter formam libri et figuras aeneas, quae ſine neceſſitate adiectae ſunt, reprehendere, niſi opportune incidiſſemus in *Harleſii Vitas Philologorum aetatis noſtrae*, e quibus didicimus, Vol. II. p. 126. non ſolere Noribergae ullum chalcographum ullius libri ſumtus in ſe ſuſcipere, niſi auctor addat figuras, vel nummos, vel alias imagines quascunque, ſive eae conveniant libro, ſive minus. Egregiam vero conſuetudinem, et noſtro aevo dignam! Quid prius doleamus? An virorum doctiſſimorum vicem, quibus tales librarii accidunt? An aevi noſtri barbariem, quae in media litterarum luce tam enormis eſt, ut ne ab ſtultiſſimis quidem conſuetudinibus, magno reip. litterariae malo, latum unguem recedatur?

Sed nunc veniendum eſt ad ſingula, ac de aliquot locis ſeparatim dicendum, ut ante promiſimus. — Pag. 4-5. de loco: „Καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς φρονήσεως, εὐτυχοίην τ᾽ ἄν, εἰ Α ΔΉ ΡΩΜΑΙ„ΟΙΣ δυνάμει καὶ δι᾽ ἔργων πρᾶξαι, ταῦτ᾽ ἐγὼ λόγῳ περιλα„βεῖν ἱκανὸς εἶναι δόξαιμι, habet coniecturam duplicem: alteram, ut pro δὴ reponatur δεῖ; alteram, ut pro Ῥωμαίοις legatur Ῥωμαῖοι; et, utra melior ſit, videtur dubitare. Nos quidem, ſine dubitatione omni, poſteriorem praetulerimus: primum, quia eſt ſimpliciſſima, et planiſſima, tollit enim, ſublata una littera σ, omnem difficultatem; deinde, quia prior, eſt quidem et ipſa plana, ſed tamen ſenſum non ſatis commodum efficit. Sermo enim h. l. non eſt de neceſſitate officii morali, quaſi dicat Onoſander, *quae Romanis facienda ſint*, ſed de phyſica potius, qua effectus quantitate reſpondent ſuis cauſſis, ac tales cognoſcuntur, q. d. *quae conſentaneum eſt, Romanos pro inſita et ubique cognita ſua virtute feciſſe.* Sed hoc ſenſu dicendum fuiſſet ἃ ΕΙΚΟΣ (ſc. ἐςὶν) Ῥωμαίους — πρᾶξαι, quod eſt verbum hac in re ordinarium, δεῖ autem hoc ſenſu, quantum quidem ſcimus, non facile occurrit;

curRit; neque id exempla a Cl. Schwebelio allata efficiunt; quippe quae omnia moralem neceſſitatem officii indicant, non illam, quam nos h. l. diximus. — P. 8. in verbis: ὧν ἀπόγονον ὑπάρχει Ῥωμαίων ἅπαν τῷ γένος, praefert lectionem alteram τῷ γένει, ſed perperam, noſtro quidem iudicio. Nam primum in vulgata plerique libri conſentiunt, qui conſenſus plurimum valet; deinde altera illa, quam exquiſitiorem putat, ne ſatis Graeca quidem eſt. Quanquam enim concedimus, Neutrum apud Graecos ſaepiſſime poni pro Maſculino, ut πᾶν τὸ ἐναντιούμενον pro πάντες οἱ ἐναντιούμενοι: tamen haec forma plane non ſimilis eſt alteri, Ῥωμαίων ἅπαν, ut putat Vir Cl. deeſt enim huic primum articulus, qui in illa ſemper adiicitur; itaque debebat eſſe ΤΟ ἅπαν. Deinde in illa altera Subſtantivum cum Adiectivo ſemper caſu convenit, non ponitur in Genitivo; itaque nec debebat eſſe Ῥωμαίων ἅπαν ſed Ῥωμαῖον ἅπαν. Porro in illa forma Subſtantivum ſemper poſtponitur; itaque debebat eſſe ἅπαν τὸ Ῥωμαῖον, non Ῥωμαίων ἅπαν. Denique neutiquam Graecum eſt: ἀπόγονόν τινος ὑπάρχειν τῷ γένει; et exempla, quae Vir Cl. hanc in rem citat, προσῆκον τῷ γένει, Βοιώτιος τῷ γένει, iterum huc non quadrant. Non enim quaeritur, an regatur bene graece Dativus τῷ γένει ab alia voce quacunque; id nemo negat, et exempla citata abunde docent: ſed an hic Dativus τῷ γένει recte regatur a ſuo coniugato ἀπόγονος? hoc negamus, ac propterea lectionem vulgatam retinendam arbitramur. Fatemur, has minutias eſſe, ſed eae tamen ad ἀκρίβειαν pertinent, quae ſumma eſſe in Criticis et Grammaticis debet. — P. 8. nobis valde placuere obſervationes de verbis: διὰ πείρας ἔργων ἐλθεῖν: p. 9. de ἀληθινοῖς ἀγῶσι: ibid. de verbo μηχανᾶσθαι: pag. 13. de his: πολυτελεῖς θεραπεῖαι: pag. 26. de verbo θεὸς συναγωνιστής: ibid. ad verba ἐν ἀρχῇ σοι Sunt enim ex eo genere notarum, e quo maiorem in hoc libro frequentiam ſupra deſiderabamus. — P. 28. habet coniecturam elegantiſſimam, ubi pro ἐπιτρέχειν χρὴ τῇ τύχῃ legit: ἐπιτρέπειν — τῇ τύχῃ, eamque, cum auctoritate

Leonis, tum argumentis grammaticis, egregie confirmat. Cui adeo ſubſcribere nulli dubitamus. — Par eſt ratio p. 34. ubi pró πάλιν, quod ibi vix ſenſum habet, πάνυ; et p. 35. ubi pro καθ' ἡμέραν, quod ineptum erat, quanquam refragantibus plerisque codicibus, repoſuit μεθ' ἡμέραν. Item p. 38. ubi contra omnes libros, pro τρυφὴν poſuit τροφὴν, poſtulante ſenſu. — Egregia eſt etiam Obſ. quam p. 39. exhibuit, et eadem de cauſſa in textum recepit, ἀπ' ȣ λαμπρᾶς, pro ἀπὸ λαμπρᾶς; niſi quod hoc fortaſſe ſic defendi poteſt, ut dicamus, τὰ πλεονεκτήματα regionis λαμπρᾶς opponi nudae τροφῇ et ἀφθονίᾳ, de qua modo Onoſander dixerat. Sed tamen Cl. Schwebelii coniectura nobis unice vera videtur. — P. 61. utiliſſimam notam adiecit verbo ζωγρέω; collegit enim ibi verba Onoſandri rariora, ita ut uno obtutu percurrere aliquis poſſit. — P. 66. habet iterum coniecturam elegantem, cum pro vulgato διαπέπρακται φόβῳ legit διατέτρανται, eamque lectionem exemplis Polybianis bene confirmat.

De verſione Francica, cuius auctor eſt *Gen. Baro de Zur-Lauben*, nihil eſt quod dicamus, niſi, eam, (et fit plerumque in verſionibus Francicis,) paullo liberiorem eſſe, ita tamen, ut ſenſum auctoris ſatis feliciter exprimat, quod locis quibusdam percurrendis vidimus. Ac fortaſſe ea ipſa verſio plures huic libro, et lectores, et emtores conciliabit, cupientibus belli ducibus cognoſcere, quid veteres de re militari ſciverint ac ſcripſerint.

Atque haec ſunt, quae de viri doctisſimi labore in praeſenti dicenda eſſe putavimus; quae ab illo aequi ac boni conſultum iri ſperamus. Facile enim ille cognoſcet, ea, quae contra monuimus, non a livore, ſed a candido veritatis ſtudio profecta, nec tam ipſius, quam lectorum cauſſa ſcripta fuiſſe. Nam, ut initio diximus, vehementer laudamus eius conſilium, nec modo ipſi propter exantlatum tam difficilem laborem, verum etiam reipublicae litterariae, de novo

hoc

hoc munere accepto, impenſe gratulamur. Neque etiam ſine gaudio vidimus, eum in exſequendo propoſito ſtrenue perrexiſſe, ac paucis poſt annis Vegetium, curis ſuis emendatum, denuo edidiſſe. De quo libro, in his ipſis Actis, fors brevi tempore, pariter nonnulla dicemus.

MISCELLANEA PHILOSOPHICO MATHEMATICA Societatis privatae Taurinenſis. TOM. I.

Aug. Taurinorum, ex Typogr. Reg. 1759. in 4. 140. f. acc. 4. tabb. aeneae.

Poſtquam Virorum perſpicaciſſimorum ſtudio, Scholaſticorum monſtra ex Phyſica profligata, vera philoſophandi methodus introducta, experimentis ac obſervationibus opera inſignis impenſa, et Matheſis ad ſolutionem quaeſtionum Phyſicarum adhibita: dici vix poteſt, quanta Philoſophia naturalis incrementa fecerit. Nunquam vero ingentes illos quotidie progreſſus Philoſophia feciſſet, niſi praeterito aeque ac praeſente Seculo, ſummorum Principum munificentia, Scientiarum Academiae ad eam excolendam inſtitutae fuiſſent: et niſi ad earum exemplum, laudabili aemulatione, eodem inſtituto ſelectiſſima ingenia in privatas Societates coiviſſent, laboresque ſuos cum orbe erudito communicaſſent, atque ita Saeculum noſtrum illuſtraſſent. Ingentia commoda, quae ex his in omnem Philoſophiam redundant, a multis iam ſatis comprobata ſunt, et facile comprobari poſſunt, vel ex ſcriptis unius Societatis privatae Taurinenſis, quorum Tomum I. in ſcenam producimus. Tributus is eſt, perinde ac reliqui omnes, quos ordine recenſebimus, in duas partes: quarum prima continet Commentarios de iis, quae in Societate acta ſunt, a Io. Franciſc. Cigna V. Cl. conſcriptos; altera vero diſſertationes ac opuſcula illuſtrium Virorum, ex quibus ſaltim nonnulla, notatu digna nobis viſa, exhibebimus,

caeterorum, quae non facile in compendium redigi poſſunt, indices deſcribemus, ut praeſtantem totius laudatiſſimi inſtituti indolem lectores exinde perſpicere poſſint. Commentarii continent ſequentia capita: I) Problema Bellinianum, ſeu, de ovorum elixatorum cicatricula. Tradiderat Bellinus: cicatriculam, dum ova elixantur, e ſuperficie vitelli in centrum abire, atque in ovis incubatis rem aliter ſe habere, et cicatriculam poſt elixationem remanere in ſuperficie. Mirabile id Societati viſum, ac poſt varias oſervationes et experimenta, quae cum Cl. Balbi diſſertatione de eadem materia, Bononienſibus Comm. Tom. II. part. 2. inſerta, contulerant, tandem haec ceu veriſſima comperta ſunt: in iis ovis, quae decem vel ultra minuta in ebulliente aqua elixata fuerant, repertam cicatriculam ad vitelli ſuperficiem poſitam, quae comparata cum illa, quam in ovis, quae quinque tantum minuta elixata fuerant, Balbi deprehenderat; cumque omnino ſimilis eſſe cerneretur, iam nullam ſupereſſe dubitationem, cicatriculam, poſt quodcunque ebullitionis tempus, numquam a vitelli ſuperficie recedere. Ad albidum corpus vero quod ſpectat, in centro vitelli poſitum, tum in ovis non incubatis, quod Balbi obſervaverat, tum in incubatis, quod propriae obſervationes docuerunt, non reperiri, aut obſcurius cerni, quando vel diutius, quam par eſſet, vel per brevius tempus, in ebulliente aqua ova detenta fuerunt.

II) De varia Barometrorum diverſae diametri altitudine Cl. Balbi in Comm. Bonon. T. II. p. I. obvia experimenta examinantur, ac refellitur novis experimentis, indeque deductis ratiociniis, ſententia eius, cenſentis, minorem anguſtiorum Barometrorum altitudinem, a maiori tuborum, quibus conſtant, vi repellente, tuborum capillarium exemplo, eſſe repetendam; ita tamen, ut repellens vis in ſuperiori vacua barometrorum parte in primis ſedem habeat, et, quemadmodum experiundo invenit, frigore ad eam partem admoto imminui poſſit, reſtituto calore iterum adaugeri.

III)

III) Cum iam diu Phyſicis innotuerit, Barometrorum mutationes non ſolum ex variata athmoſphaerae preſſione ortum ducere, verum etiam ex vario caloris gradu, qui mercurii denſitatem immutet. Quare factum eſt, ut de corrigendis eorum erroribus, ex calore et frigore natis, ſedulo cogitarent; ſed pleraſque correctiones eiusmodi propoſuerunt, quae pro unaquaque barometri obſervatione experimenta requirerent, aut computationes: quorum alterum difficile erat, alterum incommodum. Iobus Ludolfus V. Cl. in monumentis Ac. Sc. Berol. anni 1749. talem excogitavit correctionem, ut abſque experimentis et computis, ex ſolius ſcalae barometricae obſervatione, vera athmoſphaerae preſſio quocunque tempore cognoſceretur; id ſolum in ea correctione incommodi, quod ſcalae conſtructio, quam exhibuit, non admodum expedita videatur, et thermometri comparationem perpetuo poſtulet. Alia itaque, ex conſilio Cl. de la Grange, proponitur, et quidem eiusmodi, ut nihil in ea re amplius deſiderari poſſe videatur. Nititur ea hoc fundamento: incrementum altitudinis mercurii ex dato caloris gradu natum, eſt ut altitudo columnae mercurii, quae eidem calori exponeretur, ac proinde, ſi barometra ex unico inflexo tubo conficerentur, ita ut in crure altero altitudo mercurii unius tantum aut duorum pollicum eſſet, rarefactionem mercurii et condenſationem in eo crure tam exiguam altitudinis differentiam eſſe effecturam, ut negligi tuto poſſet; nil igitur aliud eſſe faciendum, niſi ut ſcala altitudinum breviori barometri cruri apponatur, ſic enim aſcenſus ac deſcenſus, ex mutata aeris gravitate nati, aeque percipi poterunt, interea dum mutationes ex calore productae ſenſibilem errorem non pariunt. Quod conſilium uberius declaratur, et ad computum revocatur.

IV) Fallacia methodi dimetiendi quantitatem attractionis, a Tayloro aliisque traditae, demonſtratur.

V) De aſcenſu ac deſcenſu Thermometr. variis liquoribus madentium ex inflato vento. Ill. Muſchenbrockius notavit in genere, Academici vero rem eandem variis liquoribus tentarunt, atque deprehenderunt: aquam, ſpiritum vini, lac, acetum, cremo-

tremorem lactis, deſcenſum thermometri praeſtabant: petroleum, eſſentia caryophillorum, oleum olivarum, oleum lini, aſcenſum efficiebant, ac demum oleum tartari per deliquium, ad aeris temperaturam redactum, nihil mutabat, adeo, ut inflato aere thermometrum immobile maneret.

VI) In cauſam extinctionis flammae in clauſo aere, prolatis variis ea de re Phyſicorum ſententiis, inquiritur, idque agitur, ut, ſi fieri poſſet, potiſſima et veritati proxima eruatur: quo in capite curioſiſſima occurrunt experimenta, quibus variae ſententiae refelluntur. Inter diſſertationes et varia opuſcula primum locum occupat Equitis *Saluzzi*, de natura fluidi elaſtici, orti ex incenſo pulvere pyrio. Duae, ex quo uſus pulveris pyrii invaluit, inter Phyſicos receptae ſunt ſententiae, ex quibus ingens illa vis pulveris pyrii explicari ſolet. Prima eſt Iſaaci Neutoni, ſtatuentis, pulverem tormentarium, quum ignem concipit, abire in fumum flammantem. Exploſio itaque ex eius ſententia pulveris pyrii oritur ex celeri ac violenta actione, qua tota permixtio ſubito et vehementer calefacta, rareſit, vel convertit ſe in fumum ſive vaporem, qui denique vapor actionis iſtius violentia eodem tempore candefactus, flammae ſpeciem exhibet. Eiuſdem ſententiae eſt Wolfius, Muſchenbrockius, aliique. Secunda vero opinio derivat omnem vim pulveris tormentarii a fluido, quod ex incenſo eo oritur, et cuius elaſticitas cum ante incenſionem erat fixa, ac ſpeciem ſolidi corporis referebat, per vim ignis evolvitur. Quam poſteriorem ſententiam, etſi Boyleus, Papinus, Io. Bernoulli, de la Hire, Belidor, ac plures Viri illuſtres amplectantur, in exponenda tamen ratione, qua id fluidum agat, diverſam ineunt viam. Illuſtris auctor, ex inſtitutis ſumma cura experimentis, docet: Neutoni ſententiam ad explicanda phaenomena eſſe ineptam; deinde analyſi fluidi ex incenſo pulvere tormentario methodo Halleſii inſtituta, ad obiectiones Muſchenbrockii reſpondet, atque eam rem uberius diſſertatione ſuper hanc materiam ſequenti, quae eſt in ordine ſeptima, declarat.

Secunda diſſertatione illuſtr. *de la Grange*, ſuppoſita elementari de maximis et minimis doctrina, ex libro Maclaurini, cui titulus: Traité des Fluxions p. 258. et 857. docet regulas, ex functione algebraica plurium variabilium eruere maxima vel minima. Idem Vir illuſtris, ſequenti diſſertatione, ex integratione differentialis aequationis $dy + yXdx = Zdx$, deducit theoriam ſerierum recurrentium.

Tertia Diſſertatione Cl. *Cigna* de Analogia Magnetiſmi et Electricitatis, oſtendit in quibus conveniant aeque ac in quibus illa identitas dubia videatur. Idem ſequenti diſſert. experimenta de colore ſanguinis nonnulla exhibet: quae in 4ta excipit Specimen experimentorum circa putrefactionem humorum animalium, a Cl. Io. Baptiſta *Gaber* conſcriptum. Sequenti dein diſſertatione Mich. Ant. *Plazza*, chirurgi Taurinenſis, faſciculum ſtirpium Sardiniae in Dioeceſi Calaris lectarum, recenſet Carolus Allionus. Inde Ambroſius *Bertrandus* V. Cl. obſervationes de glanduloſo Ovarii corpore, de utero gravido, et placenta, a ſe factas, deſcribit. Mox illuſtris *de la Grange* meditationes de natura et propagatione Soni exhibet, accuratiori conſideratione dignas, atque inter ornamenta huius Tomi merito referendas. Prima Sectio ſeptem capitibus, poſterior vero tribus abſolvitur. Neutonus, primus mortalium, celeritatem ſoni complexus eſt formula algebraica, quae parum experientiae, ac obſervationibus inſtitutis, re accurate conſiderata, abludunt. Quemadmodum haec Theoria a Phyſicis quam plurimis recepta, ita a Geometris accuratius examinata inter eas relata eſt, quae parum ſolidis fundamentis nituntur; quarumque demonſtrationes non ſunt in ea luce conſtitutae, qua radiare debent demonſtrationes geometricae. Nemo adhuc examen propoſitionum Neutonianarum, demonſtrationem theorematis de celeritate ſoni ingredientium, neque rigore geometrico probatarum, inſtituit, etſi omnes poſt illuſtrem Cramerum multa in his deſiderarint. Quare illuſtris auctor luculentam Prop. XLVII. Lib. II. Princip. Phil. Nat. atque XLIX, quibus tota inaedificata eſt Theoria Neuto-

 niana

niana de celeritate ſoni, analyſin inſtituit, in eaque deprehendit principia, quae partim deducendae theoriae non ſufficiunt, partim a vero longe remota ſunt. Quibus uberrime demonſtratis, Problema: dato numero indefinito particularum elaſticarum, quae cum in recta linea conſtitutae, ſe in aequilibrio viribus mutuis repellentibus conſervent, determinare motum, quo eae, quomodocunque concitatae fuerint, in eo caſu, in quo eas ex recta ea recedere non oportet, ferri debeant. Cumque Vir illuſtr. hoc problema ad aequationes reductum attentuis conſideraret, illico animadvertit, illud apprime convenire cum Problemate de chordis vibrantibus. Multus itaque Auctor eſt in declarandis Theoriis, quas ſummi Viri, Alembert et Eulerus, de Chordis Vibrantibus dederunt; atque in controverſia diiudicanda, quam iis Daniel Bernoulli, Tayloti defendens theoriam, movit, probeque ponderatis utriusque ſententiae momentis, concludit, deciſionem controverſiae pendere a ſolutione generali Problematis ſupra notati; quam generalem ſolutionem exhibet, ex eiusque formulis non ſolum Danielis Bernoulli, ſed et Euleri ac Alemberti conſtructiones deducit, ac illud generaliſſime conſtruit: ad Chordas muſicas applicat; Theorias ſonorum harmonicorum, a Sauverio ac Eulero traditas, novis artificiis eruit, et legem propagationis ſoni tradit. Agmen tandem claudunt meditationes Equitis Daviet de Foncenex de quantitatibus imaginariis: in quibus primum notantur ea, quae ad declarandam naturam harum quantitatum pertinent; deinde demonſtratio ab illuſtr. Bougainville, in introd. ſua ad calculum integralem, de dignoſcendis imaginariis a realibus, examinat, una cum demonſtratione illius propoſitionis de dividenda quavis aequatione in factores ſecundi gradus, traditisque praeceptis ac methodo, de ea rigoroſe demonſtranda multa afferuntur, quae ad dirimendam litem Bernoullium inter ac Leibnitium, de logarithmis quantitatum negativarum agitatam, ac ab illuſtri Eulero deciſam, pertinent.

CHRIST.

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII HISTORIA NUmorum Obſidionalium: cum Figuris Aeri inciſis.

Altenburgi, ex Officina Richteria, MDCCLXV, plagg. 8. in 8.

Pergimus in laudando, quod ill. Klotzius ad illuſtranda varia rei numariae capita contulit, ſtudio. Etenim virum doctiſſimum in contexenda numorum obſidionalium hiſtoria, non minus laudabiliter verſatum fuiſſe, quam in deſcribendis, de quibus nuper diximus, numis contumelioſis ſatyricisque, ex iis apparere arbitramur, quae iam de argumento libri, cuius titulum ſupra poſuimus, in medium a nobis proferentur. Ac primum tria omnino dicit eſſe numorum genera, quos viliori, quam conſtitutum eſſet, valore interno, publice, ut loco bonorum uſurparent cives, magiſtratus aut princeps edixerit. Nam et incidere poſſunt tempora, quae diminutionem monetae in tota ditione neceſſariam faciant: et belli tempore duplicem ob cauſſam; cum ad ſtipendia militibus ſolvenda in caſtris, tum in urbe obſidione clauſa, pecuniaeque penuria preſſa, recepta monetae forma deferenda eſt. Quare tria Auctor totius libelli fecit capita. *Capite primo* de numis neceſſitatis cauſſa cuſis agit. *Capite altero* de caſtrenſibus tradit. *Capite* denique *tertio* Obſidionalium hiſtoriam enarrat. Gratias vero agimus elegantiſſimo Auctori, qui plura dedit, quam ſe daturum eſſe in fronte libelli promiſerat. Primum enim de numis neceſſitatis cauſſa cuſis tam docte, tam diligenter egit, ut iſtam diſputationem lubentiſſime legeremus. Satis autem antiquum rei exemplum dedit ei reſpublica Romana, quae triplicem imminutionem pecuniae, bis neceſſitate coacta, ſemel libera, vidit. Recte hic inſignis Plinii locus (Hiſt. Natur. Lib. XXXIII. c. 3.) affertur, quaeque in eo

 expli-

explicando viros doctos torſerunt difficultates, feliciter tolluntur. Neque etiam omittuntur Feſti Gelliique eam in rem loca. Quum porro Wachterus aliam monetae imminutionem deprehendiſſe ſibi viſus ſit in eo, quod Alexander Severus in numis aereis Reſtitutor monetae appelletur: id non ita certum eſſe probat Klotzius, ut nihil contra dici poſſit. Nihil porro huc pertinere dicit, quod homines erant inter Romanos, qui non neceſſitate coacti, ſed aut avaritia, aut luxuria numos imminuerent. Ad neceſſitatem vero referendum eſſe putat, quod Zonaras narrat: ex multis Hieronis muneribus Romanos frumentum tantum et Victoriae ſignum accepiſſe, quamquam adeo pecuniae inopes fuerint, *ut argenteum numum, impermiſtum antea et purum, aere admiſto adulterarent.* Progreditur Auctor ad alios populos. Ac numi ſunt quidam, plerumque ſcutulati, quorum altera parte Conſtantini M. et Helenae, altera Servatoris imago deprehenditur. Hos ad numos neceſſitatis cauſa percuſſos, relaturum ſe fuiſſe dicit Klotzius, ſi vera eſſet fabula, quam Wagenſeilius ex aliis auctoribus de iis narrat, in libro *de re monetali veterum Rom.* Quare pergit Auctor ad certiora. In Gallia vario tempore monetae imminutionem neceſſitatis cauſſa fuiſſe factam, ex idoneis auctoribus probat, docteque ſimul contra Car. Molinaeum diſputat, qui, numos ullo modo pecuniae vim obtinere poſſe, niſi internum habeant pretium, negat. Tranſit dein in Belgium, quod ipſi duo talium numorum exempla dedit. Plura praebuit Suecia. Non pauca Sileſia. Et omnino Germania noſtra, eheu quam ſaepe illud fatum experta eſt, ut numis eiuſmodi obrueretur! Praecipue commemoratur hic moneta, a Iulio, Duce Brunſuicenſi, cuſa, et appellata *Iulius-Loeſer*, de qua quae Tentzelius aliique expoſuerunt diligenter repetiit Klotzius.

Videamus nunc de numis Caſtrenſibus, quo nomine Auctor appellat eos, quos belli tempus, pecuniaeque inopia produ-

produxit, quibusque militibus in caſtris ſtipendia ſoluta ſunt. Complures eiusmodi nummos exhibet Io. Iacobus Luckius in Sylloge Numismatum elegantiorum. Sed Klotzio Luckius non recte diſtinxiſſe videtur nummos neceſſitatis cauſa cuſos ab iis, qui tempore belli ad memoriam rerum ſervandam prodierunt. Quare ipſe non niſi eos commemoravit, quos vere Caſtrenſes eſſe exiſtimaret. Primi vero, quos hoc loco dedit, nummi, ſunt ii, qui anno 1241. et 1247. ab Imperatore Friderico cuſi ſunt. Sequuntur varii nummi Caſtrenſes in Dania cuſi. Poſt exhibetur nummus a Guilielmo, Iuliaci duce, a. 1542. aut ſequenti cuſus. Inde deſcribuntur tres nummi, tempore belli Schmalcaldici percuſſi. Hinc alii, a. 1552. ab Alberto, Marchione Brandenburgo-Culmbacenſi, e vaſis templorum, praecipue ex iis quae civitati Schweinfurtenſi extorſerat, conflati. Neque omittuntur nummi in Ungaria a Ferdinando Ungariae Rege eo anno cuſi, qui huic regioni propter Turcas ſatis infeſtos fuit. Datur etiam nummus, quem Ordinis Teutonici Magiſter, Gotthardus de Ketler, a. 1559. ad ſolvenda militibus Germanis ſtipendia cudit. Lepidus eſt nummus ab Heraclide e candelabro ſolidi argenti, quod Alexander, Moldaviae princeps, monaſterio cuidam donaverat, anno 1562. conflatus. Tum proferuntur duo nummi, quorum alter originem ſuam Sueciae Regi, Erico XIV, alter Friderico II. Dano, debet. Eſt porro Thalerus rotundus, ſed una tantum parte cuſus. In clypeo vulpes, infra 1565. ſupra IO. SE. REX V. N. G. Quorum verborum quae vis ſit, illuſtr. Klotzius bene demonſtrat. Nec deſunt hoc loco nummi, quos dedit a. 1576. Seelandia, et Groninga a. 1577. Memorantur etiam nummi, a. 1587. a Sigismundo Sueciae principe cuſi, qui rex Polonorum electus, de regno cum Maximiliano, Archiduce Auſtriae, dimicabat. Huc quoque pertinere arbitratur Auctor nummos, qui anno 1592. a Marchione Brandenburgico cuſi fuerunt. Nec alienos ab hoc loco eſſe debere putat eos, quibus

cudem-

cudendis turbae inter Carolum, Sudermanniae Ducem, et Sigiſmundum III. Poloniae et Sueciae Regem, occaſionem praebuerunt. Proferuntur deinde numi a Societate Belgica, quae in India occidentali negotiatur, ſuperiori Saeculo cuſi, cum ob inopiam rerum, tum ob rebellem militum ferociam. Neque ſilentio praetereundos eſſe putavit Auctor numos, a. 1689. a Iacobo cuſos, cum Hiberniam appuliſſet, nec haberet, unde militibus ſtipendia ſolveret. Denique huc referuntur ii, quos Comes Franciſcus Rakóczi a. 1704. 1705. 1706. cudit in occupatis quibusdam Hungaricis urbibus.

Supereſt *Caput tertium*, in quo de numis obſidionalibus diſſeritur. De his ſcripſit Gallus quidam, *Claude de Gros de Boze*, diſpatiunculum. Hanc Klotzius latino ſermone elegantiſſime expreſſit, notulisque illuſtravit. Iſte vero Gallus leviter ſatis, et negligenter, eam rem explicuit. Diligentior multo fuit Klotzius, qui et numorum *obſidionalium* ſeriem bene expoſuit, et ſingulorum *hiſtoriam* accurate enarravit. Sed quum ingens ſit numorum, quorum deſcriptionem dedit, numerus, nos non niſi eos commemorabimus, quorum formam aeri inciſam exhibuit. Non obſervati autem ſunt ipſi unquam antiquiores numi obſidionales illis, qui in obſidione Tornaci a. 1521. cuſi fuerunt. Alter obſidionalium numorum eſt ille, qui Papia obſeſſa a. 1524. ſignatus fuit. Sequitur numus in obſidione Cremonae a. 1526. a Caeſareo praefecto cuſus. Dantur porro numi, in urbe Campen a. 1578. conflati: item ii, qui a. 1588. a Iamaeo praefecto, cum a Carolo Duce Lotharingiae obſideretur, percuſſi. Poſt numi, quos Balignius Cameraco praefectus a. 1595. cudit. Inde proferuntur numi variae formae in obſidione Iuliaci a. 1621. cuſi. Iam commemorantur etiam ii, quos Franciſcus Dux, Melac, in urbe Landavia a. 1702. obſeſſus, ex vaſis ſuis argenteis confecit. Exhibitus quoque eſt laminis aeneis numus in obſidione Flandriae urbis, Tornaci, a praefecto urbis Survillio cuſus anno 1709.

Deſcri-

Deſcribitur poſtea nummorum genus in obſidione urbis Queſnoy a. 1712. e chartis luſoriis confectorum. Denique notandi ſunt hoc loco etiam nummi anno 1742. in urbe Braunau, ab Auſtriacis obſeſſa, cuſi. Plures eiusmodi nummos qui deſiderat, adeat ipſum libellum, qui lectorem tum ſermonis elegantia mirifice delectabit, tum doctrinae copia in variis rei numariae capitibus inſigniter adiuvabit.

SALOMONIS DEYLINGII, S. S. THEOL. D. P. P. et Sup. Lipſ. Inſtitutiones Prudentiae Paſtoralis, ex genuinis fontibus hauſtae, et variis obſervationibus ac quaeſtionum enodationibus illuſtratae. Editio tertia auctior, per D. Chriſtianum Wilhelmum Küſtnerum.

Lipſiae, ſumtibus Io. Fr. Iunii, MDCCLXVIII. 2 Alph. 6 plſ. octonis.

Magnam arbitramur Excell. *Küſtnero*, ICto primario, ſpem eſſe propoſitam, ob ſuſceptam a ſe in edendis his Inſtitutionibus curam, gratiae ab eruditis ineundae. Ac ſi nihil aliud niſi libelli Deylingiani editionem repetitam nobis dediſſet, vel ſic ſatis bene meruiſſe videri poterat de multis viris doctis, et univerſa iuventute, S. literarum ipſiusque iuris ſtudioſa. Ea enim eſt eius praeſtantia, quam laudare in praeſenti, et commendare pluribus verbis, eo minus neceſſarium videatur, quo magis notus eſt ipſe liber, et vero etiam cognita et perſpecta ſumma eruditio viri olim celeberrimi, *Deylingii*, cuius mortem nondum eluxit Academia et eccleſia Lipſienſis, utriusque nuper inſignis ornamenti! Id tantummodo dicimus, eſſe hunc librum non ſterile quoddam aut tenue doctrinae paſtoralis compendium, undecunque congeſtum et compilatum, lectionibusque tantum academicis deſtinatum, quod doctorem eccleſiae de muneris ſui rite adminiſtrandi partibus externis erudiat; ſed inſtitutionum elegantem, ex ipſis fonti-

 bus

bus hauſtam, et varia amoeniſſimaque rerum philologicarum, theologicarum, et hiſtoricarum eruditione refertam, quae breviter et accurate tradat, quicquid ex literis Sacris et hiſtoria eccleſiaſtica de munere eccleſiae eiusque partibus omnibus ſcitu eſt cognituque neceſſarium. Iam vero eo maiori laude dignus eſt Cel. *Editor*, cum ſuo ingenio et ſuae doctrinae apparatu, longaeque experientiae copia, illuſtratiorem hunc librum atque adeo multis partibus auctiorem emendatioremque edidit, atque ita non modo voluntati eorum ſatisfecit, qui repetitum cuperent librum, cuius emendi copia, alterius editionis exemplis divenditis, hucusque non eſſet, ſed ipſi etiam maiorem praeſtantiam utilitatemque, in primis quod ad practicam eius partem attinet, conciliavit. Nec poterat profecto alius quisquam aptior deligi, cui haec opera demandaretur, quam *Küſtnerius*, qui praeter iuris ſcientiam doctam et elegantem, quam inde a multis annis cum agendis cauſis, tum iure dicundo, et de iure reſpondendo ac iudicando, exercuit, per viginti integros annos inter eos magna cum laude locum obtinuit, qui in Conſiſtorio Electorali Lipſ. iudices verſantur. Eo magis grave et in primis commemorandum nobis videri debet ipſius de his Inſtitutionibus iudicium, quas non deſtinatas modo exiſtimat iis, qui vel funguntur ſacerdotio, vel ad eam reipubl. partem capeſſendam comparant ſtudia doctrinae; ſed etiam ICtis eorumque ſtudiis ac rationibus accommodatiſſimas commendat. Etenim hi, ut de fide doctorum eccleſiae diligentiaque recte iudicare poſſint, ante omnia accurate cognitam habeant muneris ſacerdotalis rationem, neceſſe eſt, ſine qua ſcientia iudicium ipſorum neque accuratum erit, neque tutum, quemadmodum ICtus ſine medicinae legalis notitia non poteſt de vulneris lethalitate cognoſcere. Praeterea in libello hoc fere omnia, quaead iura ſacra pertinent, ita concinne, perſpicue, et ad maximam ἀκρίβειαν dicit eſſe tradita, quae qui recte teneat, praecipua iuris Eccleſ. Saxonici capita callere exiſtimandus ſit. Ac propter hanc ipſam cauſam, in primis vero exquiſitam, quae in toto

libro

libro conſpicua eſt, doctrinam, praeferendum eum putat Cl. Editor ceteris iuris ſacri compendiis, ipſique adeo operi *Wernheriano*, laudatiſſimo alias, *de Iure Eccleſiaſtico*. Sed iam age, quomodo in libro Deylingiano adornando K. verſatus ſit, narremus.

Atque in rebus iis, quae Theologiam proprie ſpectant, nihil mutare ipſi viſum eſt, cum quia non rogatus eſſet, tum quia omnia docte et eleganter dicta reperiebat, ut vel parum, vel nihil addi poſſet aut emendari. Neque aliter ſentit de iis rebus, quae ad iurisprudentiam eccleſiaſticam pertinent; in quibus tamen, ubi opus videbatur, ſuum interpoſuit iudicium, et vel emendat Deylingianum textum, vel illuſtrat et auget. In primis vero adiicienda curavit ea, quae poſt alteram libri editionem, cum per edicta Principum generalia et ſpecialia, tum auctoritate ſummi Senatus eccleſiaſtici, Conſiſtoriique Lipſ. mutata eſſent atque correcta, eorumque exempla vel appoſuit integra, vel eorum tantum partem praecipuam. Denique etiam obſervationes quasdam addidit hiſtoricas et literarias, in quibus commemorat vel libros praecipuos, qui omiſſi ſunt a Deylingio, aut inde a curata editione altera prodiere, vel facta quaedam memorabiliora, ex quibus diſcere multa de rebus eccleſiaſticis, et vero etiam ſibi cavere poſſunt eccleſiae doctores, et harum rerum iudices. Ac huius quidem et illius generis obſervationum exempla, non fieri poteſt ut quaedam repetamus. Quae qui deſiderant, ipſum librum evolvere debent. Sed de priori genere quaedam videbimus.

Primum quidem commemoratu omnino digna videtur obſervatio ad p. 130. ubi Deylingius Ius Canonicum ab eo tempore, quo ſacra apud nos emendari coeperint, abrogatum eſſe exiſtimat, nihilque prorſus in eccleſiis noſtris valere, niſi quatenus vel conſuetudine, vel diſerta Principum conſtitutione adhuc ſit receptum. Quam ſententiam Cel. *Editor* cum cautione accipiendam eſſe putat. Scilicet, ius quidem canonicum apud Proteſtantes nihil valere, niſi ſit receptum; ſed

 tantum

tantum abeſſe ut exiſtimare poſſis, ei, qui ad Ius Can. provocet, neceſſitatem impoſitam eſſe hanc, ut probet, Ius Can. in cauſa ea, de qua quaeritur, eſſe receptum, ut id potius ex communi univerſae Germaniae uſu colligere poſſis ac debeas, donec Iuris Can. legem aliquam ſive decretum, vel diſerte, vel tacite, aut abrogatum eſſe conſtiterit, aut iuri divino et domeſtico, generali vel ſpeciali, antiquo vel novo, ſcripto vel non ſcripto, repugnare demonſtratum fuerit, ut iam *Hortius* docuerit, et ante eum *Boehmerus*. Ceterum in diiudicandis cauſis eccleſiaſticis primas partes tenere iura eccleſiaſtica patria, quibus deficientibus poſſe Ius Can. niſi religioni diſciplinaeque Lutheranae adverſetur, in ſubſidium vocari. Quam cautionem quoniam neglexit *Deylingius*, propterea p. ſq. cum pleriſque ICtis nimis arctis limitibus circumſcribit uſum Iuris Can. quem apud nos habet, eiusque non, *niſi in materia iuramenti, matrimonii, et proceſſus iudiciarii*, nec non *ubi de piae cauſae favore quaeratur*, locum eſſe. Sed placet Cel. *Editori*, latius aperire fines uſus Iuris Canonici, complectique cauſas eccleſiaſticas fere omnes, in quibus nec legibus Principum quicquam ſancitum ſit, nec conſuetudine inductum, nec denique diſciplinae evangelicae contrarium. Itaque uſum obtinere Ius Can. in capite de iure patronatus, decimis, praebendis, de ſtatu clericorum, de praeſcriptione contra eccleſiam, et multis aliis, nec in ſola quaeſtione de favore piae cauſae, niſi haec omnia ad piae cauſae favorem referenda eſſe exiſtimaveris.

Locus de iure patronatus admodum auctus eſt a Cl. *Editore*. Sic p. 153. ubi b. Auctor ius vocandi, eligendi, et ordinandi miniſtros, toti eccleſiae aſſerit, adeoque et magiſtratui politico et doctoribus in ſacro munere iam conſtitutis, et populo, ſingulis, ſuas partes relinquendas eſſe demonſtrat, bene obſervat *Küſtnerus*, diſtinguendum eſſe inter conſenſum et electionem et ſuffragationem. Illius quidem in pleriſque eccleſiis locum aliquem eſſe antiſtiti et populo, qui reiicere poſſint miniſtrum eccleſiae, ſi quid iure reprehendendum

dendum

dendum inveniant in ipſius doctrina aut vitae moribus, ſin minus, in electionem diſerte vel tacite conſentire exiſtimentur; huius autem, vocationis, nullum. P. 156. profert, inter alias quaeſtionem, an patroni filius, haeres patris, electionem et ſpem ſucceſſionis datam comprobare teneatur, de qua ante aliquot annos ambigebatur, quoniam praeſentatio ante confirmationem conſiſtorii imperfecta videri poſſit. Sed quoniam filius facta patris praeſtare debeat, et a patre reſtrictum iuris patronatus exercitium ad eum pervenerit; rem a Conſiſtorio Lipſ. in partem affirmantem deciſam eſſe refert, interpoſitamque appellationem reiectam. Ad quaeſtionem p. 168. an patronus alii, ſed toleratae religioni addictus, vocandi ſacerdotis ius habeat, diſſenſum obſervat eruditorum; cum alii negent, alii affirment. Ipſe vero quamquam bene norit, etiam in Saxonia quosdam, nominatim Capitulum d. Mariae Virg. Erfurtenſe gaudere illo iure; tamen in regula obſervandum eſſe exiſtimat, id nemini, niſi noſtram religionem profiteatur, concedendum eſſe, atque id quidem vi reſcripti Senatus eccleſ. Dresdenſis, a 1734. ad Conſiſtorium Lipſ. dati. Eiusmodi patrono autem an reliqui honores, ut preces in ſuggeſtu ſacro, luctus publictis, et campanarum pulſus, conveniant, dubitari adhuc poteſt, cum tantum exercitio iuris patronatus prohibeatur; ipſe tamen *Cel. Ed.* et hos honores, cum praecipue ab inveſtitura feudi, ad quam non admittitur, pendeant, ei denegaverit. P. 179. ſq. breviter enumeravit Conſiſtoria Saxonica, omnesque, qui cuivis parent, ſacrorum antiſtites.

P. 192. b. Auctor tutius eſſe putabat, ſi cui duae una offerantur vocationes, et tamen ipſe, exploratis viribus, utilitateque, quam in muneribus oblatis praeſtare poſſit, perpenſa, dubius adhuc ſit, neutram accipiendam eſſe, quam dubia conſcientia errandi periculo ſe exponere. Sed recedit ab hac ſententia Cel. Ed. propterea, quoniam hoc a fine vocationis remotum videatur, exiſtimatque, cui tale quid accidat, conſulere debere Theologos pios et doctos, ne vocatio ſit

plane irrita. Quam ob cauſam, auctore *Boernero*, Theologos Lipſ. e duabus vocationibus eam, qua quis in patria urbe ad ſacerdotium arceſſitus fuerit, alteri, quae ipſi ſacerdotium extra patriam, ſine omni commendatione obtulerit, praetuliſſe.

C. III. P. II. p. 221. ſqq. *de reditibus et immunitatibus Clericorum*, multis obſervationibus inſigniter auctum eſt, quas afferre nimis longum foret, ſed commendatas tamen quam maxime cupimus omnibus, quibus intereſt eas noſſe.

P. 363. ubi de materia Baptiſmi terrena agitur, reiicit *Deylingius* ſententiam Bezae, qui quovis alio liquore non minus rite, quam aqua, baptizari poſſe, exiſtimabat. Per hanc occaſionem commemorat K. duo exempla inſignia, quorum alterum accidit prope Lembergam, urbem Ruſſicam, ubi militis gregarii filius baptizatus eſt oleo et materia pingui, et cum obliti eſſent teſtes, an ſacerdos, cuius religionem ignorarent, in nomine Patris, Filii, et Spiritus St. baptizaſſet, propterea rogarunt parentes repetitionem baptiſmi, quam etiam auctoritate Conſiſtorii Lipſ. impetrarunt. Eodem modo res acta eſt in altero exemplo, cum loco aquae, liquor quidam, qui Keuterling appellatur, ex incuria eſſet adhibitus.

P. 449. admodum late defendit Editor Cel. numum confeſſionarium, quippe qui ſit pars ſalarii, quae porrigatur occaſione ſupplicationis publicae, nequaquam vero, ut calumniantur adverſarii, pretium pro impetrata abſolutione datum. In quo tamen recedit a ſententia *Deylingii* et aliorum, cum hanc pecuniam non iure perfecto exigi poſſe exiſtimant; quanquam conſultius facturos putat eccleſiae miniſtros, qui denegationem eius aut diminutionem, ne inimicitiae exoriantur, aequo animo ferant. Ceterum autem alio, quam hoc modo, eorum reditibus cupit conſultum.

Digna autem in primis eſt, quae obſervetur, ſententia K. ad p. 581. non ubivis obvia. Scilicet aſſentitur *Stryckio* et *Io. Phil. Odelem*, qui in diſp. *de reliquiis ſacramenti in cauſis matrimonialibus*, et hic praecipue in peculiari libello contra *Gribnerum*,

serum, ſub eodem titulo 1716. edito, exiſtimant, in iure eccleſiaſtico Proteſtantium de cauſis matrimonialibus eſſe quasdam reliquias, et quaedam quaſi conſectaria opinionis Pontificiae, quae coniugium ſacramentum eſſe tradat. Nec minus digna eſt ea, quam ad p: 614. dedit, ubi b. Auctor duas tantum divortii faciundi cauſas legitimas eſſe putat, eas ſcilicet, quas Chriſtus et Paulus afferant, adulterium et malitioſam deſertionem. Sed mediam inter has duas cauſas amplectendam eſſe cenſet *Küſtn. Cel.* ita, ut iure divino quidem matrimonium ob alias, quam has duas cauſas, ſolvi nequeat, nihilo tamen minus eas, quae triplicem finem coniugii tollant, et aequipollentes ſint adulterio et deſertioni malitioſae, in decernendo divortio haud eſſe reiiciendas: ut v. c. tentata mors coniugis, quae mutuo adiutorio obſit, et id genus alia. Atque huius ſententiae praeter Leyſerum, quem affert, fuere etiam Lutherus et Melanchthon, graves in hac re iudices, qui tamen admodum cavendum eſſe moneant, ne nimia in hac re vel ſeveritate, vel lenitate, impediatur, quo minus Deus invocetur, et cultus eius ceſſet. Omnino autem totus locus de rebus matrimonialibus accurate copioſeque illuſtratus et locupletatus eſt, lectuque digniſſimus.

P. 667. ſq. oſtendit *Deyl.* toti coetui, ne iis quidem exceptis, qui allodialia et feudalia bona poſſideant, incumbere onus conſervandae inſtaurandaeque aedis ſacrae, nec quemquam recte ei ſe poſſe ſubtrahere. In qua re obſervat *Cel. Ed* non omnes Iuris Eccleſ. interpretes conſentire, cum id alii, moti in primis auctoritate Concilii Trid. Seſſ. XX. c. 7. quo ſub privatione iuris patronatus refectio patrono iniuncta eſt, affirment, negent vero alii, in his Carpzovius. Hanc opinionem recepiſſe Conſiſtorium Lipſ. propterea, quoniam pleraeque eccleſiae a patronis ſint conſtitutae et dotatae, atque ita duplici onere non facile premi debeant; quanquam ipſe non neget, patronos quoque, cum facultates reliqui coetus ad reficienda aedificia ſacra non ſufficiant, ad opem ferendam poſſe adigi. Id quod tamen exiſtimat ad Vaſallos, qui dicuntur,

tur, nec iure patronatus gaudent, non accommodari poſſe quos, etſi res adhuc dubia ſit, tamen ex auctoritate Senatus Eccleſiaſtici a ſuppeditandis opibus, operisque praeſtandis eſſe immunes, niſi forte eas expenſas debeant ferre, quae ſubſelliis aedificandis inſerviant. Ceterum quid de iis ſentiendum ſit, qui in libero nobilis fundo nova aedificia exſtruxerint, adhuc dubitari, cum alii eadem libertate eos gaudere exiſtiment, alii vero negent, auctoritate Conſiſtorii Lipſ. et id quidem *Cel. Editoris* iudicio rectius.

Pag. 700. b. Auctor Scholarum verbo tantum mentionem fecit. Igitur *Küſtn.* in prolixa obſervatione egregie egit de Scholis Saxonicis, earumque muneribus, magiſtris, inſpectoribus, in primis in ſcholis paganis, fontesque aperuit, ex quibus harum rerum ſcientia poteſt hauriri. Nec minus longa et egregia eſt obſervatio p. 771. usque ad p. 779. pertingens, quae de ſuperioribus clericorum gradibus, eorumque dignitatibus et officiis praecipuis, exponit. Ad calcem adiiciendam curavit b. *Deylingii* diſputationem, propter elegantiam, ut dicit Cel. *Editor* p. 5. et doctrinam non ſatis laudandam, a. 1725. habitam, *de Prudentia paſtorali in ſtudio ſanae doctrinae cum ſanctioris vitae cultu ſemper coniungendo*, ex *1 Tim. IV, 16.* ob quam et ipſam curam non dubitamus, gratiam *Excell. Küſtnerum* eſſe apud eruditos initurum.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Auguſti Anno MDCCLXVIII.

ACTA SANCTORUM SEPTEMBRIS, EX LATInis et Graecis, aliarumque gentium monumentis, ſervata primigenia Veterum Scriptorum phraſi, collecta, digeſta, Commentariisque et Obſervationibus illuſtrata a IOANNE STILTINGO, CONSTANTINO SUYSKENO, IOANNE PERIERO, IOANNE CLEO, e Societate Ieſu Presbyteris Theologis. Tomus VII. quo dies XXV. XXVI. XXVII. et XXVIII. continentur.

Antverpiae, apud Bern. Albert. van der Plaſſche, 1760. pag. 983. forma folii, praeter Epiſtolam nuncupatoriam, Synopſin, et Indicem Sanctorum, hiſtoricum item et topographicum Indicem.

Inexhauſtum argumentum, penituſque conveniens formae religionis ſuae, exhauriendum ſibi quodammodo ſumſerunt docti quidam viri de Societate Ieſu, vel potius Ignatii Loiolae, qui communibus ſtudiis opus hoc plus quam ſeculare Antverpiae aggreſſi ſunt, et in eo perficiendo ad hunc

usque diem laborant. Ho enim ſanctorum omnium, quos colit Eccleſia Romana, memoriam conſervare et perennibus elogiis transferre ad poſteros ſtuduerunt: immenſum agmen, compoſitum illud partim ex primis Chriſtianae religionis conditoribus, eiusque confeſſoribus et martyribus, partim ex eorum genere hominum, qui ignotam his pietatis ſpeciem, monaſticae vitae nomine repertam, adeo feliciter orbi commendarunt, ut ipſi ſoli, aut qui eos omni vita imitarentur, eximio apud Deum loco digni haberentur, uberrimamque ſegetem praeberent Romanis Epiſcopis, exercendi lepidi illius iuris, quo ante octingentos fere annos ſibi unice vindicato, ad augendum quantum libet coelitum et tutelarium divorum numerum, utuntur. Non invidentibus quidem Proteſtantibus; ſed tamen, ut poeta ait, tanto magis mirantibus et ſubridentibus. Horum igitur Sanctorum, quos aiunt non valde diſſimiles divinis honores a mortalibus expoſcere, theatrum hoc opus eſt eiusmodi, ut inter *omnes* humanorum librorum copias nullus ſit, qui tanto rerum incredibilium, narrationum incertarum, fictorum miraculorum, caeteroque male pii ſtuporis apparatu turgeat; ubi *rara* adeo verae hiſtoriae documenta *natent in gurgite vaſto*. Rurſus tamen in idem opus ea doctrinae, lectionis, ſaepius etiam in exploranda hiſtoria ſagacitatis ornamenta congeſſerunt auctores, ut ad illuſtrandam antiquitatem et hiſtoriam Chriſtianam omnem, ad chronologiae et geographiae difficultates plurimas expediendas, ad loca ſcriptorum veterum explananda, permultum ſane conferat. Nobis igitur hunc coloſſum intuentibus, parum illud curae eſt, utrum ex meris ſanctorum hominum oſſibus exſtructus ſit, an etiam ex eorum, de quibus dubitare poſſis, non dicam Sanctine, ſed an Chriſtiani, imo homines omnino umquam fuerint. Illud agimus duntaxat, ut viros fama, eruditione, meritis, et pietate inſignes, in reliqua turba exquiramus, neque negligamus ea, quae ſuper DIs minorum gentium, utiliter tamen ad litterarum et hiſtoriae monumenta declaranda, obſervata videntur.

Qua-

Quadrageſimus quintus Operis Tomus eſt, de quo dicere inſtituimus: non ille quidem valde ferax virorum aut feminarum illuſtrium, ſed vel ſic tamen diligenter a nobis deſcribendus. Dicarunt illum Auctores ſingulari epiſtola Sereniſſimae Archiduci Auſtriae, *Iohannae Gabrielae*. Sed verboſa duodecim paginarum epiſtola, qua non modo Sanctorum, quos hic Tomus complectitur, favorem et patrocinium, (utinam DEI O. M. potius!) illi precantur, ſed potiores etiam illorum laudant, carere eruditi lectores poſſunt.

Iam, ut uno obtutu intelligatur, quot Sanctis unaquaeque dierum, quas hic Tomus recenſet, ſuperbiat, en indicem eorum, qui a. d. XXV. Septembris coluntur: S. *Cleophas*, Chriſti diſcipulus, S. *Anatalo*, Epiſc. Mediolanenſis, Confeſſor, in Inſubria; S. *Herculanus* Martyr, Via Claudia in Italia; S. *Firminus*, Epiſc. Martyr, Ambianus in Gallia; S. *Bardomianus*, S. *Eucarpus*, SS. *Socii* XXVI. MM. in Aſia; S. *Paulus*, S. *Tatta*, uxor eius, S. *Sabinianus*, S. *Rufus*, eorum filii, MM. Damaſci in Syria; S. *Formerius* M. cultus in vico de Vannarea, in Alava, Hiſpaniae provincia; S. *Principius*, Epiſc. Conf. Sueſſionibus in Gallia; S. *Solennis*, Epiſc. Confeſſor, Carnoti in Gallia; S. *Lupus*, Epiſc. Confeſſor, Lugduni in Gallia; S. *Aunarius* ſeu *Aunacharius*, Epiſc. Conf. Antiſſiodori in Burgundiae ducatu; S. *Ermenfridus*, primus Abbas Cuſantienſis, in comitatu Burgundiae, S. *Ceolfridus*, Abbas Gerwenſis et Wiremuthenſis in Anglia, prope Lingones, in Campania Galliae; S. *Aurelia* Virgo, S. *Neomiſia* Virgo, utraque Anagniae in Italia; S. *Barrus* vel *Finbarrus*, Epiſc. Corcagienſis in Hibernia, ac forte alius Epiſc. Cathenenſis in Scotia; S. *Auſtindus*, Archiep. Auſcienſis Conf. in Vaſconia ſuperiore; B. *Maria de Cervello*, vulgo de *Socos*, Virgo, Ordin. S. Mariae Virginis de Mercede Redemtionis captivorum, Barcinone in Catalonia.

Adduntur his pag. 2-4. nomina praetermiſſorum et in alios dies relatorum; hoc eſt Sanctorum, de quibus iam ad alios dies dictum eſt ab Auctoribus, quamvis huic inſerantur in martyrologiis quibusdam et Officiis eccleſiarum; aut quos prorſus omiſerunt, quod cultu carerent, ceu in Martyrologio Romano non legerentur. Proferamus exempla: „*Abraham, Iſaac et Iacob*, Patriarchae, leguntur in Faſtis Eccleſiae Alexandrinae apud *Ludolfum*, qui notat, ipſorum „memoriam repeti *ſingulis menſibus hoc die apud Aethiopes*, „*apud Coptitas tantum ſemel die XVIII. Auguſti.* Nos de „*Abrahamo* agemus cum Martyrologio Romano, in quo „aliquot alios non invenio, ad IX. Octobr.“ Hoc igitur unum deerat *Iſaaco* et *Iacobo*, viris ſanctiſſimis, ſi digni habendi eſſent ſocietate S. *Burvi* vel *Finbarri*, ut in Martyrol. Rom. locum tenerent! Eſt praeterea in hoc Catalogo, quem libenter inter Sanctos numeraſſent Auctores, modo Eccleſia ipſorum, quae paucos admodum Sanctos inter Ieſuitas deprehendit, eum hoc dignata honore fuiſſet. Audiamus ipſos diſſerentes: „*Franciſcus Suarez*, Viri Societ. Ieſu doctiſſimi, et theologicis ſcriptis celeberrimi, memoria hodie „recolitur in Menologio domeſtico MSto Societatis, in quo „non minorem virtutibus et pietate, quam doctrina, laudem „obtinuit.“ Addere poterant haec paullo veriora: Sunt tamen permulti, qui exiſtimant, ſcholaſticis illum et caſuiſticis ſubtilitatibus ſanctitatem Chriſtianam parum adiuvare. Haec credent, qui librum eius *de Matrimonio* legerint.

In limine igitur Tomi, S. *Cleophas*, diſcipulus Chriſti, ſpectatur, pag. 5-10. Agnoſcit *Stiltingus*, ſola fere certa eſſe de geſtis illius, quae Lucas Evangelii Cap. XXIV. tradat. Auctor Romani Parvi et *Ado*, primum a Iudaeis occiſum eſſe ob confeſſionem Chriſti narrarunt; colitur autem in Ordine Teutonico. Socium *Cleophae* in itinere Emmauntico fuiſſe *Simeonem*, filium eius, coniectant Auctores; fratrem autem *Ioſephi*, et patruum Chriſti fuiſſe, ex *Hegeſippo* apud *Euſeb.* H.E. III, 11. docent. Porro oſtendere conantur et hoc,

 Mariam

Mariam Cleophae, quae ſoror erat Matris Domini, apud Iohan. c. XIX. eandem eſſe cum *Maria*, *Iacobi* et *Ioſephi* matre, uxorem nempe *Cleophae*, qui pater fuerit quatuor illorum qui Fratres Domini vocantur Marc. VI, 3. Tamen in exitu diſputationis fatetur, non ſatis certum hoc ſibi videri, an *Cleophas*, Chriſti diſcipulus, an alius ſenior fuerit pater fratrum Domini.

S. *Anatalonem*, qui et *Anathalo*, *Nathalo*, *Anatolo*, *Anathalius*, et *Anathalonus* dicitur, et Mediolanenſis eccleſia et Brixienſis Epiſcopum ſibi vindicat. *Baronius* quidem ad A. C. LI, 54. a *Barnaba* Apoſtolo, ſocio *Anatalone*, fundatam eſſe vult Mediolanenſem Eccleſiam. Sed hoc refellit pag. 13. *Suyſkenus*, qui etiam docet, catalogum Epiſcoporum Mediolanenſium, a *Muratorio* (Rer. Italic. T. I. P. II, pag. 228.) editum, in quo S. *Barnabas* primo loco recenſetur, cum non ſit Seculo XIII. antiquior, nullius eſſe in hac cauſſa fidei, praeſertim cum in vetuſtioribus catalogis S. B. non legatur. Probabilius igitur putat, *Anatalonem* Eccleſiae Mediolanenſis primum Epiſcopum fuiſſe, diſcipulum quidem S. *Barnabae*, et forte ab eodem ad praedicandum miſſum; ſed hinc forſitan ortum errorem, quo B. eccleſiae illius auctor exiſtimetur: rexiſſe autem hanc *Anatal.* ab a. C. 48. ad a. 61. quod defenditur contra *Tillemontium*. Poſt varias obſervationes de primis Brixienſibus epiſcopis, oſtenditur pag. 20. *Anatalonem* inter eos non eſſe referendum, ſed Brixiae metropolitano tantum Mediolanenſis Eccleſiae iure praefuiſſe.

Copioſam de S. *Firmino* diſputationem inſtituit *Stiltingus* pag. 24-57. Traditur ille circa a. 290. martyrium paſſus eſſe. Acta eius ſcripta videntur Seculo V. aut VI. itaque nec pro primigeniis, aut certae in omnibus fidei habenda eſſe fatetur Auctor; ſimul tamen contra *Tillemontium* contendit, *nihil ſe in illis invenire quod fidem ſuperet, ſi verba*

 ſcripto-

ſcriptoris benigne magis, quam ſtricte interpretari voluimus. At iſta ratione tenenda, vel abſurdiſſimis narrationibus fidem conciliaveris. Conſecratus quidem epiſcopus fuit S. *Firminus*, ſed ut Evangelium gentibus annunciaret, non ut ſingulari eccleſiae praeficeretur. Ambianenſis ergo epiſcopus propterea dictus videtur *Stiltingo*, quod in hac civitate ultimis vitae temporibus praedicaverit, officia epiſcopalia obierit, atque adeo trucidatus fuerit. Idem narrationes, quae proſtant de inventione corporis Sancti huius, fide indignas et ineptas vocat, ut mirum ſit, earum patrocinium ſuſcepiſſe *Cointium*: v. c. fabellae monachali ingenio dignae, adeo ſuavem odorem ſparſum eſſe ab *invento Firmiani* corpore, ut eo quatuor civitates, Teruanenſis, Cameracenſis, Bellovacenſis, et Noviomenſis, acceitae Ambianum fuerint. Dolemus Viri doctiſſimi vel ſortem vel ſtudia, qui in his nugatoriis confutandis operam ultro conſumſit, univerſum autem in agro ſterili colendo, ex quo nulli vel ad religionem et rem chriſtianam, ad ingenium et doctrinam liberalem, fructus redeant, deſudavit. Huc enim profecto pertinent longae illae a pag. 36. diſquiſitiones, de tempore inventionis corporis S. *Firmini*, de translatione illius in thecam magis pretioſam, imo in auream denique, de eius cultu, miraculis, praedictione, etc. Tum pag. 43-46. contra *Thierſum* in primis docet, corpus huius Sancti Ambiano ad Abbatiam S. Dionyſii translatum non fuiſſe. Habet autem et Pompelone, patria *Firmini*, quaedam de corpore eius reliquias, eſtque illius et totius regni Navarrae patronus. Oblectavit nos pag. 48. ſq. hiſtoria diſcordiae graviſſimae inter Navarrenſes a. 1647. ſuper ea quaeſtione ortae, utrum S. *Firminus*, an S. *Franciſcus Xaverius*, *principalior* ſit regni illius *patronus*? quam tamen *Alexander* VII, homo ſcilicet coelitibus perquam familiaris, ita ſuſtulit, ut utrumque *aeque principalem patronum* eſſe iuberet. Subiungitur vita Sancti, de cuius fide iam diximus, cum *Stiltingi* annotatis.

Miſſis obſcurioribus quibusdam Sanctis, ad S. *Solemnem* pervenimus, pag. 62. breviter iam *Gregorio Turonenſi* memoratum, nunc a *Io. Cleo* diligenter illuſtratum, ſed Vita partim ab anonymo ſcripta, partim interpolata, vel foedis potius erroribus contaminata. Eiusdem farinae ſunt relationes, quae de translatione et miraculis Sancti hoc loco exhibentur. Nec valde moramur S. *Aunarium*, mortuum ſub initia Sec. VII. quamvis oſſa eius a. 1567. a Calviniſtis abiecta, mox occultata, denique ſanctitas eorum prodigio confirmata dicatur, pag. 101 ſq. Legenda tamen eſt pag. 93. illius ad *Stephanum* Africanum presbyterum epiſtola, qua hunc rogat, *ut beatisſimi Germani epiſcopi Vitam in verſuum qualitatem commutare non deſiſtat; S. vero Amatoris proſaica modulatione deſcribat:* cui petitioni *Stephanus* valde ridicula epiſtola reſpondet, quae in haec verba exit: *Vale, longum in tempus, Domine ſemper meus, et Apoſtolice Papa.*

De *Cuſantio*, monaſterio Burgundiae, (*Cuſance*) p. 111. de *Wareſcis* ſeu *Waroſcis*, qui partem Sequanorum provinciae et *Duvii* (id eſt *Dubis*, vulgo *le Doux*,) amnis *fluenta incoluerint*, pag. 117. 118. de *Girwenſi* in Anglia monaſterio pag. 129; de *Pictorum* ad canonicum Paſcha, (Quartadecimani quippe erant,) et tonſuram Romanam adductione pag. 132 ſq. de Vita SS. *Aureliae* et *Neomiſiae* Virgg. non edenda, quod aperte fabuloſa tradat, pag. 138; de Vitis S. *Barri* fabuloſis, nec propterea edendis, pag. 144; de duplici S. *Barro*, quorum tamen neuter fuerit magiſter S. *Columbae*, pag. 147 ſq. de archiepiſcopatu Auſcienſi p. 152; de *Pageramento* contra *Cangium*, qui *linearem adumbrationem* interpretatur, cum noſter *Sugskenus* idem velit eſſe quod *Pagmentum* apud *Vitruvium*, pag. 156: de his igitur quaedam lectu non omnino indigna memorantur. De b. *Maria de Cervello*, mortua a. 1290. et multas paginas implente, inde a pag. 166. unum hoc referemus, cultum eius *immemorabilem*, decreto *Innocentii* XII. a. 1692. confirmatum, petente autem

Auguſtiſſ.

augustiſſ. *Mariae Thereſiae*, a *Benedicto* XIV. a. 1751. eiusdem Officium ad omnes ditiones Auguſtae extenſum eſſe.

Sequuntur a pag. 187. Sancti diei XXVI. Septembris adſcripti, quorum nomina primum edamus: Sancti *Calliſtratus* et Socii XLIX. milites et martyres, probabilius Byzantii in Thracia; S. *Cyprianus* Epiſc. Martyr, S. *Iuſtina* Virgo M. S. *Theoctiſtus* ſive *Theognitus* M. omnes prope Nicomediam in Bithynia; S. *Magginus*, S. *Nabor*, S. *Fauſtinus*, Martyres; S. *Senator*; S. *Euſebius* Papa Confeſſor, Romae; S. *Euſebius* Epiſc. Confeſſor Bononiae in Italia; S. *Amantius* presbyter Conf. Tiferni in Umbria; S. *Vigilius*, epiſc. Brixienſis, in Longobardia; S. *Nilus* Abbas Cryptae Ferratae in agro Tuſculano Italiae; S. *Iohannes de Meda*, presbyter, et primarii Ordinis Humiliatorum fundator, Mediolani in Inſubria; b. *Lucia* Virgo, tertii Ordinis S. Franciſci, Salerni in Regno Neapolitano.

Ac de SS. *Calliſtrato* quidem et XLIX. militibus, qui in *Diocletiani* perſecutione martyrium ſubiiſſe perhibentur, Acta proferuntur auctore *Simeone Metaphraſte*, ex editione latina *Lipomani* et *Surii*, collata, et variis locis emendata ex textu Graeco. De SS. *Cypriano*, et qui lateri eius haerent, *Fauſtina* ac *Theoctiſto*, Commentarius a pag. 195-262. protenditur, auctore *Io. Cleo*. Diverſus nimirum hic *Cyprianus* eſt a clariſſimo illo martyre Carthaginenſi, dignus tamen, cuius memoria ſine ſuperſtitioſa pietate renovetur. Laudes illius carmine heroico perſecuta eſt ipſa *Eudocia*, *Theodoſii Iunioris* coniux: cuius argumentum ad nos tranſtulit immortalis memoriae vir, *Photius*, Biblioth. Cod. 184. Utrumque *Cyprianum* male inter ſe miſcuit *Gregorius Nazianzenus* Oratione XVIII. inter Opera eius a *Billio* edita. Videtur nimirum legiſſe Confeſſionem *Cypriani* noſtri, quae materiam praebuit Libro II. Metaphraſis *Eudocianae*, et adhuc ſupereſſe videtur; verum ea non vidiſſe, quaecumque

Libro

Libro I. et III. Metaphraſis illius referuntur. Confeſſionem illam, ſeu Poenitentiam S. *Cypriani*, editore et interprete *Prudentio Marano*, rurſus edidit Graece et Latine cum annotatis ſuis *Cleus*, a pag. 222-242. tum martyrium *Cypriani* et *Iuſtinae*, auctore anonymo, ex Biblioth. Reg. Pariſ. Codice 520. collato cum Cod. 1485; Graece et Latine; et ante iam pag. 227. Acta interpolata, ex MS. collata cum editis a *Martenio* Tom III. Theſ. Anecd. quibus Converſio *Iuſtinae* et *Cypriani* narratur. Sed Confeſſionem *Cypriani*, et utriusque martyris acta, contra *Io. Fellum* epiſc. Oxon. a pag. 205-212. operoſe defendit: nam ille non modo Confeſſionem ſuppoſititiam dicebat, ſed etiam *Cyprianum* et *Iuſtinam* ipſos e numero martyrum, imo mortalium omnino, eraſos cupiebat. Denique in *Gloria Poſthuma* SS. *Cypriani*, *Iuſtinae*, et *Theoctiſti*, a pag. 246. multus eſt in exquirendis eorum reliquiis. Nam et Romani et Placentini illorum corpora ſe poſſidere aiunt, et caput *Iuſtinae* non modo Lucenſes, ſed etiam pagus Villereux in Lotharingia. Noſter Romanis ea in re unice favet: per nos quidem licet.

S. *Senator* quis fuerit, agnoſcit ſe ignorare *Suyskens* pag. 264. habet tamen et huius ambigui Divi reliquias quasdam eccleſia ſuburbana Pariſienſis. Plura de *Euſebio* Papa *Stiltingus* pag. 265 ſq. ubi et *Pagii* quasdam contradictiones in obitu illius figendo notat. Ampliſſimum locum S. *Nilo* *Cleus* tribuit a pag. 279-343. Obiit a. 1005. in Calabria fundator hic, non Abbas, Cryptaeferratenſis monaſterii. Editur autem vita illius a pag 283. a diſcipulo Sancti, forte b. *Bartholomaeo*, Graece ſcripta, cum verſione *Io. Matthaei Caryophili*, Archiepiſc. Iconienſis; illuſtrata autem a *Cleo*. Pleraque quae in illa traduntur, monaſticae tantum vitae cultoribus placere poſſint; refertur tamen et triplex *Nili* ſapiens reſponſum, pag. 312. quorum poſtremum hoc fundamento nititur, a multis Theologis perperam neglecto: *Quod Scriptura occultavit, quomodo nos revelare poſſimus?*

Quae *Suyſkenus* a pag. 343-360. de *S. Iohanne de Meda* Fundatore Ordinis Humiliatorum, narrat, ea ex *Tiraboſchii* Monumentis Humiliatorum, de quibus nuper in his Actis diximus, explanari et ſuppleri accurate poſſunt.

Tranſimus ad Sanctos, quos d. XXVII. Septembris colit Eccleſia Romana. Sunt autem haec illorum nomina: *S. Iohannes Marcus*, Chriſti aut Apoſtolorum diſcipulus; *S. Zenas*, alias *Zenon* dictus, S. Pauli diſcipulus; *S. Caius*, Epiſc. Mediolanenſis, Confeſſ. in Inſubria; *S. Aderitus*, Epiſc. Ravennas in Italia; *S. Florentinus*, *S. Hilarius*, et forte *S. Aphrodiſius*, MM. Pſeuduni in Aeduis; *S. Cosmas*, *S. Damianus*, *S. Anthimus*, *S. Leontius*, *S. Euprepius*, Martyres Aegis in Cilicia; *S. Epicharis* matrona M. forte Conſtantinopoli; *S. Fidentius* M, *S. Terentius* M. uterque Tuderti in Umbria; *S. Eleutherus* vel *Eleutherius* M. Caeſareae in Cappadocia; *S. Deodatus* Conf. in dioeceſi Sorana in Latio; *S. Ceraunius* vel *Ceraunus*, Epiſc. Pariſienſis in Gallia; *S. Hiltrudis* virgo, Laetiis in Hannonia; *SS. Adulphus* et *Iohannes*, fratres MM. Cordubae in Hiſpania; *b. Bonfilius*, Epiſc. Fulginas, prope Cingulum in Piceno; *S. Elzearius de Sabrano*, baro Auſoyſii et Comes Ariani, Pariſiis in Francia.

Hos inter Sanctos, qui a pag. 379-594. procedunt, primus quidem, *Iohannes Marcus*, lectores Actuum Apoſtolicorum (Cap. XII. et XV.) non fugit: eſtque eius memoria etiam in Paulinis Epiſtolis ſervata; ſi modo omiſſum in his *Iohannis* nomen non ad diverſum ab hoc noſtro nos deducat. Sed *Stiltingus* non modo hanc ſcriptionis diverſitatem leviſſimam putat; ſed etiam contra *Baronium* et *Tillemontium* in primis copioſa diſſertatione docere ſtudet, hunc *Iohannem Marcum* eundem eſſe cum *Marco* Evangeliſta: quam ei ſententiam *Hieronymus*, *Oecumenius*, aliique veterum praeivere. Rurſus *Iohannem Marcum* non eſſe presbyterum illum, aut potius *ſeniorem Iohannem*, de quo *Papias* apud *Euſebium*

H. E.

H. E. III, 39. loquitur, ſed huius potius nomine *Iohannem Apoſtolum* deſignari, et in errore hoc loco fuiſſe *Euſebium*, ut contra ſuperiores illos evincat, ſtudet. Etiam S. *Zenam Paulus* laudat, (Tit. III, 12. 13.) νομικὸν adpellans, quod legis Iudaicae peritum interpretatur *Chryſoſtomus*. *Pſeudo-Dorotheus* inter LXX. diſcipulos refert: ſed fatetur noſter, nihil de eo certi dici poſſe, imo ignorare ſe, utrum alicubi cultus fuerit Officio eccleſiaſtico. (p. 390.)

Clariſſima ſunt SS. *Coſmae* et *Damiani* nomina; medicorum enim, ſi ipſis placet, patroni habentur: hinc pro ea claritate de ipſis a pag. 428-478. narratio inſtituitur. Primum Martyrologia examinat *Stiltingus*, in quibus illi memorantur; deinde Acta eorum Graeca et Latina, quorum fidem contra *Tillemontium* parum feliciter tuetur. Mox cum Graecis diſputat, qui inde a Seculo IX. aut X. crediderunt, tria eſſe SS. *Coſmae* et *Damiani* paria: quod etiam nonnullis de Romana Eccl. placuit. At ille pag. 136. ſq. oſtendit, quibus occaſionibus Graeci potuerint Sanctos hos aut geminos credere, aut tergeminos: v. c. repetitis illorum per annum diebus feſtis; ceterum Graecos Confeſſoribus ſuis nihil attribuere praeter fabulas, Martyribus quoque attributas in Actis Latinis; neque locum indicare, ubi vixerint aut obierint. Duos autem hos Sanctos martyrium paſſos eſſe exiſtimat a. 287. Reliquiae eorum et Romae, et Venetiis, et Veronae, et Imolae, et Amalphi, et in inſula Melitenſi ſervantur; imo et in Gallia: et tamen — cum vix ſupereſſe quis credat, quae inde decerpere potuiſſent aliae Eccleſiae — magnam harum reliquiarum partem, cum capitibus, tenet Eccleſia Soc. Ieſu Monachii. Concoquat haec qui poteſt. At iſta maior λειψανῶν pars, teſte *Stiltingo* pag. 447. ſq. Bremam Sec. X. tranſlata eſt, ſed ſuperiore Sec. avecta inde, cura *Maximiliani* Electoris. Hic ſane pag. 452. non modo arca qua illic conduntur, ſed ipſa etiam oſſa, cum capitibus, ſpectanda praebentur ope artificis. Sed nondum

Xx 2 finis

finis reliquiarum S. *Coſmae et Damiani*. Nam et Praga, et Colonia, et Abbatia Eſſendienſis, et monaſterium Schwarzacenſe dioeceſis Herbipolenſis, et Belgium, et Luſitania, et Anglia, vel habuere, vel habent adhuc partem de hoc theſauro. Nos autem veremur, ne pro theſauro carbones. Ipſe demum *Stiltingus* p. 459. ſuſpectam ſibi nonnihil hanc copiam, qua laborat, confitetur, in primis tria, (niſi plura) duorum Sanctorum capita. Iam hoc loco quis paullo humanior riſum teneat? Aſtutus tamen *Stiltingus* ſibi videtur coniiciendo, reliquias aliorum trium fratrum, *Anthimi, Leontii*, et *Euprepii*, cum oſſibus S. *Coſmae* et *Damiani* permixtas eſſe. De miraculis Sanctorum multa incredibilia tradit, quae nos, cum eo, valere iubemus. In Actis horum SS. explicandis oleum et operam perdidiſſe nobis bonus iſte vir, iam ad Sanctos ſuos translatus, videtur.

De S. *Hiltrude* Virgine, *Perierus*, et ipſe ante aliquot annos defunctus, a pag. 488-506. commentatur. Acta eius, a monacho Valciodorenſi ſcripta, primus vulgavit *Mabillonius* in Annal. SS. Ord. Bened. P. II. Sec. III. Eorum auctoritatem utcumque defendi poſſe, exiſtimat P. eaque exhibet obſervationibus ſuis ſtipata. Nobis ineptarum rerum farragine ſcatere viſa ſunt. Sed nec opus erat hoc iudicio noſtro, cum quilibet, qui fidem hiſtoricam ex vero aeſtimare didicit, eundem locum attributurus ſit pleriſque talibus Actis, quae miſeranda credulitas barbarorum Seculorum enixa eſt. Poſtremus inter huius diei Sanctos *Elzearius de Sabrano*, nobiliſſimi generis, cuius geſta exornat *Suyskenus* a pag. 529. ad 594. etiam propter virginitatem in matrimonio ſervatam laudatur. Aut hoc eſt coniugii auctori Deo illudere, pietatis ſtolida opinione, aut numquam ei illuditur.

Tandem bona Lectorum venia eos etiam Sanctos enumerabimus, quibus XXVIII. Septembris premitur. Cohortem imminere putabant. S. *Privatus*, miles martyr, Ro-

mae;

mae; S. *Marcus*, S. *Alphius*, S. *Alexander*, S. *Zoſimus*, S. *Nicon*, S. *Neon*, S. *Heliodorus* et Socii, item triginta milites, omnes martyres in variis Aſiae minoris locis; S. *Martialis*, S. *Laurentius*, S. *Gurgilus* aut *Gurgilus*, S. *Marius* aut *Marcus*, S. *Fauſtinus* aut *Fauſtina*, S. *Victor*, S. *Candidus* aut *Candida*, S. *Valeria*, S. *Longeſa* aut *Longa*, S. *Celerina*, S. *Donata* vel *Donatula*, S. forte *Lea*, S. *Lucioſa*, S. *Emilus*, S. *Gagilus*, S. *Placidus*, S. *Longa*, S. *Victoria*, S. *Priſca* aut *Priſcus*, et forte cum Anonymis, S. *Iulianus* aut *Iulius*, S. *Chriſtophorus*, S. *Nobilis*, S. *Secundula*, omnes M M. in Africa; S. *Stacteus* Martyr, et S. *Turturinus*, Romae; S. *Iohannes* M. Camulii in agro Genuenſi; S. *Doda* Virgo, et forſan Mart. in dioeceſi Auſcienſi in Novempopulania; S. *Chariton*, abbas Conf. in Palaeſtina; S. *Exuperius*, Epiſc. Confeſſor, Toloſae in Gallia; S. *Euſtochium* Virgo in Bethlehem; S. *Silvinus*, Epiſc. Brixienſ. in Longobardia; S. *Alodius*, Epiſc. Confeſſor, Antiſſiodori in Burgundiae ducatu; S. *Fauſtus*, Epiſc. Regienſis in Provincia Galliae; S. *Fauſtus*, Epiſcopus Tarbenſis in Novempopulania; S. *Salomon*, *Salon*, aut *Salonius*, Genuae in Italia; S. *Annemundus*, alias *Dalfinus*, Epiſc. Lugdunenſ. Martyr, in territorio Cabilonenſi in Gallia; S. *Liobi*, ſeu *Liobgytha*, alias *Truthgeba*, virgo, Abbatiſſa in Germania; S. *Wenceslaus* M. Bohemiae Dux et Patronus, Vetero-Boleslaviae in Bohemia; S. *Eberhardus* opilio, prope Friſingam in Germania; S. *Ismido* vel *Irmion*, Epiſc. Confeſſor, Diae in Gallia; b. *Salomon*, ex Rege Hungariae eremita, Polae in Iſtria; b. *Bernardinus* Feltrienſis, Ord. Minor. Obſervantium S. Franciſci Conf. apud Ticinum in Italia. Subiunguntur et huic, ut reliquis diebus, praetermiſſi, et in alios dies relati.

Occupavit nos nonnihil vita S. *Charitonis* a pag. 612. Graece cum interpretatione apud *Lipomanum* edita. Eam *Stiltingus* non contemporanei, aut ſupparis ſcriptoris eſſe putat, nec tamen *Metaphraſtae*, ſed antiquioris. Obitum Sancti

 ponit

ponit poſt medium Seculum IV. Martyrologio Romano nondum inſertus eſt, quamvis apud Graecos memoria eius ſit celeberrima. De *Suca* et *Pharan* lauris quaedam ad hanc vitam, quam etiam corrigit locis nonnullis, obſervat *Stiltingus*. Sed multo longius detinuit nos S. *Euſtochium*, celebris illa *Hieronymi* amica, a pag. 630-645: cuius mortem probabiliter anno 419. adſcribit idem *Stilting*. Huius de genere et familia primum tradit, mox quibus praeceptis virtutum eam inſtruxerit *Hieronymus*, totamque ſibi devinxerit. Magnam certe propterea apud Romanos invidiam, nec plane immerito, contraxit, dum *Euſtochium* cum matre *Paula* longe a ſuis abſtraheret, et quaſi in diſciplinam ſuam reciperet. Nimirum, vir cetera egregius, illud πρῶτον ψεῦδος monaſticae vitae et his femellis, et aliis perſuadebat, vitam pie et ſancte agi non poſſe, niſi prorſus ab hominum vulgarium conſortio remota ſit, et ad certas regulas noviter repertas inſtituatur. Tum acta *Euſtochii* in monaſterio Bethlehemitico perſequitur Auctor, epiſtolas illic ab ea ſcriptas, lectionem Script. S. cum *Hieronymo* eam exponente, qui etiam illi et matri commentarios quosdam ſuos in Script. S. et verſiones dicavit; praefecturam monaſterii virginum, quam poſt matris obitum quindecim aut ſexdecim annos geſſit; labores, quos ea rogante *Hieronymus* ſuſcepit; inſtitutionem qua de fratris filia *Paula*, et ipſa *Chriſti flammeo reſervata*, (verbis utimur *Hieronymi*) bene meruit; denique quae paſſa ſit a Pelagianis. Omnia quidem diligenter; ſed abeſt ſeverum critici munus.

Iterum *Stiltingus* de S. *Fauſto* Epiſc. Regienſi, de quo iam *Bollandus* ad XVI. Ianuar. breviter egerat, quod ignoraret diem, quo in Eccleſia Regienſi colitur, copioſe verba facit a pag. 651-714. Memoranda maxime ſunt, quae p. 661. de Reſponſo *Fauſti* narrantur, quo defendit, nullam creaturam dicendam eſſe incorpoream, refutatus in eo a *Mamerto Claudiano*. Obſervat nimirum *St.* erraſſe quidem

Fauſtum

Fauſtum in quaeſtione de nomine, eaque necdum definita; ſed errorem eius ab adverſario fuiſſe exaggeratum, qui ipſe in plures errores inciderit, multo graviores. Subinique tamen in quibusdam de *Claudiano* iudicare videtur, quem non iniuria laudavit *Tillemontius*. In Epiſtola autem *Fauſti* ad *Benedictum Paulinum* nihil reprehendiſſe putat *Avitum Viennenſem*. Geſta *Fauſti* cum *Lucido* presbytero, qui errores Praedeſtinatianos retractavit, et contra hos *Fauſti* libros, de gratia et libero arbitrio, ſimulque varia antiquorum et recentiorum de his indicia, a p. 667. adferuntur. Diſputatur contra ipſum *Suareſium* Ieſuitam, qui in Opere de gratia divina dubitat, *Fauſti doctrina catholica ne ſit, an Semipelagiana.* Noſtro enim probabilius videtur, *Fauſtum* initium fidei gratiae tribuere, non libero arbitrio. Reſpondet etiam obiectionibus *Noriſii*, qui *Fauſtum* damnatum eſſe vult in Concilio Arauſicano, et contrarium eſſe S. *Auguſtino*. Eiusdem denique ſanctitatem tuetur contra *Tillemontium*. Haec nos, non quaſi *Stiltingi* argumenta probemus; ſed quia celebris eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica *Fauſtus* hic, ut ſciant illius ſtudioſi, quae pro ſuſpecto hoc Sancto a recentiſſimo Scriptore dici potuerint.

S. *Liobae* ſeu *Leobgythae*, alias *Truthgebae* Virginis, quam ex Anglia S. *Bonifacius* evocavit, futuram Germaniae Apoſtolam, poſtquam advenerat, Biſchofsheimenſi plurimarum virginum a ſe erecto monaſterio Abbatiſſam conſtituit; huius igitur vitam, quam *Perierus* a pag. 748 - 769. deſcripſit, uſus *Rabani Mauri* relatione, et vita a *Rudolpho* presbytero et monacho Fuldenſi Sec. IX. Germanis noſtris commendamus, antiquitatis patriae cauſa, non quod verae et utilis hiſtoriae multum habeat.

Sed omnium maxime in hoc Tomo lectu digna ſunt, quae de S. *Wenceslao* Martyre, Bohemiae Duce ac Patrono, a pag. 770 - 844. *Suyskenus* collegit. Huius non modo vitam,

tam, a *Chriſtiano de Scala* monacho, ex fratricida nepote, compoſitam, editamque a *Balbino* Epit. Rer. Bohemicar. L. I. c. 10. ſed aliam etiam eiusdem biographiam, cuius auctor perhibetur *Carolus* IV. Imperator et Bohemiae Rex, ex Breviario membranaceo MS. Eccleſiae S. Viti Pragenſis, olim Iohannis Epiſc. Litomislenſis, a pag. 837. publicavit. Sed aliis quoque praeſidiis Scriptorum veterum uſus, vitam hanc accurate expoſuit *Suyskenus*. Trucidatum eſſe *Wenceslaum* anno 936. vero proximum exiſtimat p. 797. Prodigium, quo traditur *W.* inter duos angelos viſus, ac propterea dignitate regia, aliisque muneribus donatus, examinatum reiicit. Hiſtoriam Chriſtianam eius aetatis, et Bohemicam imprimis, non perfunctorie illuſtrat. Ceterum, in miraculis, reliquiis, cultu, cet. Sancti huius deſcribendis, modum ſine dubio excedit; ſed meminerimus, *aut nihil* omnino de Sanctis his novitiis, quaſi coloniae iure in coelum deductis, dicendum fuiſſe, *aut omnia*. Praebet etiam p. 820. ſpectandam imaginem altaris S. *Wenceslai*, in veteri Baſilica Vaticana. Addamus pag. 793. *Dubravii* narrationem de Sancto hoc Duce, ligna ſuis humeris ad pauperes noctu clam deferente, ac propterea a ſervo ſuo, a quo non agnoſcebatur, graviter ſaepius vapulante, non improbabilem quidem videri *Suyskeno*, ſed ſupra modum tamen exornatam, et ſcriptoris coniecturis plus aequo auctam. Iam ſi in his minoribus criticen exercere non dubitant *Bollandiſtae*, cur eam ad gravioris momenti narrationes, de miraculis SS. geminis eorum reliquiis, ab Eccleſiae ſuae filiis colendis, cet. non audacius ſaepiusque tranſtulerunt?

Duo ſuperſunt, de quibus diligenter noſtri hoc Tomo tradidere: alter b. *Salómo* Conf. ex Rege Hungariae Eremita, pag. 848-874. de quo tamen *Stiltingus* ea fere tantum ſiſtit, quae *Thuroczius*, et deſcriptor illius *Bonfinius*, referunt, exprobrans etiam *Thuroczio* p. 859. improbabilia figmenta, et adiungens his partim Lectiones Officii b. *Salomonis*, partim

tim excerpta ex hagiographis quibusdam, et aliis Scriptoribus; — alter b. *Bernardinus Feltrienſis*, non ignobilis quidem ille de S. Franciſci familia monachus Sec. XV. ſed in quo nimis multas lucubrationes perdidit *Suyskenus*, a pag. 874 - 993. placituram tamen omnibus, quorum intereſt noſſe Sanctos, qui ab ipſis coluntur. *Bernardini* imaginem et corpus integrum, prout in ſacello Ticinenſi ſpectatur, ad pag. 958. reddidit artifex. Vellemus aliquando eſſet inter Romano-Pontificios ſculptores, qui Volumen reliquiarum et oſſium de Sanctis Eccleſiae ſuae, ſtylo ſuo adumbratorum ederet: efficax, niſi nos omnia fallunt, modus, creandae bonis et ingenioſis viris in ipſa illa Communione nauſeae, adverſus hanc tantam indignam Chriſtianam λειψανολατρείας ſuperſtitionem —. Sed de hoc Actorum Tomo ſatis dictum videtur, ac forte plus quam ſatis. De XLVIto propediem referemus.

FLAVII VEGETII RENATI, COMITIS, DE RE militari L. V, cum ſelectis STEWECHII et SCRIVERII, nec non ad Codd. MSctorum fidem notis perpetuis criticis emendati, addita verſione Gallica: cura M. NIC. SCHWEBELII, ill. Carolini P. P. et R. Academiae. Imper. Roboret. Elector. Bavar. atque Göttingenſis Collegae.

Norimb. 1767. 4to mai. cum fig. aen.

Quanquam res militaris veterum, eiusque illuſtratio, campum editoribus Scriptorum militarium aperit, nec valde triuum, nec ſatis iucundum: tamen neque his, neque aliis difficultatibus paſſus eſt Cl. *Schwebelius*, poſt editum *Onoſandri* Strategicum, ab edendo *Vegetio* ſe deterreri. Quae conſtantia maximis laudibus digna eſt, non modo propterea, quod indefeſſam Viri atque pertinacem induſtriam

indicat; verum etiam, quod Vegetii editiones meliores apud nos non ita frequentes ſunt, ut in omnium manus facile perveniant. Agimus itaque gratias, etiam pro hoc labore Viro doctiſſimo, nomine totius reip. litterariae, et nunc, quod nuper promiſimus, de hoc eius Vegetio ſententiam noſtram dicemus.

In praefatione hiſtoriam quandam, partim editionis huius ſuae, partim editionum ſuperiorum, maxime inſignium, propoſuit. Quo ipſo praeclare imitatus eſt doctiſſimorum virorum inſtitutum, qui futilium plerumque praefationum loco, quandam quaſi editionum genealogiam praeponunt, unde quae reliquis anteponenda ſit, quae alteram deſcripſerit, intelligatur. Quod, quam ſit verae lectioni conſtituendae proficuum, atque adeo neceſſarium quam maxime, dici non poteſt. In Opere ipſo, praeter varias lectiones, quas e multis codicibus editores Vegetii ſuperiores, *Modius*, *Stewechius*, et *Scriverius*, iam collegerant; novas quoque ſatis multas, e tribus membranaceis bibliothecae Guelferbytanae, nondum a quoquam adhibitis, *Schwebelius* collegit, textumque Vegetii haud parum inde emendavit. Textui ipſi notas, partim Stewechii et Scriverii, (non omnes, quod vehementer probamus, ſed ſelectas,) partim ſuas, ſubiecit, quae maximam voluminis partem conficiunt. Harum vero triplex omnino genus eſſe vidimus; primum *criticum*, alterum *grammaticum*, tertium *reale*, ut nuper ad eius Onoſandrum vocavimus. Quorum quidem primi ac tertii magna copia eſt, et multa in iis reperimus, quae nuperam noſtram de ingenio eius critico ſententiam egregie confirmant. Secundi vero, quod Latinitatem Vegetii ſpectat, non adeo multae animadverſiones inſunt, niſi quoad ad illuſtrandas lectiones pertinebant. Neque huius generis obſervationes hoc loco valde neceſſariae erant; non enim facile quemquam, credibile eſt, Vegetium propter latinitatem lecturum. Quamquam enim eſt in ſuo genere, et pro materiae ſubtilitate, elegans, rectus, et candidus, (et praeclare ageretur cum

plurimis

plurimis noſtrorum ſcriptorum, ſi in rebus dogmaticis ac technicis, h. e. tenuibus, nec ornatum ſua natura capientibus, Vegetianam ſimplicitatem imitarentur:) tamen nihil ineſt, quod ad facultatem ornate ſcribendi valde proſit. Unde etiam de toto hoc genere iam nihil dicemus; ſed de caeteris Cl. Schwebelii notis nonnullas, exempli cauſſa, commemorabimus. De criticis primum videamus.

Lib. I. c. 13. ad illa verba Vegetii: „*Praeterea illo exer-* „*citii genere, quod armaturam vocant, et a* campi doctoribus „*traditur; imbuendus eſt tiro*" recte cum Scriverio reiicit coniecturam Salmaſii, legentis *armidoctoribus* pro *campidocto-ribus;* ubi etiam Stewechiam ſine neceſſitate, ait, ex libris impreſſis repoſuiſſe *campiductoribus.* Docet enim *campiductores*, et *campidoctores*, eosdem fuiſſe. — C. 20. in loco: „Miſſilibus *autem, quibus utebatur pedeſtris exercitus, pila vo-* „*cabantur*, rectiſſime cum Scriverio retinuit *miſſilibus*, quod exquiſitius eſt, et in pluribus codicibus reperitur, pro *miſſilia*, quod eſt vulgare, et facile ab imperito quodam librario, qui ſoloecismum eſſe putaret, ſubſtitui potuit. Sed a ſoloecismi ſuſpicione multis exemplis a Viro Cl. defenditur. — C. 21. etſi refragantibus omnibus ſcriptis et impreſſis, tamen de coniectura inſeruit particulam *ut:* in quo recte fecit, primum, quia ſine ea ſenſus nullus eſt; deinde, quia probabile ſit, illam vocem per negligentiam alicuius librarii, a praecedenti *peragunt* abſorptam fuiſſe. — C. 27. locus eſt hic: „*Equites — tantum itineris peragebant, ita, ut — interdum* „*ſequerentur, interdum cederent, et* recurſu quodam impetus „repedarent." In eo conſtituendo mirus et librorum et editorum diſſenſus eſt. Quid Modius ad ad hunc locum habeat, aut notaverit, quoniam haec editio nunc non in promtu eſt, neſcimus. Stewechius in duobus MStis repererat *repedarent*, idque in textum receperat. Scriverius in quinque Palatinis codicibus eſſe ait *reparent*, in aliis quibusdam *in praeliis ſeparent*, iterum in aliis *impetus ſeparent*, in aliis rurſus

aliter. Ipſe ex his elicit *recurſu*, *quodam impetu*, *ſe parent*; cum ex Palatinis in praecedentibus reperiſſet *ſequantur* et *cedant*. Schwebelius denique clariſſimus, reiectis Scriverii emendationibus, (quae nec nobis placent,) amplexus eſt lectionem Stewechii: *repedarent*, quam etiam aevo Vegetiano vindicat, et in textum recepit. — L. II. c. 3. videtur nobis ſine cauſſa aliquid mutaſſe. Vegetius ibi habet haec: „*Eſt etiam alia cauſſa, cur attenuatae ſint legiones: magnus „in illis labor eſt militandi, graviora arma*, ſera *munera*; ſeve„rior *diſciplina. Quod vitantes plerique, in auxiliis feſtinant „militiae ſacramenta percipere, ubi et minor ſudor, et maturio„ra ſunt praemia.*" Hic, ut ipſe vir Cl. fatetur, exemplaria optimae notae, itemque tres eius codices Guelferbytani, conſtantiſſime habent *plura munera*, non *ſera*, quod in vulgatis fuerat. Hoc non obſtante, tamen ille vulgatam retinuit. In quo plane ab eius ſententia recedimus. Primum enim, (ut iam diximus, et ipſe dixit,) vulgata repugnat libris optimis. Deinde, quod vir Cl. Vegetium, ait, ſi legatur *plura*, tautologiam committere, quia *magnus labor*, et *plura munera*, eodem redeant, viciſſim, ſi legatur *ſera*, elegantiorem et veriorem oppoſitionem inter *magnum laborem*, *et minorem ſudorem*, inter *ſera munera*, et *maturiora praemia*, futuram, id huc non valde pertinet. Si haec diceret de loco Ciceronis, aut Livii, veriſſime diceret. Dudum enim conſtat, in ſcriptoribus aureae aetatis omnia ad vivum reſecari, et ad ἀκρίβειαν Grammaticam et Rhetoricam, etiam interdum contra codices, exigi poſſe; quoniam certum ac paene neceſſarium eſt, eos hoc ita ſcripſiſſe, illud non ita ſcripſiſſe. Nunc, cum dicat de Vegetio, ſcriptore ferreae aetatis, alia res eſt. Nam in ſequiori aevo id locum non habet, quoniam eius ſcriptores ἀκρίβειαν illam vel plane non, vel rarius ſervant, adeoque in his non modo loca dubia *ad* hanc non corrigenda, ſed etiam interdum *contra* hanc decernendum, et lectio deterior, pluriumque codicum, ſequenda eſt. Quod in primis de Vegetio nobis dicendum videtur, qui raro,

 aut

aut nunquam ἀκριβῶς loquitur. Et ſi vel maxime oppoſitionis elegantiam, in aliquot verbis huius loci Viro Cl. conceſſerimus, tamen ea laborabit in reliquis periodi membris. Nihil enim adeſt, quod opponatur his: *graviora arma, ſeverior diſciplina*, quae negligi non debuiſſent a Vegetio, ſi concinnam voluiſſet orationem accurata oppoſitione efficere. His de cauſſis credimus, melius facturum fuiſſe Schwebelium doctiſſimum, ſi *plura* e codicibus repoſuiſſet. Ceterum *ſeverior*, pro *ſaevior*, quod eſt in quibusdam ſcriptis, propter ſenſum et rem ipſam, recte nobis videtur retinuiſſe. — C. 13. ubi Vegetius de ſignis agit, quae in confuſione praelii centuriones ab ſe invicem et a militibus diſcernunt, poſt verba: *transverſis caſſidum criſtis*, ex auctoritate quorumdam codicum in textum recepit: *litteras habebant*, eiusque rei rationem in nota ſubiecta, noſtro quidem iudicio, optimam reddidit. — L. III. c. 5. in loco: „*Multa quidem* „*ſunt* dicenda *atque obſervanda pugnantibus*“ ubi in vulgatis antea fuerat *ediſcenda*, hoc recte mutavit in *dicenda*, ita, ut *obſervanda* ad milites, *dicenda* ad duces referantur, eamque notionem τοῦ *dicere* aliquot exemplis vindicavit. — C. 10. Stewechium carpit, qui pro *vacantes* (milites) ingenioſius, quam verius, repoſuerat *vagantes*, repugnantibus non libris ſolum, ſed et contextu. Praeceſſerat enim: *cibum capientes aut dormientes*, et ſequitur: *vacantes certe* quae particula manifeſte docet, ſermonem eſſe de re minori, quam quae praeceſſerat; *vagari* autem profecto plus et maius, quam *dormire* eſt, aut *cibum capere*. Unde rectiſſime vetus lectio a Cl. Schwebelio reducta eſt.

Quod vero attinet ad notas eas, quae in re ipſa, h. e. militia Romana vetere, verſantur, negari non poteſt, eas et permultas, et valde eruditas eſſe, Schwebeliumque doctiſſimum multa eius diſciplinae capita, datis occaſionibus, egregie illuſtraſſe. Sic v. c. L. I. c. 3. de *agrariis ſtationibus militum*: c. 4. de *armatura*, quatenus per eam *ipſi milites* in-

 telligun-

telliguntur: c. 24. de *diverſis generibus foſſarum*: L. II. c. 3. de *tribus miſſionum generibus, honeſta, cauſſaria, et ignominioſa*: c. 7. de *diverſis generibus Tribunorum, reip. liberae temporibus*, quorum alii a Conſulibus in exercitu, alii a populo in comitiis, creati fuere, itemque temporibus Caeſarum, quibus alii *Laticlavii* ſ. *maiores*, alii *anguſticlavii* ſ. *minores* dicti: c. 9. de *comitibus*, eorumque inter ſe differentia: c. 19. de *ſcholis* militaribus et caſtrenſibus: L. III. c. 20. de *quadrato agmine et exercitu etc.* quanquam breviter, tamen accurate et perſpicue diſſeruit. Etiam L. II. c. 19. occaſione emendationis cuiusdam Stewechii, qui pro *militarium numerorum* malebat *munerum*, (quem Schwebelius recte reprehendit) de diſcrimine *obſequiorum* et *numerorum*, h. e. ſatellitum, et cohortium, doctisſimam obſervationem addidit. Interdum etiam Vegetium ipſum erroris arguit, maxime ubi tempora non ſatis videtur diſtinxiſſe, quod non raro eum feciſſe iam ab aliis obſervatum eſt. Cuius rei exempla ſunt L. II. c. 1. ubi Vegetius in auxiliis minorem, in legionibus vero longe ampliorem militum numerum conſcribi ſolitum ait, contra Polybium, et Livium: c. 2. ubi leviorem armaturam legionibus ipſis immiſcet: L. IV. c. 18. ubi Vegetius *inventum* ſuffosſionis in obſidionibus tribuit Rhodiis, cum ſit longe antiquius, ut Cl. Schwebelius ex Aenea Tactico docet.

Quae quanquam ita ſint, et in his notis ſingulis permultum ingenii ac doctrinae Viri Cl. appareat: tamen cum bona eius venia, de univerſis, earumque diſpoſitione, aliquid monebimus. Nos ſcilicet, ſi Vegetium edidiſſemus, omne notarum agmen, (tripartitum, ut ſupra diximus,) ita diſpoſuiſſemus: Criticas ſuis quasque locis inſeruiſſemus, ut ipſe fecit; grammaticas etiam. Sed reales, h. e. de re militari, conieciſſemus omnes in Lexicon aliquod Rei militaris, ſeu Vegetianum, idque indicis loco appoſuiſſemus. Conſtat enim, in rebus technicis, et quae ad certam aliquam artem vel diſciplinam ſpectant, commodiorem explicandorum verborum

rationem non eſſe, quam ut vocabula illa omnia in unum locum, ordine alphabetico, coniiciantur, iisque ibi ſemel explicatis, loca, in quibus quaeque occurrerint, citentur, et quid de ſingulis ſeparatim forte notandum ſit, ſtatim adiiciatur. Si enim textui ſubiiciantur, aut ſaepius idem dicendum; aut eodem ſaepius ablegandum eſt; aut denique, ſi hoc quoque negligatur, lector, oblitus, quid ſupra, ubi eadem vox occurrerat, notatum ſit, fruſtra notam iterum quaeret. His omnibus, Lexico adiecto, facilius, et minori cum labore, occurritur. Quod ſi in libris aliis, Ciceronis v. c. id praeſtari poteſt, (cuius rei exemplum inſigne habemus in Clave Ciceronis Erneſtiana,) ubi tamen propter verba *abſtracta* et *πολύσημα* haud paullo difficilius negotium eſt, quanto magis in technicis, ubi voces utplurimum *concretae* ſunt, ac definitae ſignificationis, quae ſemper et ubique iis ineſt? Atque hoc in Vegetio ita eſſe, res ipſa loquitur, ac tot verba militaria, centies obvia, *martiobarbulus* v. c. *balliſta*, *ferentarius*, *tolleno*, *armatura*, *draconarius*, *teſſerarius*, *plumbata*, et ſexcenta eius generis alia, abunde oſtendunt. Haec noſtra ſententia eſt, noſtra, inquam; qua tantum abeſt, ut Schwebelii Cl. editioni aliquid detractum velimus, ut potius iudicium noſtrum de eius inſigni doctrina et induſtria, ſupra latum, hoc loco repetamus, eumque vehementer rogemus, ut pergat in ſuſcepto conſilio, et proxime nobis Mauricium, aut Leonem, aut ſimilem aliquem rei militaris ſcriptorem, emendatum et correctum ſiſtat. Hos enim, videmus, in noſtris regionibus paullo rarius reperiri. Certe ab ea parte reip. litterariae, quae doctrinam accuratam, et e fontibus ipſis ductam, amat, plurimum gratiae eum credimus initurum eſſe.

De figuris aeneis, et verſione Francica, quam Cl. Editor adiecit, et quae, ut vidimus, ſimilis eſt verſioni Orioſandri, quoniam ipſe nihil dixit, neque nos hoc loco quidquam dicemus, ſed utrumque lectoribus intelligentibus diiudicandum relinquemus.

EMEN-

EMENDATIONUM CALLIMACHIARUM PERI-culum: fecit IACOBUS FRIDERICUS HEUSINGER, Scholae Guelph. Rector.

Callimachiarum emendationum periculum, quod Gratulatoriae Epiſtolae ad V. S. Rev. *Franc. Anton. Knittelium*, Conſiſtorii Conſil. Superintend. Gener. et Gymnaſii Guelferbyt. Ephorum, iam ante triennium inſeruit *Heuſingerus*, Vir doctiſſimus, ſi in haec Eruditorum Acta transtulerimus, credimus, quia doctorum hominum commodo id fit, etiam volente auctore fieri. Sunt autem emendationes ſequentes:

„Sequuturus ordinem, quo CALLIMACHI carmina eduntur, primum in medium dabo locum ex hymno IN IOVEM v. 79. ſeq. ubi poeta de regum divinitate ita canit:

Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
θειότερον, τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λάξιν.

In poſteriore verſu Rich. Bentleius ſcribendum cenſet τῷ καί σφε τεὴν ἐκρίναο λάξιν, exiſtimans, ſententiam huius loci non eſſe, *quare illis decrevisti tuam ſortem*, verum, *illos delegiſti tuam ſortem*. Ita vero Callimachus a crimine ταυτολογίας haud longe abeſſe mihi videretur. Parum enim, aut omnino non diverſa ſunt, ἐκ Διὸς βασιλῆες et Ζεὺς τοὺς βασιλῆας ἑὴν ἐκρίνατο λάξιν. At ſi vulgatam ſcripturam retineamus, nihil redundabit, ſed omnia aptiſſime cohaerebunt. *A Iove ſunt reges: quippe Iovis regibus nihil divinius eſt. Ideo etiam permiſiſti eis tuam ſortem.* Scilicet, ut ſint urbium cuſtodes, ut regant populos, opesque poſſideant. Ne quis vero dubitet, an commode dici queat κρίνειν τινί τι, adſcribam iſta Sophoclis ex Aiac. flagrif. v. 442. ſeqq.

 Εἰ ζῶν

Εἰ ζῶν Ἀχιλλεὺς τῶν ὅπλων τῶν ἀμφὶ
Κρίνειν ἔμελλε κάρτος ἀριστείας τινὶ,
Οὐκ ἄν τις αὐτ᾽ ἔμαρψεν ἄλλος ἀντ᾽ ἐμοῦ.

IBID. V. 92. ſeq.

Callimachus opera Iovis maiora eſſe dicit, quam quae digne a quoquam laudari queant. Verba haec ſunt:

Τεὰ δ᾽ ἔργματα τίς κεν ἀείδει;
Οὐ γένετ᾽, οὐκ ἔσται. τίς κεν Διὸς ἔργματ᾽ ἀείσει;

Sententiam horum verſuum, ut nunc leguntur, impeditiorem eſſe, animadverterunt docti interpretes, quorum alius aliam emendandi viam ſequutus eſt. Nec ſcripta exemplaria a criticis inſpecta ſatis ſibi conſtant in extremo prioris verſus verbo ἀείδοι, pro quo codex Mediolanenſis alter ἀείδει, et Pariſienſis ἀείσῃ ſubſtituit. Equidem crediderim, verba ἀείδοι et ἀείσει inter ſe permutata, alterumque in alterius locum iſta reſtituendum eſſe:

Τεὰ δ᾽ ἔργματα τίς κεν ἀείσει;
Οὐ γένετ᾽, οὐκ ἔσται, τίς κεν Διὸς ἔργματ᾽ ἀείδοι.

Ita ſenſus hic eſſet: *Tua opera vero quis canet? Non fuit, nec erit, qui Iovis opera canat.* Pronomen τὶς in articuli poſtpoſitivi ſignificatione apud ipſum Callimachum epigrammate XXX. v. 2. legimus, ubi alios etiam locos adſcripſit Rich. Bentleius. Tamen longe ſimplicior ac verior mihi videtur loci noſtri iſta interpunctio:

Τεὰ δ᾽ ἔργματα τίς κεν ἀείσει;
Οὐ γένετ᾽, οὐκ ἔσται. Τίς κεν Διὸς ἔργματ᾽ ἀείδοι;

Tua opera quis canet? Neque fuit, nec erit. Quis Iovis opera canere poſſit? Ita etiam verba Callimachi propius accedent ad iſta in Apoll. v. 30. ſeq.

Οὐδ' ὁ χορὸς τὸν Φοῖβον ἐφ' ἓν μόνον ἦμαρ ἀείσει.
Ἐστι γὰρ εὔυμνος. Τίς ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον ἀείδοι;

Nec audiendus eſt Stephanus, qui negat, ſatis apte indicativo modo iungi particulam κέν. Plane enim, quemadmodum Callimachus hic fecit, ita futuro indicativi hanc particulam iunxiſſe videmus Homerum in illo Iliad. A. v. 174. ſeq.

Πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
Οἵ κέ με τιμήσουσι.

IN APOLLINEM V. 40. ſeq.

Ἐν ἄστει δ', ᾧ καὶ ἐκεῖναι
Πρῶτες ἔμαρψε πίεσσιν, ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.

Leve mendum praeeuntibus H. Stephani exemplaribus tollo, et ἄστι pro ἄστει repono.

IBID. V. 113.

Χαῖρε, ἄναξ· ὁ δὲ Μῶμος, ἵν' ὁ Φθόρος, ἔνθα νέοιτο.

Ita nunc editur hic verſus, ſententia quidem ſatis concinna. Nec de emendatione cogitarem, niſi aurem mihi vellerent critici, qui adnotaverunt, in antiquis libris pro φθόρος ſcriptum fuiſſe φθόνος. Hinc intelligere mihi videor, Callimachum ſcripſiſſe ἵν' οὐ φθόνος, ἔνθα νέοιτο. Non potuit poeta Momum ſuum in alium locum facetius ablegare, quam in eum, *ubi nulla invidia eſt*, id eſt in extremam miſeriam. Φθονεῖ γὰρ οὐδεὶς τῷ δυστυχοῦντι, ut eſt apud Plutarchum de de invidia atque odio p. 538. B. Dictum Callimachi ſuum fecit Martialis, quum ita luſit lib. I. epigr. 41.

Omnibus invideas, invide, nemo tibi.

IN

IN DELVM V. 162 ſeqq.

Ἀλλά οἱ οὐ νεμεσητὸν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι,
Ὁππότ' ἐς Ὠκεανόν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθὺν
Νῆσοι ἀολλίζονται, ἀεὶ δ' ἔξαρχος ὁδεύει.

In ultimo verſu fortaſſe poſt ἀεὶ particula δ' abiicienda, aut mutanda in γ', ac totus locus ita eſt interpungendus:

Ἀλλά οἱ οὐ νεμεσητὸν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι,
Ὁππότ' ἐς Ὠκεανόν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθὺν
Νῆσοι ἀολλίζονται, ἀεὶ ἔξαρχος ὁδεύει.

IBID. V. 193. ſeq.

Ἀλλὰ παλιῤῥοίῃ ἐπινήχεται, ἀνθέρικος ὥς,
Ἔνθα νότος, ἔνθ' εὖρος, ὅπη φορέησι θάλασσα.

Valde exiguo ſcripturae diſcrimine, ſed magno, niſi fallor, ſententiae bono, vocabulum extremum θάλασσα muto in θάλασσαν.

IBID. V. 262.

Χρύσειον δ' ἐκόμισσε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης.

Mihi quoque mirifice blanditur ingenioſiſſima coniectura τοῦ πάνυ Hemſterhuſii, ἐκόμησε pro ἐκόμισσε legere nos iubentis. Verba autem poetae ſic accipienda eſſe crediderim. Ἔρνος ἐλαίης ipſa arbor eſt *oliva*: ita Homerus Iliad. P. v. 53. dixit

Οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης.

Haec oliva ἐκόμισσε, ſive ἐκόμησε, τῷ Ἀπόλλωνι δηλονότι, ἢ καὶ τῇ Λητοῖ, γενέθλιον δῶρον χρύσειον. Tale eſt, quod legimus apud Euripidem Hecub. v. 456. ſeqq. Πρωτόγονός τε φοίνιξ, δάφνα θ' ἱεροὺς ἀνέσχε πτόρθους Λατοῖ φίλᾳ ὠδῖνος ἄγαλμα

μα δίας. Quod autem Callimachus γενέθλιον dixit, Aeſchylus Eumenid. v. 7. γενέθλιον δόσιν appellat.

IN LAVAGR. PALLAD. V. 25.

Ἐμπεράμως ἐτρίψατο λιπὰ λαβοῖσα
Χρίματα.

Arridet mihi βαλοῖσα, quod erat in prius editis. Minerva *oleo puro affuſo ſcienter corpus fricat.* Contrario modo peccatum eſt infra v. 82. Παιδὸς δ' ὄμματα νὺξ ἔβαλεν. Plane enim adſentior viris doctis, qui νὺξ ἔλαβε Callimacho reſtitui iubent. Quod vero poeta ſcribit ἐμπεράμως ἐτρίψατο, meminerimus, prudentia ac peritia opus fuiſſe ad frictiones athletarum. Pulchre hoc declaratur Galeni locis, quos Petrus Faber excerpſit lib. III. agoniſt. c. 15. p. 549.

IN CERER. V. 4. ſeqq.

Μηδ' ἀπὸ τῶ τέγεος, μηδ' ὑψόθεν αὐγάσσησθε,
Μὴ παῖς, μηδὲ γυνά, μηδ' ἃ κατεχεύατο χαίταν,
Μηδ' ὅκ' ἀφ' αὐαλέων ςομάτων πτύωμες ἄπαςοι.

In verſu trium horum ultimo Μηδ' ὅκ' ex Μὴ τοκ' eſſe depravatum, ſuſpicor. Callimachus inſpectionem calathi profanis interdicit, ne quando Ceres, ultra curioſos myſteriorum ſuorum inſpectores, populo famem immittat.

IBID. V. 60.

Οἱ μὲν ἄρ' ἡμιθνῆτες, ἐπεὶ τὰν πότνιαν εἶδον.

Aldus ἡμιθνῆγες edidit, quod eſſet ab ἡμιθνής. Et ſaepe Dores Σ in Ξ mutant, puta κλᾷξ pro κλεὶς, ὄρνιξ pro ὄρνις, dicentes.

IBID.

IBID. V. 129. ſeqq.

Μέσφα τὰ τᾶς πέλιος πρυτανήϊα τὰς ἀτελέστως
Τᾶςδε τελεσφορίαις ποτὶ ταὶν θεῦν ἄχρις ὁμαρτεῖν,
Αἵτινες ἑξήκοντα κατώτεραι.

Sic e coniectura Stephani locus hic interpolatur, invito ſenſu, et invitis omnibus libris, in quibus conſtanter legitur:

Μέσφα τὰ τᾶς πόλιος πρυτανήϊα τὰς ἀτελέστως,
Τὰς δὲ τελεσφορίας ποτὶ ταὶν θεῦν κ. τ. λ.

Videbat Stephanus, τελεσφορίας pro adiectivo haberi non poſſe, ideoque τὰς δὲ τελεσφορίας mutavit in τᾶςδε τελεσφορίαις, et hoc ad ἀτελέστως retulit. Quia vero contextus orationis flagitare videtur, ut ταῖς ἀτελέστοις opponantur initiatae, alii coniecerunt ταὶ δὲ τελεσφορίαι. Hoc autem, ſive a τελεσφορεῖς, ſive a τελεσφορεὺς derivetur, utrumque repugnat analogiae, alterum etiam canonas de generibus nominum laedit. Malim igitur τὰς δὲ τελεσφορίας ſervare, idque pro τὰς δὲ τῆς τελεσφορίας accipere, ut αἱ τελεσφορίας initiatae dicantur, quemadmodum Graeci τοὺς δήμου, τοὺς Καίσαρος, τοὺς τῆς πόλεως, τοὺς αὐτοῦ, et ſimilia dicunt. Potuit etiam Callimachus, ne Doride quidem inuita, ſcribere Τὰς δὲ τελεσφορίης.

EPIGR. 39.

Ὁ Λύκτιος Μενοίτας τὰ τόξα ταῦτ' ἐπειπὼν
Ἔθηκε τῇ κεράστοι, δίδωμι καὶ φαρέτρην,
Σάραπι, τοὺς ὀϊστοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται.

Fabra, Huetium ſequuta, bene monuit, verſu ſecundo ſcribendum eſſe Ἔθηκα pro Ἔθηκε. Proxima τῇ κεράστοι δίδωμι Rich. Bentleius correxit τῇ, κέρας τοι δίδωμι probante Celeb. Erneſto. Hic etiam e margine codicis MS. Lipſienſis affert τοι γέρας, τοι, quod firmet correctionem Bentleii. Si qua

 diſces-

diſceſſio fieret, ego pedarius ſenator in partes codicis Lipſ. tranſirem, et conſentirem epigramma ſic legendum eſſe:

Ὁ Λύκτιος Μενοίτας τὰ τόξα, Ταῦτ', ἐπειπὼν,
Ἔθηκα τοι, γέρας τοι δίδωμι καὶ φαρέτρην,
Σάραπι· τὰς δ' οἰςοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται.

Tunc interpretarer:

Hos Lyctius Menoetas arcus, aitque, dono
Tibi hos, tibique munus ſimul dico pharetram,
Serapi. Nam ſagittas conſumſi in Heſperitas.

EPIGR. 63.

Εὐδαίμων, ὅτι τἄλλα μανεὶς, ἀρχαῖος Ὀρέςας
Λευκάρεταν μόνων οὐκ ἐμάνη μανίην.

Laſcivum, ſed elegans, epigramma, prope interceptum eſt inſcitia librariorum, quibus inſolentior erat vox λευκοπρωκτομανιῶν.

EPIGR. 65.

Αἶνιε καὶ σὺ γάρ ὧδε Μενέκρατες ἔτι πουλὺς
Ἦσθα τί σε ξείνων ὧςε κατειργάσατο.
Ἤρατο καὶ Κένταυρον, ὃ μοι πεπρωμένος ὕπνος
Ἦλθεν, ὁ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.

Primum vocabulum Αἶνιε ex Μήνιε ortum puto. Omiſerat forſan librarius aliquis litteram M, ut ea cocco aut minio appingeretur. Id quum poſtea, ut ſaepe, neglectum eſt, ἤνιε remanſit. Ex hoc deinde alius, pronuntiationis errore, fecit αἶνιε. Pro Μενέκρατες ἔτι πουλὺς Celeb. Rhunkenius e MS. Voſſ. Μενέκρατες οὐκέτι πουλὺς reſtituit. Hinc totum epigramma in hunc modum reconcinno:

Μήνυε, καὶ σὺ γὰρ ὧδε, Μενέκρατες, οὐκέτι πουλὺς
Ἦσθα, τίς ἡ ξείνων, ὅς σε κατηργάσατο;
Ἤρπατο καὶ Κένταυρον. Ὁ μὲν πεπρωμένος ὕπνος
Ἦλθεν, ὁ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.

Menecrates vino immoderatius potato mortem ſibi acceleraverat. Hunc paullo poſt, quam ad inferos traductus erat, Menippus aliquis, quaſi mortis cauſſam adhuc ignoraret, ſimulansque, ſibi parum credibile videri, viſum eius aetatis naturali morte occubuiſſe, interrogat, quis hoſtis eum interfecerit. Menecrates, ut ſi puderet ſe tam turpem cauſſam mortis diſerte pronuntiare, reſpondet, eúmdem auctorem mortis ſuae fuiſſe, qui Centaurum Eurytiona labefecerit, ſcilicet vinum. Reſpicere autem Callimachum ad Odyſſeae Φ. v. 293. ſeqq. praeclare vidit Erneſtus V. S. R. Deinde Menecrates, ut etiam hac re pudori ſuo confuleret, culpam a vino transfert in fatum. Utcumque res ceſſura eſt, experiar, an epigrammatis ſententiam Latinis numeris reddere poſſim.

Dic, huius modo facte, Menecrates, incola regni,
Quis, te qui necuit, barbarus hoſtis erat?
Is, qui Centaurum. Fatalis venerat hora:
Inſontis Bacchi pocula crimen habent.

Quemadmodum vero cauſſam mortis ſuae Menecrates a vino, ſeu potius a ſe, amolitur, eamque in fatum confert: ita ſaepe faciebant priſci. Clytaemneſtra apud Aeſchylum Choeph. v. 910. caedem mariti excuſat ita:

Ἡ μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία.

Demophoon apud Sabinum epiſt. II. v. 104. culpam Ariadnes, perfide a patre ſuo deſertae, ſimili excuſatione levat:

Excuſet patrem fatis in patre relicta
Gnoſis.

Ita

Ita legendum eſſe pro vulgato *fatis in porta relicta*, vel coecus videat. Fatali neceſſitate relictam eſſe Ariadnem, ait Demophoon, inſontem Theſea deſertionis invidia premi.

Addo coniecturas meas de ſanandis aliquot SCHOLIIS veteribus ad Callimachum.

IN IOV. ad v. 8. extr.

Ἢ ἔτι Κορύβαντες, λαβόντες αὐτὸν ἐπὶ τὸ κρύψαι διὰ τὸν Κρόνον, προσεποιήσαντο τάφον αὐτῷ.

Pro ἐπὶ τὸ κρύψαι Vaſcoſanus rectius edidit αὐτὸν ἐπὶ τῷ κρύψαι. Etiam extrema huius ſcholii verba ſic legere malim: προσεποιήσαντο τάφον αὐτοῦ.

IBID. ad v. 21.

Ὅτ᾽ ἐλύσατο] Ὕστερον, μετὰ τὸ τεκεῖν τὴν Ῥέαν.

Hoc ſcholion plane non facit ad verba poetae, quibus adſcriptum legitur. Referendum erat ad verbum αὖτις, quod in eodem Callimachi verſu praeceſſerat.

IBID. ad v. 52.

Οὖλα] Κατὰ κλῆρον, ὑγιεινῶς.

Vocabulum οὖλα non explicari poſſe formula κατὰ κλῆρον, manifeſtum eſt. Erneſtus, conſummatae eruditionis vir, opinatur, verba κατὰ κλῆρον temere huc irrepſiſſe, quum adſcripta fuerint v. 59. ad verbum ἐπιδαίσιον. Sed pace ſummi viri dixerim, me non videre, quomodo in mentem venire grammatico potuerit, ut ἐπιδαίσιον exponeret κατὰ κλῆρον μεμερισμένον, quum diſerte neget Callimachus, ſorti in iſta diviſione locum fuiſſe. Mihi igitur proximum vero videtur, Scholiaſten vocem οὖλα interpretatum eſſe κατὰ καιρόν, ὑγιεινῶς.

IN DIAN. ad v. 188.

Εὐρίποιο] Εὔριπος ὁ μεταξὺ Εὐβοίας καὶ Βοιωτίας ῥοῦς. καλεῖται δ' οὕτως ἡ Εὔβοια, διὰ τὸ ἐπιμήκη αὐτὴν κεῖσθαι. λέγεται δὲ καὶ Μάκρις.

Non ſatis cohaerent, quae in hoc ſcholion congeſta ſunt. Fortaſſe poſterior pars adnotationis huius adiecta fuit v. 187. nomini Δολιχῇ, in hunc modum: Δολιχῇ] Ἡ Εὔβοια. Καλεῖται δ' οὕτως ἡ Εὔβοια διὰ τὸ ἐπιμήκη κ. τ. λ. Cogitare potuit Scholiaſtes de inſula Euboea, quam meminerat Μάκριν appellari. Eamdem Euboeam Dianae cultui inſigniter deditam fuiſſe, permultis argumentis oſtendi poteſt. Haec tamen ita accipi nolim, quaſi diſpliceat mihi ſententia doctorum virorum, qui, Plinio auctore, Dolichen Callimachi eam eſſe arbitrantur, quae Icaros poſtea appellata eſt.

IN DEL. ad v. 295.

Εὔμοιροι] Εὔφημοι.

Elocutioni Εὔμοιροι δ' ἐγένοντο, niſi me coniectura fallit, adſcripſerat Scholiaſtes Εὐφημούμενοι. Scripturae compendium, quo librarius illud vocabulum expreſſerat, in Εὔφημοι facili errore degeneravit. Haud inepte vero Grammaticus iſte ſibi perſuaſerat, Callimachum, Cleobis ac Bitonis memorem, de iuvenibus Hyperborealibus ſcripſiſſe, ὅτι εὔμοιροι ἐγένοντο, τοῦτ' ἔστιν ἀπέθανον.

EXODI PARTICULA ATQUE LEVITICUS, Graece; edidit e Cod. MS. Bibliothecae Collegii Paullini Lipſienſis, IO. FRID. FISCHERUS, Humaniorum Litterarum in Academia Lipſ. Prof. Publ.

 Lipſiae,

Lipſiae, ex Officina Saalbachia A. C. MDCCLXVII.
plag. 9. octonis.

item:

NUMERI, ET PARTICULA DEUTERONOMII, Graece, edidit e Cod. MS. Bibliothecae Collegii Paullini Lipſienſis IO. FRIDER. FISCHERUS.

Lipſiae, ex Officina Saalbachia A. C. MDCCLXVIII.
plag. 8. octonis.

Quum verſionum Graecarum Veteris Teſtamenti ea ſit praeſtantia atque utilitas, ut earum auxiliis librorum divinorum intelligentia plurimum adiuvari *poſſit:* laudandi ſane ſunt omnes ii, quorum ſtudium *verſatur in eo*, ut vel iuſtum harum verſionum pretium *conſtituatur, vel* earum indoles accuratius cognoſcatur, vel *denique* lectio ad intelligenda cum veteris, tum Novi Teſtamenti ſcripta, conferatur. Ex eorum numero qui hoc nomine laudem merentur, eſſe etiam Cl. Fiſcherum, ipſe, tum multis aliis documentis, tum edendo hoc, de quo dicendum iam nobis eſt libro, inſigniter demonſtravit. Qui, quum ante annos aliquot conquirere inſtituiſſet et comparare copias, quarum auxilio uteretur, cum in Clave Fragmentorum Graecorum Veteris Teſtamenti adornanda, tum in augendis locupletandisque Hexaplorum Origenianorum reliquiis, incidit etiam in codicem membranaceum verſionis Alexandrinae, admodum antiquum, ſeptimgentos enim viro doctiſſimo habere annos videtur, eundemque oppido bonum et accuratiſſime ſcriptum, quo tertius, quartusque libri Moſis integri continentur, et particulae quaedam ſecundi et quinti. Huius codicis margines commiſſa ſibi ab eadem manu oſtentant multis locis ſcholia utilia non minus, quam reliquorum interpretum

tum verba. Ac quum in his multa exſtare intelligeret vir doctiſſimus, quae a Montefalconio in codicibus vetuſtis non reperta, neque adeo vulgata eſſent, laudabile cepit conſilium eum integrum edendi. Id vero iam multa cum laude perfecit. Nos enim, quibus codicem hunc, quem in ornamentis bibliothecae academicae eſſe iure laetamur, inſpiciendi tractandique occaſio fuit, diligenter eum multis locis cum Fiſcheri editione contulimus, eumque a viro doctisſimo accuratisſime deſcriptum eſſe perſpeximus. Atque hoc nomine eo lubentius Cl. Fiſchero gratias agimus, quo moleſtior labor fuit, qui deſcribendo codici impendendus erat. Etenim et litterarum ductus, et compendia ſcribendi, totiusque omnio ſcripturae ratio, virum requirebant eum, qui non ſolum philologiae criticaeque bene peritus eſſet, ſed et nullas moleſtias, quae in deſcribendo tali codice occurrunt quamplurimae, pertimeſceret.

De codicis virtute et indole non eſt ut multa moneamus. Nam Cl. Fiſcherus, quod eſt in eo litterarum Hebraicarum Graecarumque ſcientiam iuvandi inſigne ſtudium, cum in epiſtola ad patrem Numeris et Deuteronomii particulae praefixa, tum alio *) loco promiſit, ſe hunc laborem alio tempore ſuſcepturum eſſe. Placet tamen, ut quodammodo intelligatur, quam gratum hac re litterarum divinarum ſtudioſis fecerit, placet, inquam, in medium aliquid de codice ipſo proferre.

De aetate codicis tenendum eſt, eum haud dubie Saeculo fere duodecimo ſcriptum fuiſſe, quod conferenda ſcriptura eius, cum ſpeciminibus ſcripturae veteris, a Montefalconio in Palaeographia exhibitis, intellexiſſe nobis videmur.

 mur.

*) In egregio libello: *de Verſionibus Graecis Veteris Teſtamenti litterarum Hebraicarum magiſtris*, pag. 24.

mur. Recte igitur eruditiſſimus Editor ſeptingentos habere eum annos putat. At vehementer dolendum eſt, codicem hunc noſtrum particulam tantum Pentateuchi habere. Initium enim eſt Exod. XXXII, 7. τὴν φωνὴν τοῦ λαοῦ κραζόντων, λέγει πρὸς Μωϋσῆν. Finis vero Deuter. I, 13. δότε ἑαυτοῖς ἄνδρας σοφούς. Duplex eſt textus diſtinctio: altera cum argumentis, quae et breviter, et accurate traduntur; altera ſine argumentis. Utramque Cl. Editor retinuit, ita tamen, ut, quod valde probamus, verſuum capitumque diſtinctionem, qua hodie utimur, adponeret.

At quid de textu ipſo cenſendum? Duae omnino exſtabant olim, monentibus viris doctis, (e. g. Carpzov. Crit. Sacr. P. II. c. II. §. 8.) verſionis τῶν LXX. editiones: altera κοινὴ ſive Vulgata, altera Hexaplaris ſ. Origeniana. Nos, rationibus, quibus utriusque editionis textus agnoſci poteſt, diligenter penſitatis, codicem noſtrum Hexaplarem exhibere textum crediderimus. Quod, ſi argumentis probare velimus, et nimis longum foret, et a conſilio noſtro alienum. Iam vero de iis, quae in marginibus codicis ſcripta ſunt, pauca monebimus. Triplicis omnino ea videntur eſſe generis: critici, exegetici, et dogmatici. Uſum criticum habere poſſunt ea, quae interpretum veterum, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, aliorumque fragmenta commemorant, quae magnus ille litterarum ſacrarum interpres, Vitringa, auro cariora appellabat. Haec vero fragmenta in marginibus codicis noſtri ſcripta, ita ſunt comparata, ut vel non exſtent in Hexaplis a Montefalconio editis, vel careant ibi nomine, aut omnino interpretis, aut certe auctoris veri. Horum autem omnium inſignem eſſe in Critica ſacra uſum, quis eſt qui neget? Certe, his fragmentis magnum Hexaplis, a Montefalconio editis, augmentum ornamentumque conciliari poterit. Enimvero, vel lectiones a Montefalconio haud repertae, poterunt vulgari, vel omiſſa interpretum nomina indicari, vel denique interpretationes, falſis auctoribus affictae,

veris

ueris tribui. Atque in hoc profecto inest egregius laboris Fiſcheriani uſus!

Neque vero ſilentio praetereunda ſunt ſcholia exegetica, hoc eſt ea, quae ad explicandum ſenſum pertinent. Talia occurrunt in margine plurima. Sic Num. III, 32. in margine eſt: *σημείωσαι, ὅτι ἄρχων ἀρχόντων ὁ ἀρχιερεύς* — Saepius explicantur in margine nomina propria, ut Levit. X, 1. *Ἀαρὼν ὄρος δυνάμεως, Ναδὰβ ἑκούσιος, Ἀβιοὺδ πατὴρ αὐτῶν.* Num. XXI, 19. *Μανθαναὴλ, δόματα αὐτῶν; Νααλιὴλ, ἀπὸ Θεοῦ; Βαμὼθ, ἔλευσις θανάτου.* Neque vero quis putet ſpernenda eſſe eiusmodi ſcholia. Nam poterunt uſum non exiguum habere in explicanda vi vocum non ubique occurrentium. Contulit etiam ſcholiorum auctor ſtudium ſuum ad explicanda Novi Teſtamenti loca. Hinc loca V. T. in Novo allegata diligenter indicat. En exempla: Levit. XIX, 18. ſcholion eſt: *Ἐντεῦθεν ἀναγέγραπται ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἡ ἐντολή:* Num. XVI, 5. *Ἀνήνεκται ἐν τῇ πρὸς Τιμόθεον β̄ Παύλου ἐπιστολῇ.* Videtur tamen interdum ſcholiaſtes allegoricae interpretationis ſtudioſus fuiſſe. Huc e. c. pertinere arbitramur ſcholion Levit. XVII, 10. *Ἐγὼ οἶμαι τὴν κρίσιν ὑπὸ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου γίνεσθαι, τουτέστι τῆς ψυχῆς Ἰησοῦ, ἣν καὶ νῦν νομίζω λέγεσθαι.* Num. XVIII, 11. *περὶ τῆς θυσίας τοῦ σωτηρίου φησὶν ὡς ἐν τῷ ΙΔ τοῦ Λευιτικοῦ κεφαλαίῳ.* Reſtant ſcholia dogmatica, quae, uti exegetica, virum produnt in libris divinis bene verſatum. E multis huius generis ſcholiis dabimus hoc: Levit. XXVI, 5. *βεβαῖος ὢν ὁ δίκαιος μετὰ ἀσφαλείας κατοικεῖ ἐπὶ τῆς γῆς, λαμβάνων τὴν εἰρήνην τοῦ Θεοῦ, ἣν καὶ ὁ Χριστὸς δίδωσιν τοῖς ἰδίοις μαθηταῖς.* Reſpexiſſe videtur locum Io. XIV, 27. Peculiaris generis eſt ſcholion Num. XXXIII, 38. *Ἐν τῇ αὐτῇ ταύτῃ ἡμέρᾳ, τούτου τοῦ μηνὸς, ἐτελειώθη καὶ ὁ μακάριος Τιμόθεος, ὁ ἀρχιερεὺς Ἀλεξανδρείας, μᾶλλον δὲ πάσης τῆς οἰκουμένης ὁ δεύτερος Ἀαρών.*

Plura de hoc codice dicere non attinet: neque enim deſcriptionem eius dare voluimus, ſed id tantum ſpectavimus,

mus, ut in literarum divinarum ſtudioſis cupiditatem incenderemus, particulam iſtam Pentateuchi a Cl. Fiſchero editam inſpiendi cognoſcendique. Quod ſi autem ſint, qui ſpecimen ſcripturae, qua exaratus eſt laudatus codex, videre cupiant, ii exhibitum id invenient ad calcem laudati ſupra libelli, *de verſionibus Graecis V. T. litterarum Hebraicarum magiſtris*. Ceterum, ea quam diximus codicis utilitas, latius patebit tunc, ubi promiſſa de eius virtutibus et copiis diſputatio edita fuerit. Qua in re ut Cl. Fiſcherus promiſſis ſuis ſtare velit, omnium, qui litteris Hebraicis Graeciſque bene cupiunt, nomine, etiam atque etiam rogamus.

*LEXICON HEBRAICO-CHALDAICO-LATINO-Biblicum, in quo PRIMA pars omnia vocabula, ordine alphabetico diſpoſita, ad ſuas radices refert, et univerſas interpretationes cuique genuinas exhibet: SECUNDA radices ita ordinabit, ut omnia vocabula derivata ſub his reperire liceat; quaelibet autem interpretatio textu ſacro in ea comprobabitur: TERTIA tandem parte nomina propria in Concordantiam rediguntur, cui accedet hiſtoria, chronologia, geographia. Obſervationibus grammatico-criticis conflatum. Auctore P*** Carmelita Excalceato provinciae Avenionenſis. PARS I. ſub auſpiciis eminentiſſimi Principis Dominici Paſſionei, S. R. E. Cardinalis.*

Avenione apud Franc. Guibert et Henr. Ioſ. Ioly 1758. fol. Alph. 8.

Splendidiſſimum ſane, et elegantiſſimis literarum formis expreſſum opus, (etiamſi tardius, nam ſero ad nos tales libri veniunt,) cum lectoribus noſtris communicamus, cui, ſi externam adſpicias faciem, nihil fere eſt quod addi poſſe

poſſe videatur. . . Ipſe praeterea S. R. Auctor non dubitat, quin unusquisque laboribus ſuis improbis atque pertinaciſſimis, quibus ferendis humeri vix ſuffecerint, ſuffragium ſit daturus, ubi audierit vel legerit, *Lexicon* ſuum prodiiſſe in lucem, ſub auſpiciis ſummi illius viri, patris ſcilicet purpurati, cuius nomen, et quantum illud audit! in fronte apparet, cui omnes boni adſurgunt, cuiusque in literas elegantiores, atque antiquitatum monumenta, praeclara aeſtimantur, etiam poſt fata, merita.

Sed mittamus hanc ſuſpenſam hederam, potius breviſſimis curabimus ea indicare, quae in *parte* hac *priore* continentur, atque colliguntur. Ante omnia in limine A. multis iisque veriſſimis elogiis ornat hiſtoriam Scripturae ſacrae, et veritatem divinam, in his monimentis ſanctioribus, nobis revelatam. Per multas deinde rerum ambages, de genio linguae hebraicae, in qua Iudaeis, nobisque, oracula divina perſcripta et tradita fuerunt, diſſerere inſtituit; ſummis laudibus etiam effert Pontifices Maximos, in excolendis literis atque ſtudiis hebraicis, omnem operam collocantes; quin et mirifice laudat, auctoritatem atque conſultum Concilii Viennenſis, cathedram magiſtris, hebraicam linguam publice profitentibus, collocantis. Poſt multas variasque difficultates feliciter profligatas, ſaeculo decimo ſexto denique lingua hebraica, in vitam quaſi revocata, vires recuperavit novas. En vero novam calamitatem, eccleſiam prementem, et fere opprimentem. Singulae provinciae ſingulas conficiebant converſiones codicis ſacri. Hiſpania, Italia, Gallia, Germania, ſuas in lucem edebant. Omnes ad fontes ſacros confugiebant auctores, atque ad auctoritatem provocabant illorum. Hinc longa contentionum atque rixarum ſeges oriebatur, quibus componendis efficax atque praeſens remedium adhibitum ab eccleſia, provida Chriſtianorum matre, uti Noſter, pro more coetus ſui, loquitur. In tanto ſcilicet rerum diſcrimine, atque verſionum varietate, deſiderabatur

ea, quae per omnes partes, cum textu hebraico conveniret, atque omne punctum ferret. Sed cum nulla inveniretur, Patribus Concilii Tridentini mandabatur, ut omnes atque ſingulas verſiones inſpicerent, atque ad amuſſim veritatis, codicisque ſacri lydium lapidem, examinarent, eaque omnia ſincere atque ſecure retinerent, quae cum hebraica veritate convenirent. Ex eo factum eſt, ut Patres illi Tridentini, omnibus recte excuſſis, atque aequa lance perpenſis, dirigente omne opus Spiritu Sancto, a Chriſto eccleſiae ſponſae ſuae promiſſo, publice decernerent, *Vulgatam* omnino eſſe *Authenticam*. Hoc nemo Catholicorum, monente Noſtro, inficiabitur; et hac ratione controverſiis Catholicorum finis imponitur, omnesque lites, parentibus, obſequiumque ſanctiſſimum ſpondentibus magiſtris, quieſcunt atque plane exulant. Quae omnia an vere dici queant, lectoribus, vel conſentientibus, vel diſſentientibus, et rem omnem plane recteque, vel minus perſpectam habentibus, relinquenda eſſe cenſemus.

Noſtrarum eſt partium, propius ut ad rem ipſam accedamus, et opus ipſum recenſeamus. Multae difficultates, ſubinde exortae, erant A. removendae prius, quam prelo chartae eius ſubiici poſſent. Urbs eius Avenio, nec copiam, nec uſum formarum hebraicarum habebat, quod facile eſt creditu. Charta deficiebat, et ab exteris erat importanda non ſine taedio, incommodis, et magnis ſumtibus. Eſt enim nitida et optimi generis. Omnibus vero ſuperatis difficultatibus, ſibi gratulatur Noſter de labore, tyronibus, et literarum hebraicarum ſtudioſis, iucundo atque utili.

Omnia, quaecunque linguae hebraicae *Lexica* huc usque prodiere, minus ſufficientia atque commoda eſſe, Noſter ex eo capite cenſet, quia ponant, et ſibi quaſi ſumant, exactam in tyronibus omnium regularum peritiam, quarum auxilio omnium vocabulorum origines ſeu *radices*, ut dicuntur, erui, et diverſae interpretationes indagari queant. Inde accidit

accidit ſaepius, ut non ſolum integras horas, ſed dies etiam noctesque, fruſtra tyrones perdant, vel in diverſis vocabulorum interpretationibus haeſitent, et omnino fallantur. Quae impedimenta ut removerentur, in hoc *primo Volumine* omnia, quaecunque in Codice ſacro occurrunt, vocabula, eorumque variae formae, ſecundum diverſum *ſtatum*, cum *Affixis*, et *literis praefixis*, et *punctis* variis, exhibentur atque ob oculos ponuntur, quibus omnibus et ſingulis latina converſio additur. Spem Noſter alit certiſſimam, fore, ut linguae hebraicae ſtudioſi hac ratione omnes ambages evitare, atque ſine taedio feliciterque in hoc curriculo metam contingere poſſint. Ut lectores noſtri habeant, quid de his laboribus recte iudicent, ſubiungemus exempla quaedam. Tres ubique conſtituuntur ſeries, hunc in modum:

אף	אָף	naſus: furor.
אף	אַף	furor: naris: quanto: quanto magis: imo: etiam: verum: nam: attamen.
אף	אַפָּה	facies ſui.
כות	וָנַחַת	et requies.
נוח	וְנַחַת	et requies.
חתת	וְנִחַת	et terror.
חפף	חוֹף	littus.
חוץ	חוּץ	platea: extra: plus.
חוץ	חוּצָה	extra: extrinſecus.
שוב	לְהָשִׁיב	ad reddendum, reſtituendum, rependendum: avertendum: referendum: reducendum: repellendum: revocandum: reſpondendum.
ישב	לְהוֹשִׁיב	ducendo.

Sed haec ſufficiant, ne iuſto longiores ſimus in enarrandis exemplis huius Voluminis, ex quo ut multi longos percipiant fructus, quam maxime optamus. Inter noſtrates,

ſes, noſtrisque in terris, commodior atque facilior datur *Lexicorum*, ſine multis ſumptibus comparandorum, uſus. Interim A. diligentia eſt laudanda, licet conſultius forte egiſſet, ſi vela contraxiſſet, et difficiliora irregularis formae vocabula tantummodo explicata dediſſet. De *ſecundo* Volumine, deque *tertio*, quamprimum ad manus noſtras pervenerint, (neſcimus autem an ſint edita,) non tacebimus.

IO. DAN. AB HOVEN CAMPENSIA, SEU, SPIcilegia Critico-Antiquaria. FASC. I.

Campis, MDCCLXVI. 4to mai. pag. 990.

Ut olim Belgium foecundiſſimum fuit viris, in omni litterarum genere, maxime in antiquitate ſacra et profana, doctiſſimis; ita nec nunc videmus talium *virorum* in ea regione penuriam eſſe, ſed multos ibi libros *quotidie* prodire, qui ſummam auctorum in his rebus peritiam haud obſcure indicant. In horum numerum, non peccabimus, ſi doctiſſimum quoque Hovenium retulerimus, cuius *Campenſia*, h. e. ſelecta ex hiſtoria et antiquitate Eccleſiaſtica capita, hic orbi erudito indicamus. Etſi vero paucis conſtent plagulis; tamen inſunt obſervationes eruditiſſimae atque elegantiſſimae, nec raro novae, itemque de ſcriptoribus Chriſtianis coniecturae optimae, quas alibi non facile reperias. Sed argumentum libri accuratius enarrandum eſt.

Continentur eo omnino *quinque* ſive *Capita*, ſive *Diſquiſitiones*, ſive *Diſputatiunculas* appellare volueris, quarum *prima* eſt de *vera aetate, dignitate, et patria M. Minucii Felicis*, celeberrimo Meermanno inſcripta, ideo, quod ei hic vir primam, eamque perraram Octavii Minuciani editionem, (Romae, 1543. fol. dono miſerat. In hac epiſtola demonſtrare conatur auctor Cl. Minucium Felicem non, ut vulgo creditur,

ditur, tertii, ſed ſecundi Saeculi ſcriptorem, adeoque Athenagorae, Iuſtino Martyri etc. aequalem fuiſſe. Quod effici putat his maxime argumentis: 1) Quia Latinitas Minucii elegantior eſt, quam pro tertio Saeculo eſſe poſſit. 2) Quia Minucius, et aequales, longe aliam Eccleſiae faciem deſcribunt, quam Saeculo tertio, imo iam ſub finem ſecundi, Tertulliano teſte, fuiſſe novimus. Hic et eius aequales multa loquuntur de templis, de altaribus, de ſacerdotiis; illi omnia haec neſciunt. Hi de magna calumniarum, ab gentilibus ſuſtinendarum, multitudine queruntur, aut eas refellunt, quas certum eſt Saeculo ſecundo nondum repertas vel auditas eſſe, de quibus etiam Minucius cum aequalibus ſilet: quas tamen non omiſſurus videtur fuiſſe, ſi poſt Tertullianum vixiſſet. — Per digreſſionem h. l. Vir doctiſſimus oſtendit, Iuſtini Martyris, quas nunc habemus, Apologiarum ordinem, perperam a quibusdam viris doctis inverſum eſſe. 3) Quia Minucii et aequalium aetate, Chriſtiani audacter ad teſtes criminum ſuorum oculatos, imo ad ſervos ſuos, eorumque indicia, ſi poſſent aliquid turpe de ipſis prodere, provocabant, (Oct. c. 28. Athenag. c. 30.) Tertullianus autem fatetur *domeſtica indicia*, ac de eorum falſitate graviter conqueritur. 4) Quia veroſimile eſt, Frontonem illum, ad quem Caecilius apud Minucium provocat, eſſe Frontonem Rhetorem, M. Antonini praeceptorem; certum pariter, Minuciam gentem Saeculo II. Romae et in Italia numeroſam ac celebrem fuiſſe, Saeculo III. minime. Diluere etiam conatur vir doctiſſimus dubia, quae adverſus hanc ſententiam afferri fortaſſe poſſent, ut de genere dicendi Africo, de locis quibusdam ex ipſo Minucii Octavio petitis, de teſtimonio Hieronymi, qui conſtanter in libris ſuis Minucium Tertulliano poſtpoſuerit. Cui poſtremo tamen opponit teſtimonium Lactantii, L. V. Inſt. c. 1. §. 22. ubi contra ſit. — Tota diſputatio doctiſſima eſt, et quamquam iam ante Cl. Virum fuerunt, quibus vulgaris de aetate Minucii opinio ſuſpecta eſſet, in his Balduinus: tamen hoc fatendum eſt,

 nemi-

neminem adhuc tam bonis argumentis eam impugnaſſe; optandumque, ut illa Minucii editio, quam parare ſe dicit Vir Cl. quamprimum prodeat. Adiecti ſunt quoque huic diſſertationi Faſti Antoninorum.

Alterum caput eſt diſſertatio ad Plin. L. X. Ep. 97. *de ſtato die, et ſacrorum apud Romanos libertate*, in qua oſtenditur, ſtatum illum Chriſtianorum diem non alium eſſe, quam diem feſtum reſurrectionis Chriſti, idque collatis Minucii et aliorum locis, maxime vero obſervatione adhibita, doctiſſima illa, neque a quoquam, (quantum ſcimus,) adhibita, de triplici ſacrorum Romanorum diſtinctione. Alia enim erant *publica*, h. e. totius populi nomine facienda, quo pertinent v. c. ſacrificia, lectiſternia etc. Alia *privata*, h. e. certae cuiusdam gentis, aut familiae, aut collegii, quae etiam peregrina eſſe poterant, ſtatoque die ac loco palam fieri, dummodo Pontifices et Aruſpices de iis eſſent ante conſulti, eaque probaſſent. Alia denique fuere *privatiſſima*, h. e. quae pro lubitu quisque cum ſuis domi exercere poterat, ſive publice id probatum eſſet, ſive minus. Itaque in hoc genere concedendo faciliimi erant Romani, in illis duobus valde ſeveri, ne ſcilicet per iſtam occaſionem occulta conſilia, per ſpeciem religionis, adverſus remp iniri poſſent, ut aliquando factum erat in Bacchanalibus. Ex his patet, in quaenam ſacra Chriſtianorum Plinius inquiſiverit, non ſcilicet in illa domeſtica et quotidiana, h. e. privatiſſima, ſed in privata, h. e. quae ſtato die, magna prae ceteris frequentia celebrabantur. Is dies erat feſtus reſurrectionis Chriſti, ut latius in ipſo libro docetur. — Haec Viri Cl. diſſertatio nobis prae ceteris placuit, eamque vehementer legendam commendamus. Mantiſſae loco adiecta eſt alia diſſertatiuncula, *de ſtato die regis Eumenis*; qua monumentum aliquod vetus, de eo agens, et in Append. ad Marm. Ox. p. 3. obvium, commentariolo illuſtratur, et per illum Diem intelligi oſtenditur eum, quo Eumenes inter deos relatus eſt, et qui in eius honorem quotannis celebrabatur.

Tertium

Tertium eſt diſquiſitio *de cultu Serapidis, temere Chriſtianis obiecto*, in Epiſtola Hadriani Imp. ad Servianum Coſ. apud Vopiſcum in Saturnino, c. 8. In qua vir doctiſſimus ſimul de hiſtoria cultus Serapidis apud Romanos, ſub Imperatoribus, late differuit, et gemmam antiquam veterem, (Bentinkianam ipſe vocat,) erudite illuſtravit.

Quartum caput habet *Vindicias et Emendationes Conſtitutionis de Maleficiis et Manichaeis*, *Tit. IV. cod Greg. et Tit. XV. Collationis legum Moſaicar. et Rom.* Hanc conſtitutionem Vir Cl. quanquam ab Ethnicis Imperatoribus, non tamen ab his profectam arbitratur, quorum nomina praeferat, i. e. Diocletiano et Maximiano, ſed a Galerio Maximiano eiusque Caeſaribus. Eam deinde κατὰ πόδα explicat, illuſtrat ubi opus eſt, (plerumque ingenioſe et erudite,) emendat, aliorum emendationes refellit, eaque occaſione multa lectu digniſſima adſpergit, quae h. l. commemorare nec vacat, nec neceſſe eſt.

Quintum denique eſt alia ad Cel. Meermannum Epiſtola, qua breviter *de noua quadam in Chriſtianos iniuria, h. e. de Deo Onocholite*, agit Vir Cl. et ex eo ipſo, quod apud Tertullianum L. I. ad Nat. c. 14. *primum* commemoratur, et *heſternum monſtrum* dicitur, apud Minucium vero plane ſileatur, novum argumentum pro huius antiquitate ducit. — Diverſam autem huius dei formam oſtendit fuiſſe a capite aſinino; (huius enim cultum iam olim Chriſtianis obiiciebant gentiles, idque iam apud Minucium (c. 9.) dicit Caecilius:) deſcribi potius a Tertulliano ut *monſtrum biforme, auribus aſininis, altero pede ungulatum, togatum, librumque geſtans.* Onocholiten autem dici putat ab ὀνόκωλος, quia alterum aſini pedem habuerit, cum alter porci eſſet. Inde per corruptiones librariorum factum eſſe *Onocholtes, Onochoites, Onochoetes*, etc.

Haec ſunt, quae hoc Faſciculo primo potiſſimum continentur, et quibus commemorandis cupiditatem lectoribus ipſius libri cognoſcendi iniicere voluimus. De *ſecundo Faſc.* qui anno eodem prodiit, dicemus propediem, ut et de reliquis; nam videtur plures promittere elegans V. Cl. doctrina. De genere ſcribendi erant quidem nonnulla, quae moneremus; eſt enim paullo durius atque hiſpidius, et propter hanc ipſam cauſſam interdum obſcurum: ſed in viro eiusmodi, e cuius libris animus apparet, magis de re, quam de verbis ſollicitus, et qui levem illam verborum iacturam tot rebus bonis compenſat, hoc facile ferendum arbitramur.

PANTOMETRUM PACECHIANUM, SEU INſtrumentum novum, pro elicienda ex una ſtatione diſtantia loci inacceſſa, anno 1762. inventum, calculis ac obſervationibus examini ſubiectum a R. P. Chriſtiano MAYER, Soc. I. Aſtronomo Palat. ac Math. Prof. in Acad. Heidelbergenſi.

Manhemii, in quarto, typis Academ. una cum fig. aen. 1767.

Cum admodum difficile ſit, inſtrumenta Geometrica, eaque maxime compoſita, quorum examen uſusque non datur, ſine aliquo errore commiſſo deſcribere, lectores non aegre laturos ſperamus, ſi ad perſpiciendam Pantometri interiorem naturam, ad praeclaram ipſam, quae multas Geometriam practicam concernentes obſervationes eximias continet, diſſertationem, eos ablegemus, atque eius hiſtoriam ſolummodo excerpamus, addituri, quae ad commendationem huius novae machinae pertinent. Inventor Pantometri eſt illuſtr. Comes *Raphael Pacecho ab Ucedis*, Hiſpanus genere, Vir militaris ordinis ac dignitatis ſub ſignis Caeſareis. Ei conſtruendo illuſtr. auctor anno 1762. cum artifice Au-

guſtano

guſtano, Cl. Brander, ſtrenue manus admovebat, tandemque confectum, una cum commentario, de inventione et uſu Pantometri, cum praevia ad Caeſarem Auguſtum Franciſcum huius nominis I. adlocutione, ab illuſtr. Comite conſcripta, ac §. 11. hui. diſſert. inſerta, Viennam ad Caeſarem delatum eſt. Ubi cum varia hinc inde iudicia ſubiit ac diſcrimina, opera et ſingulari patrocinio Perill. L. B. de Beckers, in Aula Palatina Status miniſtri, dirempta repente eſt haec controverſia, quum numerata, quam Pacechus illuſtr. petierat, 1000. fere florenorum ſumma, Pantometrum hoc in ius ac ditionem Seren. Electoris Palatini conceſſit. Multis quidem, ut harum rerum peritis conſtat, Gaeodeſia ſeu Geometria practica ingenioſe excogitatis machinis ſuperbit, quae capiendis angulorum terreſtrium menſuris, ac determinandis locorum intervallis, ſerviunt: prae iis tamen omnibus ſe commendare hoc Pantometrum certo colligimus ex teſtimonio Cel. Aſtronomi Caeſarei, Maximiliani Hell, quo illius effectus in ſpecula Viennenſi Aſtronomica exploratos laudavit; nec non ex experimentis cum hoc inſtrumento coram viris eruditis, ipſo eius auctore praeſente, a Cl. artifice Brander, in campis Auguſtanis inſtitutis, quae eius uſum ad capiendas non ſolum diſtantias mediocres, verum etiam ad maximas locorum quasque intercapedines, magna adcuratione definiendas, adeo declararunt, ut Ser. Rex Boruſſorum moveretur, quo ſimilis machinae conficiendae negotium daret ſaepius laudato artifici Brandero, quae, ut Cl. Mayer audiſſe ſe perhibet, multis partibus emendatior prodiit. Nunquam vero exactius examen Geometricum ſubire poterit haec machina eo, quod Cl. huius Auctor in hac diſſertatione cum ea inſtituit. Comes Pacechius quidem in ſua eius deſcriptione, Pantometrum ſuum communes Geometriae ac Trigonometriae leges, et utriusque inventa, longiſſime transſcendere affirmabat: Cl. Mayerus vero non ſolum demonſtravit, illud legibus Geometriae convenire, facileque Geometriae ac Trigonometriae peritum, ad illud regulas Geometriae et Trigonometriae applicatu-

plicatorum eſſe; quemadmodum illas ex eo elicuit auctor Clar. eiusque exactam dein theoriam compoſuit. Neque in ea ſubſtitit: ſed ut conſtaret, utrum vires, uſus, ac praeſtantia huius Pantometri, calculis conſtituta, cum praxi ex aſſe conveniret, et limites perfectionis definirentur, Cl. Mayerus, cum maiores aliquot locorum diſtantias, quae in ipſa ſpecula Electorali Schwetzingenſi videri commode poſſunt, aliunde notas, ac calculo definitas haberet, iis hoc Pantometro menſurandis ſe accinxit; et ſex experimentis inſtitutis invenit quidem, aberrare illud a veritate, ut in multis inſtrumentis Geometricis fit, eamque aberrationem admodum notabilem eſſe, cuius limites ex numero obſervationum determinari poſſent; attamen non obſtantibus his erroribus, eximium inſtrumentum eſſe, multisque praeferendum, iudicat.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXVIII.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae TOMUS XI. pro anno MDCCLXV.

Petropoli, typis Academiae Scientiarum MDCCLXVII. Alphab. 3. plagg. 10. c. fig. aen.

Quod Lectoribus noſtris Volumen Commentariorum ſiſtimus, iterum eſt, ut iam ſaepe laudavimus, plenum elegantiſſimarum Commentationum, quarum iam ideam, pro more noſtro, dabimus, ut vel hac ratione invitemus doctos homines omnes, ad legendas commentationes ipſas. Sunt autem, ut fieri quovis Volumine ſolet, primum

MATHEMATICA. In his I) *De uſu functionum diſcontinuarum in Analyſi:* Auctore L. EULERO. Qui problematis de motu cordarum vibratorio ſolutiones dederunt Geometrae, non niſi illum caſum contemplati ſunt, quo figura, cordae ab initio motus impreſſa, regularis, et certa quadam aequatione comprehenſa eſſe ſupponitur; alterum vero caſum, ſi haec figura fuerit diſcontinua ſive irregularis, negarunt ad Analyſin pertinere, aut motus inde ſecutuos poſſe ulla ratione definiri. Quae quidem inveſtigatio, cum non tantum ex Analyſi minime praeſcribenda, ſed ad eam potius

 novis

novis et inſignibus ſubſidiis ditandam inprimis apta videatur: iam pridem illuſtris huius diſſertationis Auctor motum cordarum vibrantium generaliſſime ita definivit, ut ea ſolutio ad omnes motus et figuras, cordae in ſtatu initiali impreſſas, pateret. Statim vero perſpexit Illuſtris Vir, problematis difficultates ſuperare Analyſeos adhuc excultae vires, novamque ad eas ſolvendas calculi integralis partem requiri, cuius non complura modo in his Commentariis ſpecimina dedit, ſed plenam quoque eius tractationem abſoluto Operi de Calculo integrali, quod typis nunc Petropoli exſcribitur, inſervit.

Concipiatur ſcilicet corda aliqua tenſa, eique arbitraria quaevis figura, et in ſingulis ſimul ipſius punctis arbitraria imprimatur celeritas. Ductis igitur coordinatis x et y, evidens eſt, adplicatam non pro diverſis ſolum ipſius curvae punctis, ſed etiam in eodem curvae puncto pro ſingulis temporum momentis variare; adeoque y fore functionem duarum variabilium x et t ſimul, quarum neutra per alteram determinatur. Ut porro in aequatione pro cordae huius motu inventa ſtatus initialis exprimatur, poſito $t = 0$, relatio inter x et y inde orta figuram cordae initialem repraeſentare debebit; quae cum libero manus ductu formata ſupponatur, functio quaedam diſcontinua aequationem ingredietur, atque ſimiliter, ut ſecundae problematis conditioni ſatisfiat, alia adhuc arbitraria functio, ex motu initiali cuilibet puncto impreſſo definienda, accedat neceſſe eſt. En igitur duas rationes, ob quas propoſitum problema per regulas uſitati calculi integralis reſolvi non poteſt: in hoc enim non niſi functiones unius variabilis pertractantur, cum, etſi plures variabiles aequationibus ineſſe videantur, per ſubſtitutiones aut transformationes introductae, eae tamen ita a ſe pendeant, ut omnes per unam poſſint determinari; deinde quae in calculo integrali communi per integrationes inveniuntur novae quantitates, non niſi quantitates conſtantes ſunt, minime vero functiones unius pluriumve variabilium,

eaeque

eaeque adeo diſcontinuae. Huius igitur novae Analyſeos vim, et proprium characterem, Ill. Auctor clariſſime et ex primis principiis expoſuit: et cum functionum diverſae claſſes commodiſſimam totius calculi integralis diviſionem ſuppeditent, ex hoc fundamento partes ampliſſimae huius ſcientiae diſtinxit et definivit, uſumque functionum diſcontinuarum in Analyſi exemplis confirmavit. En igitur campum novum, eumque latisſime patentem, in quo ſumma ingenia, ad Analyſeos incrementa, atque feliciores ſubinde in naturae ſcrutinio ſucceſſus, vires ſuas exercere poſſunt.

II) *De uſu novi Algorithmi in ſolvendo problemate Pelliano:* Auctore L. EULERO. In Arithmetica indefinita, quae Diophantea adpellari ſolet, ſaepenumero problematum reſolutio eo nititur, ut expreſſiones ſub hac forma $lxx + mx + n$ contentae quadrata ſint efficiendae; quod, ſimulac unus ipſius x valor quaeſito ſatisfaciens fuerit cognitus, infinite multis modis etiam in integris ipſius x valoribus praeſtari poteſt, quicunque etiam pro l, m, et n, numeri integri ponantur, modo l ſit numerus poſitivus non quadratus. Atque ſolutionum harum innumerabilium inſigne compendium ex eo petitur, quod conſtet, omnes iſtos ipſius x valores idoneos ſecundum ſeriem recurrentem progredi, cuius ſinguli termini ex binis praecedentibus certa et conſtanti lege determinantur. Semper autem huius generis reſolutiones ad hoc redeunt, ut propoſito numero quocunque l inveniatur numerus quadratus qq, qui per illum multiplicatus, adſcita unitate, iterum fiat quadratus, ſive ut $lqq + 1$ fiat $= pp$: quod quidem in fractis atque paucis quibusdam caſibus obviis facile expeditur; verum, ſi pro quovis valore ipſius l valores ipſius q integri deſiderentur, multum difficultatis habet, adeoque dignum omnino eſt, in quo Geometrarum ſe exerceat induſtria. Quam Pellius olim dedit, in ſe ingenioſiſſima eſt ſolutio; ad quam taedioſos autem et moleſtos calculos, cum continuis radicum extractionibus abſolvatur, ea deducat, tentanti mox patebit. Hic igitur Ill. Auctor no-

vum quoddam Algorithmi genus, cuius vim et naturam iam pridem in his Commentariis demonſtravit, huic problemati adplicuit, atque pro omnibus valoribus ipſius l, centenarium non ſuperantibus idoneos valores q methodo maxime concinna et facili actu computavit. Scilicet ut ſit $lqq + 1 = pp$; evidens eſt, eſſe proxime $\sqrt{l} = \frac{p}{q}$, quae fractio valorem irrationalem $\sqrt{l}$ tam prope exprimit, ut id, niſi adhibendo maiores numeros, adcuratius fieri nequeat. Ante omnia igitur Ill. Auctor methodum expoſuit, ope fractionum continuarum radices quadratas evolvendi; atque tum, adhibitis novi Algorithmi ſubſidiis, pro quolibet caſu p et q ita definire docuit, ut $lqq + 1$ quadratum fieret, ipſamque methodum, evolutis multis exemplis, ſtabilivit atque illuſtravit, idque potiſſimum in numeris admodum magnis. Si enim verbi gratia aſſumatur $l = 61$, reperitur valor ipſius $q = 226153980$; atque ipſius $p = 1766319049$: *ubi ſimul certum eſt, non dari numeros minores caſui ſatisfacientes;* ad quos numeros cum methodo Pelliana non niſi per taedioſiſſimos calculos pervenire licuiſſet, non ſolum huius ſolutionis praeſtantia inde demonſtratur; ſed vix etiam aliud dari poteſt praeclarius ſpecimen, quo Algorithmi iſtius novi, ab Ill. Auctore inventi, egregius uſus Geometris poſſit commendari.

III) *Proprietates triangulorum, quorum anguli certam inter ſe rationem tenent*: Auctore L. EULERO. Inter elementares triangulorum proprietates ea fere primo loco tradi ſolet, qua, ſi duo anguli in dato quodam triangulo fuerint aequales, etiam duo latera ipſis oppoſita fore inter ſe aequalia demonſtratur. Si igitur, ſpeculatione hac latius extenſa, rationi aequalitatis aliam quamcunque duorum angulorum rationem ſubſtituamus, evidens eſt, etiam inter latera huius trianguli certam et determinatam relationem locum eſſe habituram.

Neque

Neque igitur mediocriter doctrina triangulorum amplificari videtur, inventa certa et facili methodo, ſimulac in dato quodam triangulo ratio inter binos eius angulos fuerit cognita, relationem inter ipſius latera intercedentem exhibendi. Atque hoc ipſum eſt problema, cuius analyticam reſolutionem in praeſenti diſſertatione Ill. Auctor exhibet, quodque Geometrarum ſtudio eo magis commendari meretur, quia ad earum veritatum geometricarum claſſem pertinet, ad quas Analyſis non perducit, ſed quibus potius ad altiora tendens ea eſt ſuperſtruenda.

Si igitur ponamus binos trianguli angulos α et β eſſe inter ſe uti $m : n$; intricatos calculos, ad quos, ſimulac ratio $m : n$ vel tantillum aſſumitur complicata, problema deducit, nullo feliciori compendio ſuperare licuit, quam incipiendo a caſu ſimpliciſſimo, atque hinc ad magis compoſitos ordine progrediendo. Principio itaque exhibet Ill. Auctor reſolutiones illorum caſuum, quibus, poſito $m = 1$, pro n valores 2, 3, 4, 5, 6. ſucceſſive aſſumuntur. Quibus expeditis ex contemplatione formularum pro his caſibus erutarum, inſignem prorſus, et attentione quam maxime dignam legem progreſſionis detegere Ill. Auctori contigit. Quodſi enim ii caſus, in quibus n valores pares obtinet, ab iis, in quibus n eſt impar, ſeparentur, et ſinguli caſus ſeorſim inter ſe conferantur: admiratione omnino dignum eſt, formulas memoratas ſeriem recurrentem conſtituere, cuius et ſcala relationis et terminus generalis poſſit exhiberi. Quae egregia proprietas, cum initio non niſi per inductionem fuerit detecta, ne huic nimium tribui videatur, etiam analyticis principiis pro utraque caſuum claſſe ab Ill. Auctore ſtabilita, adeoque inductionis huius cum veritate conſenſus rigide eſt demonſtratus.

In adplicatione huius inveſtigationis ad caſus ſpeciales, triangula potiſſimum iſoſcelia conſiderari merentur; in his enim, pro deſcribendis polygonis regularibus, ſaepenumero ratio inter angulum verticalem et angulos ad baſin praeſcribi

 ſolet.

ſolet. Atque hic quidem duo caſus diverſi, prouti angulus verticalis vel multiplum vel ſubmultiplum anguli ad baſin eſt, ſeorſim evoluuntur; ita, ut haec diſquiſitio non ad amplificandam modo triangulorum theoriam, ſed in ipſa quoque praxi geometrica inſignem uſum habere ſit exiſtimanda.

IV) *Solutio facilis problematum quorundam geometricorum difficillimorum:* Auctore L. EULERO. Speculatio haec circa certa puncta verſatur, quae in quovis triangulo Geometrae contemplari ſunt ſoliti. Primum horum punctorum eſt id, in quo terna perpendicula, quae ex ſingulis angulis in oppoſita latera demittuntur, ſeſe mutuo interſecant, quod punctum in adiectis figuris littera *E* deſignatur. Secundum punctum, littera *F* notatum, eſt centrum gravitatis trianguli, quod obtinetur, ſi ex ſingulis angulis rectae latera oppoſita biſecantes ducantur, quippe quae ſe mutuo in hoc puncto interſecant. Tertium punctum *G* eſt centrum circuli inſcripti, in quo rectae ſingulos angulos *biſecantes ſibi* mutuo occurrunt. Quartum denique punctum *H* eſt centrum circuli circumſcripti, quod obtinetur, erectis ad quodlibet latus ex puncto eius medio perpendiculis, iisque, donec ſeſe mutuo interſecent, prolongatis. Quatuor igitur horum punctorum poſitionem Ill. Auctor generatim pro quovis triangulo definit, ubi ſequentia potiſſimum obſervari merentur. *Primo*, in triangulo aequilatero haec quatuor puncta in unum coire: *Secundo*, ſi triangulum ſit iſoſceles, ea puncta in linea recta fore diſpoſita, quae ex angulo verticali perpendiculariter in baſin ducta eſt: *Tertio*, in triangulis acutangulis omnia illa quatuor puncta intra triangulum cadere: *Quarto*, in triangulis vero obtuſangulis tantum duo eorum, ſcilicet centrum gravitatis et circuli inſcripti intra triangulum, reliqua autem duo puncta *E* et *H* extra triangulum fore ſita; illud ſcilicet *E* ultra angulum obtuſum, hoc vero *H* ultra latus ei angulo oppoſitum.

Inpri-

Inprimis vero notatu dignum eſt, quod Illuſtr. Auctor oſtendit, tria horum punctorum E, F, et H, ſemper in eadem linea recta fore ſita, atque adeo punctum F ita fore intra E et H conſtitutum, ut intervallum $E\,F$ duplo ſit maius intervallo $F\,H$; quare cum punctum H ex punctis E et F ſponte determinatur, Ill. Auctor ſequens problema reſolvit, ut ſumtis pro lubitu ternis punctis E, F, et G, ipſum triangulum, ad quod pertinent, conſtruere doceat; id quod commodiſſime ad reſolutionem aequationis cubicae perduxit, cuius ternae radices latera trianguli quaeſiti exprimant. Inprimis autem memorata haec circa poſitionem punctorum E, F, et H, obſervatio Geometrarum attentione digna eſt, quam ſequenti theoremate complecti licet. *Si triangulo cuicunque circulus circumſcribatur, et a centro circuli per centrum gravitatis trianguli linea recta producatur, donec pars producta duplo maior fiat intervallo inter haec ambo centra, tum eius terminus in eo ipſo puncto erit ſitus, ubi terna perpendicula ex ſingulis trianguli angulis in latera oppoſita demiſſa ſeſe mutuo interſecant.*

V) *Obſervationes Analyticae:* Auctore L. EULERO. In praeſenti diſſertatione Ill. Auctor legem et naturam memorabilis cuiusdam ſeriei indagat, quae non ob reconditum modo, quo ipſius termini progrediuntur, ordinem, ſed ob eam quoque rationem peculiari attentione digna eſt, quod varias, easque in Analyſi magni momenti obſervationes faciendi, commodam ſuppeditat occcaſionem. Inter coefficientes numericos, quibus termini trinomii $1 + x + xx$ ad poteſtatem quamcunque elevati adficiuntur, hic ille tantum conſideratur, qui ad medium terminum pertinet, et omnium maximus eſt. Eiusmodi igitur trinomio ordine ad omnes poteſtates exponentium ſecundum numeros naturales progredientium elevato, ſi ex ſingulis his dignitatibus excerpatur coefficiens termini medii, ſeries inde formata 1, x, $3x^2$, $7x^3$ . . ea eſt, in cuius lege progreſſionis et ſumma indagandis praeſens diſſertatio verſatur.

Atque

Atque hic quidem initio, ſi elevetur trinomium ad poteſtatem indefinitam exponentis n, colligendis in unam ſummam omnibus iis coefficientibus, qui ad terminum x^n pertinent, haud difficulter terminus ſeriei noſtrae generalis eruitur. Huius igitur ope ſerie ad ſufficientem usque terminorum numerum continuata, ex intuitu decem priorum terminorum ſeries hanc ſingularem proprietatem prae ſe ferre videtur, ut, ſubtractis ſingulis terminis a triplo praecedentis, differentiae numeros praebeant pronicos, quorum radices ita ſint comparatae, ut ſeriem conſtituant recurrentem; unde, et ipſam noſtram ſeriem eſſe talem, concludi, et ſcala relationis determinari poſſet. Enimvero, cum ſtatim in termino undecimo, cuius a triplo praecedentis differentia ne numerus quidem pronicus eſt, multo minus radicem habet pronicam, haec obſervatio fallat: ſeries noſtra admodum memorabili exemplo inductionis valde probabilis, et tamen fallacis, quam caute ei ſit in Analyſi indulgendum, aperte declarat. Miſſa igitur inductione, ex ſolidis *Analyſeos* principiis lex progreſſionis ab Ill. Auctore ſtabilita, et relatio, quae inter ternos terminos contiguos intercedit, detecta eſt; quam quia ipſe exponens n ingreditur, ſeriem noſtram ad genus recurrentium non pertinere manifeſtum eſt. Definita itaque cuiusque termini ad binos antecedentes relatione, ope cuiusdam integrationis, ſumma quoque ſeriei in infinitum continuatae inveſtigatur, quam obſervamus fore imaginariam, ſi ſit $x > \frac{1}{3}$, vel ipſi x negativos valores tribuendo, ſi ſit $x = -y$ et $y > 1$; infinitam vero eſſe caſu, quo $x = \frac{1}{3}$ vel $y = 1$. Ex inventis hoc modo formulis analyticis, methodum multo latius patentem derivavit Ill. Auctor, cuius ope adeo haec poteſtas multo generalior $(a + bx + cxx)^n$ ita evolvi poteſt, ut non medii tantum ſingularum poteſtatum termini, ſed ii quoque, qui utrinque a mediis aeque diſtant, aſſignari, eorumque natura et ſumma facili calculo poſſint inveſtigari.

VI) Di

VI) *De motu rectilineo trium corporum ſe mutuo attrahentium.* Auctore L. EULERO.

VII) *De motu corporis ad duo centra virium fixa attracti:* Auctore L. EULERO. Ex quo corporum coeleſtium leges motus a *Newtono* detectae ſunt, Aſtronomiae ad ſummum faſtigium evehendae ſpes omnis, in celebratiſſimi de motu trium corporum ſe ſecundum iſtas leges attrahentium problematis, perfecta reſolutione ponenda eſt. Quanquam enim numerus corporum, in planetari noſtro ſyſtemate ſeſe mutuo attrahentium, maximus imo infinitus ſit; tamen, cum evolutio motus plurium corporum, niſi motu trium expedito, ſperari non poſſit, hic caſus tanquam fons et fundamentum perficiendae ſiderum ſcientiae ſpectari debet. Verum hoc ipſum de tribus corporibus, ſecundum leges *Newtoni* ſeſe attrahentibus, problema, cum ſenſu generali acceptum vires ingenii humani fere transſcendere videatur; eius ſolutionem ita tentarunt Geometrae, ut illud ſub variis ad minimum reſtrictionibus expedire, viamque hoc modo ad ſolutionem generalem munire anniterentur. In binis igitur praeſentibus diſſertationibus, Ill. Auctor eiusmodi duo reſolvit problemata, quae illi tam ſunt affinia, ut, his non expeditis, de illo reſolvendo ne cogitari quidem poſſit. In priori ſcilicet eum problematis iſtius celebratiſſimi caſum examini Ill. Auctor ſubiecit, quo tria corpora ſeſe mutuo attrahentia rectilineo motu feruntur, qui, quanquam primus eſt et omnium facillimus, tamen hucusque perfecte reſolvi non potuit; hic vero iam ad aequationes differentiales primi gradus inter ternas variabiles, ſingularibus quibusdam artificiis eſt reductus. In poſteriori autem diſſertatione Ill. Auctor motum corporis ad duo centra virium fixa in ratione reciproca duplicata diſtantiarum attracti inveſtigavit; atque huius quidem argumenti primam partem, cum ſcilicet motus in eodem cum binis virium centris plano fieri ſupponitur, in ſuperiori Comment. Tomo ita evolvit, ut non ſolum orbi-

 tae

tae deſcriptae conſtructionem ope quadraturae curvae cuiusdam admodum ſimplicis exhibuerit, ſed etiam in alia diſſertatione Comment. Acad. Berolin. inſerta, infinite multos caſus detexerit, quibus curva deſcripta futura ſit algebraica. Quo igitur propoſitae quaeſtioni plene ſatisfiat, in hac diſſertatione Ill. Auctor etiam illum caſum reſolvit, quo corpus non in eodem plano, in quo centra virium fixa ſunt, movetur. Et hic quidem peculiaribus quibusdam artificiis, aequationes differentiales ex principiis motus petitae ſtatim ad primum gradum reductae ſunt; ternae vero variabiles ita erant inter ſe complicatae, ut eas reſolvendi methodus nulla patuiſſet, niſi ſubſtitutione quadam prorſus ſingulari, non concinnam modo aequationem, ſed et a variabilium permixtione immunem, elicere Ill. Auctori licuiſſet. Ad quem ſcopum cum initio per ambages is perveniſſet; poſtea methodum multo breviorem adeptus eſt, cuius beneficio unica ſubſtitutione variabilium ſeparatio commodiſſime *obtinetur*. Formulas hoc modo inventas Ill. Auctor etiam *ad motus* in eodem cum centris virium plano abſoluti determinationem adplicat, oſtenditque, corpus tali motu delatum non in curvis modo algebraicis, ſed ſectionibus adeo conicis moveri poſſe, quarum foci in binis iſtis virium centris ſint conſtituti.

Quodſi vero corpus non in eodem plano moveatur, notatu quam maxime digna obſervatio eſt, fieri poſſe, ut corpus deſcribendo curvam duplicis curvaturae in ſuperficie ſphaeroidis elliptici, vel conoidis hyperbolici, moveatur. Denique etiam hoc notari meretur, ex his formulis caſum omnium facillimum difficillime derivari: adplicatis enim iis ad caſum, quo virium attrahentium alterutra evaneſcit, tam prodeunt complicatae aequationes, ut non, niſi peculiaribus atque inſignibus quibusdam artificiis, ab Ill. Auctore adhibitis, potuerint reſolvi. Cuius difficultatis ratio ut quodammodo adpareat, perpendendum eſt, etiamſi in formulis inventis maſſam *A* vel *B* ponamus minimam et evaneſcentem, ta-

men,

men, ſi corpus ſatis prope ad eam acceſſerit, ob diſtantiam iam evaneſcentem attractationem indę oriri poſſe finitam, cuius quaſi veſtigia quaedam in iſtis formulis ad hunc caſum adcommodatis remanere videantur.

VIII) *De phaenomenis coeli per ſegmenta ſphaerica diaphana ſpectati*; Auctore L. EULERO. Cum radii a corporibus coeleſtibus ad oculum propagati atmoſphaeram peragrare, ibique varias perpeti refractiones debeant, manifeſtum eſt, viſionis naturam, atque omnia coeli phaenomena, a medii, per quod radii lucis tranſire debent, conſtitutione maxime pendere, eaque ſub alia prorſus forma fore adparitura, ſi loco atmoſphaerae noſtrae aliud quoddam alius materiae medium diaphanum ſubſtituatur. Atque hic quidem ſingularia et notatu quam maxime digna ſe offerunt phaenomena, ſi coelum per ſegmenta ſphaerica vitrea, oculo in axe, ſed extra centrum ſphaerae conſtituto, contueamur; cum ſtellae non de loco ſolum ſuo depulſae conſpiciantur, verum quaedam etiam penitus diſpareant, aliae autem geminatae in diverſis coeli locis ſint conſpiciendae. Hic vero facile intelligitur, phaenomena coeli hoc modo ſpectati, eo magis a veritate diſcrepare, quo maior eſt ſiderum ab axe viſionis elongatio, et quo magis oculus a centro ſphaerae removetur: contra vero omnia perinde, ac nudis oculis, iri conſpectum, ſi ad ipſum centrum ſphaerae adplicetur oculus. Quodſi enim oculi a centro ſphaerae diſtantia ponatur $= d$, radius ſphaerae $= a$, diſtantia ſtellae ab axe $= \varphi$, angulus incidentiae ζ ita per has quantitates determinatur, ut, poſita ratione refractionis $n : 1$, fiat ſin. $\zeta = \frac{nd}{a}$. ſin. φ; unde manifeſtum eſt, φ et d ita augeri poſſe, ut fiat ſin. $\zeta > 1$ adeoque imaginarius: unde certa quaedam coeli regio vacua et obſcuriſſima adpareat neceſſe eſt, quae maxima evadit poſito $d = a$, quo caſu ſegmentum ſphaerae in integram ſphaerae ſuperficiem abit. Pro hoc igitur caſu Ill. Auctor

 in

in hac diſſertatione primo loco praecipua phaenomena expoſuit, atque ex Optices principiis demonſtravit, quomodo ſtella, per integram ſphaeram vitream ſpectata, ita poſſit adparere, ut circulum quendam lucidum formet, et ſimul quoque in ipſius centro conſpicua ſit, immo et triplicata videatur; computatur dein ex inventis formulis tabula, unde pro ſingulis elongationibus terna eiusmodi loca ſideris adparentia poſſint determinari. Oculo iam porro centro ſphaerae propius admoto, hi inprimis ipſius d valores attentione digni videbantur, quo $d = \frac{a}{n}$ vel $d = q, \sqrt{\frac{1}{n}}$, ubi quidem, cum per hunc oculi ſitum ſphaera in duo ſegmenta, alterum hemiſphaerio maius, alterum minus, dividatur; pro utroque ſegmento ſingularia quaedam annotata ſunt phaenomena. Denique, cum expreſſionem modo allatam ratio quoque refractionis ingrediatur, facile colligitur, hanc viſionem ſe multo aliter habituram, ſi ſphaerae vitreae globus aqueus ſubſtituatur: cuius caſus expoſitio digna Ill. Auctori viſa eſt, quae ex iisdem principiis derivetur, et argumentum in dioptricis minime contemnendum conſtituere iure meritoque eſt aeſtimanda.

PHYSICO-MATHEMATICA. I) *Supplementum de figura dentium rotarum:* Auctore L. EULERO. Conſtat ex principiis mechanicis, quantum pro machinarum conſtructione in eo momenti ſitum ſit, ut uniformitas motus in omnibus earum partibus, quantum fieri poteſt, obtineatur; ſiquidem hoc modo maximus a viribus agentibus effectus exſpectari poteſt. Si enim vel tota machina, vel tantum partes eius, modo celerius, modo tardius moveantur, hae ipſae accelerationes et retardationes non contemnendam virium agentium partem conſumunt; quo ipſo effectus, cui producendo machina deſtinata eſt, non mediocriter imminuitur. Cum igitur Ill. Auctor iam in IV. Volumine horum Commentariorum hoc argumentum tractaviſſet, iam ibi, quomodo rotarum dentes ad obtinendam in omnibus rotis uniformita-

tem

eam motus uniformitati oppoſitas, calculis ſatis prolixis inveſtigavit; nunc vero methodo multo faciliori conſtructionem geometricam ipſi elicere licuit, pro dentibus rotae impulſae ex data dentium rotae impellentis figura ita deſcribendis, ut utrinque motus uniformis oriatur, et quae vis ad alteram rotam movendam impenditur, ea perpetuo aequale momentum ad alteram circumagendam exerceat. Et ex infinitis modis, quibus hic ſcopus obtineri poteſt, Ill. Auctor ad eos inprimis attentus fuit, qui ad ipſam praxin maxime accommodati ſunt viſi, atque graviſſimi huius argumenti, cuius tam praeclarus in mechanicis uſus eſt, tractationem non ſolidiſſimis modo principiis ſuperſtruxit, ſed variis quoque exemplis ipſum illius uſum dilucide expoſuit.

II) *De motu fluidorum a diverſo caloris gradu oriundo;* Auctore L. EULERO. Argumentum, quod Ill. Auctor in hac diſſertatione pertractat, non modo prorſus novum eſt, cum nemo adhuc motum fluidorum a calore oriundum geometrice determinare conatus ſit, ſed ad eam quoque Analyſeos partem eſt referendum, quae non ita pridem tractari coepta eſt. Hic quidem neutiquam de inteſtino illo motu, in quo ex Philoſophorum ſententia caloris cauſa ponitur, quaeſtio eſt; ſed eatenus tantum in theoia motus fluidorum caloris ratio habenda eſt, quatenus a calore in maius ſpatium expanduntur fluida, unde eorum denſitas, a qua potiſſimum motus determinatio pendet, imminuitur. Simulac enim in tubi communicantis uno crure calefiat aqua, ſicque eius denſitas imminuatur, non iam ea cum aqua altero crure contenta in aequilibrio conſiſtet, niſi illius altitudo ultra libellam aliquantillum augeatur. Atque ex his ipſis principiis iam pridem ab Ill. Auctore oſtenſum eſt, non ad aquam modo, ſed et aërem in aequilibrio conſervandum, ubique ad aequales altitudines aequalem quoque denſitatem, ideoque etiam aequalem caloris gradum requiri. Qualis vero, ſublato per caloris diverſos gradus aequilibrio, ſubſecuturus ſit fluidorum

dorum motus; Ill. Auctor, nova illa Analyſi a ſe uberius exculta, nunc demum inveſtigare inſtituit, atque, unde vires huiusmodi motum generantes petendae ſint, qualisque ſit motus ille ex iis oriundus, clariſſime in praeſenti diſſertatione demonſtrat, et facili ratiocinio evincit, ſi in vaſe ſatis amplo, aqua ex una parte admoti ignis ope reddatur calidior quam in altera, non modo aequilibrium iri ſublatum, ſed aquam quoque in regione infima a parte frigida ad calidam continuo aſcendere, contra vero in regione ſumma a parte calida ad frigidam deferri debere; id quod et obſervationes obvivis obviae luculenter declarant. His in genere obſervatis, Ill. Auctor tubum cuiuscunque figurae in ſe redeuntem contemplatur, cuius alterum latus admoto igne caleſiat continuo, dum oppoſita vaſis pars maneat frigida. In hunc igitur tubum ſi aqua infundatur, ea quidem, dum in calido crure maiorem, quam in frigido, altitudinem occupat, ad aequilibrii ſtatum ſe componere poterit. *Interim tamen*, aucta aquae infuſae quantitate, aequilibrium *iam non* habebit locum, ſed ſimulac aqua in tubo contenta certum ſuperaverit terminum, motus ibi perpetuus generabitur; id quod inprimis evenit, quando tubus fluido penitus impletur. Quem caſum Ill. Auctor praecipuo examini ſubmittit, ubi ex ſolidiſſimis Hydrodynamices principiis, per calculos ſatis operoſos tandem invenit, aquam hoc caſu per crus infimum continuo ad locum tubi calidiſſimum adfluere, indeque per crus ſupremum iterum ad regionem calidam defluere debere, atque adeo huius motus celeritatem in ſingulis tubi punctis ad quodvis tempus definivit. In quo inprimis notari meretur, quod hic motus eo magis acceleratur, quo anguſtior tubus in parte ſuprema fuerit prae parte infima. Neque dubitat Ill. Auctor, quin inde ad uſum communem plurima inſignia ſubſidia hauriri queant, inter quae maxima fortaſſe attentione dignus videtur huiusmodi tubus, quem Ill. Auctor ad calefacienda conclavia proponit, quique id praeſtet commodi, ut in ipſo tubo ignis ſuſcitari queat, quando-

quidem

quidem aër in tubo contentus, perinde ac aqua, continue per tubum motu circulari ſit deſluxurus, ignemque ſuſtentaturus.

III) *De admirando frigore artificiali, quo Mercurius, ſive Hydrargyrus, eſt congelatus, Diſſertatio:* Auctore I. A. BRAUNIO. Hoc egregium Inventum, de congelatione Mercurii ope admirandi frigoris artificialis, a V. Cl. Braunio detectum, merito attentionem orbis eruditi et totius Europae excitavit. Nemo enim ante haec experimenta credidit fieri poſſe, ut Hydrargyrus in corpus ſolidum et firmum frigore abeat, aut congeletur. Quoniam igitur ante hoc tempus Mercurius nunquam, uti reliqua metalla, in forma ſolida adparuit, donec Auctor eum adparere in ea cogeret, multi Mercurio locum inter metalla adſignare dubitarunt; nonnulli tamen locum inter ſemimetalla ei conceſſere. Nunc igitur dubitare non licet, quin Mercurius ſeu Hydrargyrus omnino metallis, iisque perfectis, ſit adnumerandus. Adparet enim in forma fluida ob nullam aliam rationem, quam quia fuſus eſt. Non differt igitur ab aliis metallis fuſis Plumbo, Stanno, Argento, Auro, et reliquis, niſi in hoc, quod minimum calorem ad ſui fuſionem requirat. Ceterum omnium metallorum eſt molliſſimum, ita ut, ſi clangor ei eſt tribuendus, tantum obſcurus et obtuſus tribui debeat, vix ut plumbi et auri puri.

Ceterum malleabilis aeque eſt, ac metalla reliqua perfecta, et ductilitas quoque ei denegari non poteſt, ut experimenta docuere; quamvis haec extenſio magna eſſe nequeat, quoniam Mercurius breve tantum tempus ſolidus manere ſolet et poteſt.

Habet igitur Hydrargyrus proprietatem metalli perfecti, ſed firmum, et in forma ſolida, uti reliqua metalla, in hoc terrarum orbe adparere nequit, niſi quaſi vi, frigore ſcilicet artificiali, cogatur. Errant igitur toto coelo, qui exiſtimant, Mercurium ob aquam intermixtam congelari, et in corpus

corpus ſolidum abire; fere ut lutum molle aqua temperatum conglutinari ſolet, et corpus durum fieri. Nam quemadmodum reliqua metalla, quamprimum ſufficiens ad fuſionem gradus ceſſat, fiunt ſolida; et quamprimum ſufficiens ad fuſionem gradus caloris adeſt, fluida fieri incipiunt; ſic Mercurius eodem modo calore quidem exiguo funditur, ſed ingenti frigore, maiore quam in omnibus reliquis metallis, in corpus ſolidum abire ſolet.

Non defuere, qui exiſtimarent, aquam miſceri Hydrargyro in Recipiente, dum deſtillatur, et hinc forſitan oriri congelationem. Ut igitur et hoc dubium removeretur, Cl. Auctor Mercurio ſine aqua deſtillato uſus eſt, qui aeque gelatus et regelatus erat, ac alter. Non opus eſt in re maniſeſtiſſima diutius morari.

Ceterum de hoc metallo multi, inprimis Alchemici ſeu Alchemiſtae, multas alias foviſſe opiniones erroneas, conſtat: e. g. quod ſit vera baſis metallorum reliquorum etc. At enim vero haec commenta omnia delentur, quamprimum intelligitur, Mercurium eſſe metallum, idque perfectum.

Hydrargyrus ſub quibusdam circumſtantiis congelari ſolet. Congelatio fit mox completa, mox incompleta et partialis. Si completa fit, bulbus thermometri ordinarie frangitur, quod ſecus eſt ſi congelatio fit ex parte, eoque incompleta.

Porro, Mercurius ſi congelari incipit primum regulariter ad certos terminos deſcendit, dein cum ſaltu et motu praecipiti, donec ſubſiſtat. Hi termini ſunt vagi: modo enim profundius, modo minus profunde regulariter deſcendere ſolet, prius quam ſaltus incipit. Eſt hic motus praeceps et ſaltus Mercurio, dum gelaſcit, proprius: in nullo alio fluido ſimile phaenomenon obſervare licet, dum in glaciem abit, ſeu congelatur. Porro, terminus ultimus, ad quem in congelatione deſcendere ſolet Mercurius, non eſt

ſemper

ſemper unus idemque, ſed vagus. Nam facile intelligitur, Mercurium minus profunde deſcendere, et ad numerum minorem ſcalae ſubſiſtere, ſi congelatio tantum ex parte facta eſt, ita ut pars media fluida remanſerit, quam ſi totus ſolidus factus ſit Hydrargyrus. Sed hic terminus in congelatione completa difficilis eſt determinatu, et ad deſiderata cum aliis quibusdam pertinet, quoniam in completa congelatione ordinarie bulbus, cuiuscunque ſit figurae, frangi ſolet. Probabiliter tamen, ut ex variis phaenomenis colligi poteſt, terminus 650. ſcalae noſtrae adſumi poteſt.

Sunt alia adhuc deſiderata, et aliae quaeſtiones, quibus A. in altera diſſertatione, quae ſupplementa continet, ſatisfacere ſtuduit novis inſtitutis experimentis. Ceterum methodus ita ſimplex eſt congelandi Mercurium, ut quilibet eam, modo ſufficiens frigoris naturalis gradus in aere ſit, facile imitari queat.

Hanc diſſertationem iam in Conventu publico Academiae Scientiarum eſſe praelectam conſtat, ſcilicet Sept. 6. MDCCLX, uti quoque fere in omnibus Europae Diariis iam eſt recenſita; praeterea quoque integra diverſis Diariis eſt inſerta, ut Actis Eruditorum, Transactionibus Anglicanis verſa in linguam anglicam. Legitur quoque translata in linguam germanicam in Diario germanico quod vocatur Neue geſellſchaftliche Erzählungen p. 24. des IVten Theils, et alibi. Conferri quoque poteſt Vol. X. P. II. pag. 212. Commentariorum Lipſienſium, de rebus in Scientia Naturae et Medicinae geſtis.

IV) *Diſſertatio continens partim Additamenta nova et Supplementa ad Diſſertationem de Congelatione Mercurii, ſive Hydrargyri, partim in alia corpora frigoris artificialis inſignioris novos effectus:* Auctore I. A. BRAUNIO. Ex quo tempore diſſertatio de congelatione Hydrargyri, ſeu Mercurii, eſt evulgata, inventor congelationis Mercurii, Braunius, experi-

menta quavis hieme, inſtituere perrexit ad ſupplenda deſiderata, quae in diſſertatione priore indicavit.

Quae praeſtiterit et praeſtare potuerit Auctor, in hac diſſertatione indicantur. Non omnia experimenta ſpei et voto perfecte ſatisfecere, uti ex ſequentibus patebit.

Fuit deſideratum praecipuum, ad quem terminum in congelatione perfecta et completa Mercurius deſcenderet? An non hic terminus novis experimentis figi poſſet? Varia, quin innumera experimenta nova ab Auctore ſunt inſtituta, quae vero ſucceſſum optatum omnino non habuere, quoniam omnes thermometrorum bulbi fracti ſunt, ſi Mercurius totus erat congelatus. Tandem thermometra duo ſunt adhibita, quorum bulbus ſphaericus diametrum $1\frac{1}{2}$ lin. majorem non habebant. Hi duo bulbi fracti non ſunt, ſed integri perſtitere, et ſine dubio congelatio fuit completa in illis, vel certe proxima perfectae congelationi. Deſcendit enim Mercurius in uno thermometro ad 650, in altero ad 640.

Quum ob varias rationes, in priore diſſertatione ab A. adductas, punctum congelationis Mercurii, non ut punctum congelationis aquae, perfecte figi poſſit: numerus 650. in priore diſſertatione iam indicatus, tanquam numerus medius pro puncto congelationis completae retineri poteſt.

Quod ad terminum alterum attinet, ad quem, antequam cum ſaltu moveri praeceps incipiat, multis novis experimentis captis compertum eſt, eum manere vagum. Modo enim regulariter deſcendit tantum ad 350, prius quam cum impetu moveri inciperet, modo ad 400. modo ad 500. 530. et denique ad 550. Hic terminus maximus eſt, ad quem Mercurius regulariter deſcendit ante ſaltum. Hic terminus confirmare videtur punctum congelationis Mercurio poſitum 650. Nam a ſaltu ad terminum ultimum congelationis omnino poni poſſe ſine errore notabili 100. gradus videtur.

Varia

10. Varia alia in diſſertatione priore propoſita ſunt confirmata. Certum eſt, thermometra Mercurialia, et Spiritu, item Oleis eſſentialibus repleta, in maioribus frigoris gradibus non amplius concordare, quamvis in minoribus perfecte concordaverint. Nam Spiritus vini et olea eſſentialia ultra 300. vix deſcenderunt, quum tamen in aliis thermometris Mercurio repletis Mercurius eſſet gelatus. Habent ſine dubio et fluida ſuos contractionis terminos et limites; qui pro diverſitate fluidorum ſunt diverſi.

In deſcenſu praecipiti Mercurius menſuram frigoris adcuratam amplius non exhibere aut exhibere poſſe omnino videtur.

Si Mercurius congelatus digito tangitur, ſtatim in eo loco, ubi contactus factus eſt, caro gelatur.

Confirmatum porro eſt, quo frigus naturale maius eſt, eo melius congelationem procedere; minimus gradus eſt 175. ſed tamen congelatio ſub hoc frigoris gradu non fit completa, ſed ad completam congelationem minimum frigus 185° requiritur, ceteris paribus.

Spiritus nitri *Glauberianus*, et Aqua fortis fumans, optima fluida manent ad frigus artificiale inſigne excitandum.

Confirmatum eſt etiam, Mercurium puriſſimum paullo difficilius gelaſcere. Porro nix recens lapſa ſemper praeferenda eſt alii et vetuſtiori, quemadmodum quoque ſpiritus nitri recens melior eſt vetuſtiori.

Ceterum mirabile omnino eſt, Spiritum vini rectificatiſſimum congelationem Hydrargyri, licet incompletam, quoque produxiſſe.

Reliqua minoris momenti praeterimus. Promiſit Auctor, ſi quid novi adhuc detegere poteſt, impoſterum, favente hieme et occaſione, eum Academiae ſe communicaturum.

 V) Obſer-

V) *Obſervationes Meteorologicae etc.* Sunt quatuor Commentationes, quae de Obſervationibus meteorologicis agunt. Tres pertinent ad Petroburgenſes a *Braunio* inſtitutas, annorum MDCCLXI. MDCCLXII. MDCCLXIII; una vero ad obſervationes anni MDCCXLII. in itinere ex Sibiria Petropolin verſus a. *I. G. Gmelino* inſtitutas, in ordinem vero a *Braunio* redactas. Quia hae ultimae obſervationes in itinere ſunt factae, facile intelligitur, in diverſis locis eas eſſe factas, hinc corollaria omnia inde deduci non poſſe, quae alias ex obſervationibus in uno loco factis deduci poſſunt. Notatu tamen digna non pauca continent. Pertinet huc praecipue Halonum frequentia et ſingularitas. Inprimis illa halo lunae ſingularis eſt notanda, quae Decembris primo huius anni Werchoturiae eſt conſpecta, cuius icon eſt adiecta. Porro notatu digni ſunt quidam frigoris inſignioris gradus, ut 238. 260. et ultra. Nam Mercurius omnis in bulbum deſcendit, licet diviſio ſcalae eſſet 260. Frigus hoc intenſiſſimum perpetua tenui nebula, quaſi aëre congelato, erat comitatum, quae nebula omnino memorabilis eſt. Calor maximus harum obſervationum eſt 109. non inſignis. Huc etiam referenda aurorarum borealium frequentia eſt. Alia phaenomena notabiliora Praeterimus, et lectorem ad ipſas obſervationes remittimus.

Remittimus quoque ad ipſas obſervationes petropolitanas, quae 1761. 1762. et 1763. ibi ſunt factae, ſi prius ſequentia monuerimus. Frigus maximum fuit 1761. graduum 193. et calor maximus = 105. 1762. frigus maximum = 195. et calor maximus 109. A. 1763. Frigus maximum = 204. Calor maximus = 100.

Item altitudines Bar. maximae et minimae his tribus annis 1761. 1762. et 1763. fuere ſequentes: A. 1761. maxima 28. 95. et minima 26. 85. 1762. maxima = 29. 03. minima 27. 10. A. 1763. maxima = 28. 92. minima 26. 53.

In

In obſervationibus vero Sibiricis A. 1742. barometri alt. non occurrit maior quam 28. 28.

Minima vero eſt = 25. 32. Haec igitur multo minor eſt minima Petropoli obſervata 26. 41. Maxima quoque 28. 28. minor eſt maxima 29. 12. Petropoli alias adnotata.

Notamus adhuc frequentiam aurorarum borealium anni 1762. Numeratae et notatae ſunt 18. Ceterum aurorae boreales hic modo frequentes, modo paucae, modo nullae, certe inſigniores adparere ſolent certis et diverſis annis, uti obſervationes docuere. In reliquis ad ipſas obſervationes remittimus.

PHYSICA. I) *Deſcriptiones Inſectorum atque Avium Indicarum Muſei Petropolitani, ut et Fuci foliacei novi.* Auctore I. T. KOELREUTER. Quam in deſcribendis rarioribus Muſei noſtri piſcibus, eandem Cel. *Koelreuter*, tempore quo apud nos vixit, in ſelectis ex eodem Muſeo inſectorum atque avium ſpeciebus diligentiam praeſtitit, quorum laborioſiſſimae eius hoc volumine proponuntur adumbrationes. Et quamvis non omnia ex iis, quae proſecutus eſt, plane nova ſint, ſed pleraque paſſim apud auctores nominata atque verbis deſcripta, imo depicta quoque occurrant: digna tamen ea quoque viſa ſunt quae retractarentur, atque accuratioribus, quam factum eſt, iconibus illuſtrarentur.

E quinis Scarabaeorum Americanorum ſpeciebus, quas priori loco deſcribit noſter, ſeriem orditur nota ſpecies, Scarabaeus Actaeon *Linnaeo* dictus, cuius variabiles formae quinis e ſpeciminibus verbis partim et iconibus exponuntur. Altera, S. Simſoni *Linnaei* affinis, ut et tertia, quarum a nullo uſpiam auctore diſtincta facta eſt mentio, pro novis haberi poſſunt. In quarta ſpecie tantum monentur varia, imprimis colorem elytrorum fugacem, a cruſta tenuiſſima liveſcente derivandum, leveſque in forma ſeptentriorum Muſei

ſpeciminum lufus concernentia. Demum in quinta, praeter brevem deſcriptionem, vendicatur ſynonymon *Swammerdamii*, a *Linnaeo* perperam ad quartam noſtram citatum.

Avium a Clariſſ. Auctore deſcriptarum prima, a *Linnaeo* olim inter Meropes, in nuperrimo vero Syſtemate ad Upupas relata, etiam in *Sebae* theſauro ruditer depicta exſtat; meliorem eius dedit iconem *Briſſonius*, atque Promeropem vocavit, (Ornith. vol. 2. p. 461. tab. 43. f. 2.) quae tamen inter Certhias et Upupas media, priori potius generi relinquenda videtur.

Etiam in reliquis aviculis, quas pulcherrimas deſcripſit noſter, notandum eſt, eaſdem pariter in ditiſſima *Briſſonii* Ornithologia deſcriptas atque delineatas fuiſſe; illud vero opus tunc, cum obſervationes ſuas Academiae traderet noſter (A. 1760. menſ. Octobr. XX.), nondum in publicum editum fuiſſe. Hinc neceſſarium viſum eſt *de ſingulis ad Briſſonium* referre, ut eum, qui velint, ſine taedioſo conferendarum ſpecierum labore adire poſſint.

Itaque Certhia, quae inter aviculas noſtras ſecunda eſt, a *Briſſonio* oper. cit. vol. 3. p. 636. tab. 23. fig. 2. nomine Certhiae Cayennenſis viridis propoſita eſt. Tertia et quarta noſtrarum, ab eodem ad peculiare genus, quod Tangaras ille (et ex eo *Linnaeus* Tanagras) appellavit, referuntur, vocanturque prior: Tangara Braſilienſis nigro-lutea, Ornith. vol. 3. p. 31. tab. 2. f. 2, 3; poſterior: Tangara Peruviana viridis, l. c. p. 23. tab. 4. f. 1. Quinta e noſtris eſt, quam *Briſſonius* Manacum albifrontem, Ornith. vol. 4. p. 457. tab. 36. f. 2., *Linnaeus* mutato, ut ſolet, nomine, Pipram ſeretham, compellarunt. Sextae convenit Certhia Braſilienſis coerulea, Ornith. vol. 3. p. 626. tab. 3. f. 4. a *Linnaeo* iam antea ex optimi *Edwardſii* icone dicta. Septima eſt Icterus ſeu Xanthornus icterocephalus, Ornith. vol. 2. p. 124. tab. 12. f. 4. idemque Sturnus flaviceps *Edwardſii*, et Oriolus

ictero-

ićterocephalus *Linnaei.* Octava apud *Briſſonium* proſtat nomine Trogonis Cayennenſis viridis, ſeu Curucui *Marcgrafii*, Ornith. vol. 4. p. 168. tab. 17. f. 1. Nona titulo Fringillae capenſis, Ornith. vol. 3. p. 171. tab. 16. f. 1. quem cum Loxiae capenſis nomine *Linnaeus* commutavit. Et decima tandem Muſcicapa tyrannus *Briſſonio* audit, Ornit. vol. 2. p. 391. *Catesbaeo* Muſcicapa corona rubra, et Lanius tyrannus *Linnaeo.*

Laudanda etiam eſt induſtria, quam in deſcribendo novo et ſingulari Fuco collocavit noſter, eoque magis commendanda, quod nulla huius fuci vel apta icon, vel mentio certa, apud Botanicos facta occurrat; quum etiam ſynonyma, quae huc utcunque facere videbantur, et citata ſunt, certiſſime aliam, in Mari Germanico ſatis vulgarem ſpeciem, ſignificent. E Mari Albo plantam ſuam habuit noſter; ſed et Mediterraneo communis eſt, et congenerum omnium maxime ſimilis videtur Lichenibus ſic dictis foliaceis.

ASTRONOMICA. I) *Expoſitio obſervationum occaſione tranſitus Veneris per diſcum Solis in urbe Selenginſk inſtitutarum:* Auctore STEPH. RUMOVSKI. Diſſertatio iſta, aeque ac ſequens, poſt reditum auctoris ex Sibiria, quo ablegatus fuerat ad Venerem in Sole obſervandam, typis iam excuſae ſunt; locum tamen iis Academia Scientiarum in Commentariis concedendum eſſe ideo duxit, quod numerus exemplarium tunc excuſorum fuerit exiguus.

Praecipuus finis, quem Cl. Auctor diſſertatione hac intendit, is eſt, ut ob oculos ponat obſervationes, quas ille hac occaſione in urbe Selenginsk inſtituit: ideirço ſollicite perſequitur omnes circumſtantias, ſub quibus illae peractae ſunt. Obſervationibus, pro definienda Latitudine obſervatorii ſui inſtitutis, praemittit verificationem quadrantis ad horizontem, et pro determinando valore partium micrometri quadranti affixi, obſervationes ſuper diametro Solis

Petro-

Petropoli captas, ac tandem ſiſtit ipſas obſervationes Latitudinem ſpectantes, ex quibus concludit illam 51°. 6′. 6″.

Tranſitum Veneris per diſcum Solis praeceſſit Eclipſis Solis, incidens in diem 23. Maii, cuius finem tantum Auctori obſervare licuit.

Iam a longo tempore ante tranſitum Veneris per Solem, Cl. Auctor ad examen revocare coepit motum horologii ſui per altitudines Solis correſpondentes, et ope tranſitus ſtellarum fixarum; appropinquante tamen tranſitu Veneris ſumſit die 24. Maii altitudines Solis correſpondentes, et poſt eum die 19. Maii; ex quibus, aeque ac ex praecedentibus, reperit motum horologii ita fuiſſe uniformem, ut inde ne minimus quidem error fuerit pertimeſcendus. Ipſa vero dies, qua tranſitus Veneris evenit, ita cecidit adverſa, ut parum abfuerit, quin incaſſum ceciderint ſumtus et opera in expeditionem impenſa: nec niſi fine huius phaenomeni obſervatori frui quodammodo licuit. Contactus *internus limborum* Solis et Veneris, facta debita reductione, per nubem obſervatus fuit 3^h. 21′. 36″ quam proxime, et externus 3^h. 39′. 42″, ita ut mora Veneris in limbo Solis ſit 18′. 6″. Obſervatio peracta eſt tubo 15. pedes longo.

Abſolutis iis, quae ſpectant obſervationem Veneris in Sole, procedit Auctor ad expoſitionem obſervationum definiendae Longitudini Urbis Selenginſk inſervientium. Inter eas occurrunt quinque obſervationes ſuper eclipſes Satellitum Iovis, et duae ſuper occultatione ſtellarum fixarum a Luna; quarum altera eſt φ ſagittarii, altera *k* Tauri. Interea vero, dum phaenomena haec operiretur, incubuit definiendae longitudini penduli ſimplicis ad ſingula minuta ſecunda Selenginski oſcillantis. Ope authomati pendulo invariabili inſtructi reperit illam $36^{dig.}$ $8^{lin.}$, 56; per experimenta vero ope penduli ſimplicis inſtituta $36^{dig.}$ $8^{lin.}$, 62.

Deter-

Determinationes iſtae ſupponunt longitudinem penduli ſimplicis Pariſiis ad ſingula minuta ſecunda in temperie aëris 12°. ſupra 0, oſcillantis 36^dig. 8^lin., 55; quodſi alia Pariſiis ſtatuatur, Selenginskenſis quoque aliquam mutationem ſubeat neceſſe eſt.

Ex obſervationibus authomato pendulo invariabili inſtructo inſtitutis, perquam utile corollarium, idemque quod *Griſchovius* ex ſuis experimentis, in Tomo VII. Commentariorum relatis, deduxerat, elicit Cl. Auctor: nempe, variationem unius gradus thermometri Reaumuriani ſpatio diei ſolaris medii producere variationem unius quam proxime oſcillationis in motu penduli invariabilis.

His ſubiungit obſervationes meteorologicas, quas in urbe Selenginsk inſtituit. Inde rediens, dum in urbe Irkutsk commoraretur, operam dedit, ut Latitudinem illius definiret. Ex obſervationibus Lucidae Aquilae, quas pro exactis habere non dubitat Cl. Auctor, concludit illam 52°. 18′. 15″.

II) *Inveſtigatio Parallaxeos Solis ex obſervatione Tranſitus Veneris per diſcum Solis Selenginski habita, collata cum obſervationibus alibi inſtitutis:* Auctore STEPH. RUMOVSKI. Poſtquam obſervationes tranſitus Veneris per diſcum Solis in diverſis locis peractae in lucem prodierunt, conſtituit Cl. Auctor indagare, quantam illae inter ſe collatae praebeant Solis Parallaxin. Combinatio iſta tuto inſtitui nequit, niſi certiſſime conſtet poſitio locorum, in quibus obſervationes peractae ſunt, praeſertim eorum Longitudo, ſi ex unico contactu quantitas parallaxeos Solis ſit indaganda. Brevibus idcirco ex diſſertatione praecedente repetit Cl. Auctor, quae ibi de Latitudine urbis Selenginsk commentatus eſt. Poſtmodum accingit ſeſe ad definiendam Longitudinem obſervatorii ſui; et primum quidem ex fine Eclipſeos Solis, nulla Tabularum adhibita correctione, eruit illam $6^h. 57'. 30''$. Obſervationes Satellitum Iovis, collatae cum momentis ex

Fff Tabu-

Tabulis Cel. *Wargentini* elicitis, ac ad mentem eius correctis, diverſam ab hac praebuerunt Longitudinem, exiſtente maxima $6^h . 57' . 21''$ et minima $6^h . 56' . 49''$. Omnium vero media $6^h . 57' . 8''$ etſi concordat cum ea, quae immediate ſequitur ex Immerſione I. Sat. in Inſula Rodrigues et Selenginski obſervata, verum notandum eſt, Longitudinem Rodrigues maiorem hic aſſumtam fuiſſe, quam a Cel. *Pingre* ſtatuitur.

Conſtituta iam Latitudine Selenginsk $51^\circ . 6' . 6''$ et Longitudine a meridiano Pariſino computata $6^h . 57' . 8''$ progreditur ad determinandam ex mutua obſervationum combinatione parallaxin. Aſſumto momento coniunctionis et Latitudine Veneris apparente, qualem praebuerunt obſervationes a *Bliſſ* peractae, reliqua elementa ſcopo ſuo neceſſaria depromit ex tabulis *Hallerianis*; ac poſita parallaxi Solis $8\frac{1}{2}''$ ſemitam Veneris apparentem Grenovici viſam reducit ad centrum telluris: ubi inveſtigat momentum contactus interni in exitu ad meridianum Grenovicenſem. Hoc invento, dataque differentia meridianorum Grenovicenſis et loci cuiusdam, ubi obſervatio eſt peracta, reperit momentum contactus veri ad meridianum illius loci, ac pro eodem computat effectum parallaxeos, ſive tempus, quo citius aut tardius ex eo loco quam ex centro telluris contactus ſpectaretur, ſi parallaxis ſolis foret $8\frac{1}{2}''$.

In peculiari Tabula exhibentur loci et obſervationes, ex quibus per mutuam combinationem quantitatem parallaxeos Solis inveſtigare anniſus eſt. Obſervationem Capitis Bonae Spei combinavit cum decem aliis; ſuam vero non niſi cum iis, in quibus differentia effectuum a parallaxi proficiſcentium non minor eſt quatuor minutis primis. Omnes iſtae combinationes egregie inter ſe conſentiunt, et parallaxin Solis non minorem $8''$, nec maiorem $8\frac{1}{2}''$ ſtatuendam eſſe indigitant.

Diſſerta-

Diſſertationi huic ſubiungitur additamentum, cui anſam praebuit obſervatio Rodriguenſis. Cel. *Pingre*, in diſſertatione Commentariis Academiae Scientiarum Pariſinae in annum 1761. editis inſerta, ex contactu interno in Inſula Rodrigues obſervato, collato cum obſervationibus in Europa peractis; parallaxin Solis horizontalem concludit 10″. 4. Obſervationes in Suecia et Tobolii peractae collatae cum Rodriguenſi diverſam quidem praebuerant illi parallaxin; verum aucta Longitudine Stockholmiae ac proinde Tobolii, Torneae, Caianeburgi, et Upſaliae 21″, eandem quam proxime obtinet parallaxin. Unica itaque Selenginskenſis ſupererat, quae cum Rodriguenſi collata parallaxin Solis non niſi 9″, 38. praeberet. His permotus Cl. Auctor, examen inſtituit obſervationis ſuae, utrum ob nubilam caeli faciem, aliasve circumſtantias, momentum contactus interni in exitu Selenginski obſervati, integro fere minuto primo minui poſſit, ut collatum cum momento Rodriguenſi 10″, 4. praebeat Solis parallaxin: ac perpenſis omnibus rationibus oſtendit, nullatenus tantum errorem in obſervationem illius irrepere potuiſſe; quin potius error, ſi quis ex nubila caeli facie originem traxerit, ad diminuendam, non vero ad augendam parallaxin Solis, fecerit neceſſe eſt.

Obſervatio Rodriguenſis collata cum Selenginskenſi dabit quoque parallaxin Solis 10″, 4, ſi Longitudo Selenginski augeatur integro minuto primo. Ad examen igitur revocans et Longitudinem Obſervatorii ſui antea ſtabilitam, inquirit Cl. Auctor, quousque illa augeri poſſit; ac oſtendit, ex obſervationibus Satellitum Iovis, utrovis modo Longitudinem inveſtigare placuerit, ſive conferendo illas cum momentis e Tabulis depromtis, ſive cum obſervationibus in aliis locis peractis, et paucis diebus a Selenginskenſibus remotis, eandem quam proxime reſultare Longitudinem.

Occultatio φ Sagittarii a Luna ex obſervationibus Satellitum Iovis deductam Longitudinem optime confirmat:

 Si

Si computus ſuperſtruatur Tabulis *Maieri* ad mentem Cel. *Pingre* correctis, Longitudo Urbis Selenginſk prodit $6^h. 57'. 13''$ aut $15''$. Unde non ſine ratione concludit Cl. Auctor, Longitudinem Selenginſki non maiorem $6^h. 57'. 14''$ ſtatui, et obſervationem Rodriguenſem collatam cum Selenginſkenſi nullatenus parallaxin Solis $10'', 4$ praebere poſſe.

Abſoluto examine Logitudinis Selenginſki, et obſervationis ibidem habitae, ſiſtit obſervationem Pekini peractam, ac Longitudinem illius noviſſimis obſervationibus ſuperſtruit. Ex plurimis obſervationibus Satellitum Iovis undique collectis, et ex tranſitu Mercurii Pariſiis et Pekini anno 1753. die $\frac{25\ Apr}{6\ Maii}$ obſervato, tandem concludit, Longitudinem obſervatorii Ieſuitarum Gallorum, ubi obſervatio Veneris peracta eſt, non minorem $7^h. 35'. 45''$ ſtatui debere. Cel. *Monnier*, in Commentariis Academiae Scientiarum Pariſinae in annum 1763. editis, eandem fere aſſumit Pekini Longitudinem, nempe $7^h. 35'. 40''$; id quod egregie concordat cum determinatione Cl. Auctoris. Quibus vero rationibus fultus Longitudinem iſtam aſſumſerit Cel. *Monnier*, nulla fit mentio.

Statuta iam Longitudine obſervatorii, ubi obſervatio Veneris eſt peracta, inquirit Cl. Auctor, quanta ex obſervatione Pekinenſi cum aliis collata reſultet Solis parallaxis: et cum ex combinatione illius cum aliis eandem circiter reperiſſet, quam praebuerunt obſervationes ad Caput Bonae Spei et Selenginſki peractae, concludit, obſervationem Rodriguenſem nullatenus conſiſtere poſſe: praeſertim cum Cel. *Wargentinus* ſe per noviſſimas obſervationes comperiſſe teſtetur, Longitudinem Stockholmiae non maiorem $1^h. 2'. 52''$ ſtatui debere.

Ad calcem diſſertationis uno laterculo complectitur Cl. Auctor, quantam dent Solis parallaxin obſervationes ad Caput Bonae Spei, Pekini, Selenginſki, et in inſula Rodrigues per-

actae,

ſtae. Poſtquam vero diſſertatio iſta anno 1764. typis excuſa eſt, Longitudines quorundam locorum in laterculo nominatorum certius ſunt definitae, idcirco nonnullae parallaxeos determinationes ibi exhibitae immutari debuiſſent; verum Academia Scientiarum ſatius eſſe duxit, prout impreſſa eſt, ita et hic eam excudere, diſcrimen vero ex Longitudinibus correctis oriundum hic peculiari exhibere laterculo.

Nomina Locorum.	Longitudo eorum.	Parallaxis Solis horizont. reſultans comparatione obſervat. habitae.			
		ad C.B.S.	Pekini.	Seleng.	in Rodrig.
Rodrigues	4ᵇ. 3'. 26"	5". 89			
Pekin	7. 35. 45	8". 51			9". 39
Selenginsk	6. 57. 14	8. 46			9. 49
Tobolsk	4. 23. 51	8. 60	7". 73	7". 34	9. 92
Tornea	1. 27. 49	8. 53	8. 43	8. 13	9. 95
Caianeburg	1. 41. 40	8. 64	8. 05	7. 75	10. 13
Upſala	1. 1. 12	8. 61	8. 17	8. 00	10. 26
Stockholm	1. 2. 52	8. 35	8. 96	8. 76	9. 88
Göttinga	0. 30. 16	8. 50	8. 57	8. 42	10. 48
Grenovicum	0. 9. 16 occ.	8. 51	8. 50	8. 42	10. 54
Pariſii	0. 0. 0	8. 53	8. 47	8. 39	10. 74
Bononia	0. 36. 5	8. 58	8. 44	8. 30	11. 00
Roma	0. 40. 40	8. 62	8. 46	8. 27	11. 35

Longitudo Capitis Bonae Spei a meridiano Pariſino computata ſtatuitur hic 1ᵇ. 4'. 15".

III) *Eclipſis Solis inſignis d. 1. Apr. an. 1764. Styl. Nov. temp. civ. obſervatio Lipſiae habita:* Auctore G. HEINSIO.

IV) *Obſervationes aliquot coeleſtes ann. 1765. et 1766. Lipſiae habitae:* Auctore G. HEINSIO. Eclipſis ſolaris, quae d. 1. April. an. 1764. ſt. n. contigit, et cuius potiora momenta in hac diſſertatione recenſentur, obſervatio, ita a Cel.

Auctore Lipſiae inſtituta eſt, ut non per tubum modo aſtronomicum optimae notae ſolem immediate contemplaretur, ſed etiam in imagine ſolari, per machinam helioſcopicam repraeſentata, phaenomena obſervaret; cumque non ipſi ſolum obſervationi, ſed praevio etiam ſtatus horologiorum examini, plena faviſſet coeli ſerenitas, has ipſas obſervationes inprimis aptas eſſe cenſuit, in quibus, quid de pretio methodi phaenomena eclipſium ſolarium ope machinae helioſcopicae obſervandi ſtatuendum ſit, data opera inveſtigaret. Repraeſentavit haec machina diametrum Solis ſub magnitudine 4. dig. $2\frac{2}{3}$ lin. menſ. Pariſ. duodec. in qua Cel. Auctor ope circini et ſcalae geometricae pro compluribus Eclipſeos momentis diſtantiam cornuum ſeu chordam defectus et latitudinem maximam partis lucidae determinavit. Iam quidem ex ipſa rei natura manifeſtum eſt, cum in repraeſentatione Solis per machinam helioſcopicam initium eclipſeos tum demum ſub ſenſus cadere poſſit, cum luna limbum imaginis ſolaris iam aliquantillum penetravit; finis autem, cum limbus lunae adhuc cum margine imaginis ſolaris confunditur; obſervationes hac methodo inſtitutas ab iis, quae per tubos aſtronomicos immediate fiunt, non nihil diſcrepare debere: quo tamen diſcrimine non obſtante, deducendo ex obſervationibus utriusque claſſis tempus obſcurationis maximae, Cel. Auctor tam exiguam deprehendit differentiam, ut methodum hanc concluſiones ſufficienter inter ſe conſentientes ſubminiſtrare, et machinam helioſcopicam non ſine fructu in obſervationibus eclipſium ſolarium adhiberi, ſtatuendum ſit. Praecipua autem, qua haec methodus premitur, difficultas, in eo poſita eſt, quod ad determinandum tempus maximae obſcurationis partes lucidae ante et poſt obſcurationem maximam *aequales*, ab eaque non nimis remotae, una cum temporibus ipſis reſpondentibus cognitae requirantur; quae ſi non habeantur, (ut plerumque fit) partis lucidae ex uno latere reſpondentis defectus ope interpolationis ſupplendus eſt. Hoc igitur gravi incommodo methodum,

quae

quae ſua ſe utilitate iure commendat, Cel. Auctor feliciter liberavit, modum oſtendendo, ex tribus partibus lucidis quomodocunque inaequalibus, in vicinia obſcurationis maximae ſumtis, una cum temporibus ipſis reſpondentibus, tres diſtantias centrorum Solis et lunae inveniendi; quibus praemiſſis problema reſolvit, cuius in aliis quoque obſervationibus congreſſus duorum corporum coeleſtium, v. g. tranſitus Veneris vel Mercurii per Solem, inſignis uſus eſt, ut ſcilicet datis tribus centrorum ☉ et ☽ diſtantiis cum temporum reſpondentium intervallis, diſtantia centrorum minima et tempus obſcurationis maximae, calculis admodum concinnis inveniatur. Quae vero methodus cum diametrum Lunae cognitam, atque in partibus ſcalae ſupra memoratae expreſſam ſupponat; haec quidem diameter ex cognitis chordae defectibus, parte lucida et radio imaginis ſolaris inveniri poſſet. Cum vero chordae defectus, et partes lucidae alternis tantum vicibus obſervari poſſint, interpolatione hic opus foret, unde, in eo caſu, quo immediata diametri lunaris dimenſio non conceditur, eam ex calculo petere, et parte aliqua ob repraeſentationem in fundo lucido minuere, Cel. Auctor, facto periculo, deprehendit eſſe conſultius. In altera diſſertatione, praeter *Initium Ecli ſis* ſolaris partialis d. 16. Aug. 1765. celebratae, quod Cel. Auctori obſervare licuit, duae obſervationes tranſitus Lunae per Pleiades, annis 1765. d. 13. Iulii et 1766. d. 22. Septembr. ab ipſo inſtitutae, recenſentur. In priore harum obſervationum Cel. Auctor ad acceſſum Lunae ad Lucidam Pleiadum, quam a Lunae limbo lucido occultatum iri ſuſpicabatur, inprimis attentus fuit. Quod etſi non accidit, cum Luna Lucidam Pleiadum in certa aliqua diſtantia praeteriret; tamen Cel. Auctor verum tempus coniunctionis, id eſt illius poſitionis, in qua linea recta ſtellam et cuſpidem Lunae inferiorem iungens perpendicularis ad proximam Lunae marginem viſa eſt, ad pauca minuta ſecunda exacte determinavit; inopinato alius quoque ſtellulae, Lucidae Pleiadum admodum vicinae, et a *Flamſtee-*

dio

dio in Catal. Brittan. littera P notatae, emerſionem obſervavit, eiusque tempus verum adcurate definivit. In poſteriori obſervatione Cel. Auctor primum ſemitam centri Lunae, habita ratione parallaxeos, ad *Maiam* eiusque circulum latitudinis ex elementis in Ephemerid. P. *Hellii* obviis in ſchemate repraeſentavit, eique inſigniores in conſtellatione Pleiadum ſtellas per differentias longitudinum et latitudinum, quales a *Falmſteedio* ſuppeditantur, inſeruit; eoque id conſecutus eſt, ut, quas vel occultationes vel incidentias harum ſtellarum in lineam cuſpidum obſervaverat, diſtincte recenſere potuerit. Inprimis vero ex obſervatione circa occultationem *Maiae* habita, id Cel. Auctor animadvertit, poſitionem *Maiae* a P. *Hellio* determinatam, quae a poſitione per alios Aſtronomos, *Flamſteedium*, *Caſſini*, *Maraldi*, de la *Hire* definita, inſigniter diſcrepat, eſſe erroneam, hancque cum veritate, obſervationibus confirmata, propius conſentire.

ISOCRATIS PANEGYRICUS. RECENSUIT ET animadverſionibus illuſtravit SAMUEL FRIDERICUS NATHANAEL MORUS.

Lipſiae ap. Weidmani Heredes et Reichium, MDCCLXVI. plagg. 12. in 8.

Inter Iſocratis, Oratoris quondam Graeciae divinarum humanarumque rerum ſcientiſſimi, et cum dicendi laude, tum praecipiendi exercitatione celeberrimi, ſcripta, primum ſibi locum Panegyricus vindicat. Nam ſive ordinem, quo orationum quaeque habita fuit, ſequaris, haec prima videtur eſſe; ſive, ſi id in dubitationem fortaſſe vocetur, rerum ipſarum cauſſa, earumque proponendarum, argumentorumque tractandorum, mira ſimilitudine cum ceteris convenit. Hoc autem habet Iſocrates, ut cum eius oratio in easdem res delata fuerit, eadem etiam de iis dicendi ſimilitudinis lege ſibi conſtet.

conſiſtet. Quae tamen pro ingenio et arte viri, non omni varietate caret: non illa quidem ex locorum argumentorumque, quae, propterea quod in ſuo genere fere optima et propemodum unica eſſent, non admodum variare poterat, diverſitate ſpectanda, ſed modo in diverſo adhibendi conſilio, ut quibus alias in laudando uſus fuiſſet, iis nunc in vituperando utatur, quibus in adhortando, nunc in docendo, modo in delectu et collocatione verborum, in numero denique percipienda. Quae res profecto lectores ſine ſuaviſſimae variationis fructu non dimittunt. Quodſi quis Panegyricum accurata lectione plane cognoverit, is ad ceterarum orationum faciliorem intellectum pervenit. Nam ſemel laborioſa rerum factorumque apud hiſtoriarum ſcriptores inquirendorum difficultate ſuperata, ubi ad eadem viderit oratorem reſpicere, in olim cognitis et exploratis denuo non haerebit. Ergo verſabitur animus in imitatione iudicanda, in quo lectionis firmum praeſidium, et acuendi ingenii certiſſima diſciplina ineſt. Herodotus, Xenophon, Thucydides, Lyſias, Lycurgus, ad imperium maris Athenienſibus vindicandum, ad Athenas ceteris urbibus praeferendas, ad laudandos in acie caeſos, ad amorem patriae maiorumque virtutem commendandam, in eorumdem argumentorum uſu cum Iſocrate conſentiunt. Quid? Ariſtides multis annis poſterior, cum ſciret Iſocratis ſcripta haberi et legi, tamen e Panegyrico eius omnia in Panathenaicum ſuum tranſtulit, et ea fere optime dixit, quae ad ſuperiorum, et in primis Iſocratis exemplar, expreſſerat. His cauſſis commotum ſe Vir Clariſſ. ſcribit fuiſſe, ut ad edendum hunc libellum animum manumque adiiceret. In quo negotio primum hoc curavit, ut ex ipſis fontibus hauſta, quae ad rerum intellectum valerent, momenta hiſtorica, diligenter enotaret, levaretque lectorum inquirendi taedium, erroriſque periculum removeret; deinde ut nec quae ad rem criticam, et ad facultatem de lectionum veritate iudicandi ſpectarent, negligeret. Ob quam rem in ſubſidium vocavit librorum apparatum

eum, quem nondum cuiquam editori ad manus fuiſſe ſcribit, cuius indicem praefationi ſubiecit. In his eminet editio princeps Mediolanenſis anni 1493. in forma maiore, pauciſſimis operarum vitiis inquinata, quam ex bibliotheca Paullina Lipſienſi recepit. Sed inſpexit eam quoque, et cum Wolfianis exemplaribus, novae editionis elegantiſſimi ſcriptoris adornandae cauſſa, ante multos annos contulit Cel. Fiſcherus, ut ipſe in Animadverſſ. ad Veller. p. 293. profitetur. Conf. etiam pag. 172. 348. 355. 372. 398. et alibi, ubi huius editionis lectiones commemorat. Atque id ideo monendum duximus, quod Vir Clariſſ. ignorare ſe ſcribit, an praeter Dorvillium, qui ad Charitonem eius paſſim mentionem faciat, alius quis eam tractaverit. Proximum tenet locum Aldina, eadem, qua ſuperior, forma Venetiis 1513. impreſſa, quae cum Mediolanenſi easdem fere lectiones ſervat, neque tamen ex ea fluxiſſe videri debet. Nam diſſenſus etiam inter utrasque, locis quamplurimis, reperiuntur. His duabus fere ſolis inſiſtendum, earumque auctoritates longe pluris habendae, quam Hagenoenſis, quae anno 1533. octonis prodiit, quaeque nihil diſcrepat ab Aldina, vitiis quoque ſervatis. Praeterea adhibuit Baſileenſes tres, unam Wolfii, quam maioris nomine vocare ſolet, alteram anni 1565. per Thomam Guarinum octonis editam, continentem textum graecum ex Aldina plerumque expreſſum, tertiam denique anni 1579. priori et forma et valore conſimilem. Adiunxit Stephanianam anni 1593. in maiore forma, quae non ubique recenſionem Wolfianam ſequitur, ſaepe Aldinae lectiones retinuit, quaedam etiam ſingularia prae ſe fert. Manuſcriptis Codicibus uſus non eſt, praeter eos, quos Wolfius et Cantabrigienſis editionis, quae anno 1729. octonis prodiit, auctor Batticus, adhibuit, quorum in hac re fidem ſequitur, huius quidem dubiam et infirmam expertus, in animadvertenda et enotanda editionis Stephanianae varietate. Harum editionum notitiam ſequitur diſſertatio, qua de tempore editi Panegyrici coniectura proponitur, quam propter uſum et praeſtantiam legendam commendamus inprimis.

Verſi-

Verſionem latinam iuſtis de cauſſis omiſit, et ſiquid in verbis paullo exquiſitius dictum, aut in formis noviter expreſſum eſſet, id ad indicis interpretationem reiecit. Alienus ab propoſito de verborum ſignificatione in ipſis animadverſionibus latius diſputandi, in hoc genere notationum parciorem ſe praebuit. Nihilominus tamen ſuis locis de his quoque docte et eleganter diſputando, tum eruditionis non vulgaris teſtimonio, tum expectationi et uſibus lectorum inſervit. Praemiſſum igitur Argumentum auctore Hieronymo Wolfio, ſequitur ipſa oratio, ad cuius Cap. I. p. 4. notio vocabuli σοφιστὴς ex uſu antiquorum, qui eo nomine *rhetorem* vel *oratorem* appellabant, declaratur: ſicut etiam p. 6. vim formae φιλοσοφεῖν τοὺς λόγους, quoad deſignat *verſari in commentanda oratione, ſcribere* vel *habere orationem*, demonſtrat; in quo tamen Harpocratio notari non debebat, quaſi nimis vage φιλοσοφεῖν interpretetur πονεῖν, cum eius verba plane aliter habeant, nempe ſic: φιλοσοφεῖν· πονεῖσθαι φράζειν, quod verti debet, *elaborare in dicendo*, ut appareat, vim eius verbi recte ab homine intellectam, ſcienterque declaratam fuiſſe. Secus quam Latinorum fert conſuetudo, Graeci pronominibus demonſtrativis utuntur ante participia; e quo more iudicanda ſunt verba Cap. II. ἐμοὶ δ' οὐδὲν πρὸς τοὺς τοιούτους ἐστὶν, ἀλλὰ πρὸς ἐκείνους, τοὺς οὐδὲν ἀποδεξομένους εἰκῆ τῶν λεγομένων. Mox, ubi Iſocrates dicit, αἱ πολιτεῖαι, δι' ὧν οἰκοῦσι τὰς πόλεις, οὕτω τοὺς πλείστους αὐτῶν διειλήφασιν, obſervandum eſt, διαλαμβάνειν eſſe *comprehendere, occupare*, vel etiam *dividere*, niſi malis *intercipere*, nimirum ſic, ut aliae civitates Athenienſibus, aliae Lacedaemoniis adhaereant, quod in nota ſubiecta p. 14. docetur. Addiderim dici verbum de iter facientibus, cuiusmodi uſus, neque a Reiskio ad Polybium, neque a Clar. editore laudatus eſt ullus locus. Διαλαβεῖν πελάγη *maria traiicere*, pro διαπερᾶν, vel διαπεραιοῦσθαι, nam utrumque dicitur, eſt apud Philonem de Nom. mut. p. 1049. ut ἐκλαμβάνειν χῶρον πολὺν de Hercule apud Theocrit. Id. XIII, 65.

quod Scholiaſtes explicat ἐπελθεῖν. Virgil. Aen. V, 316. *Corripiunt ſpatia.* Cap. VI. verbis, τῶν δὲ συλλήβδην τὰς ἐυεργεσίας καὶ τὰς χρείας, pro gloſſemate adhaerent, καὶ τὰς ὠφελείας, τὰς δι' ἀυτῶν γιγνομένας. Cap. VII. vetuſtas narrationes, propterea, quod multi protulerint, multique audiverint περιῆκαι, ait, μὴ καινὰ μὲν πιςὰ δὲ δοκεῖν ἐῖναι τὰ λεγόμενα περὶ ἀυτῶν. In his non ſpernenda eſt Codicis Fuggerani a Wolfio prolata lectio κενὰ; nam facilis et crebra harum vocum permutatio, cuius plurima, ſi id nunc ageremus, exempla poſſemus proferre, de qua interim videndus *Abreſch*, Dilucidatt. Thuc. p. 295. hunc quoque locum commode turbaverit. Κενὰ, *inania, fide caſſa* et *carentia*, elegantiſſima oppoſitione τῶν πιςῶν, *firmorum*, *certorum*, quibus fides haberi debet, dicuntur. Κενοφωνίας ſic occurrunt 2 Timoth. II, 16. A quo longiſſime abit audacior commutatio verborum μὴ καινὰ in ἀρχαῖα, quam Vir Clariſſ. probat. Sed ut, quod res eſt, dicamus, illud μὴ μέν facit, ut καινὰ rectum eſſe putemus hoc ſenſu: *non illa quidem quae narrentur eſſe nova*, quod nova fere admiratione excipiuntur, antiqua ſpernuntur, *ſed tamen eſſe firma.* Cap. VIII. τὸν βίον οἱ πρῶτοι φάνεντες ἐπὶ γῆς - - κατὰ μικρὸν ἀυτοῖς συνεπορίσαντο. Coniicit legendum ἀυτοῖς; ſed non eſt opus, cum ἀυτὸς pro ἀυτὸς poni doceant multa Auctorum exempla. Comparandi ſunt eorum Interpretes, quos excitat *Fiſcherus* V. Clar. Animadverſſ. ad Veller. pag. 172. Et ſic Cap. XIII. καὶ ὅτι τούτῳ πλεονεκτήσαντες καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀυτῶν διηνέγκαμεν. Ubi pronomen hoc non refertur ad ζῶα, *beſtias*, quo, cum interprete latino, multi forte retulerint, ſed ἀυτοὶ ſunt *ipſi*, *homines*, ut verborum ſententia, quam ſequentia quoque exigere videntur, haec ſit: ſermone praeſtamus beſtiis, qui vero eloquendi arte valent, hi reliquis ſuorum, ſui generis, omnibus antecellunt. Ut idem dicatur quod a Cicerone I. de Orator. c. 8. *quis hoc non iure miretur, ſummeque in eo elaborandum arbitretur, ut quo uno homines maxime beſtiis praeſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat.* Sed haec hactenus.

Illuc

Illuc revertimur. Eodem capite leguntur, οὐδεὶς γὰρ ἂν δύναιτο δωρεᾶς τοσαύτης τὸ μέγεθος εὑρεῖν, ἥτις ἴση τοῖς πεπραγμένοις ἐστί. Non diſplicet Editori coniectura Wolfii, δωρεὰν τοσαύτην τὸ μέγεθος, et δωρεὰν explicat, *praemium*, putatque permutari cum τιμὴ in ſuperioribus; in quo forte alii nobiscum uſum deſiderent. Nam δωρεὰ idem valet quod χάρις, qua cum voce iungit Philo in Flacc. p. 989. et permutat in Legat. ad Cai. p. 1004. Quid ergo ſi dictum putemus, pro δωρεὰν τοσούτου μεγέθους, vel δωρεὰν οὕτω μεγάλην, permutatione ab ingenio linguae non aliena, ut maneat in notione *beneficii* vox δωρεά, ſententiaque ſit: nemo poſſit tantae magnitudinis beneficium invenire, ne[illegible] tanto dono genus humanum augere quod par ſit iis quae facta ſunt, nempe inventioni frugum uſque ad homines propagato. Cap. IX. extremo pro εἰς τὴν ἀφ' ἡμῶν ἀφορισθεῖσαν, ut habet edit. Mediolan. et quaedam aliae, cum libris aliis Clar. editor mavult ὑφ' ἡμῶν, quod paſſivum coniunctum ſit. In quo ſequi videtur *Ienſii*, in Ferc. Litt. p. 17. quam ipſe ſibi opinionis errore finxerat, ſententiam, qui, quoties ἀπὸ cum paſſivo iunctum reperiatur, cum ὑπὸ confuſam ab librariis putat. Quam quidem et rationibus, et exemplis, confutarunt multi, ut fere quoties de ea re dubitatio inciderit, his codicum auctoritate dirimenda ſit. Cap. X. verba ſunt: ἀρχὴν μὲν ταύτην ἐποιήσατο τῶν εὐεργεσιῶν, τροφὴν τοῖς δεομένοις εὑρεῖν. Hic loco Infinitivi, nihil unde pendeat habentis, legendum cenſet εὑροῦσα; ſed pollent, ut Participia, ſic nonnunquam Infinitivi, virtute Latinorum Gerundii in *do*, ut docet *Abreſch*, Dilucidatt. Thuc. p. 790. A capite XIV. comparatio inſtituitur orationis περὶ ἀντιδόσεως, in qua integer locus, a verbis Ἡγοῦμαι δὲ τοὺς προγόνους ἡμῶν, usque ad Cap. XXIX, magna cum varietate, tam in verbis et formis dicendi ipſis, quam in collocatione, quae tamen ſenſum non mutet, repetitus eſt. Varietas non ab librariis, ſed ab ipſo Iſocrate profecta, qui ſenior hunc locum iterum tractans, vel conſulto, vel negligentior, multa mutavit. Quod idem factum eſt a Xeno-

 phonte.

phonte. Comparandus Hellen. III, 4. cum Ageſ. c. 1. Aut ſi, ut Plutarchus in vita Iſocratis refert, unam tantum περὶ ἀντ. orationem dixit, nec amplius ad dicendum prodiit, vel hanc ob cauſſam potuit nonnulla immutare, quae viderentur ad aures melius et ſuavius accidere. Cap. XVI. extremo legitur, εἰ δὲ δεῖ τὰς χάριτας καὶ τὰς ἐπιεικείας ἀνελόντας ἐπὶ τὴν ὑπόθεσιν πάλιν ἐπανελθεῖν. Si cum ceteris interpretibus verbum ἀνελεῖν vertatur *omittere*, ſententiae loci derogatur. Non enim omiſit, ſed apte, et conſilio convenienter commemoravit, ergo Clar. editor reſcribit συνελόντας, et ex uſu formae ὡς συνελόντι εἰπεῖν explicat, coniunctim dicere de pluribus. Sed quaenam neceſſitas iubet ἀνελεῖν accipere pro *omittere?* cum ſignificet *tollere, capere*, λαβεῖν. Ac Medii quidem exempla in promtu ſunt. Ἀνελόμενοι τὸν πόλεμον Cap. XIV. huius orationis, *cum bellum ſuſcepiſſent*, coll. Thucyd. IV, 60. Ibidem: ἀνελέσθαι τελευτήσαντας, *caeſos in acie tollere ad ſepulturam*, Actor. VII, 21. Moſen ἀνείλετο ἡ θυγάτηρ Φαραώ; quo ipſo verbo, in eadem re, Philo Lib. I. vit. Moſ. p. 605. utitur. Similiter latini *colligere* dicunt: *Parvulum recolligit* Iuſtin. XXIII, 4. Firmicus Aſtron. VII, 1. *exp ſitus -- ab alio collectus invenietur*. *Colligere librum* Plinius in Epiſtolis, qui locus nunc non ſuccurrit. *Habenas colligere* Virgil. Aen. XI. 671. Atqui id ipſum verbum hoc loco requiritur, ut vertamus: *collectis beneficiis et humanitatibus* Dictum eſt de Medio. Sed etiam Activum in hac notione occurrit. Thucydidis e libro tertio locum affert Thomas Mag. v. Ἀνεῖλεν· alius eſt apud Aelianum V. H. III, 1. καὶ τὸν κλάδον ἀνεῖλε; paullo ante praecedit, λαβόντα κλάδον. Ἀνεῖλεν ὁ θεὸς in notione *reſpondendi* de oraculis dicitur, et ſic fortaſſe, non ἀνείλετο, quod reſponſio fit collectis prolatisque verbis interrogantium cauſſa; ſicut et hic Orator iſta argumenta non colligebat aut edebat ſibi, ſed audientibus. Quod, ſi placuerit, nihil mutandum, praeſertim cum eadem iisdem verbis in oratione περὶ ἀντ. legantur. Ad Cap. XXVII. p. 70. comparatione hiſtoricorum nimium tribuiſſe

Iſocra-

Iſocratem laudandi ſtudio, demonſtratur; quae obſervatio ad ingenium artemque Oratoris cognoſcendam valet. Ad Cap. XXXII. monetur, parum definite εἵλωτας explicari *ſervos*, et quale genus hominum fuerit, auctoribus Harpocratione et Scholiaſte Thucydidis, accuratius docetur. Eodem capite verba ſunt: ἤ τις οὕτω τοσοῦτον πόῤῥω τῶν πολιτικῶν ἦν πραγμάτων, ubi offendit in verbis οὕτω τοσοῦτον, quorum vel prius, vel poſterius delendum, nec talem pleonaſmum exemplis defendi poſſe cenſet, quod et Wolfio viſum erat. Sed quid ſi Iſocrates alio loco huius ipſius orationis Cap. XXXVII. in οὕτως εἰκῇ eumdem pleonaſmum ſervavit? ut in *ſic temere* Horat. Od. II, 11, 14. Conf. viri docti ad Ioann. IV, 6. Deinde cum πόῤῥω εἶναι τινὸς ſit *procul ab aliqua re abeſſe*, ἐπὶ τοσοῦτον vero, *tantum*, non videmus lectio marginis edd. Baſ. ἐπὶ τοσοῦτον quid vitii habeat, aut cur ante πόῤῥω poni non poſſit. Difficilem locum Cap. XXXVII, τῶν τε μετὰ Τιςιβάζου etc. notare non praetermiſit, ubi in τῶνδε τῶν τόπων aut nomen proprium latere putat, aut commatis transponendis ſanitati reſtituendum. Cap. XXXVIII. ineunte legimus: ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι, ταύτας τοὺς λέγοντας, οὐκ ἀποτρέπειν, ἀλλ' ἐπισπεύδειν τὴν ςρατιάν. Sic omnes editi. Putat autem Vir Clariſſ. aptius legi ςρατείαν, quamquam nihil mutavit, quoniam uſus iſta permutare potuerit. In quo aſſerendo poſſit ſe tueri auctoritate Ammonii, et Photii in Lex. MS. qui eidem ſententiae adhaerent. Quibus nihilo minus aperte obloquitur Ruhnkenius ad Timaei Gloſſ. Plat. p. 171. ubi ex ipſius linguae ingenio docet, utrumque vocabulum ſuam et ſeparatam ſignificationem habere. Nunc quidem ςρατιάν refingere non eſt neceſſe. Nam ἐπισπεύδειν τὴν ςρατιάν eſt *propellere exercitum*, quo nihil loco accommodatius, et paullo plus dicitur quam per ἀποςέλλειν ςρατιάν apud Demoſthenem adv. Timocr. p. 474. indicat enim celeritatem. Et verbum ἐπισπεύδειν, *abigere*, *propellere*, fere convenit rebus animatis, Theocrit. Id. XVI, 93. ἐπισπεύδειν ὁδίταν, *urgere viatorem*. Hic igitur ςρατιάν rectum videtur. Sed ſecus eſt in

reli-

reliquis locis, ubi pro ποιήσασθαι στρατιὰν, aeque ac apud Philonem 2. Alleg. p. 63. pro στρατευσάμενος στρατιὰν, praeferendum fuerit στρατείαν. Niſi tamen ποιήσασθαι στρατιὰν etiam poſſit denotare, *conficere, inſtruere exercitum* Mox, εἰ γὰρ χαλεπὸς ἔσαι πρὸς τὸ πολεμεῖν ubi nihil opus eſſe exiſtimamus conſtantem librorum lectionem relinquere, et deflectere ad coniecturam Wolfii, προσπολεμεῖν. Nam aliter dici videtur χαλεπὸν vel ῥᾴδιον ποιεῖν, vel infra: εἰ χαλεπὸν ἐςι κτήσασθαι, quam hic χαλεπός; aliquid ſimile ineſt illi Thucydidis VI, 12: νεώτερος εἰς τὸ ἄρχειν. Poſſet etiam ferri πρὸς πολεμεῖν diviſim, omiſſo, ut nonnunquam fit ante Infinitivum, Subſtantivi notionem habentem, articulo. Difficultate laborant verba Cap. XXXIX. οἰκεῖν δὲ τὴν νῆσον, quod, cur poſita ſint, ratio obſcura ſit, aut quem nexum habeant cum ſequenti προδιευχεῖν. Quae nec removetur legendo οἰκειοῦν, ut Vir Clar. vult, hoc ſenſu: *cum inſulam ſibi vindicare vellet*. Nam huic ſignificationi loquendi uſus, qui verbum οἰκειοῦν de amica et blanda conſociatione magis, quam de occupatione hoſtili et violenta, dici demonſtrat, obſtare videtur, qui idem etiam Medium requireret. Ad Cap. XLI. p. 109. verbi ἐξετάζεσθαι exquiſitae notiones accurate et eleganter diſtinguuntur, quemadmodum etiam ad proximam ſectionem p. 114. de ſignificatione et uſu verbi χρηματίζειν, pro *tractare rem aliquam*, deinde, *agere de aliqua re in ſenatu vel ad populum*, prolatis Auctorum locis, diſputatur. Mox contra Wolfium et editorem Cantabrigienſem docetur, Κήρυκες, quoniam Εὐμολπίδαις iungantur, male verti *praecones*, cum nomen ſit proprium familiae, quae ſacra adminiſtrarit. Iam porro, quoniam Attici potius dicant ἀγῶνα μουσικῆς, quam ἀγῶνα μουσικὸν, ut docuit Hemſterhuſius ad Ariſtoph. Plut. v. 1163, paullo poſt in verbis, ἔν τε τοῖς τῆς μουσικῆς ἄθλοις, perite τῆς delendum cenſet, praeſertim cum praecedat τοῖς, unde facile erroris nata cauſſa fuerit. Sed revocat nos ſuperioris Cap. XLI. locus, ubi orator fingit τὰ τῶν θεῶν ἕδη καὶ τοὺς ναοὺς, in quo explicando quis non adſentiat Clar. editori,

ſori, qui id ad maiorem indignationem commovendam ſtudii praecipit. Ob quam cauſſam etiam Lycurgus contr. Leocr. initio p. 157. et 253. dixiſſe videtur: προδόντα τὰς νεὼς καὶ τὰ ἕδη καὶ τὰ τεμένη, cuius auctoritate ad comprobandam vocis ἕδος notionem eam, qua *templum* ſignificat, Ruhnkenius ad Timaei Gloſſ. p. 68. utitur. Nam praeter hanc, deſignat etiam *ſtatuam imaginemque ipſam;* quam ſignificationem expreſſit in verſione Wolfius. Cap. XLIII. commemoratis demonſtratisque periculis, quae regis Perſarum rebus immineant, cum vicinitatem omnem aut confeſſis hoſtibus inquietam, aut amicis male fidis ſuſpectam habeat, ſubnectit: τοσούτων ὁρμητηρίων ὑπαρξάντων; quae malimus reddere, *cum talis loca, ex quibus oppugnari, pati, unde impetus in eum fieri poſſit, adſint*, ut vocabulum ὁρμητήριον in propria et conſtanti vi et poteſtate maneat, quam cum Wolfio, qui etiam Virum Clariſſ. ſequacem nactus eſt, et ad ſimilitudinem quamdam in uſu vocis ἀφορμὴ provocantem, vertere *opportunitatem;* quo et nova verbi, nec exemplis facile probanda notio, ſuſcipitur, et venuſtas loci intercidit. Sed Cap. XLIV. pro δι' ἔνδειαν τῶν καθ' ἡμέραν ἐπικουρεῖν ἀναγκαζομένους, eleganti coniectura legit: τῇ ἐνδείᾳ, *inopiae ſuccurrere coactos.* Sic in nota ad Cap. XLV. p. 123. recte confidit, neminem reprehenſuram eſſe verbi περιαπειπεῖν explicationem, *deficere.* Nam ſane dicitur de luctantibus, vel currentibus, quorum alter defatigatus cedit; in qua notione apud Palaephatum, Philoſtratum, et Philonem, aliquoties obvium eſt, ut mirum ſit, Wolfium, et Cantabrigienſem editorem, putaſſe vertere, *diem obire.* Neque vero minima probabilitatis ſpecie Cap. XLVI. ἐμπειρίαις mutat in εὐπορίαις; quamquam refertur ad τῶν κινδύνων, quod fortaſſe opponi poſſit. Nam periculorum utilitas magis in eo cernitur, ut ſcientiam et cautionem adferant, quam ut commoda et opportunitatem. Iam, τοὺς περὶ τὰ Τρωικὰ γενομένους, Cap. XLVIII. quid vetat intelligere eos, *qui rebus Troianis obeundis*, ſeu *bello Troiano gerendo interfuerint*, ſicut γίνεσθαι vel εἶναι περί τι, eſt in aliquo ſtudio, in aliqua re tractanda colendaque,

ſtaque, verſari, ut *οἱ περὶ τὰς ἐργασίας ὄντες*, *qui pecuniariis quaeſtibus operam dant*, Demoſth. in Phorm. p. 603. Γεγνομένως, quae antiquiſſimarum editionum lectio eſt, qui praeferat, retulerit ad tempus geſti belli procedens et durans, vel ad ſcriptorum, qui rem quaſi praeſentem commemorant, ea de re narrationes. Senſus certe Wolfii illam coniecturam γενομένως neceſſariam vix fecerit. Mox θεωρίαν non dici in notione *ſpectaculi*, quam ei cum Wolfio editor Cantabrig. tribuit, ſed ad ſolemnis illius legationis, ab Athenienſibus Delum quotannis mittendae, pompam reſpici, adhibito *Ariſtide* in Panath. p. 30. qui hunc locum imitatus, πομπὴν nominat, veriſſime docetur. Sed haec ſufficere putamus, cognoſcendis libri bonis. Ceterum, novam Operum Iſocratis editionem, volnntate Viri Clariſſ. inſtitutam, curaque expolitam, cupide exſpectamus, et quae ad proſequendum conſilium valent, ei ut ſint praeſto, vehementer optamus.

BEYTRAG ZUR GESCHICHTE DES GESCHMACKS und der Kunſt aus Münzen:

i. e.

SYMBOLAE AD HISTORIAM ARTIUM, E Numis: Auctore CHRIST. ADOLFO KLOTZIO.

Altenburgi 1767. plagg. 12. in 8.

Diverſa admodum fuerunt conſilia eorum, qui explicandam ſibi ſumſerunt rem numariam; cum alii numos eorumque materiam et argumenta erudita tantum commemorarent, alii vero, quod difficilius eſt in hoc genere, et minus ſpecioſum ad vulgi captum atque ſenſum, et tamen maius, uſum eorum demonſtrarent, quem in Chronologia, Hiſtoria univerſa, Geographia, ritibusque publicis praeſtare poſſet. Vident enim ſaepe, quae nullus alius vidit in eiusmodi rebus. At vero perpauci in illuſtrandis numis id

vide-

viderunt, et videndum praeceperant, ut ex iis artium elegantium incrementa et perfectio, artificumque ingenia cognoſcerentur, eaque intelligentia ad imitationem artificum, h. e. ad uſum perfectionemque artium, et ad informandam animis noſtrorum hominum pulchritudinis ſpeciem, illiusque ſenſum cum acuendum, tum alendum, adhiberetur. Atque hoc eo minus mirandum eſt, quo magis difficile eſt, nec cuivis datum, in antiquitatis illius reliquiis haec perſpicere, et in iis explicandis cum laude verſari, adeo multa requiritur monimentorum et artis regularum ſcientia, nec minor oculorum, quam iudicii, ad antiquam pulchritudinem exercitati, elegantia. Rem igitur gratiſſimam fecit iis, qui id genus literarum amarent et colerent, Vir et ingenio et doctrinae elegantia et dignitate illuſtris, quod de hoc numorum uſu in libello, de quo dicere inſtituimus, exponere, ex iisque quandam quaſi hiſtoriam humani ingenii artiumque, quae operum exquiſita pulchritudine cenſentur, contexere, atque demonſtrare ſtuduit, quamcunque gentem, ut numorum elegantiſſimorum copia eſſet affluentiſſima, ita quoque pulchritudinis deformitatisque ſenſu et iudicio ornatiſſimam fuiſſe, et literis artibusque elegantioribus cultiſſimam; et contra.

Atque in priori parte, (nam in duas deſcriptus eſt hic libellus,) quae praecipue ad uſum doctrinae liberalioris ſpectat, *de effigiebus rerum geſtarum*, emblematibus et titulis, ſeu inſcriptionibus numorum, egit, in iisque plus vel minus inventionis, ſimplicitatis, ἀκριβείας, perſpicuitatis gravitatisque, deprehendi oſtendit, quo magis vel minus ſenſu ſtudioque pulchritudinis et deformitatis, honeſtatis et turpitudinis, occupati fuerint hominum animi, artibusque elegantioribus culti; id quod tamen non de omnibus numis, ſed de pleriſque tantum vult intelligi. In altera vero parte, quae eſt artificio coniunctior, numos antiquos et recentiores quosdam ita deſcripſit, ut etiam artificii ratio-

nem aliquam haberet. Iam de praecipuis capitibus quaedam commemorabimus.

In priori parte primum de factis agit, quae in numis vel ſimpliciter, nuda rei geſtae commemoratione in effigie facta, vel allegorice referuntur. Quod cum commune ſit numis et antiquioribus et recentioribus; quibusne maius pretium ſtatui debeat, quaerit, idque ex eorum inter ſe comparatione oſtendit. Ac numos quidem graecos et romanos, praecipue in genere allegorico, quo inprimis delectabantur, Romani praecipue, commendare ſe, fatentur omnes, et inſigni quadam perſpicuitate et grata venuſtate atque elegantia, quae animos oculosque lenitate ſua, ſenſibiliorique pulchritudine capiat. Illa quidem recentiorum temporum numis prorſus denegari nequit; ſed tamen non ea fuit, quae accedat ad perſpicuitatem illam antiquam: quod vel uno exemplo intelligi poteſt, ſi numi conferantur, *qui victoriae recuperandae* gratia cuſi ſunt. Haec vero ſolis antiquis numis fuit propria, in quibus nihil eſt, quod deformitatem odiumque excitet vel terrorem; quod ſecus eſt in recentioribus. Exemplo poſſunt eſſe numi, in quibus Bachus et Meduſa referuntur, in quo ultimo fortaſſe decepti ſunt artifices ſerpentibus, quibus caput Meduſae in antiquis monimentis circumdatum eſt; ſed in hac re longe aliter ſentiebant veteres; item numi, apud Batavos cuſi, et alii. Ex his intelligi poteſt, quantopere praeſtent numi antiqui prae recentioribus. Id clarius adhuc fiet, ſi emblemata ſpectentur. Horum nempe in antiquis numis magna eſt ſimilitudo cum imaginibus poeticis, ita,

ut

ut Adiſonius comparationem utrarumque inſtitueret, exquiſitumque pulchri ſenſum, in nummis expreſſum, maximopere laudaret. Atque hoc etiam de aliis antiquis artium monimentis dici poteſt. Verum de plerisque recentioribus non ita, neque etiam de antiquis omnibus. Scilicet cauſa huius diverſitatis fuit diverſitas incrementorum perfectionisque artium pulchrarum, quae quo magis floruere, eo felicior uberiorque artis numariae exquiſitae atque elegantis veluti ſeges fuit. Numi Chriſtinae, reginae Succiae, emblematibus exornati ſunt, quae proxime ad ſimilitudinem antiquiorum accedunt. Ipſa nempe rerum pulchrarum ſenſu atque iudicio valebat, artesque et antiquitatis monimenta amabat. Huc pertinent quoque miſſilia, quae in Gallia, ſub Ludovico XIV. in primis vero quae in Anglia, recuperatae Goreae, Quebeckii, et Canadae cauſa, dein et Viennae a. 1762. in mortem principis filiae imperatoriae, Ioannae Gabrielae, excuſa ſunt. In reliquis omnibus nihil reperitur, quod prodat ingenii et guſtus elegantiam. Quodſi denique tituli numorum conſiderantur, dici non poteſt quantum diſcrimen intercedat inter recentiores et antiquiores. Etenim horum tituli laudem merentur iuſtae et legitimae brevitatis, quae non modo conſervat perſpicuitatem, ſed adiuvat etiam, ſine moleſta et ieiuna loquacitate, atque infelici ſterilitate; elegantis deinde, exquiſitaeque ſententiarum gravitatis, ſine inani luſu verborum, et tenuibus inventiunculis; ſcribendi denique formae eiusmodi, quae egregio tali rerum geſtarum, ad ſeram poſteritatem propagandarum, teſtimonio conveniat. Recentiores autem, quantum a Graecis Romanisque ingenii omnisque doctrinae elegantioris gloria, tan-

tum etiam in hoc genere ſuperantur. Si qui tamen recentiores numi illorum ſimilitudinem quodammodo attingunt, ſunt profectò numi in Francia ſub Ludov. XIV. et in Anglia cuſi. Scilicet res numaria cum profectu artium ipſarum atque ſenſus iudiciique pulchritudinis et ipſa proficit. Ad quam cauſam haec accedebat, quod ius numorum cudendorum arctioribus limitibus, legibusque ſeverioribus circumſcriptum eſſet, quam in plerisque Germaniae noſtrae regionibus.

Ad alteram partem progredimur, in qua ita verſatus eſt Vir Illuſtr. ut artificum in primis ingenia manusque ſpectaret, diverſorum populorum rationem, et, quam temporis ſucceſſio eodem in populo protulit, *rationis varietatem* explicaret, atque ita incrementa et progreſſus artium guſtusque elegantis oſtenderet. Quod quomodo factum ſit, paucis videamus.

In univerſa numorum graecorum romanorumque cenſura, una et conſentiens omnium intelligentium vox, ut in artibus omnibus, principatum defert ad Graecos. Cuius quidem rei diverſas rationes commemoravit Auct. Cel. a Caylo prolatas; ſed addit etiam aliam, non minus probabilem, hanc nempe, quod Romani a natura ad eiusmodi pulchritudinis, elegantiae, venuſtatis, omnisque iucunditatis ſenſum non videantur ficti fuiſſe atque formati, qui ſenſus Graecorum animos totos occuparit. Cicero ipſe, quod non obſervatum eſt ab omnibus, ita loquitur diverſis in locis de artificibus eorumque operibus, ut non modo

ea

ta ad ſuam rationem parvi aeſtimaſſe, verum etiam plane contemſiſſe, et ad omnis pulchritudinis ſenſum obtuſus fuiſſe videri debeat. (Id tamen, nos quidem arbitramur, ex his locis, quae etiam pag. 111. afferuntur, non certo colligi poſſe, ſed ita explicanda eſſe ea loca, ut Cicero ſe tantum a vanitate eorum abeſſe dicat, qui acerrimo pulchritudinis ſenſu et iudicio praediti vel ſint, vel videri velint.) Principatus igitur in hoc genere Graecis haud dubie debetur. Sed ſicuti artes ſenſim paullatimque incrementa cepere, atque per ingenia meliora ad perfectionem venere; ita quoque numi magis magisque pulchriores elegantioresque excuſi ſunt: et ut illae in contemtum abiere, ita et hi ad deteriora ſe inclinarunt per incommoda temporum, et ad extremum cum Graecis ipſis eorum elegantia oppreſſa eſt; quae omnia multis exemplis egregie illuſtravit Vir Illuſtris. Ita expulſa e Graecia, ſedem admodum benignam et liberalem Romae reperit ars numaria, cuius hiſtoriam, poſteaquam numos Macedonum, Syrorum, atque Phoenicum laudavit, usque ad ea tempora perſequitur, quibus omnis elegantiae ſenſus, ſtudium, exempla, ab urbe exulaverunt; atque hac occaſione, ob coniunctionem amiciſſimam, ſimul de toreutice (ſteinſchneidekunſt) Romanorum expoſuit. Sequuntur deinde numi medii aevi, et ad extremum ii, qui, luce literarum artiumque terris reddita, cuſi ſunt in Italia, Gallia, ſub Franciſco I. et in primis Ludovico XIV. item in Ruſſia, ſub initium huius Seculi, in Anglia, atque Hiſpania. Nec denique

archi-

architecturam Romanorum praetermiſit, ſed de ea quoque nonnulla adiponuit, eiusque incrementa et perfectionem ex numis diiudicari poſſe, pulchre oſtendit. Atque ita per partes egregie, ut ſolet, demonſtravit, quibus temporibus artes liberales maxime florerent, elegantiſſimeque homines de iis, omninoque rebus pulchris, indicarent, iisdem perfectiſſimam fuiſſe rem numariam.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXVIII.

GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII OPERA omnia, nunc primum collecta, in claſſes diſtributa, praefationibus et indicibus exornata, ſtudio LUDOVICI DUTENS. Tomi VI. in 4to.

Genevae, apud Fratres de Tournes, MDCCLXVIII.

Splendidum commemoramus opus, et, cum viri, cuius ſcripta continet, celebritate, tum argumenti varietate dignitateque, externa vero etiam ſpecie vehementer ſe ipſum commendans. Quid enim? an nobis, an Lipſiae, an Germaniae, an toti omnino orbi erudito iucundius aliquid contingere poterat, quam ſplendidam editionem Operum abſolutam eſſe eorum, quorum auctori totum eruditionis campum plurimum debere, conſentiens eſt inter aequos peritoſque rerum aeſtimatores opinio. Hanc enim laudem qui Leibnitio denegare velint, aut turpi ignorantia excoecati, aut ſectae ſtudio abrepti, aut inani ſuperbia inflati ſint neceſſe eſt. O Lipſia! Lipſia! maximum certe ſemper annalibus tuis decus erit hoc, Leibnitium in te natum, educatum, primisque tantae doctrinae ſuae initiis imbutum fuiſſe. Agnoſce, quaeſumus, agnoſce, quam multum huic viro debeatur, neque unquam committe, ut eſtrada eius memoria ab externis, ab Anglis, Gallis,

Gallia, Italia, ſuperata videare. Nos quidem in recenſenda hac ſcriptorum eius editione, hoc diligentiores eſſe ſtudebimus, quo certius animus noſter de eius meritis confirmatus eſt, quove praeſtantius ipſe olim nobis in his ipſis Actis diligentis Collegae exemplum dedit.

Ac primum Cl. Dutens, praefatione in opus univerſum, refert, Leibnitium ipſum optaſſe, ut opera eius ab aliquo in unum corpus redigerentur; cepiſſe etiam multos eorum edendorum conſilium, ſed rem nunquam confectam fuiſſe. Se vero ad aggrediendum hoc opus incitatum praecipue fuiſſe ab auctoribus operum quae inſcribuntur: *Miſcellanea Phyſico Mathematica Societatis Regiae Taurinenſis*, quum ablegati Regis Angliae munere fungens, Auguſtae Taurinorum commoraretur. Atque ut in edendis Leibnitii operibus eo felicius verſaretur, litteras miſit ad multos Germaniae, Galliae, atque Italiae viros eruditos, ut ſe de Leibnitii ſcriptis vel non ſatis cognitis, vel non ubique obviis, certiorem facerent. Et plura ſane hac ratione opuſcula adeptum ſe eſſe fatetur, quae non modo nunquam edita fuerint, verum etiam eos latuerint, qui indicem operum Leibnitii compoſuere. E Germanis adiutus praecipue eſt, quod gratus agnoſcit, a Cel. Bruckero, nec non a Gottſchedio. Evolvenda ipſi etiam fuere omnia periodica opera illorum temporum, ut decerperet ſcripta Leibnitii illis inſerta. Quare etiam multa ſumſit ex his ipſis Eruditorum Actis. Poſteaquam Cl. Editor retulit, primo Volumine theologica contineri, occaſione huius rei confutat ſententiam eorum, qui dicunt, Leibnitium in quadam ad Pfaffium epiſtola confeſſum fuiſſe, ſe in Theodicea ſua ſerio loqui minime voluiſſe, dum Baelii principia oppugnaret de phyſici ac moralis mali origine, de bonitate Dei, hominisque libertate. Quibus ita reſpondet Cl. Dutens, ut dicat, quidquid putaverit Pfaffius, facilius credi poſſe, *Leibnitium cum eo tunc ludere voluiſſe officioſa ac ſpecie tenus eius opinionem probans*; hanc autem conie-

cturam

ſturam confirmari ex eo, quod Leibnitius omne fere vitae tempus in ſtabiliendis iis, quae in Theodicea propoſuerat, conſumſerit. Poſthaec, quae reliquis quinque Voluminibus ſcripta complexus fuerit, exponit, de quibus ſingulis poſtea videbimus.

At facile intelliget lector, huc referri minime potuiſſe varia opera a Leibnitio edita, propter magnam eorum molem, cuiusmodi ſunt: *Codex iuris gentium diplomaticus, Mantiſſa codicis iuris gentium, Scriptores rerum Brunſuicenſium, Acceſſiones hiſtoricae etc.* Sed recepit Cl. Editor doctas praefationes, commemoratis operibus praemiſſas. Ut tamen de horum operum ratione dixiſſe aliquid videretur, brevem accuratamque eorum deſcriptionem dedit. Neque etiam neceſſe putavit editionem hanc augere iis, quae nuper Cl. Raſpius ſub titulo edidit: *Oeuvres Philoſophiques de Leibnitz.* Vehementer tamen laudat haec Opuſcula, eaque, quum illis eadem forma ſit, his ſex voluminibus, appendicis loco, adiungi poſſe dicit.

Videamus nunc de ſcriptis, quae ſingulis voluminibus continentur. Et primo quidem Tomo contineri diximus *ſcripta theologica*, quibus peculiarem praefationem Cl. Dutens praefixit, quae vehementer nobis placuit. Namque in ea bene defenditur Auctor contra eos, qui contendere auſi ſunt, Leibnitianam philoſophiam cum aliquot Chriſtianae religionis capitibus pugnare. Quorum temeritati occurrit Cl. Editor ita, ut doceat, neminem clariorem his religionis capitibus lucem affudiſſe, ac meliora nobis ad defendendam religionem arma ſuppeditaſſe, quam ipſum Leibnitium. Quod ut eo clarius fieret, ſummam Leibnitianae theologiae, in breve compendium redactam, ob oculos Lectoris poſuit. Praecipuum hoc Volumine exhibitum opus *Theodiceam* eſſe credimus, quae latine ad exemplar Francof. et Lipſ. 1739. huic Volumini inſerta eſt. Gratiſſimum etiam in primis theologiae ſtudioſis, Cl. Dutens feciſſe putandus eſt, inſerendis eidem Volumini epiſtolis, a Leibnitio, Boſſueto, Molano

Abbate Loccumenſi, ad ſe invicem ſcriptis. Nam liber ex quo ſumtae ſunt, (*Oeuvres poſthumes de Mr. Boſſuet*) neque ſatis notus, neque in omnium manibus eſt. His autem epiſtolis multa theologiae hiſtoriaeque capita a Leibnitio explicantur, praecipue vero de Concilii Tridentini auctoritate, deque libris ſcripturae ſ. canonicis, tam accurate diſputatur, ut ingenue fateamur, nos nihil legiſſe, quo eae res tanta brevitate clarius diligentiusque expoſitae fuerint. Reliqua ſcripta ſunt vel epiſtolae, vel alia opuſcula, ex quibus omnibus patefieri arbitramur hoc, theologiae cultores Leibnitio multum debere. Neque ſilentio praetereundum eſt, Volumini huic quaedam praefixa eſſe ad Leibnitii vitam doctrinamque pertinentia. Ea ſunt: 1) Elogium eius per Fontenellium Gallice ſcriptum. 2) Vita eiusdem a Bruckero Latine litteris mandata. 3) Chriſtiani Kortholdi diſputatio *de philoſophia Leibnitii, Chriſtianae religioni haud pernicioſa.* Tria haec ſcripta lectu ſunt digniſſima.

Sequitur Vol. II. in duas partes diſtributum. Prior pars Logicam complectitur et Metaphyſicam. Ac largam hic Cl. Editor ſuppeditatam ſibi videbat materiam, de Leibnitii meritis in univerſam philoſophiam dicendi. Docet enim, Auctorem veterum philoſophorum placita ſcite in rem ſuam convertiſſe; quae illi obſcure tantum viderant, in clariori luce collocaſſe; quae eos omnino latuerant, detexiſſe; multaque omnino intelligentia conſecutum fuiſſe, quae antea nemo animadverterat. Defendit etiam philoſophiam Viri ill. a temerariis aſſultibus eorum, qui *Materialiſmo* illam favere contendunt. Occurrit vero etiam iis, qui philoſophiam Auctoris *Idealiſmo* anſam praebere perhibent. Lepida eſt narratio, quam Cl. Dutens ad monſtrandum Leibnitii amorem in Veteres protulit, dignaque quam hoc loco commemoremus. Leibnitius docto cuidam Italo, qui viginti ferme dies apud eum commoratus fuerat, diſcedenti haec dixit: Tu ſaepius comiter admodum dixiſti, ſcire me nonnihil. Iam vero tibi

fontes

ſontes indicabo, unde hauſi quicquid ſcio. Manu nempe prehenſum advenam in cellulam introduxit, exiguumque librorum numerum oſtendit, velut Platonis opera, Ariſtotelis, Plutarchi, Sexti Empirici, Archimedis, Euclidis, Plinii, Senecae, Ciceronis. Digna ſane tanto philoſopho oratio, iisque notanda, qui ſibi, contemtis veteribus ſapere ſe poſſe, perſuadent. Neque adeo mirandum eſt, Leibnitii ſcripta quoque philoſophica multo lepore eſſe condita, multaque luce radiantia. Egregiam enim perſpicue et ſuaviter diſputandi artem, in ſchola Platonis Ciceronisque didicerat. Pleraque ſcripta philoſophica Cl. Dutens ex variis, quibus inſerta erant, operibus depromſit, v. g. ex his Actis Eruditorum, ex Otio Hanoverano, ex diario Iournal des Savans, ex Opere: Recueil de Des Maizeaux etc. Dedit vero etiam Cl. Dutens ſcripta Auctoris philoſophica antea typis haud mandata. Primum enim exſtant in hac parte triginta epiſtolae ad Patrem e ſociet. Ieſu, des Boſſes, ſcriptae, et Cl. Editori a Gobeto, e bibliotheca Collegii Claromontani, communicatae. Indicantur eae pag. 283. Catalogi MSſ. Collegii Claromontani, n. 734. his verbis: *Theca, in qua continentur Guil. Godofr. Leibnitii epiſtolae, partim autographae, partim apographae.* Miram eas Leibnitianae philoſophiae univerſae lucem afferre, Cl. Editor recte arbitratur. Non ſolum tamen in iis philoſophiam, ſed et alia doctrinae capita illuſtrari, multas ibi animadverſiones eruditas, acuta iudicia, bona conſilia, aliaque utilia inveniri, intelleximus. Multa ibi de Ianſenio diſputantur, huiusque ſententiae bene diſcutiuntur, atque hac occaſione plura ad intelligenda Auguſtini dogmata monentur. Inter multa alia placet hoc Leibnitii votum: „Utinam eſſet „aliquis, qui Petavii ac Thomaſſini dogmata theologica abſol„veret, et continuaret, non tantum addendo locos theolo„gicos ab illis praeteritos, ſed et pergendo a Patribus ad Scho„laſticos.“

Has litteras ſequuntur ſex aliae, itidem nunc primum editae, quas ſcripſit ad Bourguetum. Miſit illas Editori le

Cat, Secretarius perpetuus Academiae Rothomagenſis. Bourguetus Leibnitii ingenium vehementer admirabatur, et quascunque arripiebat occaſiones eius placita defendendi. Quare ſtudioſe anquirebat commercium litterarum cum Leibnitio, ut eo accuratius indolem ſyſtematis, ut vocant, Leibnitiani, cognoſceret, quod etiam ſcripto quodam defendere ſuſcepit. Cuius ſcripti editionem cum epiſtolis Bourgueti ſperare nos iubet Cl. Editor. Laudatae vero ſex Leibnitii epiſtolae, ſcriptae illae ſunt eo conſilio, ut difficultates tollerentur Burgueto, in legendis Auctoris ſcriptis ſubortae.

Altera Vol. II. parte Phyſica generalis, Chymia, Medicina, Botanica, Hiſtoria Naturalis, Artes, etc. continentur. Leibnitium in Phyſica hiſtoriaque naturali verſatiſſimum fuiſſe, nemo eſt qui negare audeat, teſtanturque id tot de his diſciplinis opuſcula hac parte comprehenſa. At non exiguam fuiſſe etiam in eo Medicinae cognitionem, varia illius ſcripta hic exhibita loquuntur. Epiſtolae certe illius ad ſocietatem Naturae Curioſorum; ad Schelhammerum; ad Gackenholzium de Methodo Botanica, aliaeque, luculenter id probant. Annexa etiam eſt Leibnitii Protogaea, cum praefatione et notis a Chriſtiano Ludov. Scheidio a. 1749. edita. Atque ut variae res hoc Volumine propoſitae in maiori claritatis luce ponerentur, expreſſa eſt earum effigies duodecim tabulis aeneis, quae ad calcem Volumis exhibentur.

Pergimus ad Vol. III. opera Mathematica continens, quorum rationem optime depictam dedit nobis Cl. Editor in praefatione. Et primum ſupervacaneum eſſe putat longo ſermone perſequi, quam de omnibus Matheſeos partibus meritus fuerit Leibnitius, quum nemo vel mediocriter doctus ignoret, quantum nomen hac ſcientia Auctor acquiſiverit. Conſilium enim fuit Cl. Editori hoc, ut ſcripta Mathematica Leibnitii breviter enumeraret, et quae ab eo nova, ac praeclara fuerint reperta, demonſtraret. Quocirca

matura

matura iam aetate Virum ill. ſe ad Matheſeos ſtudium contuliſſe narrat. Enimvero nondum vigeſimum aetatis annum attigiſſe eum, quum diſputationem arithmeticam *de Complexionibus* defenderet, quae iam inde omnem ingenii illius perſpicaciam praenunciare viſa fuerit. Verum hoc eius Matheſeos ſtudium maxime tum apparuiſſe, quum Pariſios profectus, arctiſſimam a. 1672. iunxiſſet cum *Hugenio* conſuetudinem. Sub idem fere tempus, tradente Cl. Editore, plura in Analyſi invenit, quae ei ad pulcherrimum *Calculi differentialis* inventum viam ſtravit. Reperit prae caeteris arithmeticam circuli quadraturam, credidit que ſe omnium primum circuli valorem exhibuiſſe, per ſeriem numerorum ut vocantur rationalium. Verum ab *Oldenburgio* certior deinde factus eſt, *Newtonum* iam plura eiusdem generis, cum de circulo, tum de aliis figuris tradidiſſe. Iisdem quoque temporibus novam a ſe excogitatam rationem propoſuit perficiendae horologiorum, quae portatilia vocantur, conſtructionis, quae qualis fuerit, breviter a doctiſſimo Editore deſcribitur. Eodem circiter tempore celeberrimam illam machinam arithmeticam invenit, *Paſchalii* machina perfectiorem commodioremque. Non multo poſt operam poſuit in inquirenda Planetarum vi, quod ſpectat ad orbitas ab iis deſcriptas, ac primus cum Newtono materiam hanc attingere auſus eſt. Rationem ipſe quoque invenit metiendi vivas corporum vires, ſeu vim corporis moti.

Et quum ſibi perſuaſum haberet, ſemper eſſe in rerum natura eandem virium quantitatem, non vero, ut Carteſius putabat, eandem motus, orta eſt ſcientia ab eo Dynamica appellata, cuius ſpecimen in his Actis Eruditorum dedit a. 1695. Maximam vero in arte Mathematica famam conſecutus eſt ex iis, quae de calculo differentiali commentatus eſt, quorum primum ſpecimen edidit a. 1684. Ampliſſimum hoc invento campum aperuit peritiorum Algebraiſtarum operationibus, viamque peculiarem iis ad difficiliora

proble-

problemata Geometricà muniuit. Difficillima porro problemata a Leibnitio ſoluta, gloriam ei pepererunt perpetuo duraturam. Aut enim ſolvit problemata, quae ipſe alii, uti Carteſianis de *linea Iſochrona*, ſolvenda tradiderat; aut ea, quae ipſi a peritiſſimis illius temporis Mathematicis, *Viviano*, *Io. Bernoullio*, aliisque propoſita fuerant. Nec ſilenda eſt hoc loco *Arithmetica Binaria*, quam in uſum vocare inſtituerat in calculis quibusdam, de qua multa Lector in hoc Volumine reperiet. Et omnino non ſolum omnia, quae huc usque cognita fuere Leibnitii opera Mathematica, in hoc Volumen congeſta reperiuntur, ſed plura alia inſuper, nec nominata, nec cognita iis ipſis, qui vel vitam Auctoris litteris mandarunt, vel Leibnitianorum operum catalogum edidere. Omnia, doctiſſimi Editoris ſtudio, ordine temporum diſpoſita ſunt, quibus ab Auctore in lucem prodita fuere. Haec enim ratio utiliſſima videbatur Editori, ad indicandam progreſſuum ſeriem, quibus in diſciplinis mathematicis longius Vir ill. in dies proceſſerat. Et recte quidem. Non igitur neceſſe eſt, ut plura de opuſculis hoc Volumine exhibitis moneamus. Sunt ea numero nonaginta. Sub eorum initium poſitae ſunt duae diſputationes, intelligendae calculi differentialis rationi et hiſtoriae utiles, quarum una ex vita Leibnitii a Iocurtio ſcripta, altera ex Montuclae hiſtoria Mathematicorum, deſumta eſt. Utrumque hoc ſcriptum Cl. Editor omni praeiudicatae opinionis, vel etiam partium ſtudii ſuſpicione, carere exiſtimat. Inſertae etiam ſunt huic Volumini duae epiſtolae nondum editae, ad notum illum Leibnitii in cauſſa de calculo differentiali adverſarium, *Nicolaum Fatium Duillierium* ſcriptae, cum huius reſponſione, ubi varia ad caput de gravitate pertinentia bene diſputantur. Ad calcem Voluminis maioris iterum perſpicuitatis gratia additae ſunt tabulae aeneae, quibus figurae mathematicae expreſſae ſunt.

Progredimur ad Vol. IV. quod tribus conſtat partibus. Prima continet Philoſophiam in genere, et *Opuſcula*

Sinen-

Sinenſes attingentia. Et primum quidem exhibentur epiſtolae quaedam Leibnitii ad Thomaſium *de Nizolio* ſcriptae, quibus oſtendere nititur, Ariſtotelicam doctrinam cum recentiorum philoſophorum placitis componi poſſe, ſuamque ſententiam profert de veteri ſcholaſtica et recentiori philoſophia. Sequitur diſſertatio de ſtylo philoſophico *Marii Nizolii.* Et quum eiusdem viri librum *de veris principiis, et vera ratione philoſophandi*, denuo edidiſſet, adiectisque notis vera comprobaſſet, falſa contra refutaſſet, recte fecit Cl. Dutens, quod haſce notas decerpſit, atque huc retulit. Sequuntur deinceps opuſcula quaedam Senenſium philoſophiam ſpectantia. Ea quidem non omnia auctorem habent Leibnitium; ſed illa ipſa, quae eius non ſunt, monente Cl Editore, neceſſaria habita fuerunt ad ea intelligenda, quae Vir ill. nova atque utilia ea de re ſcripſerat. Et de his quidem ſcriptis iudicat Editor, nihil de Senenſium philoſophia reperiri hactenus potuiſſe, quod vel novitate rerum, vel diligentia ac iudicio ſcriptoris, plus potuerit legentium ſtudiis ſatisfacere, quam Leibnitiana de Senenſibus opuſcula. Ceterum, prima hac Vol. IV. parte nullum eſt ſcriptum, quod non antea iam fuerit editum.

Altera pars Voluminis complectitur ea omnia, quae ad hiſtoriam atque antiquitates pertinent. Recte monet Cl. Editor, in nullo horum opuſculorum offendere lectorem aridum illum ac ieiunum ſtylum, quo perſaepe magna cum legentium ſatietate haec argumenta tractantur. Noviſſe Leibnitium, quaecunque verſaret, lepore quodam non uſitato condire, etiamſi nihil Veneris atque elegantiae recipere poſſe viderentur. Quam laudem nos non ſolum hiſtoricis, verum omnibus omnino Leibnitii ſcriptis tribuendam putaverimus. Scripta ipſa in hanc partem collata quod attinet, priori loco collocavit Cl. Dutens praefationes, quas praefixerat Auctor hiſtoricis a ſe editis, e. g. collectioni Scriptorum hiſtoriae Brunſuicenſi inſervientium, Acceſſionibus hiſtoricis,

 Annali-

Annalibus Boicae gentis, Vitae Alexandri VI. Papae, Chronico coenobii Goslarienſis etc. In omnibus his praefationibus tractatum eſt caput aliquod hiſtoriae, pertinentque eae ad rationem ſcriptorum quibus praefixae ſunt accuratius intelligendam. Atque ita et reliquis opuſculis, hac parte exhibitis, variae antiquitatis hiſtoriaeque quaeſtiones tractantur et illuſtrantur. Inſunt e. g. aliquot diſſertatiunculae, quibus de nationum origine, cum in univerſum, tum de Germanorum Gallorumque ſpeciatim, agitur. Ornata eſt etiam haec pars epiſtolis quibusdam antea nondum vulgatis. Ex his praeſertim commemorandae ſunt eae, quas Auctor ſcripſerat ad Antonium Muratorium, Annalium Italicorum conditorem, ab huius patruo, Abbate Muratorio, Cl. Editori communicatae. Fatemur vero ingenue, nos ex harum epiſtolarum lectione, et iucunditatis et utilitatis plurimum cepiſſe. Multa ſane in iis hiſtoriae capita, eaque difficiliora, indagantur, feliciterque explicantur. Neque etiam veretur Leibnitius, ad Muratorium veritatis amore ea ſcribere, quae viro Romanae eccleſiae addicto haud prorſus iucunda eſſe poterant. Sic vituperat auctores ephemeridum Venetarum, qui ſcriptorem quemdam laudaverant, de Imperatorum iuribus detrahentem. Digna ſunt Leibnitii verba quae adſcribantur: „Ie me ſuis etonné avec quelle hardieſſe on y parle contre les Droits de l'Empereur et de l'Empire, lorsqu'on donne un rapport du Livre de *patria vi teſtamentis condendis poteſtate, auctore Alexandro Polito à S. Sigismundo.* „On rapporte auſſi ſans aucune cenſure, et même avec une „manière d'approbation, le ſentiment étrange, mais faux et „inſupportable de cet auteur, que l'Empire d'Occident „n'a point reçu d'autre avantage dans la perſonne de *Charlemagne* et de ſes ſucceſſeurs, que celui d'avoir la dignité „de prémier Prince Chretien, ſans avoir acquis aucun droit „ſur la ville de Rome, ou ſur un autre pays, Etat, ou Royaume; et qu'en recompenſe de cette dignité et de cet unique avantage, il s'eſt chargé de l'obligation de defendre

„l'Egli-

„l'Egliſe Romaine. Au lieu qu'on ſait par les Auteurs du „tems, et par l'évidence des choſes, que tous les droits qui „reſtoient encore à l'Empire d'Occident, furent conſolidés „avec ceux de *Charlemagne*, Prince Germanique, Roi des „Francs et des Lombards; et que le Pape Leon III. l'ayant „reconnu pour Empereur, au nom, et avec tout le peu- „ple Romain, l'adora comme ſon maitre *ad mores veterum* „*Imperatorum*, et qu' après cela l'Egliſe de Rome fut tenue „pour la prémière Egliſe Metropolitaine de ſon Empire."

Tertia Vol. IV. pars exhibet Opuſcula ad Iurisprudentiam ſpectantia. Ornavit eam vere, longa doctaque praefatione, Ioannes Babtiſta Bon, Iuriſconſultus Taurinenſis. Qui poſteaquam Leibnitii laudes perſecutus eſt, et quid in ſingulis diſciplinis ab eo praeſtitum fuerit demonſtravit, ad ipſa eius ſcripta, quae de Iurisprudentia agunt, progreditur. Et quum obſervaſſet Vir Conſultiſſimus, Leibnitio in iis, quae reliquit de Romana iurisprudentia, conſilium fuiſſe hoc, ut eam a confuſione in quam inciderat liberaret: operae pretium eſſe duxit, praecipuas cauſſas in praefatione expendere, ob quas Romana Iurisprudentia in multis ſimplicem adeo fortunam habuerit, quave ratione ab ea deflectens, eo confuſionis vitio temporis lapſu coeperit laborare. Quibus adiecit et alia quaedam, ad Leibnitii opera maiori cum fructu evolvenda, profutura. Nam cum praecipua eius ſcripta, quae ad Iurisprudentiam pertinent, recenſet, examinatque; tum Leibnitium vel contra adverſarios docte defendit, vel in quibusdam modeſte refutat. In ſcriptis ipſis nullum eſt, quod non antea iam fuerit editum. At gratiſſimum eſſe debet iurisprudentiae ſtudioſis, omnia Leibnitii opuſcula ad iurisprudentiam pertinentia in unum corpus collecta eſſe. Inſertae ſunt e. g. duae diſſertationes de actorum publicorum uſu, Codici gentium praemiſſae. Quas, quis eſt, quin lubentiſſime cognoſcat? Recte eas Cl. Bon in praefatione commendat. Neque ſilentio praetereundum

Kkk 2 eſt,

eſt, huic parti inſertam etiam eſſe Auctoris Methodum diſcendae docendaeque iurisprudentiae, quam magnus ille Wolfius demum ediderat. Hunc librum Cl. Bon diligentiſſime excuſſit, fideliſſimeque eius argumentum propoſuit. Eadem illius diligentia fuit in recenſendo libro Leibnitii, *de iure Suprematus ac Legationis Principum Germaniae*, itidem ad hanc partem relato. In quo quidem libro multa magno eruditionis apparatu diſcuſſa eſſe dicit; nonnulla tamen in eo occurrere putat, quae non ita facile probari poſſint, quaeque adeo notanda cenſet. Sed haec ſufficiant de Iurisprudentia Leibnitii. Pergendum enim nunc eſt ad *opera philologica*, quo nomine Cl. Dutens Volumen V. inſcripſit.

Recte vero in praefatione monet, ex hoc Volumine prae ceteris maxime apparere, quam felix, et quam ſcientiae cuilibet idoneum fuerit Auctoris ingenium. Hic Leibnitium ſimul agere Theologum, Logicum, Iuriſconſultum, Phyſicum, Geometram, Naturalis hiſtoriae cultorem, Grammaticum, Criticum, Hiſtoricum. Theſaurum eſſe porro dicit hoc Volumen, quo ſubtiliſſimae de difficilioribus rebus meditationes, novae abditiſſimorum argumentorum inveſtigationes, plurima ſanioris Critices, laborumque diutiſſime conſtantiſſimeque exantlatorum ſpecimina, collata ſint. Et quum maxima Vol. huius pars litteris conſtet, ad amicos et pleroſque Europae eruditos ſcriptis, licere ait Cl. Editor Leibnitium ipſum ibi reperire, cum eo quodammodo verſari, eum ipſum audire ſententias ſuas explicantem; ibidemque clarius, quam quibusvis operibus aliis, auctoris mores cognoſcere, indolem, nativum leporem, ac animum praeſertim, ad opus ſedulum, atque a labore invictum. Lubentiſſime vero profitemur, epiſtolarum Leibnitii lectionem ad animi noſtri voluptatem iucundiſſimam fuiſſe. In iis enim magnum illud Leibnitii pectus apertum nobis videbamus, eique omnino, qua vixit, aetati, egregiam lucem affuſam conſpiciebamus. Nam in iis profecto ineſt ingenuum Leibni-

tii

tii iudicium de doctis, qui tum florebant viris, deque eorum ſcriptis et ſententiis; inſunt ſapientiſſima conſilia eruditis de variis rebus ſcripta; ineſt optima ſcriptorum illius interpretatio; inſunt multa alia, et iucunda et utilia. Obiici quidem poſſet Cl. Editori, multa eſſe in hoc Volumine, quae philologicorum nomine inſigniri nequeant. " Ac ipſe hoc vidit Cl. Editor. Sed recte reſpondet, argumentorum, de quibus ſaepe in una eademque epiſtola agitur varietatem, nullum alium omnino ordinem paſſam fuiſſe, neque etiam ſe voluiſſe excerpere ea, quae ad aliam ſcientiam pertinerent, quum ipſi viſae fuerint epiſtolae gratiores Lectoribus futurae, ſi tales omnino ederentur, quales ab Auctore ſuo prodierunt, iucundam inſuper varietatem legentibus oblaturae. Scriptorum vero hoc Volumine comprehenſorum pleraque iam edita fuere, praeter paucas quasdam epiſtolas. Plurimum Cl. Editorem adiuvit hic epiſtolarum Leibnitii collectio a Chriſt. Kortholto quatuor tomis edita. Ex hac depromtae ſunt etiam epiſtolae ad Fridericum Simeonem Loeflerum, Leibnitii cognatum, ſcriptae, in quibus cum varia, ut fit a Leibnitio, doctrinae capita indagantur, tum et quaedam Lipſiam noſtram attingentia inveniuntur. Quam ſcite e. g. de nota illa Ittigii et Rechenbergii controverſia iudicat Auctor? „Quaeſtio, ait, inter Ittigium et Rechenbergium, viros „doctos et claros, magno, ut intelligo, animorum motu „agitata, poterat tractari moderatius; et valde mihi placent „epiſtolae ſane eruditae et prudenter ſcriptae, neſcio cuius „*Euſebii Pacatiani*, qui in ſumma Ittigii ſententiam probat, „adverſarios tamen excuſat. Equidem indubitatum eſt, quandocunque vera poenitentia animum cepit, remitti peccata. „Id quaeritur, an habeantur ſigna quaedam, ex quibus certo iudicari poſſit, Deum indurato impoenitenti non amplius poenitendi gratiam conceſſurum. Sed cum neque „ratione, neque ſcripturae ſacrae auctoritate, quicquam tale „confici poſſit, fruſtra et male docetur, ſi modo docetur, etc." Sunt tamen in his epiſtolis ad Loeflerum ſcriptis omiſſa quae-

dam„ quae ſollemus eſſe praetermiſſa. Cognovimus id ex quibusdam epiſtolarum illarum autographis, a quodam nepote Loefleri nobis communicatis. Sic in epiſt. 8. omiſſum eſt aequum hoc de Spenero iudicium: „ Mihi viſus eſt Neumannus, vir alioqui doctus, culpare in Spenero, quod in eo „maxime laudo, nempe quod de iis, quae nulla certa de„monſtratione conſtituere potuit, locutus eſt haeſitanter; nec „quicquam a ratione alienius eſt, quam certa et incerta pari „fiducia affirmare.“ In eadem epiſtola omiſſa ſunt et haec: „Inter libros logicos et rhetoricos nullos poteras eligere re„ctius, quam logicam Iungii, et rhetoricam Placcii; Mathe„matica ſunt altioris indaginis, et plus fortaſſe temporis po„ſtulant, quam tu illis dare poteris. Metaphyſica tibi theo„logo magis neceſſaria erunt. Sed difficile erit invenire quae „ſatisfaciant. Interim non inutiles fore puto auctores, qui „eius uſum oſtenderunt in theologia, ut nuper fecit Rixne„rus, libello in eam rem edito. Et certe magna Theologiae „dogmaticae pars metaphyſica eſt, nec aliter eſſe poteſt.“ Inprimis vero multa invenimus lectu digniſſima in epiſtolis ad Io. Fabricium, Sebaſtian. Kortholtum, Io. Alb. Fabricium, Huetium, la Crozium ſcriptis. Ac ſi quis cognoſcere cupiat, quantopere Auctor in hiſtoria eccleſiaſtica verſatus fuerit, illum cogitata eius de hiſtoria haereſium Arnoldi, hoc Volumine exhibita, legiſſe non poenitebit.

Supereſt Vol. VI. quod duabus partibus abſolvitur, quarum prior philologicorum continuationem, altera collectanea Etymologica continet. Ac prior pars eo diligentius cognoſcenda eſt, quod plurimae inſunt epiſtolae antea numquam publici iuris factae. Eae vero ſunt: 1) quadraginta epiſtolae ad Patrem des Boſſes e Soc. Ieſu, Cl. Editori a laudato iam Gobeto communicatae, qui eas in Bibliotheca collegii Ieſuitarum Pariſ. invenit. 2) Octo ad Bouguetum, quas ipſi le Cat miſit. 3) Undeviginti ad Thomam Burnetum, equitem Scotum, quarum Cl. Editori copiam fecit Sharpius:

E qui-

E quibus epiſtolis ſingulis ſi ea decerpere vellemus, quae lectu digna ſint, totae eae nobis deſcribendae forent. Placet tamen quaedam delibare, ut et ex iis egregium Leibnitii pectus, religio, acutisſimum iudicium, et varia omnino doctrina conſpiciatur. Sic ad Patrem des Boſſes ſcribit: „Trivultianos Collectores, viros quidem eleganter doctos, „rogandos putem, ut inter recenſendum malint indicare „quae eximia, aut profutura extent in libris, quam quae „vana aut ſpernenda. Humana mens in ſatyram et con„temtum aliorum prona eſt. Huic lectorum vitio nolim „indulgeri." — „Harduinus multum ubique ſpargit doctri„nae, et paradoxo etiam ſuo prodeſt litteris, dum cogit „Criticos cogitare de demonſtrandis artis ſuae fundamentis, „id eſt genuitate auctorum veterum, cui omnes ſecure in„nitebantur" — „Eſt (*Gerard. Cornel. van den Drieſch*) in „elegantioribus litteris verſatior, quam plerorumque hodie „captus fert, atque haec eſt meo iudicio baſis verae erudi„tionis." — Ex epiſtolis ad Burnetum Gallice ſcriptis haec decerpere lubet: „C'eſt une affaire bien difficile, que „de réuſſir dans l'explication de la ſainte Ecriture. Nous „n'avons qu'un ſeul livre dans l'ancienne langue Hebrai„que; c'eſt à dire ce qu'il y a dans la Bible, et ſes Auteurs „ont été fort eloignés de nous. Ie ſuis perſuadé, que lors„que nos Europeens poſſederont mieux l'érudition d'Arabe, „ils decouvriront bien des choſes, qui ſerviront à éclaircir la „ſainte Ecriture tout autrement qu'on ne croit." — „La „plus grande partie de cet ouvrage (Theodicée) avoit été „fait par lambeaux, quand je me trouvois chez la feuë Rei„ne de Pruſſe, où ces matières étoient ſouvent agitées, à „l'occaſion du Dictionnaire et des autres ouvrages de M. „Bayle, qu'on y liſoit beaucoup. I'avois coutume dans les „diſcours de repondre aux objections de M. Bayle, et de „faire voir à la Reine, qu'elles n'etoient pas ſi fortes que cer„taines gens, peu favorables à la réligion, le vouloient fai„re croire." — „L'Abbé de Polignac maintenant Cardi-

„nal,

„nal, a fait un poëme latin fort beau, en vers heroiques, „ſur la Nature, à la façon de Lucrèce, mais ſur des Principes oppoſés à ceux de cet Auteur, et par conſéquent ſur les „vrais principes de la Divinité“ — Quid multis? Legendae ſunt hae epiſtolae ipſae, ubi omnino reliquae huic parte comprehenſae, e quibus praecipue nominare attinet eas, quae cum a Leibnitio ad Io. Ludolfum, tum ab hoc ad illum ſcriptae, atque huc, cum eruditis Aug. Bened. Michaelis animadverſionibus, relatae ſunt.

Altera Voluminis ſexti pars Collectanea etymologica complectitur, illuſtrationi linguarum, veteris Celticae, Germanicae, Gallicae, aliarumque, inſervientia. Sed monet lectorem in huius partis praefatione Cl. Editor, ne titulo deceptus, omnia hic reperiri putet, quae reperiuntur in Collectaneis etymologicis anno 1717. cum Io. Eccardi praefatione impreſſis. Hic enim faſciculus, ad promovendum ſtudium etymologicum collectus, multa variorum auctorum ſcripta hoc conſilium ſpectantia comprehendit. Cl. autem Dutens, quicquid ab ill. Auctore profectum erat, ex iſto faſciculo decerpſit, et plurimos alios libros ibi deſideratos adiecit. Primum huius partis opuſculum de cultu linguae Germanicae inſcriptum eſt. Quod quum nonniſi lingua Germanica editum fuiſſet, toti orbi litterato patefaciendum iudicans, in linguam Gallicam convertit Cl. Dutens, et in utraque lingua typis exprimendum curavit. Verſio ipſa et accuratione, et perſpicuitate ſua, non parum ſe nobis commendavit. Lectu autem digniſſimum hoc opuſculum putat Editor, quum Germani verum linguae ſuae perficiendae modum in eo reperturi, aliae vero gentes linguae Germanicae opes, eiusque prae caeteris linguis viventibus praeſtantiam perſpecturi ſint. Nec contemenda ſunt reliqua huius partis ſcripta, quae cognoſcendae vi obſoletarum Gallicae in primis Germanicaeque linguae vocum mirifice inſerviunt.

In tanta igitur rerum in his Leibnitii operibus occurrentium varietate, nullus eruditorum ordo futurus eſt, cui non eorum lectio vehementer profutura ſit. Hic theologi, hic iuriſconſulti, hic medici, hic philoſophi, hiſtorici, philologi, plurima invenient, ſcientiam, cui ſe quisque conſecravit, egregie illuſtratura. Iuvabunt etiam lectorem copioſi accuratique rerum indices, ſingulis Voluminibus ſubiecti. Errore tamen haud dubie typographico factum eſt, ut in indice primi Voluminis, ſub titulo *imaginum cultus*, haec irreperent: *Imaginum cultus a Concilio II. Nicaeno ſub Carolo M. improbatus*. Debebat autem dici ſic: a Concilio Nicaeno probatus, a Carolo M. improbatus.

Omnino vero maximas debet, et ſemper debebit orbis eruditus Cl. Duteno gratias, cuius cura effectum eſt, ut Leibnitii opera tanta perfectione, tantoque ſplendore prodirent, quique ſe nullis moleſtiis, nullis difficultatibus, quae ſuperandae erant quamplurimae, ab hoc opere perficiendo deterreri paſſus eſt. Laudes certe eius tamdiu manebunt, quamdiu Leibnitii manebit memoria, quam praeter imperitos adoleſcentes, et ridiculos, nemo ſanus vellicat.

FRANC. IOS. DESBILLONS, SOC. IESU FABULae Aeſopiae, curis poſterioribus omnes fere emendatae. Acceſſerunt plus quam CLXX. novae, obſervationes grammaticae, et figg.

Mannhemii, MDCCLXVIII. TOMI II. paginae omnino 548. in 8.

Si doctiſſimus harum Fabularum auctor ante hos ducentos annos vixiſſet, easque, detractis callide quibusdam paucis, ſub Phaedri nomine tum edidiſſet, non dubitamus, quin respublica litteraria, certe magna eius pars, in errorem facillime inducta eſſet. Adeo ille per omnia Phaedro ſimilem; ne dicamus parem, ſe exhibet, verſu, numero,

periodo, elegantia, et ea, quam ſive ſimplicitatem venuſtam, ſive venuſtatem ſimplicem dixeris, neutrum mentiare. Ac profecto tanto gratior nobis Fabularum eius lectio non potuit non contingere, quanto rarior hoc librorum genus Romana veſte apparet, noſtris maxime temporibus, quibus paene dedecori habetur, ſi quis veteres imitari ſtudeat, ut etiam a *ſervi pecoris* titulo ei metuendum videatur. Nobis quidem ingenue fatendum eſt, nos Fabularum iſtarum lectione et conſideratione mirifice delectatos fuiſſe, et cum ad finem iam perveniſſemus, paulliſper indoluiſſe, quod non plures auctor adiunxerit. Quapropter eadem etiam cum voluptate nunc de iis ſententiam noſtram dicemus, idque non modo copioſius, verum etiam liberius, imo rigidius, quam alioqui ſolemus. Poſterius quidem duabus de cauſſis graviſſimis facturi ſumus: *Primum*, quia, cum univerſum opus modo laudaverimus, reprehenſio noſtra doctiſſimo auctori ſuſpecta eſſe invidiae aut acerbitatis nullo modo poteſt; *deinde*, quia hi Fabularum libri, (ſi recte conicimus,) *brevi* habituri ſunt auctoritatem claſſicam, ac Phaedrinae paene parem, ad quam ſe alii deinde conformare cupiant, quibus volupe fuerit, Fabulis latinis ludere. Ne igitur hi una cum virtutibus etiam vitia, quamvis levia, imitentur, optime caveri poſſe arbitramur cenſura quadam ſevera, non ſuperficiaria illa et adulatoria, quam hodie multi cenſores unice ſectantur, et qua ne gaudeat quidem erecti ſcriptor animi et indolis. Omnino enim mediocribus tantum Scriptoribus et adoleſcentulis convenire videtur illa Criticorum facilitas, et laudibus permiſcenda eſſe, ne a ſcribendi diligentia ſtatim deterreantur, animumque abiiciant. Sed in talibus viris, qualis eſt Desbillonius, non opus eſſe putamus iſta mollitie, verum, indicata ſemel ac breviter univerſa operis praeſtantia, fere nihil aliud, niſi reprehendendum eſſe; bona enim ac dotes libri ſingulas non dubium eſt lectoribus ſua ſponte occurſuras. — Sed indicabimus prius totum libri habitum et argumentum. Praefatio duobus capitibus abſolvitur,

quorum

quorum in priori cum de Fabulis in genere, tum de ſuis maxime, earumque conſilio; altero de praecipuis fabularum ſcriptoribus, clarisſimus auctor diſſerit. Opus ipſum conſtat libris *quindecim*, in duo Tomos diviſis, quibus continentur Fabulae plus quam *quingentae*, partim variorum, partim ipſius Desbillonii. Auctores, e quibus hauſit, hi fere ſunt: *Aeſopus*, *Camerarius*, *Ioh. Fontana*, *Henr. Richerius*, *Laur. Abſtemius*, *Gabr. Faernus*, *Benſeradius*, *Euſtachius Nobilis*, (le Noble,) *Gabr. Franc. le Iay*, et pauci alii. In quorum numero vellemus, etiam eſſent Britanni et Germani noſtri, quorum in Fabulis multae ſunt digniſſimae latina veſte, nec translatu nimium difficiles, ut ipſi in quibusdam experiendo cognovimus. Sed forte utriusque gentis linguam auctor non calluit; quod ſi ita ſit, hoc ei facile ab omnibus ignoſcetur. Ceterum, in ipſis aliorum Fabulis tractandis verſatus eſt ſic, ut eas vel nude verteret, vel ſuo modo paullulum transformatas daret. Quod poſterius an feliciter ubique effecerit, quia ipſos auctores ad manus iam non habemus, pro certo dicere non poſſumus, ſed cum alias Apologorum leges tam bene ſervaverit, etiam hac in re bene de eo ſperamus. Quod autem ad eas Fabulas attinet, quarum ipſe inventor eſt, ſane negari nequit, ſi univerſe conſideres, non adeo multum ingenii et acuminis in iis ineſſe, ſed nunc ipſam earum inventionem, nunc modum tractandi, nunc ἐπιμύθιον, (ut vocant) aliquantum claudicare. Sed *primum*, quis in tanta multitudine, (nam circiter *ducentae* ſunt ipſius auctoris,) omnes pari pretio futuras ſperaverit? *Deinde* etiam non paucas reperimus valde bonas et iucundas, ad quas inveniendas, certum erat, non ingenium modo in univerſum, ſed etiam venuſtatem quandam ingenii, non tam intelligibilem illam, quam ſenſibilem, in poeta requiri. Utriusque generis inferius exempla quaedam dabimus; nunc in enarrando pergemus.

Elocutio Fabularum, ut iam ſupra diximus, excellens eſt, et ſummis laudibus digna. Inter alia nobis valde pla-

cuit hoc, quod non nimis abuſus eſt licentia illa, quae in regione pari pro Iambis puris aut Spondeis crebrius reponit Tribraches aut Dactylos, quibus nihil hiſpidiorem verſum reddit, nihil ingratius delicatis auribus accidit. Hoc ille vitium, ſi quis unquam alius, vitavit, eiusque verſus alvei cuiusdam inſtar leniter defluunt, ut etiam ipſum Phaedrum interdum ſuperaſſe nobis videatur. In primis in poteſtate habet numerum et periodum poeticam; quod qui noſtris forte verbis nolit credere, (ac profecto haec res melius ſentitur, quam verbis explicatur,) videat haec aliquot Fabularum principia, et ipſe deinde iudicet:

Libro III. Fab. 30.

Apud olitorem quod ageret vitam nimis
Laborioſam et interim tenuiſſimo
Paſtu ſoleret recreari, Aſinus querens,
Iovem rogavit, ut aliam ſortem daret;
Eiusque precibus exoratus Iupiter,
Navare deinceps hanc figulo operam iubet etc.

Libro V. Fab. 36.

Fore ut iam nullis veſceretur carnibus,
Sed herbas, aut, ad ſummum, piſces manderet,
Laqueo prehenſus olim, cuidam ruſtico
Dixit, ſpopondit, iureiurando Lupus
Fidem obligavit, et ſic evaſit necem etc.

Libro VI. Fab. 10.

Depreſſa quantum ad inferos radicibus,
Tantum propinquans Superis alto vertice,
Annoſa Quercus, dixit olim Arundini etc.

Quanta harum periodorum ſit rotunditas, quam ſcite Subiecta ad finem reiecta, ii facile intelligent, qui vim periodi latinae probe intelligunt. — Textui Fabularum ſubiectae in ſingulis paginis ſunt notae, partim phyſicae, partim grammaticae. Prius genus propter lectores eos erat neceſſa-

ceſſarium, qui forte nomina animalium non ſatis intelligerent; tanto minus vero alterum probare poſſumus, immo plane ſupervacuum putamus. Primum enim ſine cauſſa libri molem auxit. Deinde, quibus quaeſumus lectoribus grammaticas illas notulas, ſeu vindicias potius vocum et phraſium ſuarum, proponere voluit vir doctiſſimus? An latine doctis? at hi etiam ſine iſtis notis ſciunt quid latine dictum ſit, nec ne. An latine rudibus? at iſtis ne haec quidem ſufficient. Itaque nos, ſi talem librum edidiſſemus, eas plane omiſiſſemus. In fine adiecti ſunt duo Indices alphabetici, alter ſententiarum moralium, alter Fabularum et rerum.

Iam age paullo accuratius de Fabulis quibusdam diſpiciamus, et ex utroque genere nonnullas, ſpeciminis cauſſa adiectas, examinemus. Primum de alienis videbimus. Has auctor doctiſſimus ad unum omnes eleganter, venuſte, interdum etiam ornate, (an etiam fideliter? hoc nihil ad rem,) expreſſit. Inſtar omnium apponemus Fabulam aliquam Richerii, quae eſt L. VI. Fab. 18.

Natura vernis pinxerat coloribus
Fetus repullulantes, formoſiſſimi
Ridebat anni blanda tempeſtas, dies
Feſtivitati candidae ſimillimus
Abierat, et paraverat amicae locum
Tranquillitati. Solis aurei calor
Extulerat ab agris molliter tepentibus
Subtilem odorum copiam, quam paullulum
Noctis ſerenae frigus addenſaverat,
Et in parentis regna telluris ſinens
Recidere florum floridarumque arborum
Diurnum odorem odore vincebat novo.

Philomela tales avida delicias capit,
Penitusque condit eruditis ſenſibus,
Sed efficaci mox ſcientiae obſequens

 Inflat

Inflat canorum guttur, et ad omnes modos
Intenditq; aerem nunc et anguſtam vibrat
Animoſa vocem more clangentis tubae,
Nunc languida premit, frangit, obſcurat ſonos,
Et deficere videtur, et medullitus
Amore flagrans intimo liqueſcere.

Favonius, quem lilia inter et roſas
Dulci tenebat inertia vinctum ſopor,
Evigilat, hasque mirans tam volubiles
Tam delicati flexiones gutturis,
Ne ceſſet illa, metuit. Evigilat quoque
Corvus, at inepto tardus ingenio, et ſibi
Quod ſomnus abrumpatur aegre etiam ferens:
Quae te, mala, inquit, cuncta ubique dum ſilent,
Libido cogit, tam moleſte ut perſtrepas?
Tibi videris bella cantrix, et tuae
Mihi cantilenae, moneo, valde diſplicent.
Illisque iam nunc abſtinere ni velis,
Ex me feres grande aliquod infortunium.

Philomela, atroces verita minas, obmutuit,
Multoque mane, cum vix diluceſceret,
Periculoſam praepotentis alitis
Viciniam reliquit, et ſe contulit
Celeriter in remotam ſolitudinem.
Ibi ſeſe doctis artibus operam dare
Impune tandem poſſe credit, et, leves
Per ſumma gramina Zephyrorum ſpiritus
Cum dulce fremerent, ſibilumque ramulis
Mobilibus arbor muſicum omnis redderet,
Et Phoebus etiam candida purus face
Innubilas per auras lucem ſpargeret,
His illa paret incitamentis, canit,
Simulque varias celebrat agreſtis loci
Amoenitates et voluptatem ſuam.

Sed

Sed in cavato proximae trunco arboris
Somno ſepultus, qui latebat, horridus
Bubo excitatur; quamvis et lucem oderit,
Paullum progreſſus voce ferali increpat,
Et: Inficetos ni ſtatim cantus, ait,
Finieris, iſtam vocem importuniſſimam
Ultor ego vitamque ſimul eripiam tibi.
Hic denique ſuum miſera avis ſtudium abiicit,
Timensque Corvos nocte, Bubones die,
Silet, doloue ſi urgeat, tantum gemit.

Fabella ſcripta eſt in homines quosdam feros,
Muſa quibus omnis ſuavior bilem movet.

Hac Fabula, neſcimus, quid venuſtius aut excellentius fingi poſſit. Eſt enim non modo, ut ceterae, elegans, numeroſa, copioſa, verum etiam ornatisſima. Et quamquam non defuturos putamus acerbos Criticos, qui auctori notisſimum illud Fabularum ſcribendarum praeceptum: *A Fabulae ſimplicitate alienisſimus eſt omnis orationis ornatus*, decies obmurmurent: tamen, (horum virorum bona cum venia dictum ſit,) id ipſum, quod illi ad vitium trahunt, nos ad laudem poetae convertere, nulli dubitamus. Ac nos non ſumus ii, qui iſtud praeceptum negemus, aut ullo modo negligendum exiſtimemus. Minime vero: ſed hoc loco iuſtam et idoneam, dicimus, cauſſam poetam habuiſſe, migrandi iſtius alioqui veriſſimi praecepti, idque propterea, quod videbat, hanc Fabulam ad laudem artis ſuae pertinere, eiusque univerſae quaſi vindicias quasdam complecti. Quid igitur? Annon licebit artifici, artis ſuae praeconem paullo artificioſius et luxurioſius agere? Annon, mutato fine, mutantur etiam viae ad eum finem ducentes? Iam in omnibus aliis Fabulis unus ac ſummus erat finis *docere* et *perſuadere;* in hac, niſi unus, certe ſummus, *laudare.* Itaque recte, noſtro quidem iudicio, poeta ingenio hic indulſit, quod in omnibus aliis locis perperam feciſſet. Ceterum,

rum, reliquae Fabulae alienae huius voluminis, paene omnes pari elegantia ac venuſtate translatae ſunt, niſi quod (ut par eſt) minus ornatus habent. — Nunc de ipſius auctoris Fabulis agemus.

Cum inter varia carminis genera, *Fabula*, ſi ambitum eius ſpectes, proxima videatur eſſe Epigrammati, cuius tres vulgo virtutes faciunt, *brevitatem*, *iucunditatem*, et *acumen*: intelligitur, virtutes eius, niſi eaedem ſint cum virtutibus Epigrammatis, certe non multum ab iis differre. Itaque tum recte habere ſe Fabulam dicemus, ſi et *brevis ſit*, et *acumen habeat*, et *ſententiam moralem*, *quae dicitur inesse*, *vere in ſe contineat*, neque adeo vel latior hac ſententia ſit, vel anguſtior. Has virtutes deprehendimus in his maxime, quas, quia pulcherrimas eſſe iudicabamus, ſpeciminis cauſſa integras adiecimus:

L. V. Fab. 34.

Iupiter, Modeſtia, et Virtutes ceterae.

Varias virtutes cum creaſſet Iupiter,
Quae dulces homini et utiles comites forent,
Produxit ultimam omnium Modeſtiam.
At ipſi nulla in homine iam ſedes erat
Idonea, quam non de ſororibus ſuis
Aliqua occupaſſet. Quod animadvertens: Tibi
Nullam quidem, inquit Iupiter, ſedem licet
Habere propriam, his ceteris qualem dedi.
Sed iſtae quoties emicare coeperint,
Te ſimul adeſſe iubeo, ne quid audeant,
Quod non tua ipſa more blando temperes.

Hinc usque laude vera virtutes carent,
Quibus Modeſtia pretium non addidit.

Hanc Fabulam, fallimur, an ipſae Charites poetae dictarunt? Adeo quidem brevis eſt, ut nihil, ſalva veritate, nec abiici, nec affingi poſſit; adeo acuta, ut omnes partes narra-

narrationis, ſuis in interpretatione partibus reſpondeant, (unde et ſumma in legendo iucunditas exſiſtit;) adeo denique apta, ut ſententia moralis tota in ea contineatur. Eaedem virtutes deprehendimus quoque in his: L. VII. Fab. 14.

Aſellus.

Librum elegantem quidam Aſellus repperit,
Simul improbavit, atque diſcerpſit iocans.
Audaciorem ſtupiditas Criticum facit.

Lib. VIII. Fab. 19.

Sidera et Sol.

De principatu contendebant ſidera;
Sol oritur; omnis ceſſat hic contentio.
Procerum ſuperbia deficit, cum Rex adeſt.

Egregiae ſunt etiam aliae quaedam, quas propter chartae anguſtias hic apponere non poſſumus: v. c. L. IV. Fab. 8. de *Milvio, Corvo, et Aquila:* Fab. 16. de *Lupo filium erudiente* etc. quae nobis valde placuerunt.

Interdum auctor cum aliis, ſeu ſecum potius ipſe certat, cum vel brevem alius auctoris Fabulam latius diducit, vel longiorem contrahit, idque (ut fit) non eodem ubique ſucceſſu. Nos quidem plerumque breviorem, (ſive ea Desbillonii, ſive alius auctoris eſſet,) longiori praeferendam eſſe vidimus. Exempla aliquot rem probabunt. Libri IX. Fab. 23. ducta illa ex Aeſopo, Fontana, Benſeradio, et aliis, haec eſt:

Gallus et Vultur.

Imperium late gentem in gallinaceam
Sibi aſſeruerat victo Gallus aemulo.
Hinc ſe ſuperbus tollit ad culmen domus,
Suam ipſe cantu celebret ut victoriam.
At Vultur audit, et advolans illum rapit.
Impune victor nullus inſolens fuit.

Quid hac Fabula brevius, ſuavius, rotundius? Eam vero auctor forte non ſatis ornatam ratus, ita diduxit, Libro IX. Fab. 24.

Idem Argumentum.

Pacifice agebant Galli duo: ſupervenit
Gallina, bellumque ſimul. O amor, Ilium
Tu perdidiſti! Praelium ſatis diu
Inter feroces aemulos dubium fuit;
Addebat animos nempe ſpectatrix frequens,
Quam fama, pugnae nuncia, huc acciverat.
Sed unus altero inferior tandem, et male
Mulcatus, hinc ſe proripit celeri fuga;
Et, abſcondat ubi dedecus, latebram petit,
Helenamque non unam, ah! ſuo partam gemens
Relinquit hoſti, praemium victoriae.
Interea tecti ſcandit ad faſtigium
Victor ſuperbus et epinicium ſibi
Canit ipſe, acutis ingeminans clamoribus.
At Vultur, auras ambiens dum circinat,
Quaeritque praedam, audivit, et ſimul ingruens,
Stulte triumphantem occupat, lacerat, vorat.

Non negamus, etiam huic fabulae ſuas dotes eſſe, ſuas Veneres; ſed tamen, quis eam priori illi anteferre ſuſtineat? Videamus de ſingulis. Sententia moralis e fabula naſcitura, adeoque *finis* fabulae, erat haec: *Nullus victor inſolens impune agit.* Ut huic ſententiae conveniens narratio fingeretur, quae nec plura, nec pauciora contineret, opus erat commemorare: 1) *victorem aliquem*, 2) *eius inſolentiam*,

3) *poenas*

3) *poenas huius inſolentiae.* Id etiam auctores a Desbillonio laudati recte fecerunt. Quid iam noſter, ut hos ſuperet? Velut ille apud Horatium.

— — reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Et gemino bellum Troianum orditur ab ovo.

Antequam enim Gallum *victorem* denunciet, bellum, e quo victor rediбat, deſcribendum, et late quidem, exiſtimat:

— — — — praelium ſatis diu
Inter feroces aemulos dubium fuit etc.

An haec belli deſcriptio neceſſaria erat ad eliciendum ἐπιμύθιον? Neutiquam. Sed ulterius aſcendit, et *cauſſam* iſtius belli commemorat:

— — — — — ſupervenit
Gallina, bellumque ſimul. O amor, Ilium
Tu perdidiſti!

Quam bella foret haec ſententia, niſi alieno loco poneretur. Deinde, an neceſſe erat, lectorem cauſſam belli ante cognoſcere, quam bellum ipſum? Multo minus. Sed nondum ſatis. Etiam *pacem*, quae bellum iſtud praeceſſerat, attingit.

Pacifice agebant Galli duo:

Quaſi vero non per ſe intelligatur, ſi bellum exardeſcat, antea pacem fuiſſe! — Non diximus haec, ut hanc fabulam in ſe nullius pretii eſſe, ſed tantum ut eam breviori illi poſtponendam probaremus; in quo etiam, ut ſperamus, omnes peritos conſentientes habituri ſumus. Simile exemplum reperimus in Libri II. Fab. 10. et 11. de *Ruſtico et Morte*, hoc tantum diſcrimine, quod ibi, inverſo ordine, brevior ac melior fabula Desbillonii, longior contra ac deterior aliorum eſt. Eas pariter integras appoſitas inter ſe comparaſſemus, niſi chartae parcendum foret. Omnino periculoſum eſt, cum aliis in aliquo artis opere contendere, maxime tum,

 cum

cum alterum opus, quod aemulere, ſtatim adiungitur, ut lector utrumque e veſtigio inter ſe comparare poſſit. Itaque cum etiam apud veteres poetas nullum exemplum exſtet, quo unum idemque argumentum bis eodem loco tractaverint; nos auctorem melius arbitramur facturum fuiſſe, ſi alterutram ſemper omiſiſſet.

Unam omnino in toto opere fabulam reperimus, quam prorſus nollemus viro doctiſſimo excidiſſe, adeo indigna ingenio eius, ne dicamus inſulſa eſt, Libri XIV. *nonam et viceſimam.* Quae quia paullo longior eſt, quam pro huius loci anguſtiis, (fuit enim poeta ſolito hic loquacior,) in gratiam lectorum eius argumentum breviter enarrabimus, ut ipſi iudicare poſſint. — „*Cimex, Pulex, et Culex*, in unum ali„quando locum conveniunt, ubi ſua quisque facinora prae„dicat; Cimex vero ſibi potiſſimum palmam deberi ait, quod „tam inſigniter foeteat; et hoſtes ſuos ea re procul a ſe pel„lat. Ut eius rei fidem faciat, iubet ceteros ſecum ire in „conclave *Felicitatis*, mulieris optimae et ſanctiſſimae, eam„que laceſſere. Dictum, factum; conferunt ſe una in cubi„le, et foeminam invadunt. Culex primum dubitanter age„re; Cimex eum inſtigare, tandem omnes ſimul, collatis vi„ribus, denuo impetum facere. Felicitas e ſomno expergi„ſcitur, dextra manu Pulicem elidit; ſiniſtra, alapam ſibi „ipſa infligens, Culicem necat; Cimicem vero digito amo„tum, per famulas tolli, et vivum comburi iubet, adiecta „gravi ad Cimicem admonitione, ſe quidem ſatis miſericor„dem et piam, at infirmam eſſe nolle. — Huic narratio„ni auctor adiecit hanc ſententiam: *Haec vera virtus, quae ſevera eſt in loco.* —

Quis unquam mortalium in hanc cogitationem veniſſet, ut ex iſta narratiuncula hanc ſententiam eliceret; vel, ut verius dicamus, quis unquam poeta non huic tam gravi ſententiae graviorem fabulam excogitaſſet? Sed ſi tamen

adeo

adeo capiebat auctor in re ſeria ludere, et Cimices cum ſociis agentes et loquentes inducere, quid illa rerum ſuperfluarum, nec ad caput narrationis quidquam pertinentium congeries? Cur ex omnibus mulieribus, quas iſta animalcula mordere potuiſſent, non quamcunque aliam delegit, ſed piam et ſanctam? Si vero talem, cur non alios, ac digniores hoſtes, in eam excitat, quam contemtiſſima haec animalia, in quibus ſeveritatem ſuam demonſtraret? Si denique et haec; cur Cimex de mulieris *charitate in ſe, ut hoſtem,* tanquam Theologus aliquis, loquitur? Si de *venia* loqueretur, ferri quodammodo poſſet, ſed *charitas* hoc loco plane intolerabilis eſt. Quid deinde infelix illa et immerita alapa, quam ſibi Felicitas, enecando Culice, infligit? Ea profecto ſine ulla cauſſa impingitur. An porro virtus eſt, Pulicem necare, qui momorderit, aut Cimicem ancillis comburendum tradere? Non credimus. Si ſententiam moralem addidiſſet hanc: *Impune ſtulta laedit raro audacia*, tolerabile id fuiſſet, certe fabulae ipſi convenientius. Denique, (quod caput rei eſt,) cum ſummus poetae finis ſit delectatio, quidquid hanc vel in optimo alioqui carmine, turbat vel tollit, id totum carmen quaſi evertit, certe eius effectum impedit. Iam quid aliud laude illa ſui foetoris Cimex lectoribus, niſi nauſeam et faſtidium, creat; quibus ſemel ingruentibus, omnis delectatio e reliquo carmine capienda prorſus evaneſcit. — Hanc fabulam ideo accuratius examinavimus, ut appareret, bonum etiam Homerum ſubinde dormitare. Ceterum, his dicendis nihil detractum volumus caeterarum elegantiae ac venuſtati, quippe qui neque hanc propter verba, ſed propter rem et argumentum reprehendimus.

Nihil excellentius et ſuavius legimus viri Cl. Prologis, quos utinam ſingulos ſingulis libris praemittere voluiſſet. In his enim, cum ſolus ſibi relictus ſit, totus apparet ingenii eius naturalis quidam nitor, et Genius plane Phaedrinus. Nunc, cum decem modo libris praefatus ſit, vehementer

 eum

eum rogamus, ut, ſi quando haec editio fabularum repetenda fuerit, (quod brevi futurum confidimus,) reliquis quinque pariter Prologos addere ne gravetur. Videtur omnino vir doctiſſimus ad Iambos natus eſſe; quod dum fatemur, facile ſperamus fore, ut cenſuram noſtram, etiam ubi forte ipſi diſplicuerit, tamen aequo animo ſuſcipiat, et propter cauſſam ſupra a nobis dictam, quot ipſi naevos oſtendimus, tot in ſe laudes putet. Hoc enim ei pro certo confirmamus, ſi ipſe eſſet ſcriptor aliquis de trivio, nos iſta vitia vel excuſaturos utcunque, vel certe alto ſilentio obliteraturos fuiſſe.

CATALOGUS CODICUM MSS. BIBLIOTHECAE Mediceae Laurentianae, varia continens opera Graecorum Patrum. ANG. MAR. BANDINIUS, I. U. D. eiusdem Bibl. Praefectus, recenſuit, illuſtravit, edidit,

Florentiae, 1764. fol.

Bibliotheca Medicea quantis inſtructa ſit Librorum MSS. divitiis, eorum praecipue, quae ad graecas litteras et latinas pertinent, non facile a quoquam ignoratur, qui vel mediocriter in hoc genere litterarum verſatus ſit. Igitur quid mirum, ſi a longo inde tempore votis doctorum virorum expetitum fuit, ut eſſet, qui tanti theſauri inutiliter reconditi recognitionem ſuſciperet, et quae vel illuſtrandis Auctorum tam ſacrorum, quam profanorum, locis obſcurioribus idonea, vel alio quocunque modo rei litterariae proficua forent, ſecum communicaret. Poſt multa vota irrita, tandem Ao. CIϽ ΙϽCCXLII. factum eſt, ut iuſſu Franciſci I. Rom. Auguſti, pars Bibliothecae ea, quae contineret Libros Orientales, recenſeretur Auctore Franc. Rezzonio, preloque ſubiiceretur. Qui labor laudabilis poſtea tamen difficulta-

cultatibus quibusdam impeditus, pluribus annis haeſit, donec ad Bibliothecae praefecturam accederet Bandinius V. Cl. cuius ſtudio debemus hanc coepti illius laboris continuationem. Rezzonius enim cum opus inchoaſſet ab recenſione Librorum MSS. Orientalium, Noſter illud perſequitur hoc Volumine recenſendis Codicibus graecis ad doctrinam theologicam ſpectantibus, alio volumine et reliquos, uti pollicetur, adiecturus.

In praefatione Libri Auctor exponit de Bibliothecae Medic. fatis, quorum ſumma haec eſt. Diſperſa per occaſionem expulſi Ducis Petri, Bibliotheca a Mediceis, quantum fieri poterat, rurſus collecta fuit, atque a Purpurato eiusdem gentis Ioanne empta. Qui poſtquam Pontifex ſub Leonis X. nomine factus eſſet, Romam eam in domum ſuam deportandam curavit, viro aliquo docto, qui curam Librorum gereret, ei praefecto. Extat epiſtola ad Leonem X. Geneſii, in qua ſe *Bibliothecae Sanctitatis Tuae Cuſtodem* ipſe adpellat; unde apparet, curam Bibliothecae, quoad eſſet Romae, neglectam nullo modo fuiſſe. Mortuo Leone, librorum iſte theſaurus Iulio Purpurato ex Medicea gente ceſſit, qui et ipſe Pontifex poſtea factus, inſigniter auctam Bibliothecam referri Florentiam iuſſit. Praeter hanc Bibliothecae hiſtoriam, Auctor quoque commemorat, qui viri docti, et quo quisque tempore, ex Bibliotheca quidquam publicarint, qui Manu ſcriptis eius Codicibus ad emendationem Auctorum antiquorum uſi fuerint, quive ſuper ipſa Bibliothecae ratione commentati. Tantum de praefatione. Iam quae ſit ratio Catalogi ipſius in univerſum videbimus, de rebus ſingulis poſtea dicturi. Deſcribit Auctor primum Codd. ipſos, eorum aetatem, ſcripturae genus, auctoritatem; deinde, quae quocunque volumine contineantur, diligenter recenſet, intertextis non raro animadverſionibus ſuis, quas vel ad rem litterariam pertinent, vel alia ratione utiles eſſe legentibus poſſunt. Quibusdam in locis reperies quoque ad-

nota-

notatas lectiones varias, quae tamen non ſunt adeo frequentes, ut frequentiores non optaverimus, praecipue in Libris ſcriptis N. T. ubi, ſi diſceſſeris a loco 1 Io. V, 7. quem in Codd. ſuis deeſſe ſcribit, nihil facile adnotatum deprehendes, quod Criticorum in illuſtrando ſacro textu operam adiuvare poſſit. Quam maluiſſemus, Virum Cl. quod nimiae diligentiae interdum ad recenſionem ſcriptorum ſingulorum alicuius graeci Patris adhibuit, id adhibuiſſe potius ad colligendas lectiones textus ſacri varias, ſi forſan earum ſubſidio obſcurioribus quibusdam locis luminis aliquid adfunderetur. Ita maiorem certe, niſi diligentiae, tamen utilitatis laudem adepturus, ut videtur, erat. Praeterea e Codicibus quibusdam Catalogo ſuo paſſim inſeruit particulas antea nondum impreſſas, id quod et alii, nominatim Montefalconius, in deſcribenda Bibliotheca Coisliniana, fecerunt; quarum aliis acceſſit et verſio latina, ſed paucioribus, aliis graece ſolum editis; quod nec improbabit, qui graeca graece doctis ſcripta intelligat. Paullo difficiliores forſan fuerint lectores, *ſi quid* recte iudicamus, in probando ordine, quo Catalogum Auctor exaravit; eſt autem ordo loci librorum, quem in libris deſcribendis ſecutus eſt, isque, quantum indicare licet e Catalogo, eſt mire perplexus, immo nullus. Nam neque quos vel natura, vel argumentum coniungit, libros, neque qui ab eodem ſcripti ſunt Auctore, in Bibliothecae ſcriniis coniunctos, ſed omnia mixta omnibus deprehendimus; unde factum eſt, ut, quo commodior haec libri ratio eſſet ſcriptori, hoc moleſtior eadem fieret legentibus, quibus aut labor aſſiduus, aut fortuna neceſſe eſt obiiciat locum, quem in uſum ſuum convertere velint. Poterat ſane occurri huic incommodo adiiciendis operi indicibus, quibus ordine aliquo, ſive ab Auctorum nominibus deſumto, ſive ab argumenti ſimilitudine, commemorarentur libri ita, ut uno quaſi coniectu oculorum cognoſci poſſet, quid quovis Catalogi loco quaerendum ſit; ſed nec indicis quidquam eſt. Igitur, quum ab Auctore ipſo nihil ſit ſubſidii, lectoribus vero noſtris aliquo

modo

modo ſatisfaciendum, deligemus ipſi ordinem dicendi, quem naturae convenientiſſimum iudicamus. Dicemus autem, 1) de Codd. biblicis, ad quos et referimus Commentarios in Codicem S. ita quidem ſcriptos, ut textus ſimul ſit exhibitus. 2) De Codd. Patrum. 3) De iis, qui ad Ius graecum, Canonicum, et Martyrologia pertinent; de quorum unoquoque genere qui nobis praecipua mentione digni videntur, indicabimus; namque omnes et ſingulos indicare propter multitudinem non poſſumus, nec ſi poſſemus, vellemus.

Codd. biblicis eo ſenſu, quo paullo ante diximus, adnotari meretur Catena in Prophetas vulgo maiores dictos, quae ad Sec. XI. refertur, et apud Auctorem diligenter deſcripta reperitur p. 19. Namque, praeter praefationes et argumenta librorum, textui cuiusque Prophetae praemiſſa, enarravit quoque nomina commentatorum, qui fuerunt maximam partem doctores Eccleſiae gr. doctrina et fama inſignes. Textum ipſum curioſe contulit Auctor cum pluribus exemplaribus impreſſis, quibuscum eum ita conſpirare ait, ut ſibi nihil fere diſcriminis animadverſum ſit; unde colligitur, Codici Romano textum maxime convenire. Exempla et ſpecimina ſcripturae, qua Codex exaratus eſt, exhibentur Tab. I. Optat Auctor, ab aliquo viro docto Codicem edi, quoniam Holſtenius, aliique Criticorum non ultimi, praeclariſſime de eo ſentiant, adfirmentque prae multis aliis dignum, qui uſibus doctorum virorum accommodetur. In Fabricii Catalogo eius mentionem fieri non meminimus. Memorabilis pariter eſt Codex, Catenam continens in complures Pſalmos, non antiquiſſimam quidam, (eſt enim ex Sec. XIV.) ſed excerptis inſignem, quae in Catenis paullo rariora ſunt: qualia ſunt ex Origene, Hippolyto, Theodoreto, et aliis; quae neque in Catena Corderiana, neque in reliquis exemplaribus impreſſis reperiuntur. Ceterum Pſalteriorum haud exiguum numerum habet Bibliotheca, nudorum partim, partim Commentariis, vel aliis carminibus biblicis

ut Moſis, Davidis etc. adauctorum; quae omnia tamen non adeo magni momenti ſunt. De uno illorum admodum mendoſe ſcripto Cl. Bandinius tradit, ſcripturam graecam multum ad hebraicam accedere: ſed cum eius rei ſpecimina addere non placuit, quod factum valde cuperemus, nec iudicandi nobis praebuit materiam. Praeter tot Pſalmorum Codd. graecos mentione dignus videtur Liber Iobi ſcriptus, qui commemoratur p. 385. cuius ſcriptura fere eadem eſt cum ſcriptura Codicis Anglicani, ex quo Catenam in Iobum edidit Iunius. Verſu omnis textus ſcriptus eſt. His in Libros V. T. Catenis adiungemus alias quasdam in N. T. quae Evangeliaria vulgo dicuntur. Solito brevior eſt Auctor in iis deſcribendis, et verſatur eius diligentia maxime circa Librorum externa, raro admixtis brevibus animadverſionibus in textum ipſum. Antiquiſſimi duo Evangeliorum Codicis, quorum ſcripturae exempla exhibentur Tab. 3. referuntur ad Sec. IX. Litteris ſcripti ſunt uncialibus, additis tamen Accentibus et Spiritibus. Alium horum Codd. Auctor Seculi X. eſſe affirmat, in quo, ait, locum de Adultera apud Ioannem inde a v. 52. Cap. VII. ad v. 12. Cap. VIII. totum deeſſe, neque quemquam Commentatorum, quorum viginti amplius Catenae conficiendae operam navarint, mentionem eius facere; quod non adeo mirum videtur, cum totius loci in textu, quem explicarent, nullum eſſet veſtigium. Ad haec obſervat, locum, ſi quo in Codice reperiatur, ſemper fere vel margini adſcriptum reperiri, vel alieno textu coniunctum. Digna omnino eſt haec Auctoris obſervatio, quae ipſius verbis legatur. Pag. 150. deſcribitur Codex N. T. qui, ſi excipias Apocalypſin et Evangelii Ioannis aliquam particulam, reliquos N. T. libros continet omnes. In Evangeliariis maximam partem reperiuntur diſtinctiones in Capitula, ſive Euſebii Canones; in Codicibus vero Epiſtolarum Apoſtolicarum praemiſſa diverſorum PP. argumenta. Pag. 158. commemoratur Catena Seculi XI. in qua inſunt Evangelia cum interpretationibus Anonymi, prout Noſter iudicat, minime

con-

contemnendis. Porro adducuntur et Evangeliaria plura ex Sec. XII. et XIII. de quibus tamen, cum antiquitate non commendentur, non eſt quod dicamus. In univerſum iſta Codicum N. T. collectio a multitudine videtur commendabilior, quam ab utilitate et praeſtantia. Quare nec plures hoc loco adducere lubet, ſed quaedam de reliquis Codd. addere, quorum recenſio ab Auctore hoc priori Catalogi volumine facta eſt, quique vel Patrum graecorum continent ſcripta, vel ad Ius Canon. pertinent et Martyrologia. Et ne plane neglexiſſe ordinem Auctoris videamur, tenendum eſt, hos, de quibus diximus, et reliquos Codd. biblicos omnes, contineri ſcriniis Bibliothecae V. — — X. Quatuor primis enim non collocati ſunt niſi Libri ſermonis atque doctrinae Orientalis, quorum recenſionem, ut ſupra adnotavimus, iam olim dedit Cl. Rezzonius.

His praemonitis, dicamus nunc de Codicibus Patrum Graecorum. Eorum Codices praecipui, velut *Baſilii M. Gregorii Nazianz. Euſebii, Cyrilli Alexandr. Chryſoſtomi, Gregorii Nyſſeni*, reperiuntur in ſcriniis VII. VIII. et IX. Sed valeant iam ſcrinia, videamus de libris. Ediderunt quondam Tollius et Muratorius varia de Gregorii Nazianz. Poematibus, ex nitidiſſimo Bibliothecae Medic. Codice, qui ab Auctore diligenter deſcribitur. Omnia enim carmina non ſolum recenſet, ſed in cuiusque recenſione exquirit quoque, utrum typis exſcriptum, et quo loco, quo tempore id factum ſit. Eſt in hoc Volumine magna pars carminis, in Cyprianum et Iuſtinam, ab Auguſta Eudocia compoſiti, cuius argumentum exhibuit Photius in Bibliotheca. Hujus igitur tum epitomen, ex qua cognoſcitur, quantum deſit in carmine, quale nunc eſt in iſto Cod. Gregorii, tum fragmentum ipſum, cum verſione utrumque latina, Cl. Bandinius Catalogo inſeruit. Alius eorundem carminum Codex recenſetur p. 257. eadem, qua prior, ratione. Porro deſcribitur et Codex Orationum eiusdem Gregorii, quarum argumenta, ſicut ea

reperiuntur in fronte cuiuſque Orationis, Auctor ſuppeditavit, una cum Verſione latina. In Cod. aliquo, quo continentur diverſorum Patrum ſcripta, eſt et oratio *de poenitentia Ninivitarum*, quae tribuitur Chryſoſtomo. Cl. Bandinius licet eam diſerte non dicat Chryſoſtomi eſſe, tamen ita honorifice de ea ſtatuit, ut videatur tacite ad ſententiam eorum accedere qui Chryſoſtomum pro eius auctore venditant, certe Chryſoſtomo auctore eam, ait, non indignam videri; quapropter, et ut lectores ipſi iudicare queant, totam eam typis exprimendam, et Catalogo inſerendam curavit. Et negandum quidem non eſt, multa in oratione iſta bene et eleganter dici; ſed nec deſunt partim ſtructurae verborum ab oratione Chryſoſtomi alienae, partim tropi coacti et frigidi, qui ingenio tanti Oratoris minime conveniunt. Ex quo genere v. c. eſt locus, ubi orationis auctor, *ſe*, ait, *cymbam ſuam in poenitentiae Ninivuticae mare deducturum;* quam allegoriam frigidiſſimam vix quisquam ſuſtineat tribuere Chryſoſtomo, orationis allegoricae tanto artifici. Haec, et eiusmodi plura, quae facile reperiet, qui orationem perlegerit, iudicio Auctoris noſtri non videntur admodum favere. Ex Codice Ioannis Damaſceni, in quo libellus eius ineſt *de Fide orthodoxa*, intelligitur, quod Lequienus iam obſervavit in traditionibus ſuis de Cod. MS. Florentino, auctorem opus ſuum diſtribuiſſe non in Libros, ſed in Capita ſolum. Inſeruit Auctor Cl. Catalogo Caput huius Libri XXX. totum, quod bona parte longius hic quam in Codicibus impreſſis reperitur. Eiusdem Damaſceni Codicem, qui continet *Parallela ſacra*, deſcribit p. 367. eumque confert cum Vaticano, et eo, quo uſus fuit Purpuratus de Rochefoucault. Quae collatio utilis eſſe potiſſimum poteſt ad emendandas traditiones Lequieni, quas paullo ante laudavimus. Codicis, quo continentur quaecumque contra opiniones Palamae, Barlaam, et Acindyni, decreta et ſcripta ſunt a Synodi Patribus, inprimis ab Ioanne Cantacuzeno: deſcriptio reperitur pag. 542. Mentionem eius valde honorificam fecerunt iam Holſtenius

et

et Monteſalconius; ſed Noſter, ut deſcriptionem ſuam redderet aliquo pacto utiliorem, inſeruit Codicis Prooemium, in quo exponitur hiſtorice de lite Patrum illorum, quomodo orta ea ſit, quomodo geſta et compoſita. Quibus traditionibus ſi fides habenda eſt, intelligi vix poteſt, qua ratione dictus Petrarcha, cuius Barlaam praeceptor fuerat, tantopere eum ſuſpexerit. Namque ſi res iudicatur ex prooemio iſto, bonus ille Barlaam tanta exiſtimatione dignus nullo modo fuit. In animadverſione quadam expoſuit Bandinius V. Cl. de vita et fatis Graeci illius docti, qui, quoad in Italia degeret, litteris reſtaurandis bonam operam navavit. Nitidiſſimus Sec. XI. Codex, deſcriptus ab Auctore p. 486. continet Theodoreti quaedam ſcripta, quorum praecipuum *de Curatione Affectionum graecarum*. Qui cum multis locis diverſus ſit ab exemplaribus impreſſis, non ſine utilitate forſan adhiberi poſſit novam illius Patris editionem adornaturo, ſi varias lectiones colligere et conferre diligenter velit, id quod et operi Auctoris, ſi adiicere eas placuiſſet, magno ornamento futurum erat. Exhibuerunt viri quidam docti, nominatim Fabricius in Bibl. gr. argumenta Capitum Codicis nondum impreſſi, quo continetur Nicetae *Theſaurus fidei orthodoxae*. Eiusdem libri Codicem deſcriptum reperies ab Auctore pag. 430. Et quoniam argumenta Libri IV. huius operis in Codice Medic. valde diſcrepare videret ab iis, quae edidit Fabricius, placuit ea ſingula inſerere cum indice nominatorum in Cod. Auctorum. Coſmas bis edidit *Topographiam ſuam Chriſt.* et quum alt ra editio priori multis auctior prodiret, factum eſt, ut Codices pluribus in locis diſcreparent. Huius operis Codex, qui refertur ad Sec. X. eſt in Bibliotheca Med. Factus eſt, ut perhibet Auctor, ad editionem alteram, et Monteſalconius, quum hoc Coſmae opus ederet, interveniente Cel. Salvinio, eo uſus fuit. His Codd. Patrum addi meretur Collectio variorum ſcriptorum Philonis, in quibus Auctor multas, ait, deprehendiſſe ſe lectiones diverſas ab iis, quas videret in exemplo impreſſo, quod

quod ad manus eſſet; editionem Philonis quidem a Cl. Mangeyo adornatam ſe non vidiſſe, ſed ei lectiones huius Codicis ſuppeditatas a Cocchio eſſe, variis de cauſſis coniicere. In quo nec falſus eſt.

Haec iam ſatis dicta ſint de Codicibus PP. Adiiciemus quaedam de iis, quae ad Ius Canonicum pertinent. Eorum Codd. primus, quem et Ant. Auguſtinus maximi fecit, deſcribitur pag. 1. Continet centum amplius Canones, in quibus ſingulis recenſendis Auctor ita verſatur, ut, quinam eorum typis iam antea fuerint exſcripti, quibusque in collectionibus reperiantur; deinde quibus in locis diſcrepent ab exemplaribus impreſſis, oſtendat. Inſcriptio totius operis haec eſt: *Κάνονες διάφοροι cum expoſitione Zonarae, Balſamonis, et Anonymi*; quanquam et ſint in iſta Collectione quae ad Ius Canonicum proprie non pertinent. Alia Collectio commemoratur pag. 70. cuius Auctor accuratam dedit recenſionem. Nobis ex ea ſufficiat adnotaſſe Decretum Synodale *de bonis monaſticis*, quod apud Leunclavium in Iure Gr. Rom. inter eius generis decreta non reperitur. Ceterum et ad hunc Cod. obſervatum curioſe eſt ab Auctore, quibus in locis ſingulae partes ab exemplis impreſſis, ſi quae ſint, diſcrepent, quod in reliquis quoque Collectionibus fere omnibus factum deprehendes; e quibus exempli cauſſa quaedam adferemus. Ad Collectionem pag. 295. obſervatur, Catalogum Synodorum, Photii operi *Nomocanon* dicto praefixum, in exemplo Mediceo eſſe multo ampliorem eo, quem inſeruit Bibl. Iur. Can. Iuſtellus. Hoc enim auctior ille eſt triginta amplius Numeris. Porro Zenonis Imp. *de novis Aedificiis* Conſtitutio, quae primum in Iuſtiniani Novellis edita reperitur, in Codice Medic. ſcripto multis locis diſcrepat ab illa impreſſa. Huius generis animadverſiones et reliquis Collectionibus ab Auctore recenſitis adiectae ſunt, ad ſupplendum Fabricii opus valde utiles. Pag. 320. eſt formula Athinganorum, alias, ut quidam volunt,

Pauli-

Paulicianorum, qua illi in recipiendo baptiſmo uſi fuerunt, ut abiurarent errores ſuos. Hanc formulam adire debet, qui iſtorum hominum dogmata, mores, ritus cognoſcere adcurate velit.

Iam adiiciamus pauca de aliis, quae nobis in opere Cl. Bandinii memoratu digna viſa ſunt, ad tria genera librorum, de quibus hactenus diſputavimus, proprie non pertinentibus. Pag. 166. inſerta reperitur Iuſtiniani Epiſtola ad aliquos, qui in litteris ad iſtum Imperatorem datis accuſati Neſtorianiſmi, Ibae cauſſam dixerant. Fuiſſe eos Clericos Aegyptios, vel totam aliquam eius regionis Eccleſiam, variis ex cauſſis conficitur, certo dici non poteſt, quia manca eſt ab initio Epiſtola. Demonſtrat Iuſtinianus ex Ibae Epiſtola ipſa, cum Neſtorianis eum ſenſiſſe; cuius Epiſtolae argumentum niſi iam noſtum ex Actis Concilii Chalced. eſſet, ex his Imperatoris litteris ſatis poſſet intelligi. Ibam, ſcribit Iuſtinianus, Epiſtolam a ſe ſcriptam defendi non poſſe, ipſum fateri eo, quod pro ſua eam agnoſcere noluiſſet. Porro in hac Iuſtiniani Epiſtola reperiuntur et fragmenta diverſorum Patrum, nominatim Theodori Mopsveſteni, Procli Patriarchae, Eunomii, cuius poſterioris *διαλαλιῶν pro Ibea epiſtola*, quae aliquoties hic commemoratur, nos non meminimus alibi excitari. Quae ex Theodori ſcriptis adducuntur loca praecipua, ſunt ex Opere eius contra Apollinarium, ex Comment. in Pſalmos, et ex Libro de Incarnatione. Horum aliquo in loco Theodorus diſerte Paullum nominat Auctorem Epiſtolae ad Hebraeos. Patriarchae Procli locus, qui commemoratur, eſt ex Oratione eius in *Θεοτόκον*. Anaſtaſii Sinaitae Oratio, quae paullo inferius occurrit tota deſcripta, nihil fere habet, quod tali cura dignum videatur; quemadmodum nec Nicephori Calliſti Panegyricus in Mariam Magdalenam, qui pariter ab Auctore inſertus eſt, multis ſe lectorum commendabit, niſi forte ab eleganti ſcribendi genere, quod in Nicephoro potiſſimum laudatur.

Haec

Haec ſunt, ad quae, dum volveremus Cl. Bandinii opus, paullo perſiſtere e re iudicavimus. Quod ad Martyrologia attinet, quorum Codd. plures ab Auctore deſcribuntur, ea libenter omittimus, perſuaſi, neminem facile fore, qui utilitatis aut voluptatis quidquam exinde capturum ſe ſperet, niſi forte qui Martyrologia iſta conferre cum iis velint, quae recenſuit Fabricius in Bibl. Gr. His vero parum profutura videntur Excerpta, adeundum eſt opus ipſum.

I. L. E. PÜTTMANNI, ICTI ET ANTECESSOris, Probabilium iuris civilis liber ſingularis. Accedit eiusdem Diſſertatio iuris canonici, de Legislatore Epheſino, ad cap. 5. X. De praeſcript.

Lipſiae, apud S. L. Cruſium, MDCCLXVIII. in 8.

Qui aliquot abhinc annis Obſervationum et Interpretationum librum ſingularem in lucem emiſit, idem iam inſtitutam perſequitur auctor Probabilium Iuris Civilis, quae lectoribus noſtris commendata cupimus. In eo maxime verſatus eſt V. C. ut lectionem receptam, et ad Pandectas quod attinet, Florentinam, a criticorum vindicaret audacia, ſimul etiam multis difficilibus iuris civilis locis lucem accenderet. Summa capitum, quae libro Probabilium ſingulari continentur, haec eſt. *CAP. I.* interpretatio l. 57. D. mandat. *CAP. II.* legi 22. C. de Fideiuſſ. lux accenſa. *CAP. III.* Tacitus defenſus. Recepta lectio l. 10. §. 4. D. de uſu et hab. l. 3. C. de quadr. praeſc. et l. 47. D. de R. N. ab iniuſta Petr. Paul. Iuſti criſi vindicata. *CAP. IV.* Qui ſint ii iuvenes, populareſque, quorum meminit Calliſtratus in l. 28. §. 3. D. de poen. *CAP. V.* Receptarum lectionum Δώδεκας. *CAP. VI.* Ad l. 2. §. 4. D. de O. I. et C. Moyſes Diſt. 7. *CAP. VII* l. 3. C. comm. utriusque iudic. non niſi ad diviſiones dolo malo factas pertinere,

tinere, contra Iac. Voordam oſtenditur. *CAP. VIII.* Plinii locus de viceſima hereditatum explicatus. Matth. Roeveri emendatio exploſa. *CAP. IX.* Ad L. 23. D. de R. I. *CAP. X.* De matrum in liberos poteſtate, ad l. 4. D. de curat. furioſ. *CAP. XI.* Mendo vacare l. 15. §. 4. D. de div. temp. praeſc. l. 26. D. de manumiſſ. l. 39. D. de furt. l. 156. §. 2. D. de R. I. l. 111. §. 3. D. de exc. rei iud. contra Franciſcum Rygerbos oſtenditur. *CAP. XII.* Proba recta eſſe verba Ulp. Fragm. l. 20. §. 10. l. 1. pr. D. de teſt. milit. §. 7. I. quib. ex cauſ. man. non lic. §. 1. I. de mil. teſt. l. 10. §. 2. D. de I. et I. l. 19. §. 2. D. de O. I. l. 2. §. 1. D. de R. C. l. ult. D. de duob. reis conſt. l. 3. D. de bon. eor. Corn. Valer. Vonckii emendationes exploſae. *CAP. XIII.* Vindicata lectio recepta l. 1. §. 6. D. de ſuſp. tutor. Sam. Petiti criſis exſibilata. *CAP. XIV.* Negotiorum geſtor etiam iure Pandectarum a praeſtatione caſus fortuiti regulariter immunis. Sam. Petiti error notatus. *CAP. XV.* Explicata, et ab emendatione Sam. Petiti vindicata l. 65. §. 1. D. de leg. II. *CAP. XVI.* Ad l. 40. D. de hered. inſtit. *CAP. XVII.* De permiſſis iure Pontificali intra annum luctus ſecundis nuptiis. *CAP. XVIII.* Pilatum in eo, quod de Chriſto ſtatuit, ſupplicio, haud migraſſe SCtum Tiberianum, nec Theodoſium M. decem illud dierum ſpatium, quod SCtum Tiberianum ſtatuerat, in triginta dies propagaſſe, defenditur. *CAP. XIX.* Exceptionem SCti Macedoniani fideiuſſoribus etiam filiorum familias accommodari, contra Io. Laur. Drechslerum oſtenditur. *CAP. XX.* Novi operis nunciationem omnem verbalem, realem autem, quam vulgo vocant, σιδηρόξυλον eſſe, evincitur. *CAP. XXI.* Petri de Toullieu, de auctoritate curatorum aetatis ſententia, expenditur et emendatur. Erunt fortaſſe, qui cum hunc indicem legerint, caput quaſſent, et quidquid hoc eſt ſcriptionis naſo adunco ſuſpendant, nihil, aut parum utilitatis haec omnia in foro praeſtare, clamaturi. Sed hi erunt fere, qui ipſi plane ἄμουσοι, omniaque πρὸς τὰ

 ἄλφιτα.

ἄλφιτα referentes, nihil quaerunt, niſi quod, ut Püttmannus ait, annonam abundantiorem faciat. Laudem ſemper apud omnes bonos meruerunt, qui, Cuiacii Bynkershoekiique veſtigiis inſiſtentes, novis ſubinde proceſſibus ius civile in melius producere atque illuſtrare conati ſunt. In his autem Püttmanno vel ideo locus haud ultimus debetur, quod non, more aliorum, urit et ſecat, ſed, mitiorum potius exemplo criticorum, omnia prius tentat, quam ad emendationis remedium delabatur. *Primo* ſtatim *capite* correctorum ſe opponit audaciae, legemque 57. D. mandat. in qua multi fruſtra ingenii vires periclitati ſunt, ita explicat, ut iam nulla plane difficultate laborare videatur. Eadem felicitate *Cap. II.* interpretatur legem 22. C. de fideiuſſor. noviſſime etiam a *Iac. Voorda* tentatam; nec non *Cap. VI.* l. 2. §. 4. D. de O. I. in quo ſimul Pomponius contra criminationes *Henr. Brokeſii* maſcule defenditur. Magnopere etiam nobis arriſit *Cap. VIII.* ubi pulcer locus Plinii Panegyr. cap. 37. ab emendatione *Matth. Roeveri* vindicatur, ſimulque multa de viceſima hereditatum lectu digna adferuntur. Sed cum gratius ea omnia in ipſo Probabilium libro legantur, eo lectores noſtros, quibus haec ſtudia curae cordique ſunt, ablegamus. Quod ad Diſſertationem *de Legislatore Epheſino* attinet, in ea ſane auctor non minorem iuris Canonici ſcientiam, quam in Probabilibus legum notitiam Romanarum, oſtendit; non ex Brunnemanno eiusque ſimilibus ſapiens, ſed *Ant. Auguſtini*, *Cironii*, *Alteſerrae*, *Iani a Coſta*, veſtigia premens. Docet autem *CAP. I.* Alexandrum III. in cap. 5. X. de praeſc. Legislatoris Epheſini nomine non alium, niſi Theodoſium Iun. intelligere, ſimulque cauſas aperit, quare Theodoſius Iun. hoc nomen tulerit. Deinde *CAP. II.* oſtendit, quid in iure praeſcriptionis immutaverit Alexander III. et quo valeat nova ipſius legislatio. Denique ſpem etiam facit V.C. edendae *iurisprudentiae Plinianae*, et diatribae *de memoria damnata*, nec non colligendorum et in lucem edendorum *opuſculorum Gotfr. Maſcovii*,

ad

ad quae perficienda ipſi vitam, ſanitatem, et otium apprecamur.

LETTRE D' UN ANONIME A MONSIEUR I. I. Rouſſeau: ſeu Litterae Anonymi ad IO. IAC. RUSSALIUM, quibus errores refelluntur, ab auctore in libro commiſſi, qui inſcribitur le Contract Social, ſeu Contractus Socialis.

Pariſ. 1766. pl. 16. in 8.

Auctor, cuius ſubtilitas ingenii in diſſerendo, et digna Philoſopho modeſtia in reprehendendis adverſarii erroribus, potiſſimum nobis probatur, duplici utitur ratione ad luxurians Ruſſalii ingenium coercendum, erroresque refutandos. Nam oſtendit, R. et malum egiſſe Philoſophum, et vanum Hiſtoricum. Primum enim illi ineſſe libro, quae nimis vage et ambigue ſint dicta, v. g. *hominem natum eſſe liberum.* Quae ſententia enim ſi intelligatur de facultate aliqua, homini innata, faciendi quicquid placeat, tanquam falſam, experientiaeque repugnantem, eſſe reiiciendam; ſin vero accipienda ſit de facultate, a natalibus profecta, interdum et ſub quadam conditione faciendi quicquid libuerit, eſſe vagam et ſupervacaneam habendam. Sententiam R. *e pacto ſociali civitatem eſſe dominam omnium bonorum, quae civibus ſint,* niſi intra fines ſuos coerceatur, eſſe falſam. Eiusmodi eſſe etiam notionem *poteſtatis abſolutae, quam natura det cuilibet homini in membra, et pactum ſociale in omnes ſuos.*

Deinde reprehenditur in Ruſſ. illud vitium, multis aliis commune, qui, ut novi aliquid docere, caeterisque acutiores eſſe videantur, ab uſu loquendi recedant, verbisque alium affingant temere ſenſum, quam qui vulgo eis tribuitur, etiamſi eaedem ſententiae ab aliis ſexcenties planius atque diligen-

 tius

tius ſint prolatae. Sic v. c. per *poteſtatem legislatoriam* intelligere Ruſſ. *facultatem conſtituendi conditiones ſocietatis civilis;* et per *ſummum imperantem*, (Souverain,) *populum, quatenus conſtituat leges civitatis fundamentales;* verba *Principis* et *Magiſtratus* promiſcue tanquam Synonyma uſurpari, cum tamen illud ſignificet in ſenſu latiori eum, qui ſit caput Civitatis, hoc vero eum, qui nomine Principis aliquam Reip. partem adminiſtret. *Depoſitum Reipublicae*, (le dépôt du Gouvernement,) quo R. ſit uſus, nec definierit, eſſe plane obſcurum. Sic etiam verba *Democratiae*, *Ariſtocratiae*, et *Monarchiae*, plane novo et inuſitato dici ſenſu, quorum ſignificatio vera et uſu recepta, ex Heineccii Elementis Iuris N. et G. diſci poſſit, qui liber dignus ſit, qui legatur a tironibus. Nec minus obſcura eſſe verba, *Civitas non legibus ſuſtentatur, ſed poteſtate legislatoria.*

Vitium, quod Dialectici vocant *idem per idem*, commiſſum eſſe, A. demonſtrat ex eo, quod R. docuerit, *formam Reip. ſimplicem per ſe eſſe optimam propterea, quod ſimplex ſit.* Tum aliquam R. in iudicando inconſtantiam intelligi ex eo, quod in *libertate* et *aequalitate* civium legum conſilium collocet, cum tamen alibi doceat, homines in ſtatu naturae omnes eſſe liberos et aequales, et ſe, ut occurrerent incommodis, quae ab iſta libertate et aequalitate orirentur, in ſocietatem vitae coiiſſe. Porro alia a R. ſine argumentis proiici, ut rei veritas nullo modo pateat: cuiusmodi eſſe enunciatum illud, *an voluntas generalis errare posſit?* Alia dici alieno loco, v. c. *vim centrifugam aliquam nationes commovere, ut alia adverſus aliam agat;* non enim omnes lectores, niſi phyſicorum peritos, poſſe intelligere, quam vim ac poteſtatem habeat vis centrifuga: item, quod ſub finem libri II. demum exponat *de diviſione legum*, *dicitque, ſe non niſi de legibus politicis agere.* Hinc enim effici ait A. ut, quae praeceſſerint, ſint obſcura, vaga, et difficilia intellectu. Alia vero, quae ad rem pertineant, omitti: v. c. definitionem

liberta-

libertatis. Cum enim neget R. ſe illud verbum ſumere in eo ſenſu, quem Philoſophi vulgo ei tribuant, plane eſſe obſcurum obiicit A. quam vim ſubiici velit. A. defendit Grotium, negantem I. B. et P. I. 3, 8. *ſummam poteſtatem ubique et ſine exceptione eſſe populi, omneque regimen eorum, qui regantur, non qui regant; gratia eſſe inſtitutum*, adverſus criminationes Ruſſ. qui, loco male intellecto, Grotium patronum ac defenſorem tyrannicae dominationis eſſe putat. Denique A. refellit loca, ubi R. a vero prorſus aberraverit: v. c. Ruſſ. arbitratur, *cum omnium antiquiſſima, eaque naturalis ſocietas, ſit coniunctio parentum filiorumque, quae proficiſcatur ab inopia prolis, niſi cura parentum acceſſerit, vinculum illius ſocietatis mutuorumque officiorum tolli, liberis ad eam aetatem adultis, ut ſemetipſi tueri, atque ea, quae ad cultum victumque pertineant, parare posſint; atque cum coniuncti reſtent, illam ſocietatem non a quadam naturae neceſſitate proficiſci, ſed a voluntate paciſcentium libere.* A. obiicit, niſi verba, *ſemetipſi tueri, et ea p[illegible]e, quae ad cultum victumque pertineant*, late accipiantur de officiis naturalibus omnibus, eſſe falſiſſima propterea, quod in ſtatu naturali obedientiam parentibus debitam liberi negligere non poſſint, niſi ea officiis aliis repugnet magis neceſſariis. Deinde a natura ipſa ortum, nec ab arbitrio hominum inductum eſſe hunc ordinem, ut alter alterius auxilio egeat, adeoque aliqua eidem officiorum praeſtandorum obligetur neceſſitate. Denique R. eſſe nimis inconſtantem, quod, cum inſtituerit exponere de hominibus quales ſint, delabatur ad ſtatum naturalem, qui neque usquam apud barbaras gentes ſit, neque unquam fuerit. R. docet, *cum omnes ſint nati aequales ac liberi, neminem alienare ſuam libertatem, niſi utilitatis ſuae gratia:* A. obiicit, auctorem neque probaſſe, neque unquam probaturum eſſe, *omnes eſſe natos aequales ac liberos*, aut *liber-*

tatem a ſe alienare, aut, ſi id poſſit, fieri *propriae utilitatis gratia.*

Etſi R. videtur ſequi hypotheſin Puſendorfii de *pacto ſociali;* tamen ita, ait A. immutat illam, ut niſi prorſum falſa evaſerit, certe non niſi conveniat Democratiae; cum tamen illa Puſendorfii omni ſocietati civili ſit apta. Nam ſi e ſententia R. fundamentum ſocietatis civilis cernitur in defendendis tuendisque civibus ſingulis, eorumque bonis; et quicunque ſe ſocietati alicui adiunxerit, non minus liber reſtat, quam ſi nunquam ſocius evaſerit: hypotheſis neque ſatis generalis eſt, ait A. neque per naturam rei admitti poteſt. Non ſola enim defenſio et ſalus civium ipſorum, eorundemque fortunarum, a ſocietatem facientibus ſpectari poteſt, ſed etiam commodior vivendi ratio. Deinde fieri nequit, ut ſi quis e ſtatu naturae tranſeat in civilem, nihil prorſus libertatis amittat.

Sententia Ruſſ. qui docet, *ſocietate indui moralitatem actionum*, tanquam falſiſſima et bonis moribus pernicioſiſſima, reiicitur. Si enim nihil, niſi quod legibus vel iubetur, vel vetatur, honeſtum aut inhoneſtum putandum eſt: ſequitur, ut neque ingratus animus in vitiis ſit numerandus, neque beneficentia in virtutibus. Nec verior eſt ſententia ea, qua R. contendit, *leges iuſtitiae, niſi ſanctio naturalis acceſſerit, eſſe vanas, quod iuſto malefaciant, et improbo bene, ſi neuter illas neglexerit.* Nam primum Deus tam arctam virtutis et felicitatis eſſe voluit copulationem, ut nunquam fere fieri poſſit, quin vitium cedat in damnum auctoris. Deinde ſi vel maxime intuentibus nonniſi externam hominum conditionem res ſecus ſe habere videatur, tranquillitas animi tamen cum in veris bonis ſit numeranda, neque virtus unquam pernitioſa, neque vitium utile eſt iudicandum. Eiusmodi eſt etiam opinio Ruſſ. contendentis, *te nihil quicquam debere cuipiam, niſi quod promiſeris.* Quis enim eſt tam inhuma-

humanus ac barbarus, ut, ſi vel maxime nulla interceſſerit fides, periclitantibus de vita, quam ſervare poſſit, auxilium ferre recuſet? Reprehenditur R. quod putet, *populo ſemper et ubique eſſe poteſtatem legum mutandarum abrogandarumve*. Nam primum interdum fieri poteſt, ut populus paciſcatur conveniatque, ſe ſine conſenſu alterius, quocum pactionem inierit, leges neque immutaturum, neque plane abrogaturum eſſe. Deinde ſi mutatio ſine detrimento aliquo eius, cui Reſp. commiſſa eſt, et cuius commoda aeque in paciſcendo ſpectata ſunt, fieri nequit: populo per ſe mutandi pacti ius reliquum non eſt. Cum R. *ad actionem aliquam liberam producendam duas cauſas concurrere* dicat, *alteram moralem, alteram phyſicam:* hic aperte inter ſe confunduntur, ait A. cauſa et medium. Reprehenditur etiam R. quod in capite, quo praecipit, non omnem formam Reip. convenire omnibus regionibus, cum Monteskio nimium tribuere videatur *climatibus*, in iudicandis hominum moribus. Etenim, ait A. exemplo Perſarum et Belgarum inprimis conſtat, populos ſub eodem coelo natos, et iisdem in regionibus nutritos, diverſis temporibus, diverſis quoque moribus praeditos eſſe.

Altera parte epiſtolae A. totus eſt in refellendis erroribus, quos R. recenſendis ritibus atque inſtitutis Romanorum commiſit. Verum hic nimio ſtudio contradicendi abreptus, nonnulla male reprehendere nobis videtur. Nam v. c. obiurgat R. quod Romanorum morum ſimplicitatem, magnitudinem animi, liberalitatem, contemtum lucri ac mercaturae, et amorem agriculturae laudaverit, cum profecto mores eorum fuerint valde corrupti. Ab initio enim fuiſſe

latrones,

latrones, raptoresque feminarum; iniuſtos, quod necem Servii Tullii non ulti fuerint, et bellum geſſerint terras occupandi gratia. Has criminationes facile refelleremus, ſi in rebus ſatis notis tempus conſumere luberet. Ceterum ratio, qua A. in referendis Romanorum ritibus atque inſtitutis utitur, nobis minus probatur, ſuſpicionemque de mala fide hiſtorica iniicit ex eo, quod non ad fontes recurrit, ſed rivulos tantum ſectatur. Etenim Roſini, Novoportii, Pitiſci, Vertotii, aliorumque, inprimis Nationis Gallicae, quos A. ſolos ſequitur, non ea exiſtimatur auctoritas, ut quis tuto, et ſine errandi periculo, illorum veſtigiis inſiſtere poſſit in rebus talibus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Novembris Anno MDCCLXVIII.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS, GIVING ſome account of the preſent undertakings, ſtudies, and labours, of the Ingenious, in many conſiderable parts of the World. VOL. XLVII. for the Years 1751. and 1752. reprinted according to the London's Edition.

Wittenberg, by C. C. Dürr, Printer of the Univerſity, 1768. 2 Alph. Tabb. aen. XX. quaternis.

Quas, ſub auſpiciis huius anni, cura et impenſis quatuor Profeſſorum in Academia Wittenbergenſi, Sorore noſtra dilectiſſima, *Langguthii* nimirum, *Boehmeri*, *Titii*, atque *Zeiheri*, Virorum de litteraria republica praeclare meritorum, recudendas nunciavimus Tranſactiones Philoſophicas, Londini ab annis 1751. et 1752. ad noſtra tempora publici iuris factas, eas nunc proſpere coepiſſe publicam in lucem prodire, multa cum voluptate indicamus. Sane ſteterunt promiſſis Editores; imo vero primo hoc Volumine plus praeſtiterunt, quam erant polliciti; noſtramque adeo exſpectationem non modicam, quod fatemur, magnopere ſuperarunt. Eſt enim Opus hoc in chartae auguſtae forma quarta, recentique typo, tam pulchre ac emendate deſcriptum, tantumque eſt adiectarum XX. Tabularum, aeri inciſarum,

rum, artificium, ut Londinenſi etiam exemplo dubiam faciat palmam, additaque duplici quadam dote, mox deſcribenda, nonnullam prae ipſo praerogativam mereatur. Fronti operis primarium decus conciliat Auguſtiſſimum Sereniſſimi Principis Electoris noſtri nomen, cui, Principatus primordia, eo tempore fauſtiſſime capta, ſacraque Natalitia, tum propediem celebranda, Editorum pietas religioſe gratulatur. Sequitur Programma Latinum ac Germanicum, quo, aliquot menſibus ante, nova haec editio nunciata eſt, conditionibus profecto tam aequis, ut, niſi numeroſiores intercedant emtores, indemnes evadere Editores nequeant. In Praefatione, mox ſubiecta, docetur primum, hoc in primis diligenter eſſe praeſtitum, ut ectypus cum archetypo per omnia, per numerum paginarum, in margine Signo ✱ indicatum, perque non mutatum indicem, conſentiret; tum vero notatur, „in Infinitorum Analyſeos exemplis ſigna differentialia, quae Anglis fluxionum vocantur, eorumdemque ab Newtono acceptum quantitates *differentiales* exprimendi modum, cum illis Leibnitii ſignis, modoque, extra Angliam ubique gentium dudum receptiſſimis, permutata eſſe;" quae res gratia atque utilitate ſua omnium punctum facile feret. In primis vero non poſſumus non vehementer probare ac laudare, duplicem illam, cuius modo meminimus, dotem, qua hoc ſuum opus auctum voluerunt Editores; de qua ſic diſſerunt: „Subſtituimus nempe in locum Conſpectus Anglici, titulos ac ſeriem Obſervationum, in fronte libri, nude referentis, Latinum earumdem indicem, ſed modo Lowthorpiano, tantopere comprobato olim, (vide ſis Acta Noſtra, Supplem. Tom. IV. pag. 290.) vereque frugifero, ſuas in Claſſes, Mathematicam, puta, Phyſicam, Medicam, et Miſcellaneam denique, hoc eſt, varii ad humaniores litteras pertinentis argumenti, diſtributarum; indicatis ſimul praeſtantiorum Obſervationum Summariis paulo plenioribus, adiectiſque hinc et inde, ut ſponte veluti, temporis anguſtia preſſis, ſeſe obtulerunt, nonnullis adnotatiun-

ratiunculis.“ Quod ſuum inſtitutum ſicuti iis maxime non ingratum inutileque futurum confidunt, qui, Anglicam neſcientes linguam, curioſiores tamen, perlibenter requirant, quidnam in his Commentariis, laude ſua non defraudandis, tractatum relatumque contineatur, ſuos in uſus forſitan idoneum: ſic in univerſum quoque, ad commodius iudicanda, imo ad iuvanda etiam, ſtudiorum doctrinae incrementa, tenues has opes atque ſymbolas ſuas non omnino nihil facturas eſſe, non una de cauſſa perſuaſisſimum ſibi habent. Tandem vero conſilii ſui rationibus, in Programmate expoſitis, quare ſcilicet maluerint edendas abs ſe Transactiones ſua lingua loqui, easdemque adeo Londinenſi exemplo omnino conſentaneas prodire, unicam hanc, eamque admodum probabilem, addunt, longe nimirum facilius eſſe, ut quis paucorum menſium ſpatio Anglicam linguam addiſcat, et Transactiones, ſua in re, intelligendi facultatem ſibi impetret, quam ut iſtae ſatis accurate in aliam quam linguam convertantur, et ad eos non allidatur ſcopulos, quos *Sterpinus* atque *Sandius*, *Oldenburgio* ac *Morhofio* cenſoribus, non evitaverint. Quid? quod ſic etiam ſe effecturos ſperant, ut non pauci ad addiſcendam Anglorum linguam alliciantur; quum, praeter illam, vix alia, rebus naturalibus apte et concinne deſcribendis, magis conveniat: propterea quod, ex elogio *I. B. Menkenii* noſtri in Orationibus Academicis, ea libertate Angli utantur, ut voces quasque optimas et aptisſimas e variis linguis depromant, et civitate donent.

Quemadmodum in his omnibus facile cum Editoribus conſentimus, Operique, tam bene coepto, aequos ſucceſſus, et fautores ac promotores quamplurimos, ſincere optamus: ſic hanc occaſionem perlibenter amplectimur, vetere noſtro inſtituto, (vid. Acta noſtra ad Ann. 1727. pag. 270.) ea nunc et in poſterum commemorandi, quae in Transactionibus ab Anno 1751. continentur, et in nova hac editione, more Lowthorpiano et Mottiano, in ſuas claſſes et meliorem

ordinem digeſta ſunt. Eorum vero, quae ab Editoribus his obſervationibus addita hinc atque inde ſunt, pro univerſi noſtri inſtituti ratione, breviſſimam tantum faciemus mentionem.

Continentur igitur Claſſe I. MATHEMATICA.

Art. 4. p. 20. TH. SIMPSON Methodus generalis, valorem expresſionis algebraicae, quantitates radicales continentis, ſerie infinita exhibendi; ubi theorema binomiale Newtonianum, aliudque Eiusdem de radicibus aequationum, demonſtrantur. — Elegantis huius tractatus occaſione, *VV. CC. Kaeſtneri*, *Segneri*, ac *Aepini*, merita de hac cauſſa, publico encomio dignisſima, Editores laudant.

Art. 74. pag. 441. FRANC. BLAKE, de Trigonometria ſphaerica ad planum reducta. Peculiaris ac facilis habetur Auct. methodus; *Wolfios* tamen, *Segneros*, *Kaeſtneros*, *Baermannos*, aliosque, utramque Trigonometriam ad unam alteramque regulam felici ſucceſſu reduxiſſe, monetur.

Art. 29. p. 197. *Idem Auctor* Cylindrorum voluminis dati, quibus vi aquae ebullientis vapores motum producunt, lucroſisſimas conſiderat proportiones. — Numeratur in praeſtantisſimis et admodum ingenioſis inventis haec machina, digna quae ulterius perficiatur. Et Cylindros quidem praefert A. maiore baſi et minori altitudine praeditos, licet ipſa machinae huius conſtructio nondum omnibus numeris abſoluta ſit.

Art. 72. p. 436. Machinam, qua aqua ignis ope elevatur, ſive Machinam *Saverii*, eo, ut ipſa ſola agere poſſit, modo emendatam, a *Moura* inventam, I. SMEATON deſcribit. — Num Saverii organon, ex nova quadam epiſtomiorum ac vectium ſtructura et applicatione, quidquam correctum auctumque ſit, dubii prorſus Editores haerent. Vide ſis illam Tab. aen. XIX.

Art.

Art. 82. pag. 494. *Eiusdem* emendationis polyſpaſti, ſ. novae trochlearum combinationis, deſcriptio. — Utrumque trochleas, et iuxta, et infra ſe, diſponendi modum A. coniungit, hoc fine, ut fune circa mediam, aut proximam ei trochleam acto, haud amplius obliqua tractio metuenda ſit. v. Fig. 6. Tab. XVIII.

Art. 56. pag. 352. Inſtrumenti cuiusdam, plano horizontali cognoſcendo idonei, a *Serſon* inventi, brevis deſcriptio, per SHORTUM data. *Shortus*, ut ad perficiendam hanc methodum aliquid conferret, antlia *Smeatoni* perquirit, num ſitus turbinis horizontalis etiam in vacuo habeat locum? aeremque huius ſitus cauſſam minime habendum eſſe experimentis didicit. — Conferri meretur Programma *Ill. Segneri*, Halae 1755. editum, quo theoriam turbinis ſummo perſequutus eſt acumine.

Art. 62. pag. 376. Epitome obſervationum aſtronomicarum, ab *Hallerſteinio* Pekini 1746. et 1747. habitarum, per BEVIS. Potior pars loca Planetarum ad fixarum comparata, micrometro accurate viſa et menſurata, enarrat. Idem *Auguſtin, Hallerſtein*

Art. 50. pag. 319. Inſtrumenta quaedam, in eodem Ieſuitarum Collegio Pekinenſi collecta, recenſet.

Art. 22. pag. 159. Occultatio Veneris per Lunam, tempore diurno Londini a BEVIS obſervata, a. d. 16. Apr. a. 1751. ſt. v. — Uſus eſt A. Inſtrumento tranſitorio *Shorti* tripedali, quod in ſimilibus caſibus maxime commendari meretur.

Art. 30. pag. 201. Subſequitur *Bradleyi* Obſervatio Occultationis Veneris per Lunam, a SHORTO relata; quae teleſcopio reflectenti ſex pedum Grenovici facta eſt.

Art. 49. pag. 317. Eclipſis Lunaris d. 21. Nov. 1751. a SHORTO obſervata.

Art. 28. pag. 164. SHORT de ſingulari quadam Lunae apparentia, A. 1725. d. 16. Aug. n. ſt. quam *Bianchini*, ope teleſcopii 110. ped. Lond. obſervavit, et *Shortus* An. 1751. d. 22. Apr. teleſcopio reflectente 12. ped. a ſe conſpectam confirmavit.

Art. 11. pag. 62. PATRIC. MURDOCKII ad *Rob. Smith* Ep. de medio apogaei lunaris motu; qua A. controverſiam, inter *Buffonum* et *Clairaltum* enatam ſic dirimit, ut commiſſum a *Clairalto* errorem calculo elementari eruat, et leges Newtonianas, pro motu corporum coeleſtium ſtabilitas, corroboret. Lecta eſt d. 31. Ian. 1750.

Art. 38. pag. 263. Epitome Epiſtolae EULERI ad *Wetſteinium*, ſuper quaeſtione ab Acad. Petropolit. propoſita: num theoria *Newtoni* explanandis in motu Lunae irregularitatibus omnibus ſufficiat? id quod cum *Clairalto*, aliter nunc ac nuper ſentiente, adfirmat. Lecta eſt d. 24. Oct. 1751. — Meruit poſtea hoc praemium A. *1753.* idem *Clairaltus*, eiusque diſſertationem, ac *Euleri*, patris, theoriam motus Lunae, laudata Academia typis evulgari curavit.

Art. 43. p. 281. Epiſt. RICH. DUNTHORNEI ad D. *Long*, Cometas recenſet, in veteri quodam Mſto Biblioth. Cantabrig. memoratos, interque illos unum, A. 1264. viſum, poſt 292. annos A. 1556. reducem factum contendit. — Quod dubium maximopere videtur.

Art. 69. pag. 415. Epiſtola IO. SMEATON ad *Io. Ellicot*, de emendanda Antlia pneumatica. Loco unius foraminis, in gula ſeu valvula, ſeptem foramina ſexangularia, ut in fig. 4. Tab. XVIII. videre eſt, ſic componit, ut omnia ſimul veſicam ſuſtentent; aeris etiam comprimendi apparatum, uno ſimplicique epiſtomio regendum, antliae ſuae applicat: vid. Tab. XVIII. fig. 1-5.

Art.

Art. 81. pag. 479. IO. ELLICOT deſcriptio duplicis methodi, irregularem horologii motum, ex actione caloris et frigoris in penduli virga naſcentem, corrigendi; ad quam intelligendam faciunt, quae in Tab. XX. viſuntur, figurae.

Art. 88. pag. 517. IAC. SHORTI Epiſt. de inventore apparatus, quo pendulorum irregularis, a calore et frigore pendens, motus corrigitur. Artificium hoc, quod *Geo. Graham* primus excogitavit, *Harriſonus* primo eſt exſequutus, *Frotheringham*, *Berridge*, *Caſſini*, et *Ellicot*, opera et ſcriptis inſigniter emendarunt.

Claſſe II. PHYSICA.

Art. 3. pag. 4. IO. PRINGLE Tabulae et Obſervationes Thermometricae, Anni 1748. ad Soc. transmiſſae, quum exercitus Anglici in Belgio Medicus mereret. Militis, 103. graduum *Fahrenh.* calorem perferentis, exemplo Auct. hominem intenſiore adhuc, quam quo animalia enecantur, aeſtus gradu vivere poſſe, putat confirmari. — Verumtamen exemplum apud *du Hamel* proſtat puellae, 130. graduum *Reaum.* h. e. 324. grad. *Fahrenh.* aeſtum in furno, ſine ullo ſanitatis detrimento, quadrantis horae ſpatio ſuſtinentis, maiorem forte paſſurae, niſi egredi ex furno iuſſa fuiſſet. vid. *Supplem. au Traité des conſervat. des grains.* Art. 9.

Art. 58. pag. 357. THOM. HEBERDEN Obſervationes meteorologicae, in inſula Madera annis 1747-1750. inſtitutae, ſecundum quas pluvia per annum, ex media quantitate, ad digitos 31. colligitur, et menſes Ianuarii ac Decembres maxime pluvioſi ſunt; itemque

Art. 59. pag. 360. Obſervatio WILH. VAN HAZEN, de quantitate pluviae, quae Lugd. Batav. anno 1751. ad digitos 41. cecidit, pluviis diebus 163. quae noſtris, et alibi in Europa factis obſervationibus, maximam partem reſpondent.

Art. 1. pag. 1. GUIL. SMITH, Ep. de globo igneo, d. 22. Iul. A. 1750. in libero aere viſo; de quo

Art. 2. pag. 3. Ep. HENR. BAKERI nonnulla recenſet. — In qua tamen huius phaenomeni obſervatione plurimum perſpicuitatis et accurationis ab Editoribus deſideratur. Ipſius enim globi diameter, tanta magnitudine, duorum ſc. graduum, Solis diametrum quater fere exſuperans, apparere non potuit; neque caudae magnitudo, a *Smithio* obſervata, reſpondet ei, quam *Bakerus* in litteris ſuis *Folkeſio* commemorat. v. Fig. 1. Tab. I.

Art. 7. pag. 39. Aurora borealis a PETRO GABRII, 1750. d. 27. Febr. n. ſt. Hag. Com. obſervata. v. Fig. 2. Tab. I.

Art. 36. pag. 248. PHIL. CARTERET WEBB, de Iride inverſa, dupliciter in gramine viſa. — Exemplis Auct. cognitis, quae *Rohault* et *Langwith* (non Langrish) habent, addi poſſunt quae *Menzelius* in Eph. N. C. Ao. *1686.* Obſ. 134. Potsdami a ſe viſa pingit ac deſcribit, et quae plura, addita explicatione, allegat *Hanovius*, Phyſic. Tom. II. §. 256. *Iac.* etiam *Bernoullius* Opp. T. I. p. 400. quomodo figura eiusmodi iridis determinetur, docuit.

Art. 52. pag. 330. IOS. PALMER, de fulguris effectibus Southmoltonii in Comitatu Devonienſi obſervatis. — Notari meretur, quod fulmen hoc, turrim percutiens, filis contisque ferreis per muros in templum ductum ſit; ut tot tantaque pericula cavere tandem aliquando diſcamus.

Art. 89. pag. 524. HENR. EELES, de cauſſis Fulminis agit, easque ad electricitatis effectus, inter primos, revocat. — Elegans eſt, et nunc ſatis comprobata animadverſio, quod ex corporibus vicinis, altero fulmine tacto, altero illaeſo, poſterius electricum habendum ſit. Quae autem de diverſa actione fulminis ac pulveris pyrii comminiſcitur, ea non ſatis videntur evicta.

Art.

Art. 91. pag. 534. G. MAZEAS Epp. 5. de Experimentis, fulminis atque ignis electrici eamdem indolem probantibus, cum ſucceſſu in Gallia repetitis.

Art. 92. pag. 553. De ſimilibus experimentis NOLLETUS ad *Watſonum*; cum expoſitione apparatus, quo vis electrica ex nubibus, contis ferreis in altum erectis, derivatur.

Art. 93. pag. 559. Epit. Ep. MYLII et LUDOLFI ad eund. ſuper electricitate aerea. — Omnibus his litteris eo maius eſt ſtatuendum pretium, quod hiſtoria electricitatis, ex nubibus deducendae, ab hoc temporis articulo quaſi primordium trahit.

Art. 44. pag. 289. Ep. BENI. FRANKLINI, Philadelph. 20. Iun. 1751. data, varia de fulguris effectibus commemorat. Ignem electricum, in malis navium apparentem, filo metallico in aquam, ad avertendum periculum, ducendum proponit; et acum magneticam, fulmine, navem feriente, tactam, et prorſus variatam fuiſſe, meminit. — Pulverem autem pyrium electrica ſcintilla, inaudito Europaeis exemplo, quod putat, abs ſe incenſum, in eo magnopere fallitur; Goettingae enim et Dantiſci, idem experimentum, multo ante feliciſsime tentatum captumque eſt.

Art. 95. pag. 565. *Eiusdem* litterae, Draconis electrici mira phaenomena exponentes, quo modo is ad vim electricam nubium, deorſum ducendum, comparatus ſit, oſtendunt; quod experimentum a *Franklino* acceptum,

Art. 96. pag. 567. teſte, in Anglia a variis repetitum, *Watſonus* commemorat. — Idem *de Romas* in Gallia tentavit, ſed maiore dracone: vid. Hiſt. de l'Ac. Roi. des Sc. Par. 1752. et *Hanov.* Phyſ. T. I. §. 812. Praeterea

Art. 31. pag. 202. alia *Franklini* experimenta electrica, ſecum communicata, WATSONUS recenſet. —

Noſtrates, in litteris *Franklini*, Germanice verſis, et *Wilkii* ſtudio et acceſſionibus ornatis, potiora eius inventa deſcripta inveniunt.

Art. 34. pag. 231. WINKLERI experimenta enarrantur de odoribus, ope electricitatis vitra permeantibus; de quorum tamen veritate, experimentis cum globis atque tubis vitreis, ab eodem transmiſsis, ſollicite inſtitutis, nondum convicti Angli, adhuc dubitant. — Sed obſervationes ſuas, binis novis experimentis ab eo tempore V. Cl. confirmaſſe, ex eius litteris, hoc ipſo anno ad Editorum aliquem datis, didicimus.

Art. 61. pag. 362. WATSONUS, de phaenomenis electricitatis in vacuo, quibus, antlia Smeatoniana uſus, didicit, aeris craſſioris abſentia, non modo non impediri electricitatem, ſed ignem etiam electricum, per ſpatium 32. pollicum, ingenti ſplendore tranſiiſſe. Idem confirmari pulchre vidit, in vacuo Torricelliano, quem apparatum Tabula XVI. repraeſentat.

Art. 55. pag. 345. BOHADSCHII Diſſertatio de utilitate electriſationis in curandis morbis, Pragae, 1751. a *Watſono* translata et recenſita, nec ſine cauſſa plagii damnata. — Inprimis exempla morborum, vi electrica curandorum, *Pivati* fide allegata, Bononienſes partim in ſuſpicionem vocarunt, Commentar. T. III. p. 84. C.

Art. 65. pag. 399. BIANCHINI experimenta medicinae electricae, ex verſione et recenſione *Watſoni*, quibus maxime probari videtur, vitrum odoribus fragrantiſſimorum corporum non eſſe vi electrica permeabile, adeoque non extra dubium, etiam medicamentorum virtutes, fluido electrico, tanquam vehiculo, in corpus humanum transferri poſſe.

Art. 48. pag. 315. RICH. SUPPLE de eruptione Veſuvii, coepta 28. Oct. 1751. — Art. 67. p. 409. et Art.

Art. 78. p. 474. de eadem brevis relatio IO. PARKERI, pictoris Anglici; a quibus auctoribus, tanquam teſtibus oculatis, torrens ille igneus, quem Veſuvius tum evomuit, Lava dictus, qua materiam et motum, accurate deſcriptus habetur.

Art. 10. pag. 48. Epitome Obſervatt. in Italica caverna, Grotta dei Cani, ab *Nolleto* factarum; ex quibus potiſſime notandum, thermometrum *Reaum.* extus in aere libro 18. graduum, in ſpelunca ad 29. aſcendiſſe: quare vaporem huius antri non quidem venenatum, ſed nimia aeris raritate ad reſpirationem prorſus ineptum, ipſe expertus iudicat Auctor, ut ex multis etiam aliis experimentis inſtitutis didicit.

Art. 57. p. 353. TH. HEBERDEN Obſervationes in monte Pico, in Tenerifa inſula, inſtitutae; inter reliqua, notatu digna, quae huic monti aut propria, aut cum aliis altioribus ac ignivomis communia ſunt, eius altitudinem 2566. orgyiarum, quae ſex pedibus Lond. conſtent, aeſtimari docent.

Art. 17. pag. 126. Ep. PETR. WARGENTINI, R. Ac. Sc. Suec. Secret. latino, de variatione acus magneticae per auroram borealem, intra diem quinque integros gradus excedente. Quod commercium inter lumen boreale et acum magneticam dudum *Halleius* ſuſpicatus eſt, id *Celſius* deinceps, atque *Hiortenus*, certisſimis experimentis atque obſervationibus evicerunt; quibus nunc Auct. iure meritoque adiungendus eſt. — Additur, *Horrebovium* iam A. 1748. in Elem. Philoſ. Natur. idem phaenomenon ad liquidum perduxiſſe; et *Winklerum* nuper peculiari Programmate rem omnem expoſuiſſe Lipſiae.

Art. 6. pag. 31. IO. CANTONI Magnetes artificiales, nullis naturalibus adhibitis, parandi methodus, c. Tab. II. Fig. 1-6. — Quod inventum, etſi inter primaria Seculi noſtri referri mereatur, quum in compendio exponi nequeat, notaſſe ſatis erit, totam hanc tractationem, Diario,

Biblioth. raiſonnée, T. 47. P. 1. inſertam, illamque, auctam quaſi et Germanice redditam, in Promtuar. Hamburg. legendam eſſe. Poſtquam vero etiam alii duo Angli, *Knight* et *Mitchel*, in eadem re perficienda laborarunt, non ſatis clare expoſito apparatu, conferri merentur Traité ſur les Aimans artificies, traduit de deux Ouvrages Anglois de I. Mitchel et I. Canton, par le Pr. *Rivoire* etc. Paris 1752. c. f. aen. et *Klingenſtiernae* atque *Antheaulmii* ſcripta.

Art. 32. pag. 211. Ep. HENR. ELLISII, de Ventilatoris, ab *Halleſio* inventi, praeſtantia, in nave, cui Magiſter praeerat, variis experimentis probata, cuius ſummum meritum in aere depurando, vitae ſanitatique navigantium adeo proficuo, ponendum eſt. Qua occaſione Auct. refrigerationem aquae in fundo maris, thermometro ad 3900. pedes demiſſo, exploravit; — quam eius temperaturam, cum illa in cavis Obſervatorii Pariſini inventa, conformem deprehendi, additur, licet *Elliſii* obſervatio ſub aequatore inſtituta fuerit.

Art. 80. pag. 477. BENI. RAII deſcriptio tubae aqueae, ſ. marinae (Water-Spout,) in comitatu Lincolnienſi A. 1752. obſervatae, — ſecundum Editt. admodum frigida.

Art. 84. pag. 500. Ep. WILH. HENRY, de Fonte Cupreo, in regione Wicklow, Hiberniae; de qua Cupri Vitriolo impraegnata aqua, in ſequenti Vol. 48. pluribus exponetur. Interea haec omnia, in Germanicam linguam translata, legi poſſunt in *Promtuar. Univerſali* Part. VIII. pag. 230.

Art. 15. pag. 109. IAC. PARSONI Diſſ. de Claſſe Phocae marinae, c. fig. aen. in Tab. VI; — quod animal, ſatis accurate deſcriptum, ad Leones marinos *Stelleri* potiori iure referendum videtur. Conf. *Novi Commentar.* Ac. Sc. *Petrop* T. II. p. 360. et *Promtuar. Hamb.* quod huius deſcriptionis verſionem Germanicam exhibet. Etiam de Leone marino *Pontoppidanus* et *Horrebovius* egerunt, quem *Anſonum* in mari auſtrali quoque vidiſſe obſervatum eſt.

Art.

Art. 20. pag. 146. EIUSD. Relatio de teneriori Cercopitheco, *Sagouin* vulgo dicto, ex deſcriptione *Linnaei*. Simia caudata, auribus villoſis, patulis, cauda hirſutiſſima longiſſima, unguibus ſubulatis, pollicum rotund. quacum Auct. deſcriptio ac delineatio accuratiſſima egregie convenit, inprimisque unguium differentia, a *Kleinio* non animadverſa, pulchre exprimitur. Longitudo eius a naſo ad caudae radicem digitorum $7\frac{1}{2}$, pondus unciarum 12. aeſtimatur; maſculus, femina paullo maior, in Tab. VII. depingitur; deque victu delicatuli animalis paucula ſub finem adduntur.

Art. 50. pag. 319. HALLERSTEINIUS ſub finem epiſtolae, ſupra iam ex parte laudatae, animalis Moſchiferi, (damulae odoriferae,) in finibus imperii Sinici degentis, aliquam mentionem iniicit, idemque in Tab. XIV. depingit; cuius exactam deſcriptionem, hic deſideratam, ſuppeditat *P. F. Gmelin*, in Diſſ. de ſpecifico antidoto novo adverſus morſus animal. rabid. Tubing. 1750.

Art. 71. pag. 429. IO. BOND de Machina Cetis feriendis idonea, ut iacula e longinquo ſecurius proiici poſſint; quare baliſtam veterum iis accommodare ſuadet.

Art. 8. p. 40. COLLINSONI Obſervationes quaedam de Cancro marino, *Kleinio* communicatae, de ſingulari eius facultate, qua pedes ſuos diffringere, removere, ac novos ſubſtituere valeat; quod phaenomenon Auct. omnium primus propoſuerat, *Kleinius* autem, nunc plene convictus, in dubium olim vocaverat. Conf. Commentar. Soc. Dantiſc. Vol. II. p. 199. quibus rei huius hiſtoriam *Kleinius* inſeruit, eandemque iconibus illuſtravit.

Art. 73. pag. 439. IAC. PARSONI Ep. de teſtis Cancrorum. — Propoſitae Auct. hypotheſi haud prius accedendum putatur, quam conſtet, num et haec Cancri ſpecies, ut reliquae, in Ventriculo ſuo Calculos incluſos habeat nec ne? id quod in eius hiſtoria adhuc deſideretur.

Art. 26. pag. 184. IO. HARRISONI Epp. II. Cantabrigiae in Nova Anglia datae, de nova Veſpae ſpecie. — Et veſpam et domicilium curioſius deſcribit Auct. et aliquam inter easdem et apes comparationem inſtituit.

Art. 14. pag. 95. VITALIANI DONATI, Inventa nova ad Coralliorum hiſtoriam ſpectantia. c. Tab. III. IV. et V. — Eaden. haec in maiore eius opere, et in epitome *Rubbi* Italica, occurrunt; nec non in huius verſione Germanica, Halae 1750. edita.

Art. 75. pag. 445-469. PEYSSONNELLI Tractatus MStus de Corallis, contractus et Anglice verſus per *Wilh. Watſon.* — Inſigni eruditionis apparatu, et experimentorum copia, Corallia et reliqua marina producta, e. c. madreporas, poros, eſcharam, non inter plantas marinas cum *Boccone* et *Marſilio* referendas, ſed opus eſſe inſectorum, urticae praeſertim, ſeu polypi marini, demonſtrat.

Art. 86. p. 505. IAC. PARSONI Ep. de formatione Coralliorum et Corallinorum. — Paulo ante recenſitam *Peyſſonnelli* novam opinionem impugnat, variis contendens argumentis, Corallia non poſſe inſectorum opera efformari; ex habitaculo eorum ad operam et opificia non ſtatim poſſe concludi; ſecuritatis gratia ſe eadem in corpora marina, fibroſa et poroſa, ſolere recipere. Sunt praeter *Kleinium*, et Hiſt. Naturalis ſcriptores alii, qui *Peyſſonnello* hac in re adverſantur.

Art. 24. pag. 166. Catalogus L. Plantarum Horti Chelſeyani etc. Ao 1750. per WILMERUM, ut mos eſt, ſec. ordinem litterarum inſtructus.

Art. 64. pag. 396. EIUSD. Catalogus L. Plantar. ad a. 1751. Hortum Societatis pharmaceuticae, Chelſei prope Londinum a. 1723. ea lege Societati conceſſit Ill. *Sloane*, ut quotannis 50. novas plantas introducant, donec numerus 2000. extiterit. Hinc primum indicem edidit, ao.

1739.

1739. *Iſ. Randius;* et nunc Horti huius curam iam diu gerit expertus ille hortulanus, *Phil. Millerus:* ex quo adeo viridario res herbaria egregia augmenta hactenus accepit.

Art. 83. pag. 498. Epitome Ep. a DIXON ad *Watſonum* datae, de globis vegetabilibus, in fundo cuiusdam lacus copioſe repertis, Conſervae globoſae ſpeciem ſec. *Watſonum* conſtituentibus.

Art. 35. pag. 241. WATSONI brevis relatio de horto Epiſcopi Londinenſis, qui Fulhami eſt, cura ac ſumtibus *Henr. Comptoni*, Epiſcopi Londin. a. 1675. fundato, et ad a. 1713. egregie conſervato. Diſcimus exemplo 33. Arborum, a *Watſono* recenſitarum, in quibus *Pavia* et *Benzoin*, quam commode peregrinarum ſtirpium quamplurimae alieno et liberiori aeri aſſuefieri poſſint.

Art. 25. pag. 169. Eiusd. WATSONI Obſervationes, ad Sexum florum pertinentes, occaſione Ep. de eadem materia a *Mylio* Berolini ſcriptae. Praemiſſis nonnullis de faecundatione Palmae feminae, Berolini a *Gleditſchio* inſtituta, et *Kaempferi* cumprimis teſtimonio illuſtrata, aliisque de ſexu plantarum in genere, abunde nunc cognitis, duplici exemplo receptam doctrinam de luſu ſexus admodum frequenti, deque a *Linnaeo* ſtabilitis Monoeciarum, inprimis Dioeciarum, Claſſibus, reiiciendis potius, quam conſervandis, confirmat, *Millerum*que in Moro, et *Rathgeb* in Lentiſco, Venetiis obſervaſſe commemorat, easdem has arbores, iuniores ſi ſint, maſculos tantum flores ferre, adultiores autem factas etiam fructus exhibere.

Art. 46. p. 301. EIUSD. Relatio de arbore Cinnamomi, cuius Corticis et Ligni fruſtum ſatis conſpicuum, ex India per *Beni. Robins* ad Dr. *Lotherland* miſſum, Auctor accepit, deque eius hiſtoria et fatis, nonnullis repetitis, monet, optimum provenire in inſula Ceylon.

Art.

Art. 70. pag. 428. IDEM de Aphyllo *Io. Bauh.* et Dentaria heptaphylla *Cluſ.* refert, ſe utramque in regione Middleſex prope Harefield inveniſſe, et priorem quidem alio natali loco, quam quo ſe illam reperiſſe *Raius* memorat. Haec Squammaria *Rivini* eſt, ad Lathraeam a *Linnaeo* per curas demum poſteriores relata.

Claſſe III. MEDICA.

Art. 27. pag. 188. Ep. T. COE de Homine valde obeſo, a. 1750. Camudolani in Eſſexia mortuo, annos 30. nato, pondus 616. libr. explente. — *Sennertus* exemplum habet non diſſimile viri, in publicum tamen prodeuntis, ſupra 600. libr. pendentis, non 400, ut Auct. *Allenium* et *Chambers* emendandos putat; cui, *Riolani* Sen. duo Rabbini ventroſiſſimi, et puella 3. annor. ponderis quaſi 82. libr. a *Kaeſtnero* in Promtuar. Hamburg. deſcripta, aſſociantur.

Art 42. pag. 278. Epit. Litterarum IO. BROWNING, de homine quodam Nano, 15. annor. 2. ped. 7. poll. longo, pondo libr. 13. quod infans recens natus ſaepe exſuperat. Fuit ad ann. 7. ſatis alacris, tumque ponderis libr. 19. ab eo tempore ad ſummam maciem paullatim redactus. — Similia exempla ex *Transact.* No. 495. Art. 10. et ex *Vandermondei* Diario, T. 12. pag. 167. notatu fere digniora, ſubiiciuntur.

Art. 19. pag. 142. IAC. PARSONI Ep. de Hermaphrodito Londini viſo, potiori iure ad chorum feminarum, longiore clitoride ſexum virilem mentientium, referendo; — quod exemplis, in Commentar. Petropolit. T. I. in Collect. Breslavienſ. An. 1719. itemque a *Mertrudo* et *Morando* deſcriptis, confirmatur.

Art. 60. pag. 360. THOM. PERCIVAL Deſcriptio et Delineatio Infantis duplicati, ſive femellae bicorporae, maioris ſatis perfectae, minoris mutilatae ac monſtroſae,

Sororis

Sororis Sterno adhaerentis. — Fratris, pectori fratris con-nati pulcherrimum exemplum, *Bartholin*. Hiſt. Anat. Rar. Cent. I. O. 66. habet.

Art. 37. pag. 253. Epit. aliquot Epp. ab IO. HUX-HAM et MICH. TRIPE ſcriptarum, de Cadavere, Staver-tonii in cella quadam concamerata templi, poſt annos 80 integro, et ſine putredine reperto. — Tria eiusmodi cadavera, per annos 60. incorrupta ſervata, memorat Promtuar. Hamburg. T. 9. p. 586.

Art. 47. pag. 305. CAR. MORTONI Disquiſitio de cauſſis motus voluntarii muſculorum; qua evincere conatur, motum muſculorum voluntarium eſſe ſenſationem acutiſſimam, velociſſime peragendam, ſenſusque adeo et motum nervos male diſtingui. — Sed iſta hypotheſis, pugnantia coniungens, non admodum probatur.

Art. 12. pag. 75. HERISSANT Experimenta cum veneno *Lamaſenſi* et *Ticunaſenſi* in vivis animalibus facta, Gallice deſcripta et verſa. Ab oppidulo *Lamas*, et gente *Ticunaſenſi*, nominantur, et ex plantis ſcandentibus, Gall. *Lianes* vocatis, coquuntur; quorum primam mentionem *Condaminius* fecit, et deſcriptionem deinceps dedit *Bomare* in Dictionario.

Art. 28. p. 194. Ep. IO. STEDMANNI, de effectibus Hyoſcyami albi; quos, quum *Watſonus* nigro potius adſcribendos moneat, Editores evincunt, utramque plantam merito ſuſpectam ac noxiam habendam eſſe, modumque oſtendunt, quo Hyoſcyami nigri folia calorem albidum induere potuerint.

Art. 41. pag. 273. GEOFFROY Obſervationes de Vitro Antimonii cerato, in variis morbis pertinacioribus, fluore albo cumprimis, laudato, et in dyſenteria magno, et *van Swietenio* frequentato remedio, *Pringlio* tamen non ita probato. Vitri huius cum cera combinationem, inter primos docent *Edimburgenſes* Tomo 5.

Art. 94. pag. 560. FAGET Obſervationes de remedio ſtyptico, a *Broſſardo* circa A. 1750. invento, *Agarico* ſc. pedis equini facie, annoſioribus innaſcente quercubus. — Ut fungus ille Chirurgorum, *Boviſta*, huic invento anſam procul dubio dedit: ſic fungis etiam Betulae, Fagi, Ulmi, Carpini, itemque illi Vinoſo, in doliis et muris cellarum creſcenti, eadem virtus competit; quod copioſius in Promtuar. Univ. Nat. Art et Scient. P. 6. et apud *de Bomare* et *Cranzium*, expoſitum reperitur.

Art. 5. pag. 27. Ep. GEORG. BAYLY, de uſu corticis Chinae Chinae in Variolis, malignis praecipue, confluentibus ac gangraenoſis; quibus obſervationibus egregie confirmantur, quae *Morton* atque *Moore*, itemque *Huxham*, *Pringle*, *Werlhof*, de divina eiusdem virtute in dictis morbis dudum propoſuerunt, quamque Editores in illa, A. 1757. populariter graſſante, maligna et petechiali febre, abunde comprobatam experti ſunt.

Art. 9. pag. 43. et Art. 77. pag. 472. Ill. HOR. WALPOLE Relatio ab ipſomet exarata, de Calculo, quo laboraverat, cuiusque diris a cruciatibus liberatus eſt, uſu Saponis, et aquae calcis vivae, ex oſtrearum teſtis calcinatis paratae, ex conſilio Edimburgenſium, Vol. 5; quo lithontripticum illud Anglicanum *Io. Stephens* mirifice confirmatur.

Art. 39. pag. 265. Epit. Epp. II. CAR. ALSTONII, de Calcis vivae ſingulari proprietate, ſuam virtutem per tres tantum annos conſervante, numquam ante obſervata; quam in rem conſulendus in primis eſt, qui hoc argumentum de Calce viva recentiſſime ac ſolidisſime tractavit, *I. Fr. Meyer*, Pharmacop. Osnabrug. in Tentaminib. Chem. germanice conſcriptis A. 1764. et *Crantzius* quoque evoluendus.

Art. 16. pag. 123. Relatio de Iliaca paſſione, ab inteſtinorum craſſorum paralyſi orta, ex repreſſis praeſertim rheumatismis. Propinatus propter alvum valde adſtrictam

mercur

mercurius vivus, neque tamen per inferiora cum excrementis eiectus, ſed per ſuperiora cum iisdem ex parte reiectus, poſtque fata, caeco inteſtino gangraenoſo ac perforato, in cavum abdominis effuſus, quam caute cum illo mercandum ſit, ſatis evidenter docet.

Art. 62. pag. 384. et Art. 87. p. 514. MORDACH MACKENZIE Relatio de Peſte Conſtantinopoli ſaeviente, aliquot epiſtolis comprehenſa. Vidit illam per 20. annos ſporadice ſaepius, quam epidemice graſſantem, perque unicum annum Conſtantinopolim ab iſto malo liberam; docetque, diſpoſitos illam adgredi, per contactum propagatam tantum, absque tradita ambienti aeri malignitate: quare foribus clauſis tuti vivant, etiam in proximis aedibus ſaeviente lue.

Art. 76. pag. 470. RICH. BROOKE Ep. de Inſitione Variolarum; rectius, de nova methodo Variolas excitandi per contactum. Fuſius hanc ſuam methodum, eodem fere tempore, expoſuit *Auctor* in Diario, viris ingeniis dicato, (The Gentleman's Magazine,) ad An. 1752. ſibique incruentam hanc chirurgiam in aliquot infantibus ad votum ſucceſſiſſe commemorat: ſed eodem experimento, a Dr. *Conyers* in quatuor infantibus deinceps inſtituto, eventus ſpem fefellit, in eorum nullo nec febre varioloſa, nec variolis excitatis.

Art. 85. pag. 503. Epit. Epiſtolar. de ſucceſſu quem Variolarum Inſitio *Genevae* habuit, circa An. 1751. longe exoptatiſſimo; deque novo experimento, motu in conſueto loco per veſicatorium, diſſectaque veſicula, excoriatae parti pulvillum, varioloſo pure intinctum, ſuperimponendi, feliciter capto.

Art. 97. pag. 570. Epit. Epiſtolae BROWNI, Sariſberiae datae, de Inſitionis Variolarum ſucceſſu ibidem obſervato. Ex 422. Subiectis, intra 6. menſes inoculatis, 4 morti praeda ceſſerunt, uno magis per negligentiam oppreſſo; 5. aut 6. repetita licet chirurgia, variolas non experta ſunt. —

Laetiora longe huius efficaciſſimae medicinae experimenta cepit *Davides Schultz*, in Suecia, inter 7. ad 8000. hominum nullo neque mortuo, neque in minimo periculo verſato, cuius rei fidem inprimis facit *I. A. Murray* Hiſt. Inſit. Variol. Suec. Gotting. 1767.

Art. 68. pag. 412. THOM. WILBRAHAMI Relatio de Hydrophobiae quodam caſu, viri annor. 30. a cane in manu altera leviter admorſi, vulnuſculo mox ſanato, ſanitate nihil quidquam interrupta. Sed poſt 9. menſes, praeter opinionem, primum vomitu, altero die hydrophobia, corripitur, morbo iam quarto die diris cum ſymptomatibus ad faſtigium perducto.

Art. 13. pag. 92. TH. DEBENHAMI Obſervatio de femina, ex cuius corpore oſſa fetus extracta fuerunt. Femina 44. annor. 7. liberorum mater, ſentit dolores ad partum, pauco ſanguine effuſo ceſſantes; poſt annum integrum dolores iterum vehementes ingruunt, propinato anodyno paullum cedentes; paulo poſt dolor, tumor, rubor circa umbilicum; aperto tumore, atque ampliato vulnere, oſſa fetus exeunt atque eximuntur, laeſis ab oſſiculis inteſtinis faeces etiam hoc loco egrediuntur, et oſſa quaedam per vaginam excernuntur, aegra deinceps feliciter perſanata.

Art. 90. pag. 530. *Epit.* Epiſtolar. II. TH. HOPE, Pariſiis ſcriptarum, de methodo *Davieli*, medendi Cataractae; cui inventi gloriam adſerit, et felicem huius methodi eventum teſtis oculatus depraedicat; quam in rem conferri volunt Editores Commentar. Medic. Lipſ. Voll. II. et XIII. in elogio *Davieli* commemorantes, hanc operationem ab Ac. Reg. Sc. Pariſ. A. 1707. iam problematice propoſitam, poſt A. 1730. vel millies ab hoc laudato Chirurgo dexterrimo, exoptato ſemper cum ſucceſſu fuiſſe inſtitutam.

Art. 66. pag. 407. Relatio IOS. WARNERI, de operatione Empyematis feliciter praeſtita, interque 10. et 11. coſtam,

coſtam, 4. pollices a vertebris, ſcalpello peracta, puris unciis 20. emisſis, aegroque, mox remittentibus ſymptomatibus, intra 6. hebdomadas integrae ſanitati reſtituto.

Art. 79. pag. 475. IDEM de fruſto osſis, una cum calculo ex feminae veſica urinaria feliciter extracto, urethra oblique inciſa, aegraque, iam altero die urinam retinente, mox integre curata. Fruſtulum osſis nucleum calculi conſtituit, eiusque canitates lapidoſis et piloſis particulis refertae comparuerunt.

Art. 40. pag. 267. Relatio de nuper inventa acu triquetra ad perforandum hydrocephalum, auct. LE CAT, figuris in Tab. X. expresſis. Apparatu hoc, licet admodum ingenioſe excogitato adhibitoque, eventus tamen expectationi non reſpondit, infante quinto poſt operationem die mortuo.

Art. 45. pag. 292. EIUSDEM Obſervationes de fungoſis veſicae urinariae excreſcentiis, in vidua, calculo aliquot annos laborare credita, inciſo veſicae collo, repertis, partim extractis, partim contritis, aegra tamen poſt duo dies violenta febre extincta. Inſtrumenta operationi apta reddita, cum veſica excreſcentiis obſita, in Tabb. XI. XII. XIII. delineata ſiſtuntur.

Art. 51. pag. 324. EIUSDEM epiſtola de duobus Herniarum generibus admodum raris; altera, per rupturam peritonaei facta ſacco tamen adhuc comprehenſa, in Tab. XV. depicta; altera per peritonaei dilatationem orjunda, duobus veris ſaccis incluſa; cum duabus aliis obſervationibus Anatomicis.

Art. 54. pag. 341. EIUSDEM Anatomica diſſectio Herniae, in Tab. XVII. delineatae, et in *Transactionib.* No. 460. iam communicatae ac deſcriptae; poſt fatum aegrae incurabilis, cum ano praeternaturali olim ex noſodochio diſcedentis, nunc autem reverſae, cultro anatomico inveſtigatae.

Claſſe IV. MISCELLANEA.

Art. 53. pag. 333. Ep. IAC. DODSONI, de ratione, qua indices hominum quovis anno demortuorum, utiliores reddi queant; ſc. notando eos, qui in loco conditorum indicum nati moriuntur; indicando ſexus ſequioris morbos; ſollicite connotando aetates vitae humanae provectiones, praeſertim intra annos 40. 45. 50. quorum plurima iam ſatis excuſſit *Süſsmilchius*.

Art. 18. pag. 131. Epit. Litterarum, per FREEMANN Neapoli miſſarum, de ruinis urbis Herculanei dictae; cuius ſitus deſcribitur, et pars theatri diruti, ſed nondum prorſus eruti. — Obſervant tamen Editores, cum iſta deſcriptione non prorſus conſentire, quae *Requier* in Recueil hiſtorique et critique etc. Pariſ. 1754. obſervata habeat.

Art. 21. pag. 150. Epit. Epiſtolae, Neapoli *miſſae*, de Herculaneo, continentis deſcriptionem loci, et quidquid ibidem inventum ſit.

Art. 33. pag. 216. Obſervationes TH. PERCIVAL, de Romanorum coloniis et ſtativis, in Comitatibus Ceſtrienſi et Lancaſtrienſi, c. Figg. in Tabb. VIII. et IX. delineatis; quos duo poſteriores Articulos, in ſequenti Volumine recenſendos ſibi ſervant Editores, chartae anguſtia hic excluſi.

CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII OPUSCULA varii Argumenti.

Altenburgi, ex Officina Richteria, CIↃ IↃ CCLXVI. plagg. 21. in 8.

In vario quamvis argumento hi libelli, unum tamen genus ſcriptorum referunt. Etenim omnes ingenium non vulgare

gare aut mediocre; multam et accuratam veterum lectionem; libertatem ingenuam cum modeſtia coniunctam; in veterum libris interpretandis, locisque ſingulis penſitandis aeſtimandisque, acumen et ſolertiam; denique in eorum inſtitutis, praeceptis, et artibus, ad uſum transferendis, peritiam facultatemque felicem, teſtantur. Unde recte fecit Auctor, qui moveri ſe paſſus eſt amicorum hortationibus, quibus effectum eſt, ut nullo ipſorum damno, plurimi in eiusdem tum iis commodi, haec ſcripta coniunctim relegendi, ſervandique, ſocietatem venirent.

Prima eſt diſſertatio de *Lipſii latinitate.* Pauca, tanquam minus huc pertinentia, de moribus viri attinguntur. Lipſii latinitas, quod ex primis eius ſcriptis intelligitur, primum ad Ciceronis imitationem conformata fuit. Cum autem quosdam ſui temporis iſtam aemulationem eo usque videret intendere, ut nihil, quod in Cicerone non legeretur, verbum nullum, nullam dicendi formam, in ſuis ſcriptis auderent ponere, parum illi ſolliciti, an vim quoque et animam orationis Ciceronianae referrent; revocatus a ſtudio priſtino, omiſſis coaetaneorum tricis, peculiarem ſibi orationis fingendae formam adſcivit, quam non iam diceres Ciceroni, vel Caeſari, vel Nepoti, vel Livio ſimilem, ſed ex omnibus antiqui temporis ſcriptoribus, maxime tamen ex ſe ipſa expreſſam. Num in eo recte fecit? Fatendum eſt. Nam ſemel latinitatis priſcae terminis conſtitutis, ex omnibus ſcriptoribus, quibus opus eſt, ea ad uſum in ſcribendo transferre licet. Si tamen ulla eſt ei cum quoquam ſimilitudo, certe eſt cum Seneca: quod nonnullos ſic interpretari meminimus, quaſi, qui Ciceronis copiam, auctoritatem, gravitatemque in dicendo ſcribendoque, aſſequi ſe poſſe deſperaſſet, converterit animum ad Senecae brevitatem, acumina, luſusque verborum exprimendos. Reprehenſum ſe, quin etiam vituperatum ab hominibus ſui temporis, ipſe loquitur; fecerunt idem, qui poſtea venerunt; quorum nonnulli,

nulli, ob invidiam, malignitatem, et reprehendendi ſere-ciam, breviter dimittuntur, alii alia de cauſſa non audiuntur. Quid autem accuſant? brevitatem; antiqua verba, obſcuritatem. Videamus de ſingulis. In primo crimine diluendo reſpiciendum eſt ad argumentum ſcriptorum Lipſii. Hoc brevitatem hancce ferebat. Iidem ſcriptores porro, in diverſi generis libris non eamdem rationem ſcribendi ſervant. Virgilius aliter in Eclogis, quam in Aeneide ſcribit: Cicero in Epiſtolis ad Atticum aliter, quam in orationibus vel in philoſophicis. Neque vero arguta ſententioſaque dictio eſt in vitio reponenda. Quod ad alterum attinet, ad antiqua verba, ſi forte Plantina intelliguntur, ipſe ſe Lipſius defendit, qui Plauti lectionem alicubi ſcribit, *ſtilum perficere*. Poterit illud adiungi, quod ipſe Cicero Plautinis Terentianisque uti non refugerit. Conſiderentur rurſus Lipſii libri. In Antiquitates illuſtrantibus, et Criticis libris, hoc ferendum. Nec minus in Epiſtolis, in quibus ſcribit ad viros doctos, qui magis quam reliqui, quorum in manus forte *veniant*, reſpiciuntur. Ait Lipſius, *ſunt opinione alia*, *alia natura antiqua*, utique pro doctorum, vel indoctorum ſenſu. His remotis, concidit quoque tertium. Nam et hoc crimen tantum reſpectu legentium viget. Qui in aliqua diſciplina hoſpes eſt, ut qui in mathematicis, ei libros ad eam pertinentes obſcuros eſſe neceſſe eſt, quos quidem alii, gnari eius, nulla difficultate intelligunt et interpretantur. Sic qui morbo regio laborat, ei omnia flaveſcunt: qui parum latinis litteris eſt exercitatus, ei ubique occurrit in quo haereat. At adſperſit Graecorum verba. Hoc fecerunt alii. Sufficit in orationibus non feciſſe. Eius exemplum corrupit iuventutem. Non ſua culpa. Male, ſi qui, cum non poſſent, idem tentaverunt. Ergo qualis tandem ſit Lipſiana oratio, ipſius verbis cognoſcitur. Vindicat enim ſibi *ſtilum habere aliquid eruditum, et acre, et non calcatum*. Auctor ſententiam ſuam declarat his verbis: „Eſt enim illius oratio brevis, parca, fortis, virilis, vivida, doctum aliquid ſpirat, ab omnibus „leno-

„lenociniis et a fuco remota quidem, ſed iucunda tamen et „ſuavis, adſtricta verbis, ſed plena ſucci et ſanguinis. Mem„bra ſunt crebra et abrupta: interrogationes et exclamatio„nes frequentes: ſtructura verborum arcta et preſſa, ſed fa„cilis eadem atque illaborata, illaboratae certe ſpeciem ha„bet: ſententiae ſunt novae, acutae, et inexſpectatae: pauca „ſaepe verba praeclaras ſententias continent: verba ipſa la„tina, pura, caſta, interdum, ubi locus eis aptus, priſca et „antiqua: adſperſi ſubinde verſiculi, ſententiae veterum, „proverbia: ex antiquis dictis, et priſcis ritibus, orationis Ve„neres ſaepe derivatae: lepores adſunt permulti, et amabi„lis quaedam venuſtas: brevitas eſt ſimplex, non arida, non „frigida, non elumbis, non adfectata, et iucunda et fortis: „nulla obſcuritas, nullae tenebrae etc."

[Sed fortaſſe illa brevitas Lipſianae orationis, una cum brevitate Senecae, quacum convenit, non quod ex ea expreſſa ſit, ſed quod ſponte ad eam inclinaverit, intercidit. Certe brevitas non recte iudicatur punctis crebrioribus. Alioquin in ſermone imperitorum, et mulierculaɾum, et puerorum, mira eſſet brevitas, cum contra habeat. Caret Hebraeorum ſermo periodis, crebrae ſunt interpunctiones. Nemo tamen de brevitate gaudeat, ſi quis amicus ſit, ſed plurima, quae abundent, repererit. Auſim hoc affirmare, meque hoc aequis rerum aeſtimatoribus probaturum ſpero, argumentis denique, ſi quis dubitet, planum facere poſſe, maiorem multo eſſe Senecae, quam Ciceronis, loquacitatem verboſitatemque. Unde haec? ex neglectu periodorum. Periodi huius quamvis longae, plus habent brevitatis, quam illius crebra puncta. Vitium eſt commune etiam noſtris hominibus, qui, quod certam periodorum legem neſciunt cum aliquid ſcribendum eſt, vel, ut in circulis matronarum, ſolutas quasque ſententias ſpargunt, vel corrupto ordine orationem impediunt. Hinc brevitatem quoque eorum, qui longas periodos trahunt, notari videmus. Thucydidem

nonne ſcimus brevitate notum, eoque nomine obſcurum, periodorum tamen longitudine omnibus ſatisfacere? Quid? huius imitatores Salluſtius, Tacitus, diverſi ſunt a Senecae dictione, et tamen breves.]

Iſta quidem, cum primum inter ſodales Latinos Ienae receptus eſſet, ex more *K*. diſputavit. Ex officio autem et pro tempore ea, quae initium huius diſputationis faciunt, quae ſeparatam ab reliquo argumento tractationem habent, et ad grati animi ſenſum, argumentis idoneis declarandum, referuntur. In videndis, quae rei cauſſaeque conveniant, ſollertem, et in eloquendo amplum, copioſum, artificemque non vulgarem, probant et reliquae orationes. Iſtarum duo adhuc ad eandem ſocietatem pertinent. Altera, qua dignitatem utilitatemque ſtudiorum humanitatis laudat; altera quam ſub diſceſſu recitavit, qua Ienenſem iuventutem, ad contuenda magnorum in iſta urbe in quacunque *parte doctrinae* virorum exempla, ab avorum memoria *repetita*, graviter cohortatur. In oratione, eodem loco habita, qua dies natalis Amaliae principis Vinarienſis celebratus fuit, preſſo pede Veterum in tali genere exempla ſequitur. Laudatur Amalia primum a natalibus et ſtirpe, deinde a pulchritudine, tum ab ingenio et artibus, mox a cura domus, pietate, iuſtitia, denique cura civium, et potiſſimum Academiae. Sequitur Oratio adeundi muneris profeſſorii cauſſa Goettingae dicta; in qua, non ut vulgo fit, aliquam ex arte ſua materiam tractat, ſed ex re propoſita, et iis quae ea oratori ſubminiſtrat, eleganter diſputat. Omnia ad unam ſummam, grati et perfuſi gaudio animi declarandi, revocantur. Quod fit commemorando, a quo hoc munus acceperit, per quos viros, qui ipſe ſit, quo in loco ſibi nunc vivere liceat, cuius amoenitas laudatur, ipſius muneris ratio quos labores, ſed quam iucundos ſecum ferat, cum ipſi in quotidiana conſuetudine virorum omnis aevi celeberrimorum ſapientiſſimorumque vivendum ſit. Denique civibus, collegis, Academiae univerſae, fidem obſtringit.

Huic

Huic Orationi praemiſſa fuit proluſio, de populari dicendi genere. Querelae ſaepe fiunt de amiſſa eloquentiae priſcae, qua Demoſthenes Philippum exterruit, Cicero Catilinam eiecit, populum concitatum lénivit, iudicum animos vel ad iram provocavit, vel ad miſericordiam flexit, vi et auctoritate. Atqui noſtris temporibus ne quidem opus eſt hominibus iſta veterum eloquentia. Nec in foro et in iudiciis, nec in concionibus multa contentione agendum eſt. In gratulando, in deferendis recipiendisque muneribus et honoribus, fere omnis noſtra ſe eloquentia iactat. Quibus de rebus quae dicere conveniat, ſponte ſe omnia offerunt. Quo magis mirandum eſt, in his quoque viros alioquin non indoctos, quid proferendum ſit neſcire, ad argumenta dicendi quaerenda longe abire, doctas et ſubtiles de arte ſua, aut de quodam doctrinae capite habere. Adeo homines coecutiunt, ut quod deceat, et in medio poſitum ſit, non videant; quae minus conveniant, aliunde non ſine labore arceſſant. Neque vero cogitant, in tali conſeſſu eſſe multos, qui, quoniam de re ab ſua arte profeſſioneque aliena diſputatur, ſudent, aeſtuent, et finem dicendorum exoptent. Qualem ergo tunc Orator ſe gerere debeat, cognoſcitur maxime ex popularitate, quam omnis oratio habere debet, monente Cicerone I. de Orat. c. 3. ubi peccare eos dicit, qui a vulgari ſenſu in dicendo abhorreant. Tum ex damno, quod neglecta iſta popularitas facit litteris earumque exiſtimationi, quaſi qui eas tractarint ſcholae tantum locis, non vitae officiis obeundis ornandisque apti ſint. Porro, ex origine eloquentiae a quaeſtionibus finitis, non infinitis, quae philoſophis relinquuntur, repetendo. Hinc intelligitur popularitatis indoles, de qua Auctor his verbis loquitur: „Popularis igitur Orator, totum animum, omnemque cogitationem in illa re, „quae dicendi occaſionem praebuerit, defiget: non ſolum, „de qua re ſibi dicendum ſit, ſed etiam quid hoc tempus, hunc „locum, hos auditores deceat, videbit: hinc totius orationis „conformandae rationem petet, eamque ita inſtituet, ut quae

„ſibi propoſuerit conſequatur. Indagabit cauſſas a naturam „rei conſiderabit: auditorum ſenſum et voluntates obſervabit: atque inprimis hoc dabit operam, ut mores dicentis „ex oratione pelluceant et quodammodo cognoſcantur, ut „optabilem de prudentia, probitate, benevolentia, modeſtia „ſua, in animis audientium opinionem concitet. Sententiis utetur neque ſubtilioribus, neque obſcuris, eoque dicendi genere, quod ſuae cauſſae maxime accommodatum eſſe „intelligat.“ Ad extremum additur, nullam cauſſam, de qua quidem dicendum ſit, eſſe poſſe tam tenuem, ut Oratorem elinguem deſtituat, nec probabilem dicendi materiem praebeat. Quodſi talis inciderit, tamen refugium Oratori in loco quodam communi, ſed eo, qui ita ſit cum cauſſa coniunctus, ut non quaeſitus, ſed ſponte natus, et unicuique facile reperiendus videatur, paratum eſſe. Hoc artificio Auctorem uſum fuiſſe deprehendiſſe nobis viſi ſumus in oratione, qua Friderico M., Friderici Wilhelmi *Boruſſicae* iuventutis principis, cum Eliſabetha Chriſtina *Ulrica* nuptias, nomine Academiae Halenſis gratulatus eſt, cum ad domus Brunſuicenſis erga Boruſſorum gentem, pietatis, officii meritorumque documenta collaudanda digreditur. Cui audiendae in Programmate de Friderico M. poſtgenitis caro, praemiſſo, quantam haec nuptiarum conciliatio ad amorem ei totius gentis promerendum, et ad poſteros propagandum vim habeat, quantumque iſta laus, reliquas ipſius laudes antecellat, demonſtrare conatur.

In diſſertatione *de felici Horatii audacia* primum eam eſſe fere Lyricis propriam monet; tum deinde in quibus cernatur docet. In initio Odarum abrupto, in continuata per plures ſtrophas ſententia, in perturbato ordine, vel cum animus vehementius commotus eſt, vel extra hanc cauſſam. Hic bene contra plurimos, nec indoctos Horatii interpretes, admonet, verborum Od. IV, 15. *Phoebus volentem proelia me loqui Victas et urbis, increpuit lyra:* ordinem eſſe

eſſe hunc, ut *increpuit* non iungatur cum *lyra*, ſed referatur ad *loqui*, ſic: Phoebus volentem lyra loqui proelia, et victas urbes, increpuit. Porro, in digreſſionibus, in ſaltu ab uno ad aliud, in ſententiis audacibus: verbi cauſſa cum de fama ſua, loquitur, Auguſti laudes celebrat, pulchritudinem pingit, et vim amoris indicat. Veluti cum canit IV. 13. *quae me ſurpuerat mihi:* quod comparat cum Callimachi, qui eodem ſenſu ἁρπάζειν dixit, locis, Epigr. 32. ἔγνων Εὐξίθεός σε συνήρπασε, et ep. 43. Addi poterat Epigr. 47, 3. ἁ Νέμεσίς με συνήρπασε: et, non tantum apud Poetas, ſed reliquos ſcriptores, verbum hoc de vehementiori quadam vi uſurpari. Unum ex pluribus, apud Philonem locum, commemoraſſe iuvat de Plant. N. pag. 219. ὅλον τὸν νοῦν ὑπὸ θείας κατοχῆς συναρπασθεὶς οἴστρῳ. Ex quo ſimul intelligi poteſt, id, quod nobis certe viſum eſt, nimis hic evagatum fuiſſe Auctorem, et ad audaciam ea quoque, quae non oportebat, retuliſſe. Tum ad elocutionem converſus, obſervat audaces figuras, veluti cum, quae hominum ſunt, rebus inanimatis tribuuntur. Mentio fit loci IV, 4, 42. *Dirus per urbis Afer ut Italas, Ceu flamma per taedas, vel Eurus Per Siculas equitavit undas.* Scribit, negari non poſſe, poetam Euro quoque equitandi notionem tribuiſſe: ſed nobis tamen ad *dirus Afer* referri videtur *equitavit*, quocum etiam per temporis praeteriti rationem coniunctum eſt, et per Syllepſin tantum ad flammam et Eurum, ita ut aliud aptius his, qualia ſunt verba *corripere* et *perrumpere*, ex *equitare* ſumatur. Hunc morem in aliis ſcriptorum locis facile agnoverunt et explicarunt interpretes. Vid. Cortii index in Salluſt. voce *Ellipſis:* Drakenborch. ad Silium XII, 64: Erneſti ad Xenophont. Mem. S. II, 1. Od. III, 1, 30. ubi adhuc legebatur — *arbore nunc aquas Culpante nunc torrentia agros Sidera*, putat legendum eſſe *agro:* acute, et, ut opinamur, recte. Sed quam Od. III, 24, 51. attulit, emendationi, *Eradenda Cupidinis Pravis ſunt elementa*, pro *Pravi*, non multum tribuimus: primum propter verba in easdem ſyllabas exeuntia; deinde

 propter

propter ambiguitatem, non enim ſtatim expeditum eſt, utrum Cupidinis elementa parvi h. e. pueri ipſi, an alii in parvis tradere debeant. Utrumque vitium ſollicite cavent poetae et ſcriptores alii. Refert huc porro, rara vetera, et inſolentiora nova verba, qualia ſunt: I, 3. *diſſociabilis*, pro eo qui valet diſſociare. *Catus*, et *decorae more palaeſtrae* I, 2. 1. de quo dubitamus. *Motus civicus* II, 1. *inaudax raptor* III, 20. *mala vino lavere* III, 12. *Mollibit* 23. *clarare* IV, 3. *tutela Deliae deae*, pro eo quem tuetur dea, 16. et alia. Denique Graecismos, quos breviter tangit, et plura ex Vechneri Hellenolexia deſiderantes repetere iubet. Laudamus diligentiam, qua, quidquid fere poeticum nec pedeſtre eſt, obſervatur in hac diſſertatiuncula et explicatur. Quo tamen ipſo audaciae fines nimis dilatatos arbitramur, et ad ea quoque, ad quae ipſe fortaſſe non reſpexit, accommodata Quinctiliani verba, quae toto libello fundamento ſunt, Inſt. Or. X, 1. *Horatius — variis figuris et verbis feliciſſime audax.*

De *Nemoribus in tectis aedium Romanorum* diſſertatio ita deſcripta eſt, ut primum de Luxu Romanorum in univerſum diſputentur quaedam, quo, ſicut inſtitutum fuit fontes intra tecta duci, et alia eiusdem generis, ita hortos, quibus vehementer delectabantur, in tectis haberi coeptum. De inventore nihil certi conſtat. Sergio Oratae quidem a Plinio H. N. IX, 79. et Valerio Max. IX, 1. balneorum penſilium inventio tribuitur; ſed hortorum eiusmodi uſum, ſi quis ex eodem XV, 14. Plinii demum aetate ſuſceptum putet, ſciat, eos iam ab Horatio Epiſt. I, 10, 22. et Tibullo III, 3, 15. commemorari. Petiiſſe autem a Thebanis, aut a Babyloniis, probabile eſt, quorum hortos pendentes accurate deſcribit Diodorus Sic. L. II. p. 98. ed. Hanov. et Curtius V, 1, 32. qui *hortos penſiles* dicit. Sed an apud Romanos quoque hi horti penſiles vocati ſint, in dubitatione eſt. Nam *tonſilis ſylva* apud Senecam Nat. Quaeſt. I. praef. non in *penſilis*, a quo cum Lipſio Ill. Auctor non plane alienus videtur, formanda eſt, cum is locus non clare de hortis in alto

et

et ſuper tecta ſatis, loquatur, adeoque et qui ante fores, aut in porticu fuerint, intelligi poſſint, de quibus et Horatium loqui veroſimile eſt III, 10, 5. *Audis quo ſtrepitu ianua, quo nemus Intra pulchra ſitum tecta remugiat:* ubi *ſatum*, quod eſt multo latinius, cum Bentleio tuto recipiendum ſuademus; contra quem, quae Ill. Auctor dicit, nihil valent. Non fuerunt hi horti iidem cum hortis Adonidis, ſive arbuſculis floribusque e vaſis humo oppletis excreſcentibus, quos more noſtrorum temporum in feneſtris Romani habuiſſe videntur, Martial. XI, 19. Nam ſaepius ſcriptores *ſylvarum* et *nemorum* et *viridariorum* mentionem faciunt: Seneca pater Contr. V, 5. *alunt in ſummis culminibus mentita nemora;* Seneca philoſophus ep. CXXII. Non vivunt contra naturam — *quorum ſylvae in tectis domorum ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egiſſent;* Iauolenus l. 12. Dig. de ſervit. praed. urb. *Aedificia — viridia ſupra eam altitudinem habere poſſunt —*. Virgilii locus VII. Aen. 170. huc trahi non poteſt. Antiquis temporibus, quae recentiorum ſunt, per errorem tribuit Seneca in Thyeſt. v. 464. *nulla culminibus meis Impoſita nutat ſylva.* Quaeritur, quas habuerint in tectis arbores? Auctor reſpondit lotos fuiſſe, Volkharti ſententia, qui amatas platanos quoque putat, reiecta. Verumtamne locus, quem in eam rem affert, Plinii, commemorat quidem lotos, ſed ibi de hortis potius tectis domibusque adiacentibus, quam iisdem impoſitis, ſermo eſt. Deinde quis non intelligat, non unius eiusdemque, ſed varii generis arbores et fruteta fuiſſe, vel ſolo *ſylvae* vocabulo admonitus? De his ſylvis loqui putat Rutilium Itin. v. 111. *Quid loquar incluſas inter laquearia ſylvas? Vernula qua* [nam ſic recte dubio procul legitur] *vario carmine ludat* [vel *ludit*] avis. Quod eſſe non poteſt. Nam *inter laquearia* quomodo aliter intelligamus, quam locos quosdam domus, et cellas magnitudine amplas, ornatuque parietum ſplendidas, quae arbuſcula plantasque illatas, virides ſemper florentesque ſervent; idque et propter ſequentia, *Vere tuo nunquam mulceri*

deſinit

deſinit annus Deliciasque tuas victa tuetur hiems, et propter verbum *incluſas*. Caveae in iis avium quarum, pariendis ovis et excludendis, proles augeretur, Quam poeta *vernulam*, eleganter, hoc eſt domeſticam avem, nominat. Quod Auctor huc trahit Ovidianum illud: *indocili loquax gutture vernat avis*, alienum eſt. Structura talium tectorum, qualis fuerit, facile licet exiſtimare. Exponitur tamen ex mente Lipſii ad Senec. Ep. CXXII. in fine diſſertatiunculae.

De epiſtola ad amicum *de minutiarum ſtudio* et rixandi libidine grammaticorum quorundam, cui libellus contra ſe emiſſus ſcribendae occaſionem dedit, nihil eſt quod dicamus, quam haec pauca, eam nihil vehementis, nihil irati, nihil importuni, nihil minacis habere, contra ſapientiae plurimum, omnia iucunda, iocoſa, adſperſo acumine et narratiunculis, gratiſſima varietate delectantibus, et quamvis longam nullo taedio legi.

Pergimus ad Libellum *de Verecundia Virgilii*. Verecundiam poetae ex ipſius vultu, qualis in Muſei Capitolini Vol. I. Tab. II. exhibetur, Auctor agnoſcit. Sed eandem referunt quoque imagines poetae apud Fulv. Urſinum et Leon. Auguſtinum, mire conſentientes cum eo eius ore, quo offertur in gemma, omnibus antiquitatis notis ſpectanda, de qua tradit b. Chriſtius in programmate a. 1754. edito, et ob hoc ipſum ſuſpecta non habenda. Nam in iſta quidem gemma adoleſcentulus forma egregius, et quam proxime ad eximium virginis ſpecioſae decorem accedens, ſpectatur, hedera coronatus, et canentis in morem labellis leniter hiantibus. In iis autem, coma in cicinnos cirrosque lepide compoſita, atque in tunicis, humero nudato, cultus eſt. Unde laudatus modo Chriſtius iudicandum monet, artifices veterum manus eleganti acumine ſic poetam inter Latinos principem, qui puer forma quoque floruiſſet, reddere in imagine voluiſſe, ut ſpecies illa anceps inter Muſam et poetam,

poetam, divinam ingenii talis vim amplius laudaret. Verecundiae quoque ei Donatus et Servius teſtimonium praebent, ita tamen, ut hanc laudem, libidinis pronioris in pueros crimine tollere videantur. Certe in his, ſicut in ceteris narratiunculis, horum hominum fides ſuſpecta, praeſertim ſi quis cogitet, eorum verba inſuper a deſcriptoribus interpolata, cuius rei non obſcura cernuntur veſtigia. Videnda quae Heynius ad Virgilium nuper diſputavit. Deinde intelligendum eſt, alterum altero non tolli, et bene Ill. Auctor tandem addit: „Verum non licet nobis aliquid „certi de hac re ſtatuere.“ Iis autem eorum hominum verbis, quibus *ore probus* laudatur, ſuperſtruit diſputationem omnem, in qua docet, ab omni verborum obſcoenitate abſtinuiſſe, et rebus turpioribus exprimendis honeſtiores loquendi formas adhibuiſſe, vitaſſe quoque verba quaeque ſordida. Quae laus ipſius, etſi veriſſima ſit, tamen iſta verba ad eam rem non pertinent, quibus non niſi forma laudatur. Graecorum exempla, quae veteres verecundiae in ſermone ſtudioſos fuiſſe probent, larga manu congeruntur. Purgantur deinde loci quidam Virgiliani a turpitudinis nota, ſed ita, ut Auctor in hac re quodammodo laboraſſe nobis videatur. Veluti in interpretando illo Ecl. II. 2. *Delicias domini.* Iterum III, 7. *Parcius iſta viris tamen obiicienda memento.* In his certe nihil turpe, ſi, quod verum, *viris* cum Auctore Cel. explicetur, *nobis*, vel, quod malimus, quoniam illud nimis languet, *imperterritis, nihil timentibus;* ſed reliqua, *Novimus et, qui te, transverſa tuentibus hircis, Et quo ſed faciles Nymphae riſere ſacello,* nondum ſunt perpurgata, non propter faciles, nam nihil vident qui aliter accipiunt, quam *mites, benevolas,* nec cogitant differre *faciles viris*, et *faciles* ſimpliciter, ſed propter cetera. Dicamus paucis. *Et — et* accipiendum videtur pro *cum — tum: qui te,* ellipſin habere verbi alicuius nequitiam indicantis, manente nihilo minus verecundiae laude poetae integra.

Sequuntur Excurſus tres, quorum primus paſtorum in eclogis Virgilii mores examinat. Hic obſervatur, in aliis bene expreſſam ſimplicitatem huic hominum generi communem; in aliis a moribus paſtorum aliena dici, animadvertitur. Interdum enim nimis docte loquuntur Ecl. I, 62. ubi ad indicandam rem, in effectum nunquam venturam, fluviorum, eorumque non vicinorum, ſed magno intervallo ſeiunctorum, mentio fit. Interdum nimis delicate, ut cum aliquis *Ariuſia vina* Ecl. V, 71. fundenda promittit. Nos quidem putamus haec ferri poſſe, cum nonnunquam et ruſtici rebus urbanorum vel nomine tenus gaudeant, et iſta iactantiae ſaepe cauſſa commemorentur a pueris maxime, vel adoleſcentibus, elegantiae laudem prae ceteris appetentibus. In Ecl. II, 11. *Allia ſerpillumque herbas contundit olentes*, ad ſenſum meſſoris et ruſtici contendit explicari debere *bene*, non *male odoratas*, quod neceſſe ſit, iſtas ſuaviter olere meſſoribus quidem. Nos putamus ſimpliciter exponendum *fragrantes*, *valde olentes*. Neque vero quod patientiores ſunt, et magis adſueti ferendo odori gravi et foetori iſti homines, ideo etiam ſuavem et iucundum ſentiunt. Hiſce quaeſtionibus obviam iviſſe putamus Heynium, in diſſertatione praemiſſa eclogis, de Carmine Bucolico: ubi politiores data opera ab Virgilio paſtores induci docet.

Virgilii quarta ecloga, quae vaticinium de Chriſto Servatore continere quibusdam olim viſa eſt, occaſionem Excurſus II. ſuppeditavit. Indicatur autem qui factum ſit, ut profanorum ſcriptorum quoad verba cum ſacris interdum ſimilitudo ſit. Cauſſa nonnulla eſt in deſcriptorum chriſtianorum interpolationibus, quarum aliquot ſpecimina referuntur. Sed iſta diſputatio, ut ipſe Auctor fatetur, nullam cum huius eclogae explicatione coniunctionem habet, in qua ab omni corruptione libera omnia et integra Virgilio relinquit. Et huic quaeſtioni nunc demum ſatisfactum eſt ab Heynio.

Excur-

Excurſus III. explicationes et emendationes quasdam eclogarum poetae continet. Ecl. V, 40. pro, *inducite fontibus umbras*, legit *frontibus*, et exponit, e capreſſo ſerta obvoluite capitibus. Sed nondum nobis perſuadet. Ibid. v. 36. *Candidus inſuetum miratur limen Olympi.* Legendum coniicit *lumen*: ſed videndum an id latinitas ferat, quae potius deſiderat *lucem*. Non magis recte aliquis dixerit, *lumen diei, in lumine urbis vivere*. Aliter apud Ciceronem *lumen curiae* dicitur. Si quid videmus, et aliquid tentandum eſt, legendum arbitramur *culmen Olympi*: nam et *lumen* et *culmen* ſolere confundi, Nic. Heinſius ad Claudianum I. Rapt. Proſ. v. 8. docet; et cum ſequentibus rectius ſic omnia cohaerent:

Candidus inſuetum miratur culmen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et ſidera Daphnis.

BENIAMIN GOTTLIEB LAURENTII BODENI, in Studiorum Univerſitate Wittebergenſi Prof. Publ. Carmen, in triſtem obitum IOANNIS WINCKELMANNI, per inſidias reipublicae litteratae ante diem erepti.

ALEXANDRO ALBANI, EMINENTISSIMO CARdinali, ſummo eius, dum viveret, Patrono, atque omnibus Artium Fautoribus ſacrum.

Vidi recluſos, triſtis, ohe! manet
Infixa triſti viſio pectori.
Vidi per umbram noctis atrae
Terribiles Erebi hiatus.

 Quae

Quae monſtra vidi! Talia non avi,
Quum ſtagna lentae traiicerent Stygis,
Non ante viderunt Ulyſſes
Talia Dardanideſque monſtra.

Altis ſedebat ſub tenebris ſtupor,
Late ſuperbis imperiis tenens
Gentes, diu quem Numen ingens
Pars hominum potior colebat.

Veſana coniux, luminibus carens,
Horrenda viſu, (barbariem vocant,)
Haerebat ad ſponſi ſiniſtram,
Brachia nexa cruenta collo.

Concuſſa tandem regna ſua artibus
Auctis, dolentes, non ſine murmure
Deliberabant, quid ſalutem
Imperii dubiam iuvaret?

Eheu! tyrannum, cui caligae dabant
Cognomen *), artis perniciem, advocant,
Aptum viris truncare colla,
Ac ſtatuas mutilare ſanctas.

Sicis

*) *Caligula.*

Sicis cruentis et laqueis manus
Et os veneno mortifero duplex
Armant in artem, et ſic paratum
Ire iubent ſuperas ad auras.

Parens cruentis imperiis, obit
Suſpecta cultu regna, nefaria
Nunc morte, tollendis patronis
Artificum, nociturus arti.

Morbus, miniſtro barbarico datus
Fidus comes, vim ſufficit improbam,
Si caedis inſtrumenta coeptis,
Sique doli fuerint minores.

In *Chriſtianum*, Saxoniae Decus,
Hic virus efflat peſtiferum, ulcera
Per corpus effundens, et ipſam
Eiiciens animam ſub auras.

Miſcentur aegris compita luctibus,
Artesque plangunt, haud ſecus, ac piae
Proles ademti patris urnae
Cum gemitu illacrymatur alto.

Cernit gementes barbarus, ac ſimul
Caros Alumnos Functi, *Hagedornium*
Unaque *Lippertum* Minervae
Eripere e gremio minatur.

At diva natos protegit aegide.
Vivunt: ſed hoſtis teter anhelitus
Unius (horrente arte) viſum,
Alterius vitiabat aures.

Hinc multa tranſit monſtrum hominis loca,
Sternens et ipſos artifices humi,
Sternens *Hogarthum Vanloum*que
Innumeros aliosque ſternens.

At, cur abes, dic, cur abes, Hercules,
Domare praeſens monſtra ferocia?
Dic, cur abes defenſor acer?
Dux malefide novem ſororum!

Teli ſub ictu eſt, qui lapidi tuo
Dignos honores reſtituit, colens
Numen, te ubi nentem (virorum
Opprobrium) reliqui videbant. *)

Per

*) *Intelligitur Herculis Belvederenſis truncus, qui olim, Batteſio teſte, credebatur exhibere heroem effoeminatum, colum fuſum-*

Per quem revixit, quum nimium diu
Iners iaceret, tecta ſitu horrido,
Ars priſca, *Winckelmannus*, ingens
Gloria Teutoniae, eſt ſub ictu.

Ceſſas tueri vindicem amabilem
Divinitatis? Turpe! Memor ſuae
Formae celebratae per illum
Sero, memor tamen eſt Lyaeus *).

Gratus relicto ſubſidium parat
Armatque thyrſo terribili manum
Cellarii, ſed tardus iſte
Auxiliator adeſt ruenti. **)

Iacet,

fuſumque ducentem inter Omphalae ancillas. Noſter autem Winckelmannus ſuos ei reddebat honores, cognoſcens Herculem, exuta mortalitate, euntem in caelum. Vid. Artis Hiſtoria, p. 369.

*) *Vid. Artis Hiſt.* pag. 161.

**) *Conſtat, in diverſorio Tergeſtano, ubi caedes facta, audito ſtrepitu advolaſſe cellae praefectum, cuius adventus ſicarium quidem, relicta praeda, dedit in fugam, bonum tamen hoſpitem, gravisſimis iam vulneribus adfectum, ex ipſis mortis faucibus amplius eripere non potuit.*

Iacet, iacet vir candidus, artium
Spes una: nil, nil auxilium iuvat,
Sicario ſe, caede facta,
Proripiente Stygis ſub umbras.

Sic dente dentem rodit et aufugit,
Suae ſaluti dum metuit, lupus,
Nec, quam petebat praedo, praedam
Praeripere ore parat cruento.

Sed vulneratus dentibus, unguibus,
Agnus gemit ſub corde, ſuoque ſe,
Stillantibus membris, cruore,
Fronte premendo ſolum, volutat.

Occiſor altos pectore preſſerat
Dolos, amicum ſe ſimulans bonum,
Ac per verendum nomen artis
Fallere doctus erat maligne.

Nil ſuſpicatur, quem Charites ſuo
Candore lactant, fallere neſciae,
Hinc noſter, eheu! palliato
Crediderat male cautus hoſti.

Pectus

Pectus recludit: quidquid habet, patet,
Hoſtique fidens, in penetralia
Antiquitatis ducit iſtum,
Ad Charitum periturus aram.

Ut nauta navi ſaepe ſua perit:
Docto nocebat docta peritia,
Sicaque, fortunae doloſos
Effugiens laqueos, cadebat.

Praeſaga fati non revocabilis
Fruſtra ſibi mens praecinuit necem:
Ceu praecinis fruſtra ſuprema
Fata tibi, moriture cygne!

Exhalat ergo vulnere ſpiritum
Vir maximus: ſed non ſine lacrymis
Ollum oſculis Muſae legentes
Ecipiunt referuntque ad aſtra.

Quid corde ſummo tam lacrymabiles,
Quid voce queſtus, Euphroſyne! refers?
Ah! filium defles, ut olim
Daulias ales Ityn gemebat.

O diva! luge: ſunt tua funera.
Tu iuſta fac, tu promeritum decus
Infer ſepulchro, tu parenta:
Laudibus eminet ille noſtris.

Quis, o quis undam Tibridis alveo,
Quis ripae arenam, quis Capitolii
Adfundat auguſti nitorem
Marmoribusque palatiisque?

Quis praeco tanti magnificentiam
Mactet viri? Non tale decus terit
Oblivio, non livor atris
Pone ſequens nebulis obumbrat.

Adſis, venuſte ſculpere Socratem
Perite, pulchra nate dea, puer!
Vultumque Winckelmannianum
Marmore candidiore ponas.

Romana fronti ſit gravitas, lepor
Germanus ori, vis oculis potens
Acerrimis, irae ſtupori:
Naribus in tumidis minantes.

Attol-

Attollat iſtas leniter, ut deus
In Vaticano vertice Pythius
Iraſcitur monſtro, neque irae
Dedecorant iuvenem venuſtum.

Princeps virorum Mercurialium,
ALBANUS, oſtro nobilis aureo,
Carum hoc caput dextra tremente
In medio ſtatuet deorum.

Albana, pulchris marmoribus nitens,
Ab hoc novum iam villa decus capit,
Sicut polus, ſtellis coruſcis,
Nobile nomen habet, quod addat.

Tu, quem fefellit ſpes iterum tuum
Civem fovendi, Teuto, tui memor
Huc tende, civem dum reviſis,
Huc oculos animumque tende.

I, quo probi poſt fata migrant viri,
I, i ſub umbras Elyſii ſacras,
Hic, hic eum mirare miſtum
Manibus, ingenio beatis.

Nunc *Phidias*, nunc *Praxiteles*, novum
Hunc advenam, nunc *Cous* et aemulus
Pictor ſalutant itque *Myron*
Itque *Scopas* comes ac *Lyſippus*.

Una poetae doctiloqui manum
Praebent amico ſuaviaque oſcula,
Interpretem tantum leporis
Noſſe ſui, ſibi gratulantes.

Adeſt virorum turba celebrium:
His gaudet hoſpes coetibus additus.
At nos *Vale Salve* precantes
Serta roſasque damus ſepulchro.

NOVA LITTERARIA.

Proſpectus d'un Iournal Militaire, qui ſera établi à Francfort ſur le Mein par une Societé d'Officiers.

Inter Commentarios diurnos, qui noſtro Saeculo ſuper omni fere litterarum genere tam frequentes comparuerunt, deſideravimus huc usque commentationes ſuper re militari; id quod eo magis mirandum videtur, cum ars bellica tantum habeat neceſſitatis, gravitatis, et difficultatis, quantum vix ulla alia. Quare cum indicem eiusmodi commentationum Francofurti edendarum conſpiceremus, communi-

municare eius argumentum cum lectoribus noſtris in animum ſtatim induximus. Indicis auctores, expoſitis rationibus, quibus maxime motos ad ſcribendum animum convertiſſe ſe aiunt, breviter indicant capita diſſertationum, quas operi iſti ſuo quoque tempore deſtinarunt. Quarum antequam rationem ob oculos lectoribus noſtris ponamus, lubet verbis auctorum ipſis oſtendere, quam egregie ſperent de ſuſcepti laboris utilitate: „Que ſait-on, inquiunt, ſi „à force de le (art de la guerre) perfectionner, et le reduire „à la portée de tant de monde, on ne parviendra pas à le ren„dre inutile ou de peu d'effet; comme deux corps égaux „mûs par des forces égales détruiſent réciproquement leurs „forces en ſe rencontrant." Quam ſpem licet acutiſſime excogitatam, ſenſibusque humanis mirifice abblandientem, dolemus non alio fundamento, niſi ſimilitudine duorum corporum aequalium, niti, aequali vi ad ſe tendentium. Videntur enim in accommodanda iſta ſimilitudine, auctores, cum pari arte confudiſſe pares vires, niſi perſuaderi ſibi quis velit, ſcribendo atque docendo effici poſſe, ut diverſarum provinciarum vel gentium belligerantium vires reddantur aequales. Sed levidenſia haec ſunt, nec videtur ratio iſta niſi ingenii oſtendendi cauſa ab auctoribus addita eſſe, cum firmioribus iam et evidentioribus conſilium ſcribendi nobis, et, ut credibile eſt, orbi litterato ſatis probaſſent. Rerum ab auctoribus operis pertractandarum capita haec ſunt. Agetur 1) de ratione virium bellicarum cuiusvis provinciae aut gentis, quales quantaeque eae revera ſint; de exercitus Europaei cuiusvis comparatione, ſtipendio, et ſingulari conditione. 2) De mutationibus et viciſſitudinibus tempeſtivis, quae referuntur ad cuiuslibet exercitus partim comparationem ipſam, partim diſciplinam, arma, veſtitum, vires, etc. 3) De honoribus militiae inſignioribus, et de iis, quibus quoque tempore conferuntur; de obitu, vel miſſione nobiliorum belli ducum et praefectorum, eorum praecipue, qui famam ſibi rei militaris et nomen compararunt. 4) Recenſebuntur quae

utiliter, vel ingenioſe tamen, inventa fuerint, ad res belli terra marique gerendas pertinentia. 5) Deſcribentur accurate caſtella, quae nota ſunt, munitiſſima, antiquarumque gentium pugnae maxime memorabiles, addita aciei cuiusque delineatione. 6) Tradetur brevis hiſtoria Tacticae antiquorum, h. e. rationis, qua uſi fuerunt in operibus machinisque bellicis ſtruendis. 7) Inſtituetur recenſio librorum praeſtantiorum et utiliorum, ſuper re militari hactenus in lucem editorum, adiunctis in ſingulos eorum animadverſionibus criticis. 8) Excerpentur ex eorumdem librorum optimo quoque praecipua, quae una cum iudiciis et adnotationibus criticis paſſim inſerentur Commentariis; quibus excerptis adiicientur praeterea Chartae topographicae, aliaeque adumbrationes, in uſum belligerantium confectae atque publicatae. 9) Neque deerit locus rebus memorabilibus, quae aguntur coram iudicio militari; enarrabuntur v. c. conſtitutiones, deciſiones, decreta militaria, una cum expoſitione accurata cauſarum ſingularum. 10) Diſſeretur breviter de *praecipuis* artis bellicae momentis, de iis potiſſimum, quae pertinent ad ſcientiam uſu et experientia adquiſitam. 11) Poſtremo inſtituentur et narrationes hiſtoricae atque copioſae de locorum campeſtrium diverſitate, de variis movendi exercitus modis, de inſtruenda acie, et quae ſingula ad expeditionem bellicam neceſſaria ſunt.

Haec eſt fere ſumma rerum in Commentariis his militaribus pertractandarum; quamquam nec denegabitur locus aliis, quae vel, ut ſaepenumero fieri ſolet, inter ſcribendum ultro ſe obtulerint, vel ab aliis rei militaris peritis bene et diſtincte ſcripta inſerenda operi ad auctores perlata fuerint. Hi, ſi qui fuerint, ut ſciant, quibus potiſſimum in rebus ingenium exercendum ſit, auctores, circa quae rerum argumenta labor eorum ſingulis Anni menſibus verſabitur, indicarunt. Deſtinarunt vero *1. Ianuario:* rationes, quibus confirmetur, non eſſe artem bellicam tenebris obtectam ſcien-

tiam,

tiam. *2. Febr.* Poſſe ſcientiam militarem diſci regulis ſolis, uti fecerunt v. c. Lucullus, Mauritius Arauſionenſis. *3. Mart.* Etiam uſu tantum et experientia, prout didicerunt eam Mithridates, Henricus IV, et innumeri alii tum antiquorum, tum recentiorum. *4. April.* Nec non regulis et uſu coniunctis, quod probatur exemplis Montecuculi, Eugenii, Principum Brunſuicenſium, Paoli etc. *5. Mai.* Pronuntiare, utra harum diſciplinarum, ſi neceſſitas eligendi urgeat, ſit praeferenda. *6. Iun.* Utrum ludi militares, quales nunc ſunt in diverſis provinciis, poſſint haberi pro ſeminariis ducum belli idoneorum. *7. Iul.* Utrum officia diurna, ſicut apud Europaeas gentes uſu veniunt, efficiant bonum militem. *8. Auguſt.* Conſtituere, quae ſit optima militis educatio. *9. Septembr.* Indicare in univerſum ea, quae addiſcendae arti bellicae adferant aliquid ſubſidii: et *10. Oct.* quaenam ex his ſubſidium proximum habeant et praeſentiſſimum. *11. Novemb.* Definire ad veritatem, et demonſtrare ſecundum leges dialecticas, in quo cernatur proprie ars militaris. *12. Decembr.* Quod optimum ſit eiusdem artis ſyſtema?

Iam ſi qui ſint, qui ſuper horum argumentorum aliquo commentari velint, iſti ſciant, commentationem quamque non debere prolixiorem eſſe XVI. paginis octonis impreſſis, debere ſcriptam eſſe francogallice, atque redditam opus adornantibus uno menſe prius, quam typis exſcribi eam cupiant. Opus hoc, quum ſingulis hebdomadibus binae ſchedae ſive XXXII. paginae octonae prelo ſubiicientur, facile intelligitur quantos flagitet ſumtus; quare et viſum eſt auctoribus ſubſcriptionis viam inire, ita, ut profeſſi nomen in quacunque curſus publici ſtatione, vel etiam, ſi hoc magis placet, apud Bibliopolas, praenumerato in ternos menſes IV. florenorum pretio, opus per eadem temporis intervalla, ſuae quisque ſubſcriptionis loco teneant. Subſcriptionis tamen lex ultra menſem Aprilem valitura non eſt. Denique, ſi quis ad auctores commentariorum ipſos convertere

tere ſe malit, neque hoc incommodum erit, modo uti velit inſcriptione libellorum ſequenti: *à Meſſ. les Directeurs du Iournal Militaire à Francfort ſur le Mein.*

Haec ſunt fere, quae ſcire in univerſum de Commentariis iſtis militaribus Lectores noſtros voluimus; neque defuturos arbitramur, qui opera et benevolentia laborem tam utiliter ſuſceptum adiuvent atque promoveant, idque eo magis, quod etiam noſtro tempore, cum omnis generis litterae et artes nacti ſint auctores ſuos idoneos, ars ſola belli derelicta fere iaceat et inculta.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Decembris Anno MDCCLXVIII.

HEXAPLORUM ORIGENIS QUAE SUPERSUNT, auctiora et emendatiora, quam a Flaminio Nobilio, Ioanne Druſio, et tandem a Bernardo de Montfaucon concinnata fuerant, edidit, notisque illuſtravit, CAROLUS FRIDERICUS BAHRDT, *S. S. Theol. Baccalaureus, et Antiquitatum Sacr. Prof. Publ. Ordinarius Erford.* PARS I.

Lipſiae et Lubec. apud Chriſtian. Gottfr. Donatium, 1769, pagg. 671. in 8.

Pergratum fecit hoc opere doctiſſimus *Bahrdtius* iis omnibus, quorum intereſt, accuratiorem ſibi litterarum divinarum cognitionem comparare. Etenim optimorum Scripturae ſacrae interpretum ſententia eſt haec, in indagando reperiendoque librorum divinorum ſenſu, nihil fere melius feliciusque adhiberi poſſe, quam Hexaplorum Origenianorum reliquias. Iam, quum Montefalconii editio in paucorum manibus verſetur, laudabilem ſane ſuſcepit operam Bahrdtius, reliquiis iſtis auctius emendatiusque edendis. In recenſenda vero eius opera nos ita verſabimur, ut primum commemorando praefationis argumento, cum omne, quod

 in

in ea proponitur, Editoris conſilium, tum quae ibi ad Hexaplorum indolem diligentius cognoſcendam monita ſunt, repetantur: deinde de notis et obſervationibus, quae ſubinde Montefalconii prolegomenis aſperſae ſunt, videamus: denique ipſa, quae primo hoc Volumine exhibentur, Hexaplorum fragmenta contemplemur.

Ac primum in praefatione monet Bahrdtius, nihil magis ipſi in edendo hoc opere curae fuiſſe, quam ut emtorum ſumtibus parceretur. Cui conſilio ut fieret ſatis, primum e Montefalconii editione verba Hebraica litteris Graecis adſcripta plurima eiecit, quum ipſi haec res parum utilis, et plane vaga atque incerta videretur. Sunt autem qui his reliquiis non parum tribuant, ſibique eas ereptas eſſe non libenter patiantur. Nam etſi viro doctiſſimo concedere coacti ſunt, in diverſis regionibus monente Hieronymo diverſum pronunciandi morem obtinuiſſe; quid impedit tamen, inquiunt, quo minus modum, quo Origenes verba Hebraica pronunciaverit, cognoſcamus. Iam porro eodem conſilio verſionem latinam omiſit, cui Montefalconius ſingularem columnam adſignaverat. Non ſolum enim hanc verſionem, partim propter eorum indolem, qui ad Hexaplorum lectionem accedant, partim propter Lexica, quae ad calcem operis inveniantur, ſupervacaneam eſſe dicit: ſed et ſaepiſſime falſam, interdum ineptam, raro ſatis accuratam. Eandem ob cauſam habendum eſſe duxit delectum in notis. Nam videmus eum omiſiſſe 1) eas, quae pertinent ad ſenſum vocabulorum; has vero reddet in lexicis: 2) eas, quae ipſi videbantur mera, et ſaepe frigida ſatis ſcholia, a Montefalconio ideo excerpta, quia tum erant, ut dici ſolet, anecdota; 3) eas, quae ſimpliciter lectionem textus repetunt, nomenque codicis, cui debebatur lectio, adſcriptum proferunt. At ſi quis, ut fit, cupidus ſit ſcire, cuius haec vel illa lectio codicis ſit, quid tum? Tum nemini interdictum eſt, respondet Editor, ad editionem maiorem recurrere.. Solum igitur

tur textum, id eſt, Graeca veterum interpretum fragmenta exſcripſit, emendavit, auxit, notisque paucioribus illuſtravit, quibus ſe nihil aliud, quam ipſam lectionis criſin, lectorem docere voluiſſe profitetur. — Montefalconii autem notas omnino ſuas fecit, et cum ſuis permiſcuit. Non tamen ingratum multis lectoribus foret, ſi doctisſimo Editori placuiſſet notas ſuas, ſigno quodam, quoad potuiſſet fieri, diſtinguere, ut, ſi maioris editionis non copia ſit, quae eius diligentia aucta atque emendata fuerint, lectores intelligant. Iam vero, quam Editor in augendis veterum interpretum fragmentis rationem ſecutus ſit, demonſtremus. Primum ſcilicet totam appendicem editionis Montefalconianae, in qua lectiones Codicis Coisliniani exhibentur, ad ſua loca revocavit. Atque id valde placet, quoniam in editione Montefalconii incommodum eſt lectoribus, lectiones non coniunctim legere. Deinde particulam codicis, qui in bibliotheca noſtra Paullina aſſervatur, integram exſcripſit, et quicquid ipſi ad Hexapla pertinere videretur, in textum recepit. Huius codicis fragmentum, quantum ſupererat, Celeberrimus Fiſcherus edidit, cuius ea in re diligentiam nuper laudavimus. Ipſius porro codicis, totiusque, in quo continetur, voluminis formam, diligenter in praefatione deſcripſit. Exſculpi etiam curavit ſpecimen ſcripturae, qua laudatus codex exaratus eſt, ut, cuius Saeculi terminis ſcripturae genus adſtringendum ſit, lectores ipſi iudicarent. Cupiebamus tamen ipſam viri doctisſimi hac in re ſententiam audire, quum nobis perſuaſum haberemus, eum, quae eſt illius talium rerum ſcientia, certo accurateque aetatem codicis definire potuiſſe. Nam, monente S. R. Erneſti, (in Archaeologia litteraria pag. 39.) in tali iudicio non ſola ſcripturae forma uti oportet, ſed in ipſis codicibus, in calce, in marginibus quaerere, ſi quid ſit, quod ad aetatis indicium valere poſſit. De textu codicis, Editoris ſententia eſt haec; eum mere Hexaplarem eſſe; quod, quam verum ſit, perſpicuis argumentis oſtenditur. Hinc ſignorum quorundam in codice paſſim

 appa-

apparentium, vim explicat. Inde Marginalia, ut vulgo vocant, deſcribit, aliaque partim Lectionem, partim verborum ſenſum, partim rem alienam ſpectare, alia vero veterum interpretum fragmenta referre, monet. Quibus fragmentis ita uſus eſt, ut primum omnia, quae ad marginem ſcripta legebantur, cum interpretum nominibus exſcriberet, et, ſi nondum a Montefalconio notata eſſent, in ipſum textum editionis Montefalc. inferret: ibi vero, ubi eadem lectio in illa iam editione prolata fuiſſet, in notis ſignificaret, eandem haberi in Codice Lipſienſi Paullino. Saepe porro eas quoque lectiones, quae in editione Montefalc. interpretis nomine carent, veri auctoris nomine ornavit. Nonnunquam etiam Lectiones male collocatas ſuo loco reſtituit. In proferendis autem Lectionibus, quae in codice Lipſ. Paull. interpretis nomine carent, ſolam Analogiam ſecutum ſe eſſe dicit. Nempe, eiusmodi Lectiones cum nota Ἄλλος in Hexapla recepit, etſi videbat, eas ſaepe varias eſſe ſcripturas in diverſis editionibus τῶν O. iacentes. Qua occaſione diligenter diſſerit de vi notarum Ἄλλος et O. ἄλλως, quae in editione Montefalc. frequentiſſime occurrunt. Coniectura quoque intellexiſſe videtur, Montefalconium operis ſui baſin editionem Romanam conſtituiſſe. Quibus addit et hoc, ſe, cum Blanchini vindicias perluſtraret, varias e Codicibus ibi laudatis Lectiones collegiſſe, easque in hac editione paſſim notaſſe. Hanc vero partem futuro anno ſequetur altera. Et, ſi viris doctis labores ſuos non diſplicuiſſe intellexerit, ſperare nos etiam iubet Lexica, ad uſum huius operis neceſſaria, alterum Graecum, Hebraicum alterum. Non denique ſilentio praetereundum eſt, doctiſſimum Bahrdtium ab Houbigantio certiorem nuper fuiſſe factum, de editione Hexaplorum Montefalconiana Romae imprimi coepta. At haec editio ſplendore ſuo plerorumque facultates ſuperabit; novarum autem lectionum parum continebit, quum iidem codices adhibeantur quibus uſus eſt Montefalconius. Et ſi forte prolatura eſt novas lectiones, ac notas ad intelli-

intelligendam Hexaplorum indolem idoneas, Bahrdtii cura verſabitur in eo, ut eae lectiones ac notae exſcribantur, imprimantur, huiusque ſuae editionis emtoribus gratis tradantur.

Progrediamur ad notas et obſervationes, prolegomenis Montefalconii ſubinde adſperſas. Atque earum ratio eſt haec, ut vel Montefalconii ſententia uberius explicetur, vel non ſatis accurate dicta corrigantur, vel denique aliorum virorum ſententiae, e. g. Kennicoti, Fiſcheri, commemorentur. Et omnino has notas lectori neque iniucundas, neque inutiles putamus fore. En ſpecimina quaedam. Capite I. proleg. §. 5, brevi nota emendatur Montefalconius, qui Origenem poſt Aquilae verſionem ideo Symmachianam locaſſe dixerat, quia Symmachus propius ad veritatem Hebraicam quam LXX. et Theodotion accederet; recteque puritas et elegantia Symmachi laudatur. Cap. I, 7. ad eum Montefalconii locum, quo de explicatis in codice Coisliniano nominibus propriis agitur, notat Bahrdtius, in Codice Lipſienſi quoque tales notulas ſaepisſime deprehendi, earumque, in reperiendis vocum paullo rariorum notionibus, uſum non contemnendum eſſe, recte monet. Cap. IV, 1, ubi nimia verſionis Alexandrinae laus eſt, monentur haec: „miror doctisſimum et acutiſſimi iudicii hominem talia ſcribere potuiſſe.“ Cap. IV, 5. copioſa additur Kennicoti diſputatio, in qua multa traduntur accuratiori Hexaplorum cognitioni inſervientia. Cap. V, 2. in nota aſſeritur, Aquilae quidem verſionem aures offendere barbarie, magis eam tamen animum delectare, quo aptior ſit ad eruendas vocum Hebraicarum notiones. Quem uſum ab omnibus omnino verſionibus Graecis V. T. repetendum eſſe, luculenter, adſcriptis Fiſcheri noſtri eam in rem verbis, demonſtratur. Cap. VIII, 6. cupidae Montefalconii diſputatiunculae de Vulgata, alia additur, eaque verior accuratiorque. In deſcribenda verſione Itala laudatur celebris ille, quo Italae mentionem fieri putant, Auguſtini locus. At nos ea in re non omni

certitudine hoc loco uti ſuſtineamus, reddita nobis per Bentleium auctoritate illius ſuſpecta, qui pro *Itala* legi cenſet *illa*, argumentis quidem non prorſus contemnendis. — Quae Montefalconius circa veteres ſcripturae interpretationes exhibet anecdota, eorum tria priora ad ſuum locum, nempe ad Pſalmos, relegavit Bahrdtius, quartum vero, quod eſt opuſculum Epiphanii de LXX. interpretibus, *et iis qui perperam interpretati ſunt*, poſt prolegomena collocavit. Tum ſequuntur varia veterum de interpretibus antiquis teſtimonia.

Reſtat ut de ipſis Hexaplorum fragmentis aliquid moneamus, allatisque quibusdam exemplis, Bahrdtii diligentiam conſpiciamus. Exhibentur vero priori hac parte Pentateuchus, Ioſua, liber Iudicum, Ruth, libri Samuelis, Regum, et Paralipomenon. Ac in Geneſi quidem doctiſſimus Editor notas ſe neglexiſſe fatetur. Sunt tamen et in hoc Moſis libro quaedam ab eo praeſtita, quae non diſplicuerunt. *Sic* placet quod Cap. XXVII, 1. lectionem Aquilae, *ἠμαυρώθησαν*, in textu poſuit, de cuius lectionis veritate Montefalconius non adeo certus erat. Nam haud dubie, ex *ἠμαυρώθησαν*, errore et negligentia librarii, in Codice Coislin. *ἀλμυρώθησαν* exſtitit. Saepius vero inveniuntur emendationes et notulae Editoris in Exodo, reliquisque Moſis libris, praeſertim a Cap. XXXII. Exod. usque ad Deuter. I. ubi diligenter uſus eſt fragmentis interpretum in codice Paull. exhibitis. Exodi I, 14. nos pro *ἐντρυφήματι* reſcribere auſimus *ἐν τρυφήματι*. Neque enim perſuadere nobis poſſumus, ab Aquila in vertendo verbo בפרך particulam ב neglectam fuiſſe. — Exodi XXXV, 21. monet, Codicem L. P. in textu *τῶν* Θ. *ἀφαίρεμα* non habere, quod poſt *αὐτῶν* Baſil. et Rom. proferunt. Quare aliunde irrepſiſſe dicit, quum neque in Hebraeo ſit, neque ſenſum habeat, et forte e tali codice qualis eſt C. L. P. ortum eſſe hoc vitium. Nam hunc poſtea ad *σφραγίδας* in margine notare *ἀφαίρεμα*, quod neque iſtuc pertineat. Itaque forte cum in vetuſtis Codd. idem ad

σφρα-

τοφραγῖδας notaretur, alios huc tranſtuliſſe, imperitiam imperitia compenſantes. Maximam porro fragmentorum copiam codex L. P. in Levitico ſuppeditavit; quae tamen, obſervante doctiſſimo Editore, a Codicis Coisliniani lectionibus parum diſcrepant. Atque omnino non pauca ſunt, quae in Levitico ingenio diligentiaeque Bahrdtii debemus. Nos quaedam rei exempla dabimus. Levit. VII, 13. de lectione ἱερηνικὸν αὐτοῦ ſic ſtatuit Montefalconius: *referenda ad extremam verſiculi vocem* שלמיו. Et fatetur Editor τὸ ἱερηνικὸν hic non bene quadrare. Sed cum Codex L. P. et Coisl. id huc collocent, cumque ad שלמיו in eodem Codice L. P. denuo legatur in margine εἰρηνικῶν: dubitat, an ſit ea lectio omnino abiicienda, et pro vitio ſcribae, male collocantis, habenda. Levit. IX, 2. delevit ea, quae Montefalconius habebat ad verba לְחַטָּאת ואיל tanquam manifeſte vitioſa. Locum Aquilae et Symmachi Levit. XVI, 8. non infeliciter ſane reſtituit. Primum nixus auctoritate Codicis L. P. qui ſic: Κλῆρον ἕνα εἰς κύριον, καὶ κλῆρον ἕνα εἰς τράγον ἀπερχόμενον. Α. εἰς κεκραταιωμένον. Σ. εἰς ἀπερχόμενον, ubi pro Σ altero legendum eſſe putat καὶ, quum Symmachi verſio iam allata fuerit, et pro compendio ſcribendi τοῦ καὶ, facile imperitus librarius C. vel Σ ſcribere potuerit. Alterum argumentum, quo in reſtituendo hoc loco nititur, petitum eſt ex Baſilienſi, qui ſic: Ἀ. κλῆρος εἷς κεκρατημένος, καὶ εἷς ἀπερχόμενος. Iam e codice unciali, qui fere omnes ſine accentibus ſcripti fuerint, pro εἰς imperite εἷς, et ἀπερχόμενος pro ἀπερχόμενον, deſcribi potuiſſe exiſtimat. Aſſentiri etiam huic ſententiae dicit ipſum textum. Nam לַעֲזָאזֵל Aquilam ſuo more reddere debuiſſe docet tanquam compoſitum ex אזל *abiit* et עז *robur*. Totus itaque locus ita ſe habet: Α — καὶ κλῆρον ἕνα εἰς κεκραταιωμένον. καὶ εἰς ἀπερχόμενον. Σ. κλῆρον ἕνα εἰς κύριον, καὶ κλῆρον ἕνα εἰς τράγον ἀπερχόμενον. Levit. XVIII, 17. in nota Bahrdtius haec habet: Ego λῆμμα Θ. tribuerem. Et recte quidem: nam eiusmodi verba Hebraica in Symmacho ferri non poſſunt; Theodotionem

nem vera quaedam appellativa ex Hebraico Graecis litteris retinere conſtat. Quare nos hoc ζέμμα in ipſo fragmentorum textu Theodotioni tribuiſſemus, Symmacho autem μύγος, quum ea quoque in re codex Coiſlin. faveat. Levit. XVIII, 29. coniectura profertur, quam ad indolem lectionum codicis Paullini Lipſ. accuratius perſpiciendam facere poſſe putamus. Scilicet in textu poſuit lectiones ita: Α. ἐξήμεσεν. Σ. ἐξήμεσεν, Θ. ἀπέβαλεν, licet Codex Coiſl. et L. P. habeant ſic: Α. ἀπέβαλεν. Σ. ἐξήμεσεν. Θ. ἐξήμεσεν. Exiſtimat igitur doctiſſ. Editor, Codicem L. P. a Codice deſcriptum eſſe, cuius in margine, in commemorandis trium interpretum lectionibus, hic plerumque ordo cerneretur: Θ. Α. Σ. Iam fieri potuiſſe, ut alius, qui forte in iſtum Codicem incideret, et, conſpectis h. l. Θ. Α. Σ. interpretationibus vitium ſuſpicatus, corrigeret, atque Α. Σ. Θ. praefigeret. Vehementer vero haec coniectura arridet, qua cum erroris origo, tum eius medela facile perſpici poteſt. Non minor diligentia Bahrdtii in Numeris apparet. Num. II, 17. Codex L. P. habet: Ο. κατὰ τάγμα, in margine καθ' ἡγεμονίαν. Clare igitur ex hoc intelligi poſſe dicit, C. L. referre Hexaplarem editionem τῶν Ο. in quam h. l. Symmachi verſio illata fuiſſet. Num. XXI, 17. in nota, varia Codicis L. P. ſcholia profert, quibus nomina propria explicantur. Ac vidimus eum ſaepius eiusmodi ſcholia protuliſſe, quod lectori non ingratum fore putamus. Quod Num. XXXIII, 44. Codex L. P. τοῖς ὑψίσοις Symmacho tribuit, ei recte in textu nota ΑΛΛ. praefigitur; nam Symmachus בעיי vertit ἐν βουνοῖς, quod eſt ipſius nomina propria Graece vertendi ſtudium. In Deuteronom. Codex L. P. admodum pauca fragmenta dedit, deſinit enim in verſu 13. capitis I. Eo copioſiora veterum interpretum fragmenta e Codice Coiſlin. apparent, quibus ſcite uſus eſt Bahrdtius. Nos tamen Deut. XXII, 9. Codicis Coiſlin. auctoritate nixi, lectiones: Α. ἀνομογενὲς, Σ. εἱργμὸν permutare auſimus; haec enim lectio nimis eſt ad etymologiam verbi כלא, illa libere et pro contextu.

Ioſuae

Ioſuae Cap. I, 15. ad lectionem: Ἀλλ. Μωυσῆς ὁ δοῦλος κυρίου, quae Symmachi forte eſſe putatur, ſpecioſa haec praeponitur coniectura: Scilicet Maſius et Grabe iſtam lectionem cum Aſteriſco habent; ſed Coisl. Ο. Α. praefigit, quod Editori ſuſpectum eſt adeo, ut ſuſpicetur, in hoc forte libro ſcribam imperitiorem nota οἱ Α uſum eſſe, non eo ſenſu quo reliqui interpretes, ſed ut alii, quos viderat, Codices indicarentur. ' Coniectura ſane non ſpernenda, et ad intelligendam notam οἱ Α, quam Codex Coisl. in hoc libro frequentiſſime habet, profutura. Ceterum iis, quae ad Ioſuam Maſius et Grabius protulerunt, bene uſus eſt. Quam Codex Coisl. Iudic. XVIII, 7. in margine lectionem habet: Α. καὶ οὐκ ἐνῆν καταισχύνων οὐδὲ διατρέπων, ea Monteſalconio corrupta videbatur. Sed recte dubitat Editor, quin Aquila in Hebraeo aliter legerit, cum hic omnes veteres interpretes diverſa legerint. — 1 Sam. V, 6. (al. 1 Reg.) habent LXX. alia et plura quam Hebraeus, quare verſum in LXX. confuſum iacere putat Monteſalconius. Sed recte provocat Noſter ad Houbigantium, quem ad h. l. meliora docere dicit. 1 Sam. XVII, 12. laudat ſententiam Kennicoti, qui a verſu 12. usque ad 32. huius capitis, omnia, quae ſunt in Hebraeo, eſſe expungenda, tanquam ab otioſa manu interpolata, docte oſtendit. 1 Sam. XXIII, 13. ad verbum ἐρρεμβόντο (Monteſalc. habet ἐξεμέοντο) recte monetur. hanc lectionem haud dubie eſſe vitiatam, quod et iam Monteſalc. ſenſerat. Nos ἐρρέμβοντο reſcriberemus, edocti ita a Valkenario ad Eurip. Phoeniſſ. pag. 147. — Neque etiam infelix in altero Samuel. libro, et in libris Regum, delectus notarum habitus eſt. In libris Paralipomenon admodum pauca Hexaplorum fragmenta, adeoque et paucae notae apparent. Quare in proleg. Cap. IX. his verbis: *In libris Paralipomenon non pauca Hexaplorum fragmenta exhibemus*, vitio typothetae, τὸ non irrepſiſſe monendum eſt. Vehementer optamus, ut inter litterarum divinarum ſtudioſos multi ſint, qui Hexaplorum fragmenta in uſum convertant ſuum, dempta nunc, quae a

raritate

raritate editionis Montefalconianae deſumitur, excuſatione. Plura de Bahrdtii opera monere et nimis longum foret, et a conſilio noſtro alienum, qui non, niſi eius in hoc opere edendo rationem, monſtrare voluimus. Ceterum illum ſaepius hoc opere in coniiciendo ingenii elegantiam, in emendando iudicii acumen, omninoque non vulgarem litterarum Graecarum Hebraicarumque notitiam demonſtraſſe, non poſſumus non profiteri.

ACTA LITTERARIA. SCRIPSIT CHRISTIANUS ADOLFUS KLOTZIUS. — Librum ſi malus eſt nequeo laudare. Iuven.

Altenburgi, VOL. I. 1764. VOL. II. 1765. VOL. III. 1766. VOL. IV. 1767. in 8.

Librum hunc omnibus, quibus litterae in honore ſunt, qui facultatem in iis aliquid videndi vel habent, vel ad eam adſpirant, qui liberalem ingenii cultum amant, cognitu lectuque iucundiſſimum utiliſſimumque, non dubitamus praedicare, eandemque ſententiam plerisque, a quibus eum iam cupide expetitum et perlectum arbitramur, nobiscum communem eſſe credimus. Sed qua via Auctor ad huius laudis celebritatem contenderit, qua arte fructum eius tulerit, iuvat exponenda totius operis ratione planum facere. Conſtat quatuor voluminibus, quorum ſingula totidem in partes diviſa ſunt. In praefatione demonſtrat Auctor cauſſam, qua ad ſcribenda haec Acta ſit impulſus; quam ponit in precibus amicorum quorumdam, qui narrationem et iudicium de novis libris ab ipſo poſtulaverint, quibus, ſublata de eadem re ſaepius ſcribendi neceſſitate, non commodius ſatisfacere potuerit. Poſtea exponit conſilium, quo ſit in ſcribendo uſurus. Denuntiat, ſub cenſuram ſe vocaturum libros qui ad humanitatem pertineant, quibus adnumerat, in

quibus

quibus de liberalium artium elegantia, vel excellentium artificum ingeniis operibusve diſputetur, vel antiquorum temporum memoria, cum rebus geſtis enarratis, tum antiquis ritibus explicatis, et monumentis priſcis expoſitis, renovetur, vel Critices ſpecimina dentur, vel fata litterarum et Iuris Romani viciſſitudines enarrentur, vel popularis quaedam et utilis philoſophandi ratio, a barbarie ſeiuncta, et ingenuarum artium ſtudiis comta ornataque appareat. Igitur, ſive antiqua Latina et Graeca, ſive recentioribus linguis, Francica, Anglica, Italica, Germanica, ſcripti ſint ad genus hoc pertinentes libri, nullo diſcrimine recenſentur. Atque id ea libertate fit, quae ſimpliciter et ingenue, nullo ad auctorum vel nobilitatem, vel obſcuritatem reſpectu, ipſa de re iudicet, remota acerbitate omni et ruſticitate, quam indignam eruditis, tamen conſuetam queritur, non ſine amoeni ingenii iocis et lepore. Alienas cenſuras, ſervata ſibi vel addendi, vel detrahendi quae placuerit, libertate, inſerendas, tres vel quatuor, adiecta litterarum nota inſignitas, reperire meminimus. Pro amplitudine vel tenuitate librorum, recenſiones et ipſae modo prolixiores, modo breviores inveniuntur, ſervato in maioris maxime momenti libris hoc ſemper more, ut, quae ſingulis ſectionibus capitibusque contineantur, enarratis, totius libri facies menti contemplanda reddatur. Nec Academici libelli omittuntur: eorum denique, quos ipſe Auctor emiſit, breviter a ſe delineatus conſpectus exhibetur. Fieri non poteſt, ut ex ſingulis Voluminibus Specimina deſcriptionum demus; nam et optio foret difficilis, et res nimis diu nos teneret: ipſius potius libri lectionem ſuademus, ad quam Klotzianorum ſcriptorum ingenium, quis eſt, quem non ſponte invitet? Iuvat tamen, quae ipſius in hac litteraria republica ſenſum teſtentur, aliorumque acuant, ea proferre, et ad capita quaedam eius iudicia revocare.

1. Igitur in Antiquarii vel Hiſtorici argumenti libris prodit ſagacitatem, in utilibus et neceſſariis ab inutilibus et ſu-

perfluis ſeparandis: in quo genere peccatum eſſe a Paciaudio in Commentariis ad monumenta Peloponneſia, queritur. Diligentiam in moribus imperatorum pingendis, quo nomine Hanſenium laudat, cuius quoque libertatem in detegendis Clericorum ſceleribus ſibi probari oſtendit. Pariter characterum cauſſa apte interpoſitarum laudat Schroeckium in vitis Clar. viror. et Mablium in Hiſtoria Graeciae, ad quem ipſe ſententiam dicit de legibus Lycurgi, et inſtitutis Spartanorum, quae ſibi minime placere ſcribit. In Poetis notat, utrum impetu pectoris fervoreque mentis concitati ad verſus ſcribendos agantur, an langueant, et exſcriptorum partes, quod Griffeum feciſſe, furtis eius manifeſtatis docet, teneant, an obſcuritate et latini ſermonis inſcitia laborent. Languoris vitium, recte obſervat, fere ſemper inhaerere carminibus alicui neceſſitati tributis. In Chronodiſtichis, et ad nomina alluſionibus extundendis, multorum prava ſedulitas exclamare cogit virum honoris patriae ſtudioſiſſimum: „O Germania, Germania, quando tandem ineptire deſines, „exterisque benignam cavillandi et iocandi materiem dare? „quando abiicies amorem ornamentorum puerilium, quae „non, niſi imperitis nitent, aliis vix enarrabilem foeditatem „habent? Nullus principum moritur, nulla res paullo me„morabilis accidit, ecce! in actis diurnis miſerorum homi„num ineptiae apparent, qui expungendis litteris, collocan„disque, magnum aliquid ſibi egiſſe videntur, ſi viri nomen „aut numerum anni inde elicuerint. Quid vero ſapientio„res? rident, aut ingemiſcunt, exteri cachinnos tollunt, et ſi„bilis noſtrum acumen puniunt." Vertendi veterum ſcriptorum libros fervens praeſentis ſaeculi ſtudium, exprimit ei querelas de irrito plerorumque in hoc genere conatu, quorum alii nimis ruſticos, qualis nuper inter nos prodiit Demoſthenes; alii nimis elegantes et Gallicis nugis ineptientes ſuos Auctores reddunt, ſicut Homerum gallice vertendo Bitaubeus; alii parum fidi, ſua potius verba obtrudunt, quam aliena referunt. In quo peccaſſe demonſtrat Formeium in

Aelia-

Aeliani Variorum verſione Gallica, d'Argenſium tam in Ocello Lucano, quam Iuliani contra Chriſtianos ex Cyrilli defenſione collecto libro, gallice vertendo, in quo ſimul neglegentiam, et notiſſimarum dicendi formarum, veluti νὴ Δία, et πρὸς τὸν δημιουργὸν, ignorantiam notat. Perſius gallice redditus, eiusdem reprehenſionis ſocietatem ſubit. In Criticis probat humanitatem, lenitatem in convincendis aliorum erroribus, proruptam vero audaciam corrigendi; coniecturas propere factas, aut temere in textum receptas, aſpernatur; cuius criminis reos ſe feciſſe dicit Heathium, editis in tres Tragicos notis ſive Lectionibus, et Toupium in Emendationib. in Suidam, editoque Theocrito Reiskium. Iubet etiam attendi, utrum ingenioſe magis ambitioſeque defenſae, an neceſſario factae veraeque ſint emendationes: quorum illud quidam largitur, hoc negat in iis, quae Ier. Marklandus, cui modeſtiae humanitatisque laudem edito Euripidis, quod Supplices inſcribitur, Dramate, concedit, (nam huius eſſe editionem, et ei ſubiectas veterum aliquot Auctorum Explicationes, recte eum conieciſſe, ex iis quae Valkenarius nuper ad Euripidis Hippolytum praefatus eſt, apparet,) in locis Horatianis tentavit, quarum emendationum ipſi plurimas eripit. Quod nobis non invitis fecit. Qualis enim illa, inter eas, quas vir Illuſtris tantum commemorat nec revincit; Od. IV, 10, 2. *Inſperata tuae cum veniet ruga ſuperbiae? pluma*, ut nunc legitur, multo venuſtius, elegantius. Quidni enim pluma, non tantum mento, ſed et reliquo corpori modo ſubnaſcentem pilum denotet? Et nihil in hoc loco, vel nimium vidit acutiſſimus Bentleius. Rurſus qui Criticam omnino negligunt, in locis deſperatis nihil tentant, de lectionibus earumque veritate nihil iudicii ſui interponunt, eos parum Auctoribus edendis prodeſſe monet. Quo nomine recte reprehendit Millerum, edita Plinii Hiſtoria Naturali, ubi iuvat legere quae a Plinii editore poſtulet. „Qui utilem, ſcribit, praeſtantiſſimi operis editionem tradere velit, „primum operam dabit, ut verba ſcriptoris, quantum eius

„fieri poſſit emendatiſſima exhibeat, non Criticorum conie-„cturis corruptus; ſed bonorum librorum auctoritate uſus, „atque in libello ad calcem operis reiecto, rationes lectionum „cum receptarum, tum recipiendarum, reddat, breviterque, „quid de veritate aut veriſimilitudine cuiusque iudicandum „ſit, moneat. Ipſis vero Plinii verbis eas ſubiiciet obſerva-„tiones, in quibus non eruditionis ſpeciem captet, non mul-„torum librorum lectionem iactet, ſed ſolam ſpectet lectorum „utilitatem, et popularem interpretationem cuivis recondi-„tae doctrinae praeferat. Inde primum explicabit difficilio-„ra Scriptoris loca breviter, et ſine oſtentatione: tum paucis „exponet, quae aut ex hiſtoria, aut ex aliorum ſcriptorum „libris illuſtranda ſunt: ubi alios veteres ſcriptores a Plinio „diſſentire animadverterit, rem et loca notabit: denique id, „quod caput eſt, ſententias Plinii ex libris recentiorum, qui „aut naturam rerum explicare annisi ſunt, aut magnis iti-„neribus factis multorum hominum mores viderunt et ur-„bes, ſibique multarum rerum ſcientiam compararunt, „aut confirmabit ubi opus eſt, aut refutabit.“ Non feren-dos eſſe docet, qui vulgaria et trita nimis in notis propo-nant. Quarum ineptiarum documentum nuper dedit Italia, emiſſis Bandinianis editionibus Callimachi, Nicandri, Mu-ſaei, Thryphiodori, et Arati. „Commentarios, ait, et raro „addidit, et ſi quasdam adnotationes adſperſit, nihil quod non „vulgare eſſet et pueris cognitum attulit.“ Nicandro qui-dem aliquid ornamenti concedit acceſſiſſe ab Eutecni Meta-phraſi, ſicut Tryphiodoro non nihil adiumenti ab collatio-ne codicum duorum bibliothecae Mediceae; in quibus lectio-nibus ſe obſervaſſe ſcribit non paucas egregias, quibus opti-me ſcriptor emendari poſſit. His accedit Virgilius Ambro-gi, magnum inſcitiae Ambrogianae monumentum, de quo ſic refert: „Nulla lectionis cura, nullae de locis difficiliori-„bus diſputationes, nullae, quibus ſenſus veri et pulchri acua-„tur; quibus poetae ingenium oſtendatur, animadverſiones, „uno verbo, nil quod ab interprete poetarum exſpectare ſo-„lemus.

„lemus. Omnia trita, vulgaria, puerilia. — Iuraſſes Ambrogium vulgare aliquod Lexicon, cum hanc Virgilii editionem conficeret in manibus tenuiſſe, ubique illud evoluiſſe, „atque inde non ſine voluptate deſcripſiſſe ſuum commentarium.“ Horum duumvirorum ineptias non abeſſe a Minellii Iunckerique nugis, niſi quod quas illi in chartam bibulam libellorum duobolarium effudiſſent, ad puerorum tantum uſum, hi nitidiſſimis chartis, nullo ſplendoris externi lenocinio carentibus, alleverint, non hercle manibus diſcipulorum terendis, ſed in beatiorum bibliothecis reponendis. Sed bene eſt, quod exploſo iſtorum homuncionum commentandi modo, aliam ſe nunc tenere, cum poetarum, tum omnino veterum Auctorum explicandorum rationem, profiteatur Germania, in qua ſunt viri docti, qui per Batavorum veſtigia et artes ad laudem contendant. Aliis gloriatur bonis Virgilius Heynianus, quo munere placaturam ſe ſperare ſcite ſcribit Germaniam Virgilianos manes, Ambrogianis ineptiis graviter laeſos, vehementerque turbatos. Namque iſta ſe editio commendat diſſertationibus de Carmine Bucolico, et proemio Georgicis praemiſſo, in quo de ingenio carminis docte diſputatur: tum, collatione codicum nondum in examen vocatorum: commentario denique, in quo tum difficilia feliciter explicata, tum ubique artificium poetae in tractanda ornandaque re, delectus, elegantia, honeſtas, convenientia imaginum, ſententiarum, et orationis notata ſunt; niſi quod et ipſe interdum ad formularum locorumque, quorum ſententia aut iam nota, aut non difficulter reperienda eſſet, explicationem deſcendit. Orpheus Gesneri, Celſus Krauſii, ſine exceptione laudantur. Schwebelius, edendo Oneſandro et Vegetio, cum famae ſuae, tum aliorum deſiderio, bene conſuluit. Koenii in Gregorium, Corinthi Epiſcopum, de dialectis, adnotationes, propter multorum apud varios ſcriptores locorum emendationes explicationesque, doctrinae et acuminis Auctori ſuo laudem conciliant; monetur tamen, multos ſcriptores, una cum venuſtiſſima illa Anthologia

logia Graeca, adhuc incultos iacere, in quibus diligentia et cura multo magis ſit, quam in antiquis grammaticis, loco poſita. Sic Goenſii, qui quindecim annorum adoleſcentulus, ope fortaſſe Weſſelingii, ſcripta de Cepotaphiis diſſertatione nobilitatus fuiſſet, Porphyrio de Nympharum Antro laudabilem operam impenſam, in re tenui leviſque pretii conſumtam eſſe. Dum Funccii de lectione Auctorum Claſſicorum opus ſub cenſuram vocat, in reiiciendis verbis dicendique formis a Chriſtianiſmo alienis, acute monet, debuiſſe Auctorem diſtinguere verba profanorum ſacrorum ita propria, ut nullo modo haec profanitatis notio divelli poſſit, ab iis quae profanum uſum non ſua natura *inſitum*, ſed aliunde illatum teneant, nec ita proprium, ſemper ut adhaereat, ſed etiam commode ſeparandum. Deinde conſiderandum fuiſſe Auctori, multo plus in his licere Poetis, quam reliquis ſcriptoribus, qui certis legibus cautius in hac re verſari iubeantur. Eius indicio cognoſcimus, *Dammianum* Lexicon in parte Etymologica nihil valere, *et hoc ſtudium* Etymologias venandi *irritum* plerumque, nec vero Grammaticorum veterum et Euſtathii, (quem vix alia magis de cauſſa admirari ſe ſcribit, quam quod *veterum ſcriptorum* loca vel deperdita, vel vulgatis medelae emendationique futura, ſervet,) auctoritate defendi poſſe. Cuius ſtudii poenas ſat graves repetiit a Bellio, qui omne acumen Gallicum eo nuper convertit, ut verborum Latinorum etymologiam enuclearet edita linguae, ut appellat, Anatomia: ſapienter profecto id potius curandum eſſe praecipiens, ut ex multae lectionis uſu ſignificationes verborum cognitas habeamus, ad quam notitiam conſequendam etymologiae parum proſint. Inter haec admonemur ſententiae, quam de Gebaueri ad Taciti Germaniam Commentario tulit, in quo tum alia, veluti nimiam Germanos ab illatis criminibus defendendi contentionem, refringit, tum ſibi diſplicere oſtendit et etymologias indagandi ſtudium, et verboſam rerum ad ſummam nil facientium explicationem. In quam reprehenſio-

henſionem incurrit quoque Maianſius, qui in Commentariis ad Iuriſconſultorum Fragmenta nihil reconditi, aut vulgo ignoti protulit. Sed alius generis ſunt, Püttmanni et Schotti ſcripta, quae laude excipiuntur, et Conradi Varia ex iure civili, quibus ad priſtinam laudem ſuam ſi non integram, tamen ex parte, poſtliminio rediiſſe videtur. Reiicitur autem Obſervatio II. et VII. Morelli Theſaurum Graecae Poeſeos hactenus laudandum cenſet, quod ſanam et veram Auctoris de re metrica Graecorum ſententiam declaret, et ad emendandos graecos ſcriptores prodeſſe poſſit: ceterum ad verſus faciendos peritis inutilem, imperitis ultro noxium eſſe, inſuper commemorato more in Academiis Germaniae recepto, in ſolemni Magiſtrorum creandorum renuntiatione, recitandi graecae poeſeos ſpecimina, cui hunc librum proficuum eſſe poſſe iocatur.

Qui antiquorum artificum manu operibusque delectantur, quibus alant ſtudium, reperient in his Actis plurima. Non deſunt admonitiones, quae in teneris ſtatim annis ſuſcipi harum rerum ſenſum et elegantiam ſuadeant. Graviter ea de re praecipitur in recenſione Dactyliothecae Lippertianae. „Undique, ſcribit A. de re ſcholaſtica emendanda „conciones habentur, etiam ab iis, qui perverſe iudicant de „litteris: ſcribuntur de inſtituenda iuventute quotidie libri „permulti, quorum profecto iam copia laboramus, omnes „prope rem utiliſſimam omnium conſiliis iuvare conantur: „Quae vero poteſt educandae iuventutis ratio melior inveni„ri, quae poliendi ingenii via iucundior tutiorque eligi, quam „ſi ſcholis maioribus Dactyliotheca Lippertiana tradatur a „magiſtratibus, ſi idoneo praeceptori mandetur, ut illis gem„marum exemplis in hiſtoria fabulari explicanda, in poetis „antiquis interpretandis, immo in praeceptis artium littera„rumque tradendis, utatur tanquam luculentiſſimis et pul„cherrimis exemplis, quibus illius doctrina quaſi vitam et „ſpiritum accipiat? — — hoc ſi modo tenelli animi ad ele-

„gantiam venuſtatisque ſenſum, amorem, imitationemque „formentur et fingantur, eos brevi tempore inde patria no„ſtra fructus percipiet, quos e ſcholarum novarum (*reales* „vocant iſtas vulgo,) diſciplina, qua (dicam enim libere quod „ſentio) verae et rectae doctrinae ſtudia ſenſim extinguuntur, „licet illae habeant multa, quae etiam ſagacem virum alli„ciant, blandaque ſpecie fallant, nunquam conſequetur." Winckelmanniano operi, de Allegoria in arte ſculptoria et ſtatuaria, cuius capita ordine recenſentur, utilisſimas admonitiones ſubiectas legimus. Omiſiſſe eum docere, quibus locis Allegoria adhibenda ſit. Reprehenduntur, quae capite ultimo, in quo Allegorias a ſe inventas exponit, continentur. Monetur enim, ſi proverbia Allegorias praebeant, eſſe debere non abſtruſa, ſed uſu trita, nec propter humiliorem quandam ſpeciem ad Allegoriam inepta. Eundem, ad Obſervationes in Hiſtoriam Artium Antiquitatis aliquoties meliora docet. Refutat eius opinionem, omnes, quibus aliqua hiſtoria inſculpta ſit, gemmas, ſpurias putantis. *Aegidem* non clypeum, ſed pellem caprinam eſſe ſcribentem, prolatis Homeri verbis, erroris convincit. Ad Marmora Oxonienſia obſervat, Millerum ſculptorem, in capitibus ſtatuarum, non ſatis perite verſatum. Laocoonti Leſſingii plurimae diſputationes obſervationesque adduntur. Longa eſt, et accurata diſputatio, qua non modo venuſtatem et pulchritudinem, ſed etiam deformitatem in imaginibus ſtatuisque, veteres expreſſiſſe docetur. Super pulchritudine in pictura, occaſione libri gallici eiusdem argumenti, eleganter diſputatur. Manentia tantum, nec tranſitura pingenda, fingendaque, eosque qui v. c. Daphnem iam in laurum abeuntem faciant, errare putantem Ridelium, revincit, eaque non minus recte fieri videri, quam pingi pendentes in aere volucres, ſcribit. De inſcriptionibus inter Sponii et aliorum collectiones, nitore orationis carentibus, ita iudicat, ut non omnes pro ſpuriis et ſuppoſitis habendas eſſe praecipiat. Illum in eo ne inter veteres ipſos peccatum fuiſſe, Maecenatis exem-

exemplo probat, cuius oratio, ut ipſe diſcinctus, inornata incomtaque fuiſſe fertur. Plurima eſſent commemoranda, ſi quae de nimis, ex recondita interioreque doctrina, in litteras relata leguntur, enarrare velimus.

Riſu diducit lectorum ora, et, quod in praefatione Vol. II. ſcribit, *quando ſerenus animus, hilarius rem ago*, abunde praeſtat exagitandis malis philoſophis, ſurreptoribus et exſcriptoribus librorum, malis denique i[illegible]preſibus. Bone Deus, Logicam probabilium Groſchii ut traducit, ut hominem depectit! Finettum, principia Iuris naturalis tradentem, quo riſu obruit! Plurima inveniuntur: interim videri poſſunt Vol. I. pag. 465. Vol. II. pag. 262. Vol. IV. pag. 235.

Inſunt alia, quae ſcire cupidos talium iuvet. Novam ſe editionem Martialis curaturum promittit, ope Codicis Bibliothecae regiae Hanoveranae, et excerptorum Iſ. Voſſii et Beverlandi, qui Martialem cum codicibus antiquis, Vaticano, Thuaneo, Florentino, contulerunt. Quod cum legimus, optavimus ut copia fieret Viro, ingenio, doctrina, muneribusque illuſtri, illius exemplaris editionis Raderianae maioris, cuius quondam poſſeſſor Kappius fuerat, qui G. Cortii manu, quatuor MSS. codicum, et trium editionum lectiones, adſcriptas novimus. Commemoratur etiam, eſſe in eadem bibliotheca Hanoverana notas Leibnitii ad Martianum Capellam, quem, ut ex epiſtolis eius intelligitur, in uſum Delphini edendum ſuſceperat, ab ſe olim inſpectas, ſed repperiſſe eas non magni pretii, nec quae cuiquam valde placere poſſint.

Digreditur nonnumquam ad longiorem diſputationem, qualis eſt, ubi de libertate, quae artium florem proferat, diſſeritur. In qua valde placuit, quod notionem libertatis, a plurimis non ſatis intellectam, doceat. Libertatem eſſe ait, ubi ſint bonae leges, diſciplina bona, ubi ad ſalutem civium omnia referantur, ubi abſit timor tyranni, acerbis exactioni-

 bus,

bus, violentia, rapacitate nocentis, qui metus utique frangat deleatque ingenia. Addit, quanto melius ſit artibus, ubi unus iudicet et praemia diſtribuat, quam ubi plures; nec cum populari libertate ſemper coniuncta eſſe litterarum incrementa, ex antiqua Graecae reipublicae et recentiorum civitatum memoria docet. Rurſus in quibusdam, quae aliquis fortaſſe longiore tractu orationis explicata mallet, ne quorumdam inveteratas opiniones oppugnando odium et invidiam imprudenter ſuſciperet; aut clamores et convicia provocaret, brevior contractiorque fuit. Quo pertinent, quae Vol. I. p. 285. ſcribit: „Certas ob cauſſas ſententiam „noſtram, de Cantici argumento, cuiusque ſuſpicioni relinque„re, quam palam profiteri maluimus; ne forte barbatus qui„dam Ἁιρεσίμαχος aut Ἁιρεσιπλάσης mihi eundem, quem be„ato HEILMANNO noſtro, locum in indice atro adſignet. „Libertate maiore ſuam opinionem expoſuit Euremondius — „de quibus iudicet quisque quid velit: quid ego iudicem, „optime ſcio." Nimirum, huic libertati quantum obſtrepant, quam moleſtae ſint malevolorum voces, exemplo Politiani exiſtimare licet, qui, quod Odas Pindaricas ſublimiores Davidicis dixerat, quot, quantasque de morte ſua inimicorum criminationes ſuſcepit? Quod, ſi recte intelligatur, nihil impietatis habet. Nimirum, mediocritatem in Davidicis et iucundam ſuavitatem eſſe laudandam eisque in hoc medio genere palmam eſſe tribuendam: in Pindaricis ſublimitatem et grandes affectus praedicandos.

Placuit, praeter aliorum librorum excerpta, ſuorumque per idem tempus ſcriptorum, ut iam diximus, indicia et notitiam, denuo quaedam interponere de ſuo. Legimus Vol. I. p. 180. inſertum ipſius Auctoris Corollarium, quo docet, nullas ampullas lacrimales, quae vulgo putentur exſtare aut oſtendi poſſe, unquam a Veteribus monumentis conditas illatasque fuiſſe. Inſcriptiones, quibus iſta ſententia nitatur, non recte intellectas, et latini ſermonis inſcitia male explicatas

plicatas fuiſſe. Neque enim verba: CUM LACRIMIS POS. hoc ſignificare quod vulgo velint, neque ceteras formulas aliud quidquam denotare, quam magno luctu multisque lacrimis exſequias eſſe factas. Petronii denique locum Sat. cap. CXI. ubi occurrit *commodare lacrimas*, nihil probare; quo nihil aliud, quam, quod iam Erhardus vidit, in gratiam alterius collacrimare, denotetur. Quae de lucernis inexſtinguibilibus narrentur, pariter fabuloſa eſſe docet, et tam qui defenſores iſtius ſententiae, quam qui oppugnatores fuerint, commemorat. Sic alio loco Antiquitatum Scriptoribus, Barbalto et Bannierio eripit *deum ridiculum*, et prolatis Feſti verbis, ab illis, ut fit, non inſpectis, *rediculum* vocari docet. Aliud Corollarium Vol. IV. p. 92. habetur, Animadverſiones in Laocoonta Leſſingii continens, in quo tum ſupra diſputatis confirmandis quaedam adduntur, tum ad extremum Variolas veteribus notas fuiſſe, Hippocratis, Galeni, et Aetii teſtimonio, contra Winckelmanium et Leſſingium, qui illius huic errorem intactum reliquerat, affirmatur.

Eiusdem ſunt Vitae et Elogia Eruditorum, in quibus de cuiusque fortuna, doctrina, meritis, moribusque, breviter exponitur. In his Munthii Obſervationum e Diodoro Siculo ad N. T. fit mentio, animadvertiturque, notas etiam verborum ſignificationes ſubinde in his expoſitas eum dediſſe; ſed tamen id genus adnotationum ferri, et eo valere poſſe, ut Lexicorum defectum ſuppleat, pluresque eandem formam dicendi confirmare locos commonſtret. Heilmanni doctrina, morumque ſuavitas, cum laude refertur. De Heumanno iudicatur, eum in philoſophia parum exercitatum, in Critica audacem fuiſſe, ſtilum minus caſtigatum habere, inventorem tamen et parentem hiſtoriae litterariae eſſe. Weſſelingius, propter ingenium et eruditionem ſingulare litterarum ornamentum, cum in ceteris quos edidit libris, tum nuper in Herodoto, cuius editionis Vol. I. p. 268-278. accurata notitia datur, omnes partes eximii Critici expleuiſſe,

 com-

commemoratur. De rebus ad Tiberium Hemſterhuſium, Ed. Corſinum, Hogarthum, alioſque pertinentibus, in his Vitis utiliter et iucunde diſſeritur.

Inſerta quoque quorundam integra ſcripta, nunc primum cum eruditis communicantur. Exhibentur voluminis II. et III. I. F. Herelii Specimina Animadverſionum criticarum in quaedam veterum ſcriptorum loca III. Diogenis Laertii potiſſimum aliquot loca, Rutilii, Valerii Max. Stratonis Epigrammatum pauca quaedam, et Alciphronis nonnulla, emendantur, non ſine doctrinae et ingenii documentis. Quorum quaedam exempla ponere lubet, additis, quae monenda viſa fuerint, cum praeſertim nullam iis Vir Illuſtris, quod in amicorum ſcriptis lubentiſſime alias facere profitetur, animadverſionem adiecerit. Apud Laert. L. IX. Sect. 43: in verbis: τίς ἔργον ἔρεξε τοσοῦτον Ὅσσον ὁ παντοδαὴς μήνυσε Δημόκριτος, in quibus Caſaubonus haeſit, facili manu reſcribit ἤνυσε. Rutilius L. I. v. 555. ubi legitur, *Exiguus rerum rectores ceſpes habebat*, collato Iuvenali, quem imitatus videtur, qui Sat. XIV, 164. *ſaturabat glebula* dicit, ſcriptum reliquiſſe videtur, *alebat*. Sed veniamus ad Stratonem. In huius aliorumque, ſicut ab Ill. Klotzio edita ſunt, epigrammatis, VII. v. 4. pro τέκο μόνον χρυσῶν ἄξιον ἐκ ἑκατόν, ſcribendum putat ἑκάτων: quod nec intelligimus, nec procedit, et neſcimus quid egerit vir doctus, qui indeclinabile flectendum ſuſceperit. Epigramma numero X. editum habet: Ἄγκιστρον πεποίηκας. ἔχεις ἰχθὺν ἐμὲ τέκνον Ἕλκεις μ' ὅπη θέλεις — Cum de piſce capto ſermo ſit, non ſe videre ſcribit, cur de hami praeparatione Poeta loquatur. Hinc tentat reponere βέβληκας. Immo vero coniungenda ſunt haec: ἔχεις ἰχθὺν ἐμὲ τέκνον: *Hamum feciſti, habes me piſcem, fili*, ſum tibi pro piſce, aeque me, ac piſcem, quem capere eſt animus, in poteſtate habes. Hoc niſi eſſet, quomodo poſſet in ſequenti verſu iterum poni pronomen, ἕλκεις μ' ὅπη θέλεις? Turbavit virum doctum interpunctio, quam malorum

num in Codice Lipſienſi eſſe meminimus. XX. v. 31. Κἠμοὶ τὸν καλὸν ἔσω ἀπὸ σπλάγχνοισι Μυΐσκον Κρύπτειν μοὶ μὲ λάθῃ παῖδα λαβὼν πτέρυγας. Corrigendum putat ὑπὸ, non male. Sed in Codice Lipſ. legitur ἐπὶ, quae lectio vera eſt. Ultima intelligi non poſſunt: et mirum eſt vitium non animadvertiſſe qui haec legebat; ſed conſtitui poſſunt ex eodem Codice, qui habet: παιδὶ βαλὼν πτέρυγας, alas admovens puero. Verborum λαμβάνειν et βάλλειν tempora ſaepe permutata a librariis ſciunt eruditi. Qui dubitet, videat Marklandum ad Max. Tyr. p. 677. Abreſch. Dilucidat. Thucyd. p. 509. Porro XXVII. v. 5. Ἀλλ' ὡς μὲν νῦν αὖθις ἐκοίμησεν. Conjiciendo legendum eſſe νύξ, aſſecutus eſt integritatem lectionis, quam eiusdem Codicis fides ſervat. In Alciphrone L. I. ep. 1. pro θάττον μικρὸν recte vidit legendum πικρόν: meminimus autem Clariſſ. et amiciſſimum Irmiſcum, ſcholae Plavienſis nunc Rectorem, iam olim hanc ipſam emendationem, cum aliis quibusdam ad Alciphronis locos pertinentibus, proponere in extrema pagella diſſertationis de Suſpecto Ciceronis loco Offic. lib. I. c. 13. anno huius Seculi LV. editae; quod indicare voluimus, ſi eas fortaſſe Vir Cl. cui ſingulari libello ad Alciphronem commentari propoſitum eſt, expendere velit.

Si quid monendum ſit, dicamus nos aegre tuliſſe, laborioſos eruditorum conatus, in inquirendis colligendisque variis lectionibus, traduci et perſtringi. Pupugit etiam iniquius de I. F. Chriſtio iudicium, qui dicitur fuiſſe miri ingenii homo, obſcurae diligentiae, qui in omnibus rebus myſteria quaereret, ferreus denique ſcriptor. At nos virum impenſe doctum, ſpirantis magnam ſapientiam, et caſtigatiſſimae dictionis, morumque faciliſſimorum, et conſuetudinis iucundae, admirati ſumus olim, et quoties aliquid ſcriptorum eius revolvimus, admiramur. Et redemiſſe putandum eſt vir Illuſtris iſtam vituperationem, honorifica alias meritorum eius mentione facta. Haeſimus aliquando, quum iſta

legere-

legeremus: *Quid ſibi illa velint:* „Hieroglyphica Aegyptiorum probant optime eorum in obſervandis animalibus diligentiam" *non capio, nec ipſe Auctor mentem ſuam luculentius „expoſuit.* Quomodo enim non recordabatur, pingendis animalium figuris, rem, quae cum moribus et natura eorum conveniret, eos denotaſſe? quod cum facerent, noſſe utique ipſorum vires indolemque debebant. Iam porro, quod poenarum infernalium aeternitatem negat, quod Americanos populos ſine Chriſti Servatoris cognitione in felicitatis futurae ſocietatem recipit, et hanc ſententiam ſe Feuerlino probaſſe ſcribit, quod de diabolo luſus facit, iſta nec diſſimulare, nec magno opere commovere voluimus.

Alia ſunt, quae non minore gravitate ſeveritateque, quam elegantia ornatuque orationis, diſputat. Praemiſit Volumini ſecundo praefationem, in qua occurrit iis, qui libertatem in reprehendendis, nullo perſonarum a quibus *ſcripti* eſſent diſcrimine, libris, accuſaverant; quam *temperandam* erga eos, qui ſacro ordini ſint adſcripti, inique poſtulari oſtendit. Neque enim ſi quis eorum aut mala carmina ſcripſerit, aut in Hiſtoria et re critica ridiculos errores commiſerit, aut ſtulta ſuperſtitione occoecatus, non quod verum ſit, ſed quod antiquitatis auctoritate nitatur, unice probaverit, quo minus ſententiam libere dicat, quid impediat ſe non videre. Non enim totum ordinem peti, aut quidquam religionis ſanctitati derogari. Addit quaedam adverſus eos, qui e religionis doctrina omnem dicendi libertatem ſublatam velint. Nimio fervore concitari, qui, quos in quibusdam capitibus religionis aliter ſentire intelligant, eos clamore et minis inſectentur, aut ex hominum, quantum in ipſis ſit, ſocietate exturbare velint. Iis, qui excuſſo ſervitutis iugo puriorem nobis ſacram doctrinam reddiderint, magnam deberi gratiam; neque tamen eos omnia ita conſtituiſſe, et propter naſcentes tum primum litteras conſtituere potuiſſe, nihil ut ſequentibus elaborandum amplius perpolien-

poliendumque relictum ſit. Cuius rei poteſtas ſi adimatur, in eadem qua olim conditione cauſſam religionis eſſe, eadem ſervitute premi, domino tantum mutato. Ad extremum addit, ſe vel clamores, vel artes iſtorum parum curare, et paucorum, qui ſentiendi dicendique libertatem non adſpernentur, favore, contentum fore. Cum hac diſputatione coniuncta ſunt, quae in Praefatione Voluminis III. ſcribit. Continet autem ea querelas de acerbitate contra diſſentientes in religione. Germaniam, quae olim excuſſerit coecae ſuperſtitionis ſervilisque obſequii iugum, nunc idem ſibi imponere velle. Se, cum vidiſſet ſenſiſſetque, veritatis dicendae ſtudium quas moleſtias crearet iis, quibus inſit, qua invidia premerentur, qua calumnia obruerentur, ſuadere pacem et concordiam non deſtitiſſe, idem fortaſſe ſentientibus aliis, quorum animi non omnem humanitatem exuiſſent. Nunc, ne idem ſaepius repetendum ſit, velle ſuam de minuendis, aut ſi fieri poſſit tollendis inimicitiis, ex opinionum diſſimilitudine ortis, ſententiam ſemel expromere. Nolle ſe dicere de crudelitate, quae, in quibus non eaedem de rebus divinis ſeu potius caerimoniis ſententiae animadvertantur, in eos ferro et flamma ſaeviat, quam graviter accuſat vehementerque deteſtatur. Ab animo ſenſuque, qui in iis, qui chriſtianum nomen profiteantur, eſſe debeat, iſtam longe abeſſe. Ferendum eſſe, ſi quis libertate unicuique a Deo conceſſa utatur. Neque vi doceri religionem, neque cogi, Lactantii et Sozomeni verbis monet. Iſta aſperitate magis averti homines. Ultra progredi non licere, quam quo docendo admonendoque permiſſum ſit. Neque vero coecum puniri, quod colores diſtinguere non poſſit. Eſſe contra Chriſti et Apoſtolorum exemplum, quorum nemo cum carnifice, gladium crucemque praeferente, urbes ingreſſus ſit; nemo contra repugnantes magiſtratus auxilium implorarit. Ab his convertit orationem ad concordiam inter ipſas chriſtianorum familias. Has, ait, in ſumma rerum omnes convenire. Diſcordiam, aut rerum leviculartum quaeſtionibus

 inter-

ſententias verſare, aut in cerimoniarum diſcrimine eſſe. Eundem omnes Deum colere: Chriſto divinitatem reddere: Scripturae ſacrae divinam auctoritatem revereri: praemia a Chriſto parta poſt hanc vitam ſperare: poenarum mala timere. Nihil ergo obſtare, quo minus manus iungamus. Sed hoc non obtineri Conciliis, immo animos magis diſiungi, precibus votisque a Deo unice hanc concordiam expetendam eſſe.

Cum his, quae de eodem argumento Ven. Eugenius, nuper admodum ad Voltarii librum ſur la Tolérance, Graece a ſe verſum, Graeco ſermone diſputavit, comparari merentur.

P. VIRGILII MARONIS OPERA: VARIETATE Lectionis, et perpetua adnotatione illuſtrata, a CHR. GOTTL. HEYNE: accedit index uberrimus. TOMUS PRIOR.

Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſch, 1767. Alph. 1, plagg. 17. in 8.

Quod in ingenti editionum Virgilii numero, eius lectionem adhuc premebat vitium, ut et verborum rerumque ſententiae conſequendae aut non ſatis tuta, aut parum expedita via eſſet, id Viro Clariſſ. novae editionis adornandae, ſimulque illius vel levandi, vel amovendi curam conſiliumque immiſit. Ac ſine interprete legere poetam incommodum eſſe per ſe intelligitur, et intellectum eſt omni tempore: neque enim tantos totque commentarios, ſolius ambitionis cauſſa conſcriptos eſſe, putare debemus, verum etiam neceſſitatis; ſed his ipſis multorum commentationibus effectum eſt, ut obruerentur lectores rerum multitudine, ut refrigeſceret legendi ſtudium, impetusque orationis Virgilianae flumine ſitientes aures proluendi, retardaretur, revoca-

revocareturque. Quo plurimum contulit multorum, qui ipſis invitis, nec opinantibus obrepſit, error, ut inſtituta de quadam re quaeſtione, dum in alia incurrens animus, longiore eorum contemplatione detinetur, id ipſum de quo quaerebatur omitterent. Neque vero, qui Virgilium intelligere, ne qui edere volunt quidem, opus habent, quae in eum ſcripta ſint, omnia legere. Non omnia ſe legiſſe fatetur Vir Cel. quum et ii ipſi quos legerit, praeſtantiores fere, in locis, quibus maxime et optaſſet et exſpectaſſet opem, officio defuerint. Sed tamen pro humanitate modeſtiaque ſua, pepercit eorum famae, rectaque potius docere, quam falſa refellere maluit, et non nominatis, ad quos maxime pertinebant, inſerere notis ea, a quibus ſibi cavere alii diſcerent. Sed de his omnibus accuratius referendum eſt. Ergo, in quibus et Critici officio, et boni interpretis partibus fungi allaboraverit, age commemoremus.

Ex *Nic. Heinſii* et *P. Burmanni* editionibus varias lectiones, praeter plane, ut ſcribit, inutiles, adiuncta *Pierii* codicum varietate, iudicioque ſuo interpoſito, inſeruit. Quos Anglus Editor *Martinius* in Eclogis et Georgicis comparaverat Codices, eorum lectiones hic quoque inveniuntur. His quaſi communibus ſuperiorum editionum, quoad rem criticam, praeſidiis, acceſſerunt propria nonnulla, quorum alia rurſus ad lectionem conſtituendam, alia ad hiſtoriam temporum, alia denique ad carminis ingenium percipiendum pertinent. Etenim acceſſit trium Codicum bibliothecae Gothanae, a Cl. *Schlaegero* ſibi miſſorum, *Io. Georgii Meuſelii* ſtudio facta collatio; a Celeb. *Reiskio* autem exemplar Eclogarum et Georgicorum ipſius manu paſſim notatum, quod, enotandis Viri obſervationibus coniecturisque, pro conceſſa ſibi eius rei poteſtate, in uſus convertit. Ad bona huius editionis propria porro pertinet Codicum accurata deſcriptio, editionumque, quarum aliquid ad textum Virgilianum auxilii, aut ad eius textus hiſtoriam, quam hoc la-

bore ſuſcipiende pleniſſimam exhibere voluit, praeſidii ea
ſpectetur, ſecundum annorum, quibus unaquaeque prodiit,
ſeriem recenſio. Inſtruxit eam quoque Vita Virgilii, quam
a *Donato* quidem conſcriptam, ſed a Grammaticis et librariis
monachis, dum ſemper alius aliam codici ſuo fabulam adſue-
re gaudet, ita depravatam putat, ut quid Donati ſit agno-
ſcere vix detur. Notas igitur ſubiecit, in quibus quid fal-
ſum ineptumque ſit, vel verbo indicaretur. Hanc excipit
vita Poetae, loco illius, quae quondam a Maſuicio ſecundum
temporum ſeriem exhibita fuerat, ſed propter errores ipſi
adhaerentes quamplurimos et graves, repetenda non vide-
batur, chronologico ordine denuo conſcripta; in qua quid
quoque anno in republica geſtum ſit primum commemorat,
deinde hinc quae ad carmina poetae illuſtranda valeant, ſu-
menda demonſtrat. Subiiciuntur teſtimonia de Virgilio et
eius Operibus, Argumenta librorum, Epitaphia denique.
Non minus ſe commendat utilemque reddit haec editio *Diſ-
ſertatione de Carmine Bucolico*, in qua tum omnino de ar-
gumento et materie, tum de moribus ac ſententiis, verbis
atque numeris, de deſcriptione ac oeconomia carminis diſpu-
tatur, allegoriae denique in eo a nonnullis captatae reiiciun-
tur. Iam, quo expeditior eſſet Eclogarum ſententia, earum
ſingulis argumentum praefixit, in quibus ſaepe, ac, quod
neceſſitas exegit, fere in omnibus, inepto allegoriarum ac-
commodandarum ſtudio occurrit, omninoque, cum allego-
riae notiones ſint ſecundariae, ſi ex prima et propria quid
dicatur apertum ſit, allegoricum ſenſum, ut vocant, ſuper-
fluum habendum eſſe praecipit. Bene diſputat ad Ecl. IV.
contra eos, qui eius argumentum ad vaticinium de Meſſia
retulerant, et acute monet, ſicut in quibusvis populorum
calamitatibus vaticinia quaedam ferantur, ita apud Roma-
nos ſuſcepto civili bello idem obtinuiſſe, eoque tempore cum
alia, tum Sybillina oracula plurimum valuiſſe. Quibus in
vaticiniis, cum fere ad Seculum aureum commutationes re-
rum revocentur, eundem loquendi morem ipſum quoque
Poetam

Poetam ſervaſſe. Ceterum in natalem nobilis pueri, ſed non Salonini, aut aliorum qui vulgo nominentur, cui opinioni temporum ratio adverſetur, ſcriptam eſſe. Iam porro, Prooemio Georgicis praemiſſo, praeclare de Poeta meritus eſt. Huic generi *molle ac facetum*, ut Horatius appellat, proprium vindicat, hoc eſt, remotam ab omni aſperitate dictionem, decus, et excultam elegantiam, ut ubique politum, urbanum, honeſtum ingenium agnoſcas. In quo laudatur Poetae artificium, quo, quae is non primum ex ſe prolata cecinisſet, ſed ab antiquis fere tradita didiciſſet, ita elaborata, ita exculta, ita exornata dedit, ut novitatis non tam ſpeciem, quam ipſam vim veritatemque prae ſe ferre videantur. Suademus, iſtas diſputationes legi et expendi. Atque id tanto magis, quo maiore cum damno iuventutis, veterum ſcriptorum lectione ad omnis humanitatis ſenſum excitandae, et ad inveniendum feliciter, aptaque rem propoſitam quamcunque oratione exprimendam, acuendae et exercendae, negliguntur a magiſtris in interpretando, quae ad hoc conſilium obtinendum proſunt. In textu Virgilii exhibendo Burmanni recenſionem, quae Heinſianam ſequitur, unice retinuit, ne ſubinde nova exemplarium diſcrepantia, plus moleſtiae ac taedii, quam fructus et utilitatis, habitura, inferretur. Unaquaeque pagina ſuperior contextum, media varias lectiones et virorum doctorum coniecturas, inferior Commentarium refert. Obſervationes et coniecturae Cel. Reiskii, quae crebro commemorantur, acutae ſunt pleraeque, nonnullae etiam a certitudine parum remotae. Speciminis loco haec ſunto. *Georg.* I, 320. certiſſime videtur legere:

Quae gravidam late ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam ruerent,

pro *eruerent*; *Georg.* II, 136.

Sed neque Medorum ſilvae, ditiſſima terra

Ubi praeclare vidit, coniungendum eſſe *ſilvae ditiſſima*. In commentario conficiendo, quod conſilium ſpectaverit Auctor, ipſe his commemorat verbis: „Ceterum eam legem et re-

„gulam, quae omnibus interpretibus propoſita eſſe debet, ut „nihil, quod luce aliqua indigeat, cum ad illuſtrandum diffi- „cile ſit, omittant, ac praetereant, nihil quod ſatis lucis ha- „beat, alienis luminibus affuſis offuſcent et obſcurent, nun- „quam ex oculis dimiſi, atque ea adeo induſtria et cautione „me illud aſſequutum eſſe ſpero, ut ſi non raram doctrinam, „inauditas obſervationes, ſeveras in alios ſtricturas attule- „rim, at utiles tamen commentarios in poetarum principem „condiderim, in quibus ea propoſita ſint, quibus eius lectio „adiuvari, commendari, et, ſi non omni moleſtia liberata, „at cum voluptate tamen aliqua coniuncta videri poſſit.“ Scilicet laudabile hoc eſt, quod praeter eruditionis Poetae laudem, locorumque, quos imitando expreſſiſſet, indicia, ubique eius in tractanda ornandaque re artificium, delectum, elegantiam, honeſtatem, convenientiamque imaginum, ſententiarum et orationis, notare conatus ſit. Quantum hinc puerilis inſtitutio, cui potiſſimum adiuvandae omnem *hunc* laborem ſuſcepit, commodum capiat, facile licet exiſtimare. Quae ſi magis quam plerumque fit, hoc genere obſervationum, quo animus alitur, magnarumque cogitationum capax fit, contineretur, minore cum taedio *docentium*, *maiore*que cum emolumento diſcipulorum, perageretur. Subinde quoque Popii, Gesneri, celebriorum poetarum comparationem ſuadet. Nunc, quoniam rara eſt adoleſcentum ea patientia, ut legendis commentariis doctorum inſudent, et quidquid in his litteris proficiant, prudentiae magiſtrorum fere ſoli committitur, ipſis veterum Auctorum interpretibus, hoc commentandi genus, ad utilem diſciplinae rationem ſuſcipiendam ingrediendamque, viam monſtrare poterit. Sed tamen concepimus animo cogitationes quaedam, quas diſſimulare noluimus. Videtur enim, ut breviter dicamus, in aliis plenius et copioſius, in aliis imperfectius ſcriptus eſſe commentariis. Illuc referimus crebras verborum poetae pedeſtri oratione editas circumlocutiones. At dum nihil, quod explicationem admitteret, inexplicatum relinquere co-

gitat

git Auctor, ſubinde ad verborum formularumque dicendi, quarum ſententia aut iam nota, aut non difficulter reperienda eſſet, interpretationem delapſus eſt. Qui reliquo doctrinae apparatu, qui hunc commentarium inſtruit, frui et delectari didicerint, ii, quid eſſet *dare ſe*, quid *genialis hiems*, quid, *quae perhibetur amara*, denotaret, vix erant docendi. Contra, aliquid pulchre, eleganterque dictum ſaepius laudari meminimus, quod tamen, quomodo tale ſit non intelligant adoleſcentes, niſi admoneantur, aut ita iam latine docti ſint, ut vim notionemque verborum accurate teneant, ſine qua ſcientia coecum eſt in hoc genere iudicium. Non ſatis eſt *deripere tectis*, pro *ſumere* dictum praecepiſſe, ſed qua virtute id factum ſit, docendum eſt. Cui non propria notio vocis *indulgentiae*, qua de parentibus reſpectu liberorum dicitur, in animo obverſetur, is ſi *indulgentiam caeli* exquiſite pro *clementia*, *temperie*, poſitam audiat, quid dicatur ne intelliget quidem, praeſertim cum illud decretum non in univerſum valeat, ſed quibusdam tantum locis aptum ſit. Plurima quoque huius generis, ut de arboribus, *contemnere ventos*, plane ſilentio praetermitti vidimus. In pauca quaedam incurrimus, de quibus, an recte expoſita eſſent, dubitaremus. *Ecl.* III. v. 109. 110.

Et vitula tu dignus et hic: et quisquis amores
Aut metuet dulcis, aut experietur amaros.

Sunt verba Palaemonis iudicis ab alternatim canentibus adſciti. Hic adnotat: „haec verba (*et quisquis* etc.) — non — „quid ad reliquam ſententiam velint, ab ullo interprete mo„nitum aut dictum eſt, neque umquam dici poſſe exiſtimo.“ Et paucis interiectis, explanatisque prioribus verbis per ſe apertis, ſubiicit: „quorſum reliqua hoc et ſequenti verſu ſpe„ctent, non facile dicas.“ Dicamus ergo, quid nobis in mentem venerit. Admodum probabile eſt, iſta verba ad hos duos, qui in ecloga cantantes inducuntur, referri, quorum alter potiri ſe expetitis formis, paratoque et facili amore frui gloriatus, alter acerbo et immiti cruciari queſtus fuerat. Quod com-

comparandis verſibus 73. 74. 80. 81. et 66. 67. 82. 83. intelligitur. Hoc autem expreſſit Poeta per *amores metuat*; (nam diſſimulare non poſſumus, hoc ſumto, praeferendam videri lectionem *metuat*, et *experiatur*, quae in libris quibusdam reperitur,) *dulcis*, hoc eſt, in eorum uſu ſollicitus et cautus ſit. Metuere enim in rebus ſecundis ſapientiae eſt. *Horat.* Od. II, 10, 13.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis,
Alteram ſortem bene praeparatum
Pectus —

Palaemon autem, quaſi non ſatis attenderit ad quem quidque pertineret, alienior inſuper ab hoc genere iudicii, dicit *quisquis*. Ecl. VI, 5. *deductum carmen* explicatur tenue paſtoritium, a lana in filum deducta, quod ferri poſſet, ſi additum fuiſſet: hoc in loco. Nam eam explicationem non ubique retinendam, vel *Ovidii* Triſt. I, 1, verba docent:

Carmina proveniunt animo deducta ſereno

Ergo *deductum carmen* eſt omnino elegans, aptumque rebus quas tractat, ſive magnis et ſublimibus, ſive mediocribus et humilibus. eadem *Ecl.* v. 80.

Quo curſu deſerta petiverit et quibus ante
Infelix ſua tecta ſupervolitaverit alis.

Immerito illud *ante* vitii inſimulatur, cum nihil ſit aptius quam *ante ſua tecta ſupervolitaverit* iungere, ut hoc Philomelae, illud, *deſerta petere*, Tereo conveniat. Ecl. VII. inconſtantiam accuſat paſtoris, modo Galateam, modo Alexin, modo Phyllida collaudantis. In quo, quid delectationi legentis obſit, aut cur Popius praeferendus ſit, non videmus. Quidni enim poetae, amatoris hominis, quacunque forma commoveri, pluriumque amore diſtineri ſoliti, mores referre liceat? *Georg.* II, 115. verborum, *pictos Gelonos*, ſimpliciter repudiat explicationem Servii, qui ita dici hos populos propter inuſta ſibi ſtigmata notat; quam veram eſſe putamus. Unde hoc confirmari poſſit, locus perſpicuus eſt apud *Claudianum* I. in Ruff. v. 314.

Membra-

Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus:
ubi videndi G. Barthius et Geſnerus. Ipſam dictionem *ferro pingere* etiam habet Iornandes c. 2. qui de Britannis, *incertum*, inquit, *ob decorem, an aliam ob rem, ferro pingunt corpora.* Ut adeo haec, Salmaſii et Emmeneſſii, Editoris denique, qui de coloribus corpori adlitis accipiunt, ſententiae praeferenda ſit. Eodem libro v. 467. *neſcia fallere vita* explicatur vita tuta, conſtans, nullis caſibus, adeoque nec metui obnoxia. Hoc nec eſſe poteſt, nam omnis vita caſibus obnoxia; nec per vim verbi denotare valet. Vita fallere neſcia, eſt vita neſcia effugere, quae non ignoratur, qua capitur vitae fructus, vere vitalis, non ſine uſu tranſiens noſtro, quae nobis vivitur non aliis; qua carent, qui in aula, in foro, in militia, in negotiis et quaeſtibus pecuniariis, et reliquis vitae generibus et artibus, ſive liberalibus, ſive illiberalibus, addicti vivunt. Et haec eſt *fallentis ſemita vitae*, ut vocat *Horat*. Epiſt. I, 18, 103. Poſſunt divitiae dici *fallere* homines, qui earum uſum intermittant. *Fallere*, λαθεῖν, in hac notione, bene interpretatur *Bentleius* ad Horat. Od. II, 16, 31. Iam porro v. 521. *ponit foetus auctumnus*, in notis docetur dici, dum poma matura decidunt; quo non opus erat, et obſcuratur metaphora. De uſu verbi *ponere*, quo de partum edentibus dicitur, aliquid admonendum erat. *Catull*. 35. *quam mater prope Deliam depoſivit olivam:* vid. Burmanus ad Phaedr. I, 18, 5. Sic ſupra v. 460. *Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus*, ubi adnotatum legimus, „*fundit*, ſufficit, ſuppeditat, at ſentis puto, quam iſtud ad copiae notionem valeat.“ Non tam eo reſpici putamus, nam in *fundere* non ineſt copiae notio, quam ad facilitatem, qua promte et expedite terra victum profert. *Fundere*, quod niſi ſciatur, nec loci venuſtas ſentitur, iterum eſt *parere*, et quidem ſine labore, quod ipſe quoque Burmanus ad Phaedr. III, 15, 6. pluribus docuit.

Georg. III, 482. Ex nota non ſatis intellexeris, quae ſit *via mortis ſimplex*. Difficultatem explicandi, remoto, in quo fruſtra haeret, inter *mortem ſimplicem*, et *viam mortis ſimpli-*

cem diſcrimine, facile ſuperare licet. Sane cum via mortis ſimplex fuiſſe negatur, id dicitur, varios cruciatus mortem ipſam praegreſſos.

Georg. IV. 344. Suavis eſt, dum ſcribit: „quomodo „venatrices Nymphae inter Oceanitides locum habere poſ„ſint, nondum aſſequor.“ Quid? non cogitavit Oceanitides eſſe Oceani filias? quaſi vero ex his ipſis non quaedam venatrices fuerint. Verſu 520 — *Spretae Ciconum quo munere matres — Diſcerptum latos iuvenem ſparſere per agros.* Locum ſane difficilem, variis explicationibus et coniecturis tentarunt interpretes. Noviſſime Cel. Editor *Spreto* ex quibusdam codicibus praefert, et *munere* accipit de luctu officioque erga defunctos, ut iſtae feminae ſpreviſſe pietatem eius in uxorem dicantur. Sed nec ſic explicandae ſententiae loci ſatisfieri videtur. Cur non potius, quod quantum ſcimus nemo interpretum vidit, *munus* ipſam Eurydicen, ſicut antea *irrita dona*, dici putemus hac ſententia: hoc *munere* oblato vel amiſſo, prae hoc munere, ſpretae Ciconum matres, ſe vel filias in matrimonium offerentes, iniuriam contumeliamque diſcerpto eo ultae ſunt.

HISTORIAE DIPLOMATICAE IURIS PATRONatus Apoſtolicorum Hungariae Regum Libri III. Auctore ADAMO FRANCISCO KOLLARIO, *Pannonio Neoſolienſi, Mariae Thereſiae Auguſtae a Conſiliis, et Aug. Biblioth. Vindobon. primo Cuſtode.*

Vindobonae, typis *Geo. Lud. Schulzii*, Acad. Typographi, MDCCLXII. in 4to: 1 Alph. 11. pl. absque dedicatione, praefatione, et indice.

Hanc hiſtoriam eo conſilio Kollarius ſcribere aggreſſus eſt, ut veram iuris Patronatus ex legibus Hungariae origi-

originem, omnes controverſias potiores, uſum eius legitimum, et nulla umquam viciſſitudine temporum interruptum, vetuſtarum ope litterarum perſpicue et ſuccincte explicaret, nobisque tribus libris proponeret. Quid in unoquoque iſtorum preſtiterit, iam videbimus. Primo igitur libro, de initiis religionis Chriſtianae inter Hungaros, de ſacrae Coronae, deque Iuris Patronatus vera origine, diſſeruit. Statim *Cap. I.* Schwarzii, Viri Celeb. nunc Theol. D. et Pr. Primarii in Academia Rintelenſi meritiſſimi, de initiis religionis Chriſtianae inter Hungaros ſententia, breviter proponitur; quippe qui in diſſ. de hoc argumento habita Halae Magd. 1740. aſſeruerat, litteras a Silveſtro II. ad Stephanum, primum regem Hungariae Chriſtianum, ſcriptas, ſuppoſititias eſſe, regumque ius Patronatus ab *ἀναρχίᾳ* quadam eccleſiaſtica et *αὐτονομίᾳ* profectum, et Chriſtiana ſacra a Graecis ad Hungaros perlata fuiſſe. Quae omnia triumvirorum teſtimoniis; videlicet Ioannis Scylitzae Curopalatae, Cedreni, atque Zonarae, ſtabilita quidem et confirmata a Schwarzio, verum etiam a Io. Stiltingio in Actis Sanctorum, (quod nos non credimus,) refutata omnino eſſe prodidit. *Cap. II.* Sententia Schwarzii examini ſubiicitur: eam unico tantum niti teſtimonio Scylitzae, ex quo Cedrenus et Zonaras ſua hauſerint, aſſerit; igitur inde rem confici minime. Alterum argumentum, ex Gyulae principatu in Tranſilvania ductum, qui nempe Horcae filius, et Saroltae pater fuerit, et Chriſtiana Sacra Conſtantinopoli amplexus ſit, hoc modo diluit, ut demonſtret, Gyulae nomen dignitatem iudicis in Hungaria denotare, neque demonſtrari idoneis poſſe argumentis, Gyulam cum Sarolta filia ſacris initiatos fuiſſe Chriſtianorum. *Cap. III.* Initia religionis Chriſt. inter Hungaros catholicae Chriſti eccleſiae adſeruntur. Totus eſt in eo A. ut doceat, Geyſam ducem, eiusque filium Stephanum, cum gente ſua Pontifici Rom. ſubiectos fuiſſe; huius rei cauſa litteras Stephani, monachis latinis ex diſciplina Benedicti montis Pannoniae, A. 1001. datas, quarum *αὐθεντίαν* Schwarzius quo-

que agnoſcit, produxit, ex iisque collegit: Geyſam ducem in Hungaria monaſterium pro monachis latinis exſtruxiſſe, quod mortuo Geyſa filius eius Stephanus ad finem perduxit. Exceptioni vero Schwarzii, ſtatuentis, eccleſiam Hungaricam initio ſui ortus fuiſſe capite deſtitutam, ita occurrere ſtuduit, ut Scylitzae relationi de Gyula, qui ſecum adduxit monachum quendam Hierotheum nomine, fidem conciliet. Litteris denique duabus Benedicti VII. ſummi Pontificis, et Laureacenſis Epiſcopi, extantibus apud Lambecium Comment. L. II. p. 641. oſtendit, Hungaricam eccleſiam ab initio fuiſſe latinam. *Cap. IV.* Auctoris opuſculi, Hungaria ſub Vaivodis et Ducibus inſcripti, (A. fuit Ioannes Pelczius, qui libellum cum cenſura Senatus Sempronienſis, Sopronii, typis Io. Ioſ. Sieſſii, A. 1755. octonis edidit,) de initiis religionis chriſtianae inter Hungaros ſententia, obiter refutatur. Pelczius nimirum duas de converſis Hungaris ad Chriſt. religionem ſententias, quarum prior Ottonis, poſterior Conſtantini Imperatoris tempore hoc contigiſſe affirmat, conciliare ſtudet, diſtinguendo inter ſacra publica et privata, domeſtica et clandeſtina. De veritate clandeſtinorum ſacrorum per Pannoniam, ab ethnicis Hungaris ſubactam, eandem cum Pelczio A. fovet opinionem; de privatis autem et toleratis in alias plane tranſit partes: quare verba illius, Gylam, partis cuiusdam principem, in ſuam provinciam ſacra Chriſtianorum invexiſſe, tanquam novum commentum reiicit. *Cap. V.* Novae aliae Schwarzii opiniones, de ſacra regni Hungariae corona, refelluntur. Coniectura illius, coronam Hungaricam graecae eſſe conſuetudinis et artificii, igitur ab Imperatore Conſtantinopolitano Hungaro cuidam dono fuiſſe datam, non ſtatim concedi poteſt; quoniam in variis urbis Romanae templis multas Sanctorum imagines in muris tholisque more graeco depictas cernere eſt, teſte Leone Allatio de conſ. eccl. occ. et orient. quae tamen nequaquam originem a Graecis traxerint; ſic quoque rem ſe hic habere videri. Aliam, melioremque viam idcirco ingredi ſuadet, ſcilicet, coronam

romam Hungaricam ad imitationem graeci imperialis diadematis factam eſſe, quod cum ex more graecorum, non filio Imperatoris, Deſpotae, Sebaſtocratori vel Caeſari, ſed Imperatori ſolum fuerit conceſſum, non potuit Gyulae aut Beloſudi dari. *Cap. VI.* Altera Schw. de orig. Hung. cor. falſa opinio reiicitur, quae haec eſt: exteris gentibus in more fuiſſe poſitum, ſi quam egregiam Imperatoribus Graecorum operam navaſſent, coronas quoque inter caetera ab iis munera flagitaviſſe. Quod quidem factum eſſe A. non negat, at Graeci importunas ac impudentes has petitiones nominarunt recuſaruntque; quod patet ex monito Conſtantini Porphyrogeniti ad filium. Neque unum exemplum pro imperiali diademate, barbaro cuipiam principi a Graeco donato, ex hiſtoria afferri poteſt; nam coronae, diu ante Hungarorum in Pannonias aduentum, pro ſacris ſunt habitae, ergo hac quoque de cauſa barbaris dari non poterant. Exemplum autem de Simeone, Bulgariae Principe, à Nicolao Patriarcha coronato, nullius plane in hac cauſa eſt momenti, quoniam coronae loco proprium capitis integumentum, ſive calyptram, teſtibus probatisſimis Scriptoribus, ipſi impoſuit. *Cap. VII.* Diadema regni Hungariae a Silveſtro II. ſummo Pontifice Stephano miſſum eſſe, omnis aevi Scriptorum auctoritate oſtenditur, et cauſae, cur graecae conſtructionis ſit, proponuntur. Teſtimonia Dithmari, Chartuitii, et Raynaldi, hac in re potisſimum laudavit A. atque inter cauſas has duas eminere dixit: 1) Silveſtrum, diademate ad imperialis Graecorum inſtar effícto, orthodoxam et catholicam Conſtantini M. coronam ad alium orthodoxum, catholicum, et Conſtantino M. ſimillimum regem, transferre conſtituiſſe: 2) Pontificem Ottoni III. Imper. placere voluiſſe, unde ademto imperatoribus graecis diademate, aut certe ſimili effícto, et novello catholico regi ſubmiſſo, Graecorum deprimi faſtum, et ſingularem occidentalis imperii dignitatem extolli, credidit. *Cap. VIII.* Reliquae Schwarzii rationes, huic opinioni adverſae, refelluntur: v. c. cur corona Hungarica ſit graecae conſuetudinis, cur

 iconi-

iconibus Graecorum Imperatorum ornata; cur litteris graecis inſcripta. *Cap. IX.* prima et vera iuris patronatus Apoſtolicorum regum Hungariae origo explicatur. Tribuit eandem huic cum chriſtianae religionis in Hungaria initiis originem, ſtatuitque, illud a Silveſtro Stephano conceſſum eſſe; cuius rei cauſa litteras Silveſtri laudavit, atque aſſeruit, Stephanum Proceresque regni, ſub conditione huius iuris, chriſtiana ſacra amplexos fuiſſe. *Cap. X.* Litterae Silveſtri II. a reliquis Schwarzii obiectionibus vindicantur; et *Cap. XI.* eae diligentius expenduntur. *Cap. XII.* De titulo Apoſtolici, Stephano caeterisque Hungariae regibus ad A. 1758. die 19. Aug. paſſim dari ſolito, diſſeritur. Pontificem ſummum tantum Apoſtolicum nominatum, Stephanum vero Apoſtolum ab initio dictum, ſequioribus vero temporibus Stephanum ceterosque reges Hungariae privata auctoritate apoſtolicos appellatos dicit; ſed tempus non exacte definiri poſſe prodit. Tandem *Cap. XIII.* hunc titulum a Clem. XIII. *Anno* 1758. d. 19. Aug. Hungariae regibus conceſſum eſſe, ex pontificiis litteris probatur.

Libro II. Auctor oſtendit, Regem *Stephanum*, conceſſa ſibi et ſucceſſoribus ſuis Apoſtolici legati poteſtate, in diſponendis per Hungariam Chriſti eccleſiis, fuiſſe uſum; deinde fortunam et uſum legitimum eiusdem poteſtatis, ab obitu Regis ad A. 1270, ſive duplicem, nullo intercedente Schismate, centenariam praeſcriptionem. *Cap. I.* igitur primus iuris regii uſus, litteris fundationis monaſterio S. Martini in monte Pannoniae a rege Stephano conceſſis, oſtenditur. Inſertis litteris regiis, Manſii errores circa illas A. notavit atque refutavit. *Cap. II.* eadem Legati Apoſtolici poteſtate privilegia Epiſcopo Quinqueeccleſienſi indulſiſſe Stephanum affirmat. Epiſcopatus autem hic, cum Veſzprimienſi, ab R. Steph. A. 1009. conditus fuerat. Notavit A. tabulas fundationis monaſterii Veſzprimienſis graeco idiomate eſſe exaratas, quarum tamen copia ipſi facta non eſt; at latinas a Szegedio cum autogra-

tographo graeco collatas eſſe aſſeris. *Cap. III.* eadem apoſtolica poteſtate Regem Monaſterium Pécs-Várad, alias Várad dictum, condidiſſe, ac privilegiis eccleſiaſticis exornaſſe, litteris fundationis, a Peterſio in Conciliis Hungar. aſſervatis, docuit. *Cap. IV.* Abbatiam S. Adriani M. de Szalà, a Rege conditam, et immunitatibus eccleſiaſticis pro munere legati Apoſtolici ornatam, ex litteris ad Abbatem, quae in Bibliotheca Vindobonenſi, cum aliis quibusdam Poſonienſis Tabularii diplomatum apographis, aſſervantur, exhibuit. *Cap. V.* Litterae fundationis Monaſterio Bakon-Belienſi a Rege conceſſae, eandem vicariam apoſtolicam continentes, recenſentur, ex quibus A. Ius Patronatus Hungariae regum probavit. *Cap. VI.* viciſſitudines huius iuris ab obitu regis deſcripſit, aſſerendo, ſub quinque regibus ſequentibus triſtiſſimam regni Hungarici et eccleſiae fuiſſe conditionem; nihilo tamen minus ius illud regium, cum religione ipſa, ſalvum manſiſſe. *Cap. VII.* Narrantur ex litteris Gregorii VII. Pont. R. contentiones de regno Hungariae Romanae Sedis hereditario, quibus aſſeritur a rege Stephano olim beato Petro cum omni iure et poteſtate ſua illud oblatum, et devote traditum. *Cap. VIII.* Gregorii VII. de eadem re ad Geyſam I. Hungariae regem litterae proponuntur. *Cap. IX.* iisdem litibus Ladiſlaum, Geyſae ſucceſſorem, a Gregorio VII. laceſſitum demonſtrat, regem tamen apoſtolica ſua uſum eſſe poteſtate, ex conſtitutionibus Synodi de A. 1092. proponit. *Cap. X.* Eadem poteſtate R. Colomanum, Ladiſlai ſucceſſorem, fuiſſe uſum; oſtenditur ex libris duobus Decretorum in Corpore Iuris Hung. *Cap. XI.* prima ſub R. Colomano cum Paſchali II. Pont. R. controverſia, ob Pallium, Archiepiſcopo Colocenſi oblatum, a. 1102. orta, exponitur. Occaſionem huic liti mors Alberti, Archiep. Coloc. in cuius locum Hugolinus I. Colomani voluntate ſurrogatus fuerat, praebuit. Hugolino itaque, Pallium pro more a Paſchali II. petenti, reſcripſerat Pontifex, haud quaquam illud ſe ei conceſſurum, niſi iuramentum per nuncios ſubmiſſum probare,

re, et conceptis eius verbis ſibi ac ſedi Apoſtolicae iurare vellet. Quibus Hugolinus reſcripſit: Regem Colomanum, Proceresque regni, vehementer fuiſſe admiratos, petitum ſibi pallium ea cum iuramenti conditione offerri, quam is ſalva regis auctoritate adimplere haud quaquam poſſet. Commotus his Pontifex, litteras Hugolino, quas A. inſeruit, ſcripſit, quibus quid pallium? quae auctoritas Pontificis ſit? atque iuramentum illud, (cuius quoque formula penes A. extat,) per omnes ubique provincias vigere, et cur inductum ſit, doceret: verum Colomanus iuramento iſto ius ſuum circumſcribi non eſt paſſus. *Cap. XII.* Colomannum Paſchalis II. monitis obtemperantem, et ius inveſtiendi per annulum et baculum remittentem, ſiſtit: probatur vero ex refutatione Inveſtiturae Epiſcoporum Actis Conc. Guaſtallenſis A. 1106. ſub Paſchali II. celebrati ſubiuncta, quae docet, reges Hungariae iure Inveſtiturae ceſſiſſe, in electionibus tamen et translationibus ius ſuum retinuiſſe. *Cap. XIII.* Tempus et nomen regis, qui Inveſtituras per epiſcopalia inſignia, retento homagio, ſive fidelitatis iuramento, remiſit, indagantur. Nihil certi ex Collectoribus Conciliorum poteſt colligi, quoniam non ſatis *diligentes in* colligendis Actis Conciliorum fuere. Ex tabulis tamen ceſſionis apud Io. Lucium, de regno Dalmatiae, indicavit A. renuntiationem iuris Inveſtiturae ſub Paſchali II. a Colomanno R. vel certe Stephano eius filio fuiſſe factam, ſimulque de more inveſtiendi Praelatos diſſerit. *Cap. XIV.* oſtendit, a morte Colomani R. uſum iuris regii pacificum ad A. 1160. circa quem Geyſa II. certis illud limitibus circumſcripſit, quam circumſcriptionem Bela III. eius filius A. 1179. confirmavit, fuiſſe. Diploma ipſum hac in cauſa, maiori diligentia, quam in Annal. Baronii, exſcriptum, huic cap. additum eſt. *Cap. XV.* Vulgatum illud diploma diligenter expenditur. Inſcriptionem illius a Purpurato Aragonio factam, neque Stephano III. ſed Belae tertio et Henrico tribuendum eſſe, exiſtimavit; deinde argumentum ipſum diploma-

matis curatiori ſtudio indicavit. *Cap. XVI.* Belae III. Regis, de electo a ſe Spalatenſi Archiepiſcopo, cum Alexandro III. controverſia, ſub examen vocatur. Ea videlicet inter Belam III. Hungariae Regem et civitatem Spalatenſem agitata eſt A. 1181. propter Theobaldum, ſedis Apoſtolicae per Dalmatiam et Sclavoniam legatum, quippe qui Epiſcopatum Pharenſem eccleſiae Spalatenſi attribuerat contra Iadertinam ſedem; qua re intellecta Bela III. obſtitit electioni Archiepiſcopi Spalatenſis, et Petrum Ungarum, ad metropolitanam dignitatem pro iure ſuo evectum eſſe voluit, quod litteris ei Alexander Pontifex negavit: ſed non longe poſt mortuo Alexandro, Lucius III. ſucceſſor eius, Belam iure Hungariae regum veteri pacifice uti permiſit. *Cap. XVII.* Emericus, ſive Henricus Rex, Belae III. filius, conſtitutionem Geyſae avi, a patre confirmatam pariter atque pater interpretatur, et ius ſuum regium non ſegniter tuetur. Exiſtimat A. primam hanc ſub Henrico de iure regio, et de conſtitutione Geyſae, controverſiam fuiſſe A. 1198. ſimulque occaſionem litis, totiusque rei geſtae ſummam, expoſuit. *Cap. XVIII.* Docet, eadem ratione conſtitutionem avi ſui Geyſae, et confirmationem Belae patris, intellexiſſe Andream II. Regem, et ius ſuum regium exemplo patris fratrisque ſtrenue defendiſſe. Andreas videlicet, Dux et gubernator, Ladislai nepotis ſui regis nomine tunc ſummae rerum praefuit, cum Strigonienſis metropolitana ſedes vacaret; is igitur Ioannem Archiepiſcopum Colocenſem, Metropolitam Strigonienſem eſſe iuſſit; at eam electionem ſe ratam habere non poſſe litteris Innocentius declaravit, quippe qui ſtatutos cum a ſe, tum a deceſſore ſuo Coeleſtino, de electionibus Praelatorum recentes Canones, in Hungariam inducere conatus eſt. Tandem vero Pontifex, re accuratius cognita, Andreae regi paulo poſt coronato, et per litteras petenti, ut hanc translationem ratam haberet, annuit, uti ex litteris ad Capitulum Strigonienſe datis patet: conſtat praeterea ex iis, primas partes ad electionem habuiſſe regem, pontificem

 vero

vero ad conſecrationem. *Cap. XIX.* cauſae genuinae huius controverſiae indicantur, inter quas primum ſtatim tenet locum Coeleſtini III. et Innocentii III. temeritas, ius hoc primarum ad electionem partium catholicis principibus adimendi; qua recentes Canones in Decr. tit. de elect. c. 4. et 28. exſtantes, ſub ipſa regni Andreae II. initia inducere voluerunt. Haec tamen iuri regio nihil derogant, ſi ius eligendi, quod regi a Stephani temporibus conſenſu Pontificis fuit conceſſum, a iure nominandi, poſtulandi, ac praeſentandi diſtinguatur. Ergo ab hoc more, ſine periculo ſacrae coronae, non eſt recedendum. *Cap. XX.* De Bela IV. ius primarum partium ad electionem Praelatorum ſingulari prudentia defendente, agit. Hungaria per Tataros tunc oppreſſa, et reſpectu huius iuris iacturam paſſa fuiſſet, niſi Bela Innocentium IV. liberata Hungaria de illo per litteras certiorem feciſſet, qui dein Archiepiſcopo Colocenſi Benedicto, commiſit, ut veritate huius rei inveſtigata ipſi omnia reſcriberet. *Cap. XXI.* Alia, ſub eodem rege, de primis partibus ad electionem controverſia expenditur. Occaſionem huic praebuerat Stephanus Vancſa, Archiepiſcopus Strigonienſis, qui Romam ſe ob certa negotia conferens, ab Innocentio IV. Epiſcopus Praeneſtinus renuntiatus eſt. Bela igitur in eius locum Benedictum Colocenſem Archiepiſcopum, cum conſilio Pontificis, quem litteris huius rei cauſa ſollicitaverat, ſurrogare voluit; Negavit autem hoc Pontifex, inſtigante Stephano, qui infulas eccleſiae Strigonienſis retinere una cum Praeneſtino Epiſcopatu conabatur; quare litteris duabus, quae hic inſertae leguntur, ſua iura Bela iterum confirmavit. *Cap. XXII* Genuina huius controverſiae cauſa detegitur, quae repetenda utique eſt a Stephano Vancſa: cum enim aeris Italici intemperiem ferre non poſſet, ſummum Pontificem, ut ad Strigonienſem ſedem eum iterum traduceret, exoraverat; quod quidem certis conditionibus conceſſit Pont. verum Bela a ſuſcepto conſilio nullis precibus, nullis Stephani artibus, ſeſe dimoveri paſſus eſt.

Hac

Hac itaque conſtantia Belae victus Pontifex, petitioni regis ſubſcripſit, et Benedictum Colocenſem Archiepiſcopum ad ipſam illam Strigonienſem eccleſiam transferri paſſus eſt.

Libro IIII. oſtenduntur vices et uſus legitimus vicariae apoſtolicae poteſtatis in diſponendis per Hungariam Chriſti eccleſiis, regi Stephano eiusque legitimis ſuccesſoribus a Silveſtro II. ſummo Pontifice conceſſae, ab A. 1270. usque ad A. 1514. quo Uladislai regis iuſſu, iura et conſuetudines regni Hungarici collectae et ſcripto vulgatae ſunt; denique interpretatio tit. 10. et 11. Tripartiti Part. I. ſive diplomaticae huius hiſtoriae ſcopus et finis, ſequitur. *Cap. I.* viciſſitudines iuris regii a morte regis Belae IV. ad A. 1279. deſcribuntur. Sub Ladislao IV. nova lis de iure hoc orta, cuius *Cap. II.* prima et vera cauſa exponitur. Nicolaus Pontifex Legatum miſerat, quem aditu regni prohibere fuit adniſus Ladislaus, nec impedivit tamen; conicit A. hoc factum eſſe a rege, quoniam ipſi innotuerat, quae Legatus de iure regio conſtituere intenderet. Nihilo tamen ſecius, percepto huius Legati ingreſſu, ſe ipſius monitis conformem reddidit, atque in articulos Synodi provincialis Budenſis A. 1279. celebrandae a Philippo A. S. L. iurare inductus eſt ante, quam Synodus celebraretur. Quo tamen iuramento iuribus ſuis his caverat verbis: quaecunque pro ampliatione eccleſiaſticae libertatis ac *ſublimatione* regalis ſolij — — duxerit ordinanda. Iuſtis vero poſtea de cauſis, ne de iure regio plane actum eſſet, Synodum abrumpere conſultum duxit. *Cap. III.* rationes adſerti redduntur, ex art. 23. de intruſis in beneficia, quo ius regium pene ſublatum, et art. 49. quo ius regaliae, ſive in Bona a morte Praelatorum vacantia, eripiebatur; quare abrupta Synodus art. 69. adverſus bonorum et iurium eccleſiaſticorum invaſores declamavit. Cenſet A. Ladislaum hac in re erraviſſe, quippe qui iura regia publicis docere litteris, et regem Hungariae

nullo iuramento, quod in praeiudicium regni ſui iuraverit, teneri, declarare debuiſſet. Caſtigatus huius erroris gratia litteris Nicolai III. quas integras hic conſpicere licet, ad meliorem frugem rediit, uti ex litteris eius conſpicuum fit. *Cap. IV.* ſubinde adnotata quaedam ad praecedentes litteras continet. Aſſeritur quoque, Ladiſlaum conſtitutiones apoſtolicas de exſcindendis haereſibus, ab Apoſtolica ſede quomodocunque perlatas, recepiſſe; deinde eum apud Martinum IV. ſummum Pontificem, Nicolai ſucceſſorem, valde conqueſtum eſſe de iuribus coronae et regni Hungariae, cum a ſuis miniſtris, tum etiam ab aliis fraudulenter ſubverſis: exhibentur denique ea de re litterae Martini IV. ad Ladiſlaum, memoria dignae. *Cap. V.* a morte Ladiſlai variam, cum regni Hungariae, tum iuris huius regii fortunam deſcribit, et demonſtrat, conſtitutiones Legati Apoſtolici a Carolo rege neque receptas eſſe, neque unquam recipi potuiſſe. *Cap. VI.* innuit, quid de litteris Capitulorum, per haec tempora ad ſummum Pontificem ſcriptis, quae ſpeciem poſtulationis canonicae ad normam eccleſiarum Germaniae prae ſe ferunt, ſentiendum? Statuit A. eas indulgentia Caroli regis ſcriptas, inſignem iurium patriae ignorantiam prae ſe ferre; quod inde colligit, quia Carolus non ſemper ius ſuum neglexit, et Ludovicus I. filius ipſius hanc indulgentiam, ſeu negligentiam, haud quaquam paſſus eſt. *Cap. VII.* Declarat Ludovicum patri ſucceſſiſſe, iureque ſuo regio more maiorum uſum, illudque ſtrenue tuitum fuiſſe. Huius rei probandae cauſa ad tria potiſſimum provocavit: primo enim eccleſiam Scepuſienſem in Epiſcopatum erectam eſſe A. 1347. voluit, unde controverſia exorta eſt, quae usque ad A. 1435. ſiluit; deinde A. 1355 novum templum rex erexit Capitulo veteris Budae, et virginibus S. Clarae inſtitutum profeſſis templum ac monaſterium magnificum, cum matre Eliſabetha, ſtatuit; tandem A. 1375. Uladiſlaum, olim Ducem Cuiavienſem, cognatum Ludovici, Abbatia S. Martini montis Pannoniae dona-

donavit, contradicente Gregorio XI. Rom. Pontifice: *Cap. VIII.* Mariae, Ludovici filiae, et Sigismundi Imp. eius Sponſi, iuris regii conſervandi ſtudium A. deſcribit. Maria etenim omnia decreta regum A. 1384. confirmavit. Sigismundus vero, quem coniurati poſt inaugurationem in arcem Szokloſienſem captum deduxerant, ex cuſtodia liberatus, arcem Strigonienſem, Verebélium, et alia iuris Archiepiſcopalis loca, in Fiſcum redegit, Strigonienſemque Epiſcopum Ioannem de Caniſa, conſpirationis ſocium, bonis omnibus mulctavit. Praeter ea in eccleſias Dalmatiae, ab Hungaris tum avulſas, ius regium retinuit; ipſi etiam collatio beneficiorum, aliaque iura, a patribus Concilii Conſtantienſis A. 1415. confirmata ſunt. Controverſiam de Praepoſitura Scepuſienſi ſic finiit, ut Praepoſito illi inſigne privilegium, ſingula beneficia vacantia in bene meritos diſpenſandi, conferret: ſed et aliis decretis, Budae editis optime iuri regio conſuluit. Gravia ſane argumenta, atque quam maxime idonea, rei huic ſatis ſuperque demonſtrandae. *Cap. IX.* agit A. de Eliſabetha, Sigismundi Imp. et Reg. filia, Alberti Auſtriaci, Hung. Regis, coniuge. Mortuo nimirum Alberto Eliſabetha regno praefuit, cuius indulgentia vacantem Strigonienſis Metropolitae ſedem Dionyſius de Széca occupavit, teſtantibus duabus tabulis in ſanctiori Auguſtae domus Tabulario aſſervatis, quas A. publici hic fecit iuris. *Cap. X.* docet, Ioannem Huniadem, ſeu Corvinum, pro Ladislao poſtumo partium Trans-Tibiſcanarum gubernatorem, Epiſcopum M. Varadienſem elegiſſe, et ius ſuum tuitum fuiſſe, quamquam Proceres regni, quia auctoritas gubernatoris multo infra regiam eſſe ipſis videretur, idcirco Romae queſti ſunt. Verum Huniades ſedi Apoſto-

licae reſpondit, ſe debere ius hoc Statui conſervare ſumma cum integritate, et non permittere motionem in illa patria; voti etiam ſui compotem factum eſſe A. perhibet. *Cap. XI.* Nova et gravior controverſia de Epiſcopo Zagrabienſi deſcribitur. *Cap. XII.* Eiusdem Huniadis, de Colocenſi Archiepiſcopo, Tranſilvaniae et Vacienſi Epiſcopis, a ſe electis, apud Pontificem cura et ſollicitudo laudatur. *Cap. XIII.* tradit, Ioannem Huniadem idem negotium, tum per ſe, tum per alios vehementer urſiſſe. *Cap. XIV.* graviſſimae controverſiae de Praepoſitura Dömöſienſi mentionem facit, cuius originem pariter ac cauſas ex libro, cui titulus eſt Topographia regni Hungariae, ſumma fide dexteritateque A. retulit. *Cap. XV.* Aſſerit Ladislaum Poſtumum, Archiepiſcopi Strigonienſis Primatis Hungariae et Legati nati titulos confirmari a *Pontifice obtinuiſſe*: Matthiam Corvinum autem, ut in omnibus regni Hungariae iuribus tuendis primum, ita neque in hoc iure patronatus regio propugnando ſecundum, *ſiſtit. Cap. XVI.* Succeſſoris Corvini, Uladislai II. de iure hoc merita recenſentur, et Tripartiti Part. I. Tit. 11. cuius cauſa hic liber ab A. exaratus eſt, exhibetur. Quasnam enim ob rationes hoc ius regibus competat, ex eo optime poteſt intelligi. Omnia ad quatuor revocari poſſunt argumenta: reges certe hoc iure gaudent ratione fundationis; deinde ratione ſuſceptae religionis Chriſtianae, quare rex Apoſtolus, vices ipſorum in terris gerens, audit, et duabus crucibus, in ſignum ſuae ſanctitatis, fuit inſignitus a Pontifice R. Porro ratione praeſcriptionis; et tandem ratione libertatis regni quoad

collatio-

collationes beneficiorum, quae in Concilio olim Conſtantienſi confirmata eſt. *Cap. XVII.* Idem titulus ope hiſtoriae Hungaricae illuſtratur, ſive omnis celeberr. Auct. ſcopus et finis oſtenditur, quo, teſtimonio omnis vetuſtatis, auctoritate diplomatum fide dignorum, et ſanctitate Bullarum, ius patronatus regium inniti, luculenter apparet. Tractationi ſuae A. addidit Appendicem, de auctoritate Concilii Tridentini in praeſenti argumento. Affirmat, reges ex Auguſta domo Auſtriaca iure hoc ſemper uſos fuiſſe, et adverſus Szentivanium e S. I. (in diſſ. Paral. aſſerentem: Ferdinandum R. urſiſſe Concilium Tridentinum, cum firmo animo et propoſito omnia decreta obſervandi,) monet, hanc ſententiam his limitibus eſſe circumſcribendam: quod iſtud Concilium iuri et libertati ſacrae coronae Hungariae, et avitis regni legibus, non ſit contrarium. Commemoravit quoque controverſiam Ferdinandi II. ſuper iure praeſentandi et nominandi; ſive potius iure peculiari coronae ſeu officio legationis apoſtolicae, an poſſit eligere Praelatos, et conferre beneficia eccleſiaſtica, cuius rei cauſa Imperator edoceri voluit a Petro Pazmanno. Voluntati eius ſatisfecit ille, ac demonſtravit, ſalvum eſſe hoc ius regi, canonemque Conc. Trid. Seſſ. XXV. c. 20. haud quaquam ad iura Hungariae pertinere. Altera quaeſtio ſpectavit ad Epiſcopatus Titulares, quorum collationem R. Curia ad ſe recidiſſe contendebat, ſeptem argumentis contrariam Pazmannus defendit opinionem. Ultimo denique loco A. definivit, ne in quaeſtionibus quidem de Appellatione Praelatorum, ſecundum

dum Concilii Tridentini Canones umquam promulgatum eſſe,

En totius libri conſpectum, de argumento graviſſimo, et hiſtoriae iurisque publici Regni Hungariae amicis utiliſſimo, in quo pertractando prorſus ſingulare A. in colligendis documentis hiſtoricis ſtudium, et in rebus proponendis egregiam ordinis rationem, aeque ac coniunctam cum perſpicuitate ſubtilitatem gravitatemque argumentorum, merito laudamus.

INDEX AUCTORUM,
quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Bandinii (*Ang. Mar.*) *Catalogus Codd. MS. Bibliothecae Mediceae Laurentianae, varia continens opera Graecorum Patrum.* 462

le Bret (*Io. Frid.*) *Diſſertatio de ſtatu praeſenti Eccleſiae Graecae in Dalmatia, quae ritum Slavo-Servicum ſequitur.* 224

— — — — *Acta Eccleſie Graecae annorum* 1762. *et* 1763. *ſive de ſchismate recentiſſimo in Eccleſia Graeca ſubnato, Commentatio.* 283

Deylingii (*Sal.*) *Inſtitutiones Prudentiae Paſtoralis, Editio tertia auctior, per D.* Chriſt. Wilh. Küſtnerum. 329

Fiſcheri (*Io. Frid.*) *Exodi Particula, atque Leviticus, Graece; ex Biblioth. Colleg. Paullini Lipſ. Cod. MS. editus.* 369

Gerdeſii (*Dan.*) *Specimen Italiae Reformatae.* 172

Hexaplorum Origenis quae ſuperſunt, auctiora et emendatiora, edidit notisque illuſtravit Carolus Fridericus Bahrdt. 529

ab Hoven (*Io. Dan.*) *Campenſia, ſeu Spicilegia Critico-Antiquaria. Faſciculus I.* 378

Itali cuiusdam animadverſiones ſuper Eccleſia in univerſum, ſuper Clericis regularibus et ſecularibus; ſuper Epiſcopis et Pontificibus Romanis, et ſuper iuribus Principum eccleſiaſticis. 241
Lexicon Hebraico - Chaldaico - Latino Biblicum. Pars I. 374
Mingarelli (*Ferdin.*) *Veterum teſtimonia de Didymo Alexandrino coeco, ex quibus tres Libri de Trinitate nuper detecti, eidem aſſeruntur.* 248
Pſalterium Syriacum, recenſuit, et latine vertit Thom. Erpenius. Notas philologicas et criticas addidit I. A. Dathe. 197
Schelhornii (*Io. Georg.*) *Amoenitates Hiſtoriae Eccleſiaſticae et Litterariae. Volumen* III. 137
Stiltingii (*Io.*) Suyskeni (*Conſtant.*) Perieri (*Io.*) et *Io. Clei Acta Sanctorum Septembris, ex Latinis et Graecis, Tomus VII.* 337

II. *Libri Iuridici.*

Hommelii (*Car. Ferdin.*) *Corpus Iuris Civilis, cum notis variorum.* 169
— —. — *Palingeneſia Librorum Iuris veterum, ſeu Pandectarum loca integra.* 281
Iusti (*Petri Pauli*) *Specimen Obſervationum criticarum in varia Iuris Romani loca.* 1
Kollarii (*Adami Franciſci*) *Hiſtoriae diplomaticae Iuris Patronatus Apoſtolicorum Hungariae Regum,* Libri III. 562
Püttmanni (*I. L. E.*) *Probabilium Iuris Civilis Liber ſingularis, Accedit eiusdem diſſertatio iuris canonici de Legislatore Epheſino ad c. 5. X. de praeſcript.* 472

III. *Libri Medici et Phyſici.*

Anonymi *de Transactionibus Philoſophicis in Germania edendis Programma.* 42

Abat

Abat (*Bonavent.*) *Obleѕtationes philoſophicae ex Phyſica et Matheſi.* 145
Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii, Tomus XI. *pro anno 1765.* 385
Obereidii (*Iac. Herm.*) *Univerſalis confortativa medendi methodus, Disquiſitio nova.* 127
Societatis *Taurinenſis Miſcellanea Philoſophico - Mathematica, Tomus* I. 319
Tralles (*Balth. Lud.*) *vera Patrem Patriae, annuente divina clementia, ſanum et longaevum praeſtandi methodus.* 229
Transactiones Philoſophicae, A. 1751. et 1752. *iterum editae et illuſtratae.* 481
Winckler (*Io. Henr.*) *de vi luminis borealis in commovenda acu magnetica.* 34

IV. *Libri Mathematici.*

Anonymi (*Progr. de Transactionibus Philoſophicis in Germania edendis.* 42
Abat (*Bonavent.*) *Oblectationes Mathematicae.* 145
Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii, Tomus XI. *pro anno 1765.* 385
Battarrae (*Io. Anton.*) *Experimenta ſuper phaenomeno quodam hydroſtatico.* 193
Hell (*Maximil.*) *de Satellite Veneris.* 49 - 126
Mayeri (*Chriſtiani*) *Pantometrum Pacechianum, ſeu inſtrumentum novum pro elicienda ex una ſtatione diſtantia loci inacceſſa, a. 1762. inventum.* 382
Societatis Taurinenſis Miſcellanea Philoſophico - Mathematica, Tomus I. 319
Transactiones Philoſophicae, Anglice editae in Germania et illuſtratae, Vol. 47. 481

V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Bandinii (*Ang. Mar.*) *Catalogus Codicum MS. Bibliothecae Mediceae Laurentianae.* 462

Caſiri (*Mich.*) *Bibliotheca Arabico-Hiſpana Eſcurialenſis, Tomus Prior.* 199

Curtii (*Mich. Conr.*) *Commentarii de Senatu Romano, poſt tempora reipublicae liberae. Praefatus eſt* C. A. Klotzius. 254

Gerdeſii *Specimen Italiae Reformatae, ſive Obſervata quaedam ad hiſtoriam renati in Italia tempore Reformationis Evangelii.* 172

C. A. Klotzii *Hiſtoria numorum contumelioſorum et ſatyricorum.* 274

— — — *Hiſtoria numorum obſidionalium.* 325

— — — *Symbolae ad Hiſtoriam Artium e Numis.* 426

— — — *Acta Litteraria,* Volumen I-IV. 538

Krebſii (*Io. Tobiae*) *Decreta Romanorum pro Iudaeis facta, e Ioſepho collecta, et commentario hiſtorico-grammatico-critico illuſtrata.* 218

Leibnitii (*Godofr. Guilielmi*) *Opera omnia, nunc primum collecta, in claſſes diſtributa, praefationibus et indicibus exornata, ſtudio* Ludovici Dutens, *Tomi* VI. 433

d'Origny *Chronologia Regum Aegyptiorum, a conditore regni Mene usque ad Cambyſem Aegypti victorem.* 158

Schelhornii (*I. G.*) *Amoenitates Hiſtoriae Eccleſiaſticae et Litterariae. Volumen* III. 137

VI. *Libri Philoſophici, Philologici, Auctores Claſſici, Antiquarii, Miſcellanei.*

Anonymi Litterae ad Io. Iac. Ruſſalium, *quibus errores refelluntur ab auctore in libro commiſſi, qui inſcribitur Contractus Socialis.* 479

Anony-

Anonymi de Diario militari Programma. 524
Belli (*Car. Andr.*) *de licentia poetica Commentatio.* 177
Bodeni (*Benj. Gottlieb Laurent.*) *Carmen in triſtem obitum Iohannis Winckelmanni.* 515
Desbillons (*Franc. Ioſ.*) *Fabulae Aeſopiae, curis poſterioribus omnes fere emendatae. Acceſſerunt plus quam* 170. *novae, obſervationes grammaticae, et figurae.* 449
Heerkens (*Ger.*) *Anni Ruſtici Ianuarius.* 234
Heuſingeri (*Iac. Frid.*) *Emendationum Callimachiarum Periculum.* 360
Iſocratis (*Panegyricus. Recenſuit et animadverſionibus illuſtravit* Samuel Fridericus Nathanael Morus. 416
Iuſti (*Petri Pauli*) Specimen obſervationum criticarum. 1
C. A. Klotzii *Opuſcula varii argumenti.* 502
Lamberti (*I. H.*) *de Topicis Schediaſma.* 82
Leibnitii (*G. G.*) *Opera omnia. Cura* L. Dutens, *Voll.* VI. 433
M. Manilii *Aſtronomicon, ex recenſione* Rich. Bentleii, cum ſelectis variorum et propriis notis, cura Eliae Stoeberi. 6
Onoſandri *Strategicus, ad Codd. MS. fidem expreſſus, cum notis perpetuis editus a* Nic. Schwebelio. 313
Porphyrii *Philoſophi de Abſtinentia ab eſu animalium Libri IV. cum notis variorum, edidit Iacobus de Rhoer.* 289
Reiske (*Io. Iac.*) *Animadverſionum in Graecos Auctores Volumen V. quo* Libanius, Artemidorus, *te* Callimachus pertractantur. 211
Sigorgne (*Petri*) *Inſtitutiones Leibnitianae, ſeu Brevis Expoſitio Monadologiae.* 166
Stratonis *aliorumque Poetarum graecorum epigrammata, nunc primum a* C. A. Klotzio *edita.* 40
Flavii Vegetii Renati Comitis *de Re militari Libri V. cum ſelectis* Stewechii *et* Scriverii *notis, et verſione Gallica; cura* Nic. Schwebelii. 353
P. Virgilii Maronis *Opera, varietate lectionis et perpetua adnotatione illuſtrata a* Chr. Gottl. Heyne. 554

 Winckel-

Winckelmanni (*Io.*) *de Allegoria Commentarius, inprimis quo ad illa artibus liberalibus prodeſt.* 151

INDEX
RERVM NOTABILIORUM.

A.

de Abſtinentia *ab eſu animalium* 289
Acta *Sanctorum Eccleſiae Romanae* 337
Acta *Litteraria a C. A. Klotzio ſcripta* 538
de Aedilium *Romanorum dignitate* 258
de Aedium *ſacrarum inſtaurandarum officio* 335
Aegyptiorum *regum antiquorum hiſtoria et chronologia illuſtrata* 158
de Aere *Varſavienſi quaedam* 232
Aeſopicarum *fabularum F. I. Desbillons exempla* 449 ſqq.
Alciphronis *locus emendatus* 551
de Algorithmi *novi in ſolvendo problemate Pelliano uſu* 387
de Allegoria, *artibus ſerviente, praecepta* 151 ſq.
Allegoriae *novae quomodo condendae ſint?* 156
de Allegoria, *Winckelmanni liber diiudicatus* 546
Amphiboliae *quomodo naſcantur?* 22
Analyticae *obſervationes* 391
de S. Anatalone *nonnulla* 341
Animi *commotiones morborum cauſſae* 128
Antiquario-*critica Spicilegia* 378
de Antlia *pneumatica emendanda* 486
Aqua *ignis ope elevanda* 484
de Aquae *motu obſervationes et experimenta* 198
Arabicae *Linguae uſus in interpretando V. T. a Leibnitio agnitus* 447
Arabico-*Hiſpanica Bibliotheca Eſcurialenſis deſcripta* 199
de Arabum *verſionibus librorum graecorum* 208.

de Ari-

de Ariſtotelis *Topicis iudicium* 15
Ars *Topica explicata* 13
ad Artemidorum *obſervationes* 211
Artium *liberalium uſus ex Allegoria* 151
— — *hiſtoria ex numis illuſtrata* 426
Aſtronomicae *obſervationes* 49 ſq. 407 ſq. 413 ſq.
de Attractione *Newtoniana quaedam* 149
de Auguſti *nomine* 255
Avium *Indicarum deſcriptiones* 405

B.

de Baptismi *materia terrena* 334
Barometra *quomodo corrigenda?* 321
de Barometrorum *diverſae diametri varia altitudine* 320
A. G. Baumgartenii *de Topica ſententia* 16
Bellinianum *problema* 320
de Bela IV. R. *Hungariae quaedam* 570
Benedicti XIV. *conſilia quaedam de Graecis* 228
Ben Malek, *Grammaticus Arabs* 204
de Bernardino *Feltrienſi, Sancto Eccleſiae Romanae* 353
Bibliothecae *Arabicae Eſcurialenſis deſcriptio* 199
— — — *Mediceae Laurentianae Codicum MS. Catalogus* 462
de Boreali *lumine obſervationes* 34

C.

de Cadavere *poſt annos 80 integro, et ſine putredine reperto* 497
de Calcis *vivae ſingulari proprietate* 498
Callimachiarum *emendationum Periculum* 360
ad Callimachum *obſervationes* 211
de S. Calliſtrato *quaedam obſervata* 344
de Cancro *marino obſervationes* 493
de Caroli M. *in urbem Romam iuribus* 443
Domin. Caſſini *Obſervationes aſtronomicae expenſae* 57 ſq.
de Caſtrenſibus *numis* 325
de Cauſſis *obſervationes* 24
de Cercopitheco *teneriori* 493
de b. Maria de Cervello 343
Chaldaicum *Lexicon Biblicum* 374

de S.

de S. Charitonis *vita quaedam* 349
de Chinae Chinae *uſu quaedam* 498
de Chriſtinae *Reginae numis* 429
I. F. Chriſtius *defenſus* 551
Chronologicae *obſervationes plurimae* 158 ſq.
de Chryſoſtomi *oratione quaedam* 468
Ciceronis *locus illuſtratus* 4
— — — *Topica diiudicata* 15
de Cinnamomi *arbore* 495
de S. Cleopha *quaedam* 340
ſuper Clericis *ſecularibus et regularibus animadverſiones* 241
Codicum *MS. Bibliothecae Mediceae Catalogus* 462
de Coeli *per ſegmenta ſphaerica diaphana ſpectati phaenomenis* 395
de Conciliis *quaedam* 246
Confortativa *medendi methodus univerſalis* 127
de Conſervatoribus *urbis Romanae* 273
de Conſulibus *et* Conſulatu *varia* 258
Contumelioſorum *numorum deſcriptio* 274
de Coralliis *quaedam* 494
de Corporis *ad duo centra virium fixa attracti motu* 393
Corpus *Iuris Civilis cum notis variorum* 169
de S. Coſma *obſervata* 347
Criticae *obſervationes in Callimachum* 360
Cumbae *regni deſcriptio* 242
de Cupreo *fonte* 492
de S. Cypriano *martyre quaedam* 345 ſq.

D.

Dacierii *iudicia quaedam notata* 181
Dactyliothecae *Lippertianae commendatio* 545
in Dalmatia *Eccleſiae Graecae ſtatus* 224
de S. Damiano *obſervationes quaedam* 347
Demoſthenis *nova editio a Reiskio promiſſa* 217
ad Demoſthenis *loca obſervationes* 216
de Dentibus *rotarum* 396
de Deorum *allegoriis* 154
F. I. Desbillons *Fabulae Aeſopicae laudatae* 449
— — — *Fabula quaedam notata* 460
Deuteronomii *particula graece edita ex MS. Biblioth. Paull. Lipſ.* 370

Diae-

Diaetetica *praecepta Principum ſanitati accommodata* 229
Diarium *militare promiſſum* 524
de Didymo *Alexandrino caeco, eiusque libris de Trinitate* 248
de Divortio *quaedam* 335
Dutens, *operum Leibnitii editor, laudatus* 434
de Dynaſtiis *Aegyptiacis quaedam* 160

E.

ſuper Eccleſia *animadverſiones* 241
de Eccleſiaſtico *Iure Proteſtantium quaedam* 331
Eclipſis *Solis obſervata a. 1764. Lipſiae* 413
in Eclogis *Virgilii paſtorum mores* 514
de Electricitate *aerea* 489
de Electrica *materia obſervationes* 37
de Electricitatis *et Magnetiſmi analogia* 323
de Elemento *aereo quaedam* 130
Epigrammata *graeca edita* 40
Epiſtolae *plurimae Leibnitii editae* 436
ſuper Epiſcopis *animadverſiones* 241
de Epiſcopo *Graecorum in ditione Veneta* 284
de S. Euſtochio, *Hieronymi amica* 350
Exarchatus *quomodo Rom. Pontif. a Pipino traditus fuerit?* 265
Exodi *particula graece edita a Fiſchero* 369
Experimenta *ſuper phaenomeno quodam hydroſtatico* 193

F.

Fabulae *Aeſopicae F. I. Desbillons et aliorum* 449
de Faceae *Epiſcopi Graeci electione* 287
de Fauſtinae *numo quodam* 277
de S. Fauſto *Epiſc. Regienſi quaedam* 350
de S. Firmino *martyre quaedam* 341
Flamma *in clauſo aere cur extinguatur?* 322
de Fluidorum *motu a diverſo caloris gradu oriundo* 397
de Florum *ſexu obſervationes quaedam* 495
Focorum *determinandorum methodus generalis* 147
de Frigore *artificiali admirando* 399
Fuci *foliacei novi deſcriptio* 405

de Fulminis *cauſſis et effectibus quaedam* 488
de Functionum *diſcontinuarum in analyſi uſu* 385

G.

de Gallieni *numo quodam* 277
Gallus *et Vultur in fabulis* 457
Gellii *locus illuſtratus* 5
de Gemmis *ſcriptores Arabici* 209
Geometricorum *quorumdam problematum ſolutio* 390
in Georgica *Virgilii obſervationes* 557
de Germanicae *linguae cultu* 448
Graecae *eccleſiae acta quaedam a. 1762. et 1763.* 283
de Graecae *eccleſiae in ditione Veneta ſtatu praeſenti* 224
Graecae *voces et phraſes illuſtratae* 154. 211 ſq. 220 ſq. 249. 252 ſq. 293 ſq. 315 ſq. 360. 419 ſq. 534 ſq.
de Graecorum *numis quaedam* 431
ad Graecos *auctores obſervationes* 211
de Grammaticis *Arabibus obſervata* 204
Gratiani *locus reſtitutus* 2
de Gregorio *Bar-Hebraeo quaedam* 299
H. Grotius *defenſus adverſus Ruſſavium* 477

H.

de Io. Harduino *iudicium Leibnitii* 447
Hebraicae *voces et phraſes illuſtratae* 309 ſq. 377. 534 ſq.
Hebraicum *Lexicon Biblicum* 374
Maxim. Hellii *Obſervationes aſtronomicae, inprimis in Satellitem Veneris explorandum inſtitutae* 68
de Herculanei *urbis ruinis* 502
Hermaphroditus *Londini viſus* 496
Herniarum *duo genera admodum rara* 501
C. G. Heynii *in Virgilium merita* 555
de S. Hiltrude *virgine* 348
Hexaplorum *Origenis nova editio* 529
Hiſpanicae *Eccleſiae canones collecti* 210
ex Hiſtoria *Eccleſiaſtica et Literaria obſervationes* 137
Horatii *locus emendatus* 8
— — — *illuſtratus* 179
— — *felix audacia diligentius explanata* 508
— — *loca plura explicata* 509 ſq.

Hun-

Hungariae *Regum ius Patronatus aſſertum* 562
Hycſos, *reges Phoenicii* 160
de Hydrargyro *congelato* 399
de Hydroſtatico *quodam phaenomeno* 378
de Hydrophobiae *quodam caſu* 500
de Hyoſcyami *albi effectibus* 497

I.

Ianuarius *carmine deſcriptus* 234
de Ideis *affinibus quaedam* 23
de Iliaca *paſſione nonnulla* 498
Imaginum *ab obiectis in ſpeculis ac lentibus ſphaericis expreſſarum praecipua phaenomena* 148
de Imperatorum *iuribus et poteſtate* 255
Infantis *duplicati deſcriptio* 496
Inſectorum *Indicorum deſcriptiones* 405
Ioannichii *Patriarchae Conſtantinop. acta* 286
Ioſephus *illuſtratus a Krebſio* 219
de Iride *inverſa, dupliciter in gramine viſa* 488
Iſocratis *Panegyricus, editus et illuſtratus a Moro* 416
Italiae *reformatae ſpecimen* 172
pro Iudaeis *facta decreta Romanorum, e Ioſepho collecta* 218
de Iure *Romano obſervata quaedam* 443
Iuris *Romani loca varia explicata et emendata* 1 ſq.
— — *Civilis Corpus cum notis variorum* 169
Iuris *civilis probabilium liber* 472
— — Patronatus *Regum Hungariae aſſertio* 562
Iuſtiniani *epiſtola quaedam edita* 471
Iuris *civilis librorum veterum palingeneſia* 281
— *Canonici in Eccleſia Evangelica uſus* 331

K.

Io. Tob. Krebſius *laudatus*
— — — — *notatus* 220 ſqq.

L.

Laberii *locus illuſtratus* 9
de Lacrumalibus *ampullis quaedam* 548
Latinae *voces et phraſes explicatae* 8 ſq. 355 ſq. 561
Latinorum *adverſus Graecos in Dalmatia machinationes* 226
G. G. Leibnitii *Operum omnium collectio* 433

Leibnitii *Inſtitutiones* 166
Leviticus *graece editus a Fiſchero ex MS. Biblioth. Paullinae* 369
Lexicon *Hebr. Chald. Latino-Biblicum* 374
ad Libanium *obſervationes Reiskii* 211 ſq.
de Libris *rarioribus obſervationes* 138
de Libertate *artibus neceſſ.* 547
de Licentia *poetica* 177
Licentiae *varia genera* 178
de S. Lioba *ſeu Leobgytha, Germaniae Apoſtola, quaedam* 351
Lippertianae *dactyliothecae commendatio* 545
de I. Lipſii *latinitate obſervationes* 503
de Lucullo *obſervata quaedam* 153
de Luminis *Borealis vi in commovenda acu magnetica* 34
Lunae *motus irregularitates quomodo explicandae?* 486
Lunularum *trium ex interſectione circulorum ortarum demonſtratio* 146

M.

de Magiſtris *militum et officiorum* 263
Magnetis *artificialis parandi methodus* 491
Magneticae *acus commotio ex lumine boreali orta* 34. 491
de Magnetismi *et Electricitatis analogia* 323
de Maleficis *et* Manichaeis *Conſtitutio illuſtrata* 381
ad Manethonem *obſervata* 161 ſq. 164
Manilii *locus ab emendatione defenſus* 6
— — *Aſtronomicon cum notis variorum et ſuis editum a Stoebero* 6
— — *loca plurima illuſtrata* 8 ſq.
de Io. Marco *nonnulla* 346
de Martiali *iterum edendo* 547
Mathematica *miſcellanea* 319
Mathematica *inventa Leibnitii* 439
de Matrimonio *obſervatio* 334
Medendi *methodus confortativa univerſalis* 127
Mediceae *Bibliothecae* Codd. *MS.* 462
de Mercurio *congelato Braunii experimenta* 399. 401
Meteorologicae *obſervationes* 487
de re Militari *Romanorum* 353
Militaris *diarii edendi adumbratio* 524
de Miltono *iudicium* 186

de Mi-

de Minucii *Felicis vera aetate, dignitate, et patria* 378
de Minutiarum *ſtudio contra Grammaticos quosdam* 512
de Monachis, *et damnis quae ab ipſis proficiſcuntur* 243
Monadologiae *brevis expoſitio* 166
Montaignii *obſervationes Satellitis Veneris expenſae* 61 ſq.
de Morbis *obſervationes* 132
Morborum *claſſes tres* 134
de Mortuorum *indicibus utendis* 502
de Moſchifero *animali quaedam* 493
de Moſis *textu triplici* 158 ſq.
de Motu *fluidorum* 397
de Muſculorum *motus voluntarii cauſſis* 497
de Mythologiae *uſu in poeſi* 189

N.

de Nano *quodam homine* 496
Naturalis *hiſtoriae ſcriptores Arabici* 209
Mich. Neandri *elogium* 139
de Nemoribus *in tectis aedium Romanorum* 510
S. Nilus *deſcriptus, eiusque reſponſa quaedam* 345
Numeri *graece editi ex MS. Codice, a Fiſchero* 370
ex Numis *artium hiſtoria illuſtrata* 426
Numorum *contumelioſorum et ſatyricorum deſcriptio* 274 ſeq.
— — — *obſidionalium hiſtoria* 325
Numus *confeſſionarius defenſus* 334

O.

Obſervationum *Iuris Civilis index* 169
Obſidionalium *numorum hiſtoria* 325
de *Bernh.* Ochino *quaedam* 138
de Odoribus *experimenta* 490
in Oeconomia *poematum licentia* 186
Omnipraeſentiae *Dei notio* 168
de Onokolite *deo* 381
Onoſandri *Strategicus a Schwebelio editus cum notis perpetuis* 313
Opticae *et catadioptricae obſervationes* 72 ſq.
— — *obſervationes novae* 147 ſq.
de Oratoribus *Arabicis quaedam* 205
Origenis *Hexapla iterum edita* 529
Oroſii *locus correctus* 3
de Ottonis *M. diplomate quodam* 267

de Ovorum *elixatorum cicatricula* 320

P.

Raphael. Pacecho *ab Vcedos Pantometrum* 382
de Pacto *ſociali quaedam* 478
Palingeneſia *librorum iuris veterum* 281
Pandectarum *loca integra collecta* 281
Panegyricus *Iſocratis editus et illuſtratus* 416
Pantometrum *Pacechianum deſcriptum* 382
de Parallaxi *Solis quaedam* 409
Paſtoralis *prudentiae inſtitutiones* 329
de Paſtoribus *regibus Aegyptiacis* 161
de Patrum *Graecorum Codd. quibusdam* 467
de Patriciorum *dignitate* 263
de Patronatus *iure quaedam* 332
— — *iure Regum Hungariae* 562
Pelliani *problematis ſolutio* 387
Petropolitanae *Academiae Commentarii* 385
Philoſophica *miſcellanea* 319
Plinii *Hiſt. Nat. locus illuſtratus* 150
Plinii *Epiſtolarum locus illuſtratus* 380
— — *Hiſt. Nat. Editori quid agendum ſit?* 541
de Pluviae *quantitate, quae Lugduni Batavorum a.* 1751. *cecidit* 487
de Poetica *licentia obſervationes* 177
de Poetis *Arabicis quaedam* 206
de Poloniae *Rege hodierno quaedam* 230
de Polybio *iudicium Reiskii iniquius* 217
Polyſpaſti *emendatio* 485
de Pontificatu *Maximo apud Romanos* 256
de Pontificibus *Romanis obſervationes* 241
de Populari *dicendi genere* 507
Porphyrii *de abſtinentia ab eſu animalium liber, cum multorum notis, iterum editus* 289
de Praefectura *urbis Romanae* 260
de Praefectis *Praetorio obſervationes* 262

Prin-

Principis *ſanitatem perpetuo tuendi methodus* 229
de Principum *iuribus eccleſiaſticis obſervata* 241
Probabilium *iuris civilis liber ſingularis* 472
de Proconſulibus *quaedam* 259
de Prudentia *paſtorali obſervationes* 329
Pſalterium *Syriacum iterum editum* 297

R.

Reformatae *Italiae ſpecimen* 172 ſq.
Roma *ſub Patriciis* 265
de Romano *Senatu poſt tempora reipublicae liberae* 254
de Romae *expugnatione a. 1527. quaedam* 175
Romanorum *decreta pro Iudaeis facta, e Ioſepho collecta et illuſtrata a Krebſio* 218
in Romanorum *tectis nemora* 510
apud Romanos *ſacrorum libertas* 380
de Rotarum *dentibus* 396
I. I. Ruſſavius *confutatus* 475
Ruſtici *anni Ian. carmine expoſitus* 234

S.

de *Elzeario* de Sabrano *quaedam* 348
de Sacrorum *apud Romanos libertate* 380
de S. Salomone *Rege Hungariae Eremita* 352
de Salviano *eiusque libris quaedam* 247
Sanctorum *Eccleſiae Rom. acta longe plurima, vera, dubia, falſa* 337
Sanitas *principis quomodo conſervanda?* 229
Satellitem *Veneris illuſionem eſſe demonſtratur* 49 ſq.
de Saturnalibus *numis quaedam* 276
Satyricorum *numorum deſcriptio* 274
de Scarabaeis *Americanis* 405
de Schismate *recentiſſimo in Eccleſia Graeca* 283
de Scholis *Saxonicis quaedam* 336

Schwe-

Schwebelius *laudatus* 354
— — — *notatus* 358
Scientiarum *mappa topographica deſcripta* 14
Scripturae S. *loca explicata et illuſtrata:*
Geneſ. I,1. 298
XXVII,1. 534
XLIX,10. 222
Exod. XXXV,21. 534
Levit. XVIII,17. 535
XIX,18. 373
Num. XVI,5. 373
XXI,19. 373
XXXIII,38. 373
— — *44.* 536
Deuter. XXII,9. 536
Ioſuae I,15. 537
1 Sam. XXIII,13. 537
Pſalm II,9. 306
IV,7. 306
VII,7. 306
XVIII,46. 307
XXII,30. 310
XXXVIII,19. 307
XLIX,9. 307
LXXXIX,48. 307
XCI,4. 310
CIV,11. 309
Pſalm CXXXVII,5. 310
CXLV. 307
Actor. XII. XV. 346
XVI,19.20. 223
S. Senator, Sanctus *ambiguus* 345
de Senatu *Romano poſt tempora reipublicae liberae* 254
de Serapidis *cultu temere Chriſtianis obiecto* 381
de Seſoſtridis *epocha quaedam* 161
Shorti *obſervationes aſtronomicae diiudicatae* 59 ſq.
de Sinenſium *philoſophia quaedam* 441
de Sleidani *hiſtoria obſervationes* 139
de Smaragdo, *quo gladiatorum pugnas Imp. Nero ſpectavit* 150
de Soni *natura et propagatione* 323
Socialis *Contractus Ruſſavii confutatus* 475
de S. Solenne *quaedam* 343
Solis *parallaxis ex obſervatione tranſitus Veneris per diſcum Solis inveſtigata* 409
Melch. Specceri *epiſtola ad Sturmium* 141

de Spe-

de Spectro *quodam aſtronomico* 49 ſq.
de Speculo *in Pharo turri* 149
Stoeberi *in Manilio edendo diligentia* 7
— — *ratio in eodem loco ſervata notata* 11
Strategicus *Onoſandri iterum editus* 313
Stratonis *aliorumque poetarum graecorum epigrammata edita a Klotzio* 40
de *Franc.* Suarez *quaedam* 340
de Sylveſtro II. *Pontifice R. quaedam* 566
Syriacae *voces illuſtratae* 309 ſeq.
de Syriacae *Verſionis N. Teſt. aetate* 298
Syriacum *Pſalterium iterum editum* 297

T.

Tabulae *Topicae deſcriptio et uſus* 24 ſq.
Taciti *locus ab emendatione defenſus* 5
de Terminiſtica *ſive iudicium Leibnitii* 445
Theodicaea *Leibnitii quomodo orta ſit?* 447
de Theodorae *dominio Romae* 266
Theodoreti *Codex MStus* 469
de Thermometrorum *aſcenſu ac deſcenſu quaedam* 321
Thermometricae *tabulae et obſervationes a. 1748.* 487
Topicae *artis definitio, uſus, etc.* 18 ſq.
de Topicis *diſputatio Lamberti* 12
Transactionum *Philoſophicarum nova editio, acceſſionibus locupletata* 42. 487 ſeq.
de Trigonometria *ſphaerica ad planum reducta* 483
de Trinitate *Libri tres, nuper detecti, Didymo Alexandrino aſſerti* 248
Triangulorum, *quorum anguli certam inter ſe rationem tenent, proprietates* 388
de Tubis *Gregorianis aut dioptricis quaedam* 89 ſq.

V.

de Variolarum *inſitione quaedam* 499

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

de Varſavia *quaedam* 230 ſeq.

de Vaticiniis *V. Teſt. obſervationes* 222

Vegetii *Libri de re militari iterum editi et illuſtrati a Schwebelio* 352

Veneris *occultatio per lunam* 485

Veneris *Satellitem illuſionem eſſe probatur* 49 ſq.

Veneris *tranſitus per diſcum Solis* 407

de Venetorum *in Graecos ſuae ditionis benevolentia* 225

Venetorum *lis cum Epiſc. Romano ſuper Graecis ſui Imperii* 483

de Ventilatoris *ab Haleſio inventi praeſtantia* 492

de Verſionis *Syrae N. T. antiquitate* 298

de Veſuvii *eruptione* 490

Veteribus *quantum ſe debere faſſus ſit Leibnitius?* 436

de Virgilii *verecundia* 512

Virgilii *nova editio curata ab Heynio* 554

de Vocationibus *ad munus eccleſiaſticum quaeſtio* 329

W.

de S. Wenceslao *martyre, Bohemiae Duce ac Patrono* 351

P. Weſſelingii *laudes* 549

Io. Winckelmanus *laudatus* 155

— — — *notatus* 153

in Io. Winckelmani *caedem carmen Bodeni* 515

C. Wolfii *Topica* 17

Z.

Zoſimi *locus explicatus* 256

Tabulae figurarum ex aere expreſſarum.

Tab. I. ad Menſem *Februar.* pag. 74 ſq.

Tab. II. ad Menſem *Maium* 198

UM

jü
v!
[illegible]
ms